
REVERENDI ... FULGENTII CUNILIATI ... CATECHISTA IN PULPITO SECUNDUM ORDINEM...

Fulgenzio Cuniliati, Josè Maria Fonseca de Evora, ...




43
6 F
8









REVERENDI PATRIS FRATRIS

FULGENTII CUNILIATI

SACRI ORDINIS PRÆDICATORUM, CONGREGATIONIS
B. JACOBI SALOMONII, S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS

CATECHISTA IN PULPITO

ſecundum ordinem Catechiſmi CONCILII TRIDENTINI
(qui reliquorum omnium facile regula eſt)

PER

SERMONES FAMILIARES

SS. SCRIPTURÆ TESTIMONIIS, SS. PATRUM AUCTORITATIBUS

ET


SOLIDÆ MORALIS THEOLOGIÆ PRÆCEPTIS NIXOS

FIDELIBUS,

QUID


POTISSIMUM ET CREDERE ET FACERE PRO SALUTE





ÆTERNA OBTINENDA DEBEANT,

proponens.



* * * * *

OPUS

TUM FIDELIUM CUIVIS, TUM MAXIME PAROCHIS
PERUTILE

ITALICA PRIMUM LINGUA VULGATUM

NUNC

POST SECUNDAM EDITIONEM VENETAM LATINITATE DONATUM.


Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Pſalm. 118.

AUGUSTÆ VINDELICORUM.

M DCC LXXI.

Sumptibus FRATRUM VEITH Bibliopolarum.

Superiorum Permiſſu.



VIRGINI MAXIMÆ
MARIÆ
Genitrici
Incarnatæ Sapientiæ
Patris Aeterni.

Quamvis multæ ſint, Regina auguſtiſſima! cauſſæ, quæ me incitarunt, ut ad excelſum, in quo reſides, thronum hoc meum Opus deponerem; una tamen eaque admodum ſpecialis menti occurrit meæ, quæ me ad id faciendum quodammodo adigere videbatur. Incitabat me equidem incomparabilis benignitas tua, quacum alia mea ſcripta excipere & quacum in conſcribendis aliis mihi adeſſe dignata es: Incitabant innumera eaque eximia beneficia, quæ mihi a Deo pro tua miſericordia impetraſti: Incitabat ardens, quo flagro, tui patrocinii mihi magis magisque conciliandi ſtudium: Incitabat denique firma, quam pectore meo alo, ſpes, me in maternas ac piiſſimas manus tuas animam meam exhalaturum, ut illa, tanquam ad te pertinens, tremendo Filii tui tribunali oblata æternam,

a qua appellari non poteſt, ſententiam audiat. Hæ me, O Virgo maxima! incitabant cauſſæ, dabatque unaquæque harum fiduciam, id, quod auſurus eſſem, venia nequaquam cariturum eſſe: Verum enimvero ubi animo occurrit, te, O ſancta DEI Genitrix! primam omnium amore pleniſſimum Catechiſtæ myſteriorum novæ legis munus exercuiſſe (Ut verum fatear) omni propemodum metu, ne nimiæ cujusdam audaciæ arguerer, depoſito tibi hunc meum Catechiſmum ſacrare conſtitui. Tu profecto, alma Virgo! tu prima paſtores, ad colendum natum ex te Salvatorem ab Angelo invitatos, altitudinem geſti myſterii, quod ſine myſterio Unitatis DEI in Perſonarum Trinitate apte convenienterque explicari non poteſt, docuiſti: nimirum ſecundam in Trinitate Perſonam (Filium Patris æterni) ſingulari Spiritus ſancti, qui eſt Perſona Trinitatis tertia, operatione carnem naturamque humanam ex tuis puriſſimis viſceribus ſuſcepiſſe; quo eodem myſterio tum Perſonæ divinæ in Chriſto JESU una cum duabus diſtinctis perfectis naturis (divina & humana) identitas, tum admirabilis virginitas excelſiſſimæ veræque maternitati divinæ in te prodigioſe juncta continetur. Tu certe Magos, ſtellæ ope ad Filii tui adorationem evocatos, memorata myſteria docuiſti; qua re factum, ut tum hi tum illi, tuis ſacris inſtitutionibus illuſtrati, veritatum a te propoſitarum & explanatarum lumen ſuis oris intulerint. Tu certe S. Lucæ Evangeliſtæ tot alia myſteria accurate adeo retuliſti, myſteria colloquii cum Archangelo habiti: viſitationis Eliſabeth: exſultationis Joannis Baptiſtæ in matris utero: verborum Cognatæ a te dictorum: ſoluti linguæ vinculi in Zacharia & cantici ab ipſo tempore illo prolati: item alterius cantici a

te

te compositi, quod gemmæ ad instar reliqua inter carmina sacra refulget: duplicis adventus, Pastorum & Magorum: circumcisionis Christi: purificationis tuæ: cantici Simeonis ac vaticiniorum ab illo de oblato sibi pusione editorum, & omnium reliquarum circumstantiarum infantiæ ac pueritiæ Salvatoris. Quis nisi tu, O Virgo sancta! memorato Evangelistæ hæc omnia exposuisti? Atque ista de caussa merito nos idem S. Lucas sæpius admonuit, conservasse te augustissimo corde tuo mysteria hæc omnia obsequuturam motibus Spiritus sancti, ubi te ille ad eorundem manifestationem directurus esset (a) *Maria autem conservabat omnia hæc conferens in corde. . . Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.* Tibi itaque, O sublimis Regina! tibi jure meritissimo debetur hæc gloria, quod Catechistarum novæ legis prototypon primumque exemplar extiteris; ut non asseram, quod tamen accidisse verosimilius puto: scilicet te primis Neophytis Apostolorum prædicatione conversis, te ceu vivens miraculum (Matrem veram, at simul Virginem intactam) videre cupientibus, suavissimo ore tuo documenta prompsisse; ut non cum S. Ambrosio, servo nomini tuo devotissimo, tibi tuisque domesticis institutionibus id acceptum referam, quod S. Joannes Evangelista de divinitate JESU tam alta atque sublimia scripserit: *Tradita est Maria Joanni Evangelistæ. . . Unde non miror, præ ceteris locutum mysteria divina, cui præsto erat* (b) *Aula cœlestium sacramentorum.* Hæc cogitatio, O MARIA! nimirum te talem fuisse; etsi metum obortum, ne hoc præsens Opus ex zelosi & amore pleni ministerii, cujus Exemplar te primum constituisti, ratione atque argumento conscriptum tibi offerendo nimium audax viderer, minuerit:

(a) *Luc. c.* 2. *v.* 19 & 51. (b) *Libr. de Instit. Virg. c.* 7.

tamen, quod idem Scriptum ab Prototypo multum discrepare bene cognoscerem, non omnino sustulit; donec is tandem sola & secura maternæ ac summæ benignitatis tuæ consideratione ablatus est: benignitatis tuæ (inquam) quæ, dum cordis obsequium & sincerum offerentis studium spectat, Operis vitia curare non solet. Tibi, O Virgo! hunc librum meum dicatum volui, antequam ad eum componendum aggressus sum: Tibi illum componens sæpius commendavi: Et, si una ex parte confiteri debeo, me auxilii tui manifesta indicia habuisse: parte ex altera (Quod meum dedecus est) fateri cogor, me eodem auxilio uti, ut par erat, neglexisse. Utcunque sit, ecce! jacet ad pedes throni tui, O excellens Regina! Opus hoc meum; immo præ aliis rebus cunctis jacet supplex Auctor indignus, humiliter te obtestans: Impetres efficacissima intercessione tua tum mihi tum omnibus hos sermones lecturis gratiam Dei, ut firmiter credamus perpetuoque exerceamus, quæ iisdem comprehenduntur; eumque in finem, quidquid Operi huic ad summam utilitatem deest, suppleas, ut tum ego tum ipsi vitam omnibus status nostri officiis respondentem ducendo digni reddamur, quibus te laudare, te amare, te frui per secula seculorum detur.
Amen.



LECTORI.

LECTORI.

EX titulo Operis, Lector amatiſſime! pro tua prudentia cognoſces, ad quos hi Sermones catechetici dirigantur, & (quod conſequitur) qualia ſint argumenta, quæ in illis pertractantur. Quoniam ad populum fidelem diriguntur, præſupponunt populum Catholicum, atque ob eam rem in illis materiæ controverſæ adverſus hæreticos & alios incredulos directe non tractantur; de quibus tum multi laudabiliter utiliterque ſcripſerunt, tum etiam ante paucos annos in *Converſationibus litterariis Clotildis Wandſtol nobilis fæminæ* (*) actum fuit: Nihilominus in aliquibus Sermonibus de controverſis capitibus, nimium cum argumento explanando cohærentibus, ſobrie & eatenus ſolum diſſeritur, quatenus inde populus fidelis in Fide Catholica confirmari fortius poteſt.

Ex eodem titulo intelliges, hos Sermones non ad meram, ſimplicem nudamque inſtitutionem comparatos eſſe, ſed enim cum doctrina vim perſuadendi conjunctam habere debere. Eum in finem argumentis, figuris aliisque utendum modis fuit, qui eo conducere queunt, ut tum vitiorum fuga tum virtutum exercitium ab Auditoribus decernatur.

Advertes præterea, Lector! Catechiſtam ad populum fidelem dicere: videlicet ad perſonas utplurimum rudes, illiteratas, ſimplices, quales maxime ad audienda doctrinæ chriſtianæ rudimenta confluere ſolent. Etenim perſonæ doctæ inſtitutiones catecheticas frequentare haud conſueverunt; cum non ſolum ea, quæ in catecheſibus afferri ſolent, ſed multo plura ſcire debeant: quæ etiam, ſi qua eis difficultas de iſtis materiis incidit, illius enodationem in libris claſſicis, talia fuſe tractantibus, quærunt; Inſunt tamen Operi huic nonnulla, quæ etiam ipſis proficua eſſe poſſunt. Ex hoc inferes, Lector! ſtylum horum Sermonum planum, dilucidum facilemque eſſe, & materias, quæ ibi tractantur, rationibus, ſimilitudinibus, comparationibus variisque figuris facientibus, ut res propoſita, quoad ejus fieri poteſt, ſub oculos (Ut ſic dicam) cadat, exponi debere; quam dicendi rationem S. Joannes Chryſoſtomus ſemper ſervavit, maxime in ſuis *ad Populum Antiochenum* homiliis, ut easdem captui rudium aut parum videntium Lectorum accommodaret; qua eadem ego quoque uſus ſum, maxime in explicatione aliquot Attributorum Dei, quam conſulto ſuſcepi; quod ſcirem, deplorandam illorum ignorantiam in multis,

(*) *Le Converſazioni letterarie di Madamigella Clotilde Wandſtol nobile Fiaminga convertita dal Calviniſmo alla Catholica Romana Fede, da eſſa tenute ſu i punti principali della Religione naturale e rivelata.* Tom. II. in Venezia, 1750.

tis, etiam haud popularis ordinis, hominibus obtinere, qui cum ea, quæ ad proprium commodum attinent, & modos temporalium fortunarum augendarum longe acutissimos plane docti sint; contra Deum suum parum norunt.


Hinc nihil miraberis, me sæpius prolixos Textus in medium afferre; Primum quidem, quia (Ut ipse nosti) alia ratio servanda scribenti ut legatur, alia scribenti ut audiatur: Posterior adducere in medium Textus, qui audiantur, & (quod consequens est) haud longos afferre debet, ne animis audientium fastidium moveat: Priori contra potestas cumulataque libertas est excurrendi, quantum materia proposita & scriptionis susceptæ vis postulat; cum mens, si quidem idioma callet, oculorum subsidio munita parum fatigetur. Deinde vero hoc feci, ut si quis rebus hoc libro perscriptis ad concionem Fidelium uti vellet, posset ex longis Textibus ea mutuari, quæ ad compositionis suæ rationem magis faciunt.

In certis materiis lubricis neque tam longus fui, neque in eas tam alte descendi, quantum tum optarim ipse tum forsitan materia proposita exigebat: Cogitabam quippe mecum, fieri facile posse, ut hic Catechismus meus in personarum omnis sexus, ætatis, ordinis (videlicet & monacharum, & puellarum, & adolescentum) manus incidat: eaque re adigi me sentiebam, ut super his materiis sobrie & ea tantum scriberem, quæ ad horum scelerum reos illustrandos necessaria essent, nec aliorum aut innocentiæ nocerent aut infirmitatem in laqueos inducerent. Simili modo in quadam alia materia brevior fui, ne personarum in certis vitæ conditionibus positarum vitia nonnulla, de quibus illæ ab aliquibus ne suspectæ quidem habentur, patescerent.

Hæc sunt, Lector charissime! quæ te de præsenti Opere monere opportunum duxi: quod, uti reliqua mea Scripta omnia, non solum judicio benedictæ Matris nostræ S. Ecclesiæ Catholico-Romanæ, immotæ veritatis Columnæ, sed etiam censuræ cujusvis doctioris & sapientioris viri subjicio: in quo si quid grati, boni, proficuique inveneris, Deo boni omnis largitori & Mariæ, quæ illud impetravit, patrocinio gratias age: Quidquid autem vitiosi in illo inest (Multa autem inesse sentio) mihi adscribe; cum hoc solum de meo sit; Neque hoc meum de me ipso testimonium officiosæ affectationis arguas, sed pro Fidei veritate habeas velim. Deum itaque pro me exores rogo atque obtestor, ut, cum me sua misericordia ad varia Opera in Proximi bonum elucubranda commoverit atque adjuvarit, etiam hoc gratiæ mihi concedere propitius velit, ut in numero eorum agricolarum sim, quos (**) Paulus indicavit; nimirum ut ego fructus exilium laborum meorum primus capiam: *Laborantem agricolam primum oportet de fructibus percipere.* Deus tibi divina sua gratia perpetuo adsit!

APPRO-

(**) *2. Timoth. 2.*



APPROBATIO CENSORIS EPISCOPALIS.

CUm in præſenti Opere, ſub inſcriptione: *Catechiſta in pulpito &c.* omnia ea, quæ pro obtinenda ſalute ſempiterna homo & credere & facere debet, per Sermones familiares, ſecundum ordinem Catechiſmi Concilii Tridentini, a P. F. FULGENTIO CUNILIATI, S. Ordinis Prædicatorum, non minus erudite quam perſpicue exponantur; atque Opus iſtud, quod poſt ſecundam editionem Venetam latinitate donatum fuit, univerſis Fidelibus, tum maxime animarum paſtoribus utiliſſimum eſſe queat; neque bonis moribus, aut orthodoxæ fidei principiis in aliquo repugnet: digniſſimum cenſetur illud, ut ſub approbatione & commendatione Curiæ Epiſcopalis typis in lucem publicam prodeat. Auguſtæ Vindelicorum, die 24. Jul. 1770.

JOSEPHUS HERZ,

S. Theol. Licent. Revmi ac Sermi Elector. & Archiepiſc. Trevir. nec non Epiſc. Auguſt. Conſil. Eccl. Viſitat. Gen. Conſiſtor. Aſſeſſ. ac Librorum Cenſor.

INDEX SERMONUM.

PARS PRIMA

De Symbolo Apoſtolorum.

XX.

PARS SECUNDA

De ſanctis Sacramentis.

PARS TERTIA

De Præceptis Decalogi.

PARS QUARTA

De Præceptis Ecclesiæ sanctæ.



PARS I.



PARS PRIMA
DE
SYMBOLO APOSTOLORUM.

SERMO I. PRÆLIMINARIS.

De magno veræ Fidei dono, & quam male eidem mortales respondeant.



Cum unicuique, doctrinæ christianæ elementa tradenti, hoc propositum sit, ut vel auditorum suorum mentes illustret veritatum ad salutem æternam obtinendam necessariarum cognitione illas imbuendo; vel ut Fidelium animos ad easdem veritates opere ipso fideliter complendas accendat: cumque inter veritates ad intellectum pertinentes principem sibi locum veritates Fidei sanctæ vendicent, ob id primo quidem, quid vera Fides sit, exponere, Auditores dilectissimi! necessum esse videtur.

Itaque Fides donum gratuitum est, a Deo animæ infusum, quo adjuvante illa omnes veritates a Deo Ecclesiæ revelatas, & ab Ecclesia ad credendum propositas firmiter tenet. Appellatur donum Dei ex effato S. Joannis, dicentis: *Hoc est opus Dei, ut credatis* (a) itemque S. Pauli apertissimum in modum declarantis, Fidem, quippe merum donum Dei, humanis viribus nequaquam obtineri: *Gratia estis salvati per Fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est.* (b) Dixi præterea, hoc dono & hac Fidei virtute adjuvante omnes veritates omniaque mysteria a Deo Ecclesiæ revelata & ab Ecclesia proposita firmiter credi; quod ut melius intelligatis, sciatis velim, mysteria creditu necessaria ferme omnia sacris Scripturis comprehendi. Dixi: *ferme omnia;* nam sunt nonnulla, quæ Traditione continentur. Dicetis: Quid sibi vult vox ista, *Traditio*? Repono, nomine Traditionis denotari veritatem aliquam in sacris literis non conscriptam, sed a Christo Apostolis, ab Apostolis deinde successoribus suis, ab his demum posteris oretenus expositam, eaque ratione ad nos usque derivatam; quæ quanquam a successoribus Apostolorum literis mandata fuerit, tamen a Christo Apostolis, ab his vero successoribus oretenus tradita fuit, ut deinceps ad omnes Fideles in finem mundi usque transfunderetur; atque ob id Traditio, sive verbum Divinum vocale nuncupatur, habetque eandem cum scri-

(a) *Joan. c. 6.* (b) *Ephes. 2.*

pto & librorum sacrorum scriptoribus revelato Dei verbo veri certique rationem. Jam hæ veritates omnes, quas ipsas per decursum operis explanabimus, objectum & materiam sanctæ Fidei constituunt.

Ut autem cognoscatis, quam apposite dixerim: Fidei materias a Deo revelatas, & ab Ecclesia sancta ad credendum propositas esse; animadvertatis velim, varias de Scripturis sacris, quibus veritates a Deo revelatæ (quarum modo memini) continentur, difficiles quæstiones in medium afferri posse; ac primo quidem de libris ipsis, scilicet: Quinam revera, & quot sint, in quibus memoratæ veritates comprehendantur? longi etenim temporis, quod ex eo, quo hi libri a sanctis primævis scriptoribus spiritu Dei afflatis exarati fuere, ad nostram usque ætatem fluxit, decursu facile S. Scripturæ detrimenti quidquam accipere potuerunt sive quoad librorum numerum sive quoad horum apographa, quorum innumera confecta fuerunt; quæ cum inter se discrepent, multis necessarie ambiguitatibus mens suspenditur humana, dubitatque, tum quot plane libri tum quæ eorundem legitima exemplaria sint? Præterea cum dicendi genus, a Deo in illis libris adhibitum, sublime maxime ac mysticum, & sensu multiplex sit varieque accipi possit; nova, ecce! dubitatio exoritur, quinam sit legitimus sensus, quo accipi S. Scripturæ debeant? Jam horum dubiorum, tam quoad libros quam quoad verum eorumdem sensum, certa securaque discussio cujus (putatis) erit? Anne Privati cujusque? Neutiquam: Ipsi namque facile intelligitis, pro maxima, quæ est, cogitationum humanarum varietate tot religiones quot capita, easque inter se contrarias extituras esse: id quod non sine vehementissimo doloris sensu nostris ipsi oculis cernimus; Etenim ex hoc maxime, quod Privatus quisque legitimum sese librorum sacrorum judicem eorumdemque interpretem certum atque authenticum facere voluit, omnes hæreses, quotquot a primis post Christum natum seculis ad nostra usque tempora plurimis dogmatibus inter se contrarias orbis vidit, originem habuerunt; dum veritatem incorruptam a suis partibus stare, pro se quisque contenderet, quæ tamen, (ut quivis facile videt) inter duo sibi repugnantia esse non potest: Sic (ut exemplis agam) verum esse nequit: sacros veteris Testamenti libros numero quadraginta quinque esse, & non esse: libros novi Testamenti viginti tres esse, & non esse: verum obscurorum locorum sensum hunc esse, simulque alium ab hoc longe diversum. Facile igitur quivis, nisi mentis expers sit, intelligit, nullius esse Privati, de hujuscemodi difficultatibus decidere.

At, cum librorum sacrorum & veri eorum sensus judicium ad neminem Privatum pertinere possit, ad quamdam profecto congregationem pertineat oportet. Jam quænam ista congregatio? Hæc quæ sit, melius nulla alia ex re, quam ex verbis Christi cognoscere nos licet, Christi (inquam) qui eam nobis in illo Evangelii capitulo ostendit, in quo de peccantis correctione fraterna loquens, postquam modum rationemque fratrem peccantem apte corrigendi tradidisset, in hæc verba concludit: *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* (c) Itaque, cum Christus velit, ut, qui Ecclesiam non audierit, in numero Infidelium & Paganorum habeatur; dubio procul Ecclesia erit ministra a Christo eo constituta, ut audiatur de illis, quæ ipse credenda revelavit. Hinc locutione significantissima usus S. Augustinus dixit: *Ego Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas* (d)

Ex his intelligetis (puto) Auditores charissimi! quare dicatur: Veritates creditu necessarias esse eas, quas Deus revelavit & Ecclesia credendas proponit; namque sine hac legitima ministra, quæ & quot sint memoratæ veritates, certo cognoscere non possumus. Ex hoc autem inferri debet, caussam seu motivum credendi Fidei veritates esse verbum Dei, aut revelationem Dei Ecclesiæ factam; Ecclesiam deinde medi-

(c) *Matth. 18.* (d) *Lib. contra epist. Manich. c. 5.*

medium esse a Deo destinatum, per quod eæ veritates, quas illa per revelationem divinam accepit, nobis proponuntur & applicantur. Ob eam rem idem dicere nos debemus, quod admirabilis ille parvulus, cujus Historia ecclesiastica meminit, tyranno reposuit, qui cum interrogaretur, qua demum de caussa veritates legis christianæ & in primis Divinitatem Jesu Christi constanter adeo profiteretur, sapientissima quadam cum simplicitate egregium hoc tyranno responsum dedit: *Quia ita dixit mihi mater.* Cumque tyrannus subdidisset: *Et quis matri tuæ dixit?* Sapiens ille puer respondit: *Et matri Deus.* Hoc ipsum (inquam) nos, aptius quidem magisque ex ratione, dicamus: Credo, *quia ita dixit mihi mater,* scilicet Ecclesia, & *matri Deus*; nam nisi id prius Deus Ecclesiæ revelasset, illa istud mihi ad credendum neutiquam proponeret. Hæc autem vera Ecclesia sola nostra Catholica Romana est, id quod suo loco, nimirum in articulo (*sanctam Ecclesiam*) aperiam ac confirmabo.

Jam vero hoc Fidei sanctæ donum (quod, uti dixi, in eo consistit, ut omnes veritates a Deo Ecclesiæ revelatas & ab Ecclesia ad credendum propositas credamus) cum purum putumque Dei donum sit, promereri a nullo potest, adeo ut, quamvis quis mentem a plurimarum naturalium scientiarum cognitione instructissimam aut cor ad honestatem naturalem propensissimum habeat, tamen hoc Fidei donum aut comparari solis humanis viribus, aut consequi meritis ullis nequeat; sed usque merum donum infinitæ misericordiæ Dei sit, qui illud cum nulli debeat, istis demum concedere solet, qui se eo non indignos reddunt. Sic in Scripturis sacris Deus declaravit, &, præter loca hujus sermonis initio a me laudata, in Evangelio Christus edixit: *Nemo potest venire ad me* reipsa seu effective, scilicet vera cum Fide, *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; *& nisi fuerit ei datum a Patre* (e) *meo*, ut ad me veniat, adeo ut solæ humanæ vires, gratia divina destitutæ, plane inhabiles sint, non solum eo, ut ad veram Fidem perveniant, sed eo quoque, ut vel levissima illius initia ponant, aut primam illius amplectendæ voluntatem concipiant. Sic Concilium Arausicanum II. a Papa Bonifacio II. confirmatum, atque adversus hæreticos Semipelagianos ab Ecclesia catholica universa adoptatum *canone III. V. VI. & VII.* qui omnes de Fide agunt maxime vero *canone V.* monet: *Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium Fidei ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, non per gratiæ donum . . . sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius probatur.* Ob eam rem magnus eruditusque S. Augustini Discipulus S. Fulgentius, sensa excellentis magistri sui sequens, ait: *Numquam redire potest ovis errans, nisi fuerit boni pastoris inquisitione præventa, & humeris reportata. Propterea pastor bonus venit quærere & salvam facere ovem perditam, quæ pastorem suum quærere non potest, priusquam ab eo quæratur; sed a quærente prævenitur, ut quærat: pastor autem frustra eam quæreret, si quæsita pastorem ipsa quærere non posset; sed hoc ei quærentis pastoris bonitas donat, ut etiam ipsa quærendi pastoris habeat voluntatem. Quæritur autem, ut quærat; quando illuminatur, ut credat.* (f) Ecce aurea sancti Doctoris verba!

Hæc autem Fides (quæ, ut dixi, purum merumque Dei donum est, quod ab ipso solo concedi & sola humana industria absque speciali Numinis gratia & beneficentia obtineri numquam potest) usque adeo ad æternam salutem necessaria est, ut hæc absque illa adipisci plane atque omnino nequeat. Sic Apostolus canone, ab ipso sancto Spiritu condito, declaravit: *Sine Fide impossibile est placere Deo.* (g) & Galatis in hæc verba scribit: *Scientes, quod non justificatur homo . . . nisi per Fidem Jesu Christi.* (h) Quid quod ante Paulum Christus ipse pronuntiarit: *Qui non credit,* ac si diceret: Qui Fidem non habet, *jam judicatus est* ad perditionem, *quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* (i) Id ipsum sacra

(e) *Joan. 6.* (f) *Lib. de Incar., & Grat. c. 22.* (g) *Hebr. 11.* (h) *Galat. 2.* (i) *Joan. 3.*

cra Patrum turba omnis una voce docet. Unde jure meritissimo SS. Concilium Tridentinum (k) Fidem principium salutis æternæ, fundamentum & radicem omnis justificationis nuncupavit: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis.* Manet ergo, donum Fidei ad salutem æternam omnino necessarium esse.

Percurramus modo mentis nostræ oculis, Dilectissimi! mundum universum, & videamus, quot sint nationes, in quibus vera Fides regnat: quot sint populi, quibus grande adeo ac necessarium donum concessum est! Videbimus certe, quod, quamvis per omnes gentes tum veros Fideles reperire sit tum ministros sacros, qui vitæ quoque suæ periculo Fidem veram inducere allaborant (ob quam ipsam rem Ecclesia catholica dicitur atque universalis) tamen nationes Fidei sanctæ dono carentes iis, quæ veram fidem tenent, numero quam longissime antecedant. Quot, eheu! gentes etiamnum tetra idololatriæ caligine circumfusæ? Quot superstitiosis Mahometis dogmatibus excæcatæ jacent? Quot denique, quæ, tametsi nomen christianum jactent, quippe per sacras Baptismatis undas regeneratæ; tamen varias sibique mutuo repugnantes hæreses animo obfirmato tenent, adeo ut numerosissimæ multitudini huic collata eorum, qui veræ Fidei privilegium consecuti sunt, congregatio pusillus ille grex sit a Christo in Evangelio indicatus, & repetita ejusdem Servatoris vaticinia usque comprobentur, dicentis: *Multos esse vocatos, paucos vero electos.* Itaque ii, qui vera Fide duce salutem adipisci queunt (si cum illa innumerabili multitudine, cui, quod indignam se vera Fide reddiderit, certissimo æternum pereundum est, comparentur) multo pauciores existunt & (quod sequitur) infinitæ bonitati, misericordiæ, ac beneficentiæ Dei æternum obnoxii sunt, tam necessario ad salutem sempiternam obtinendam devincti dono.

At paucorum horum in numero, Auditores charissimi, an non nos quoque positos cernimus? An non in tanto privilegio donatis nos quoque sumus, quin (uti superius demonstravi) privilegio & præelectioni huic ullum meritum nostrum præcedere potuerit? An non in fortunatissimo illo grege consistimus, qui duce vera Fide facili negotio (siquidem voluerit) ad salutem pervenire adjuvante Dei gratia potest? Ita, Charissimi! ita profecto est. Nos, nos sumus, qui Dei infinitæ maiestati debemus plurimum, Dei (inquam) qui sola sua puraque misericordia tot aliorum, qui sine vera Fide decedentes æternum perierunt, numero nos eximere, dignatus est.

Jam vero quantæ ingratitudinis vel fuit vel foret, si, cum beneficentissimo Deo huic gratos nos memoresque (quovis saltem die de tam insigni beneficio grates agendo) præbere debuissemus, contra mortales eidem injurias rependissemus, aut rependeremus; si confitentes ex Fide, tot pravas actiones ab illo prohiberi, easdem tamen (non dicam quandoque) sed in singulos adeo dies admitteremus; si confitentes ex Fide, omnem ad illo impudicitiam vetari, tamen immundorum animalium instar luxuriæ sordibus nos immergeremus; si confitentes ex Fide, prohiberi ab illo contumeliosa quæque in sanctum & adorabile nomen suum dicta, illud tamen & blasphemiis & superfluis juramentis, (at quid dico superfluis) juramentis in nomen Dei, Christi, Angelorum, sacratissimæque Virginis, in Crucem Domini ad singula fere verba editis proscinderemus, nil, (quippe execrabili consuetudine abrepti) nil, inquam, animum advertentes, verumne an falsum, justumne an injustum sit, quod jurejurando firmamus; si (ut paucis complectar omnia) confitentes ex fide, omnes actiones Decalogi præceptis comprehensas ab illo immote ac constanter inhiberi, easdem tamen nos impudentissimi, ingratissimi quam sæpissime absque ulla aut saltem exigua verecundia patraremus: Nonne hoc idem foret, ac illud ipsum donum, quod Dominus

(k) *Sess. VI. c. 8.*

nus ex mera sua infinita misericordia nobis amantissime concessit, in ejus contumeliam injuriamque convertere?

Atque ut melius cognoscatis, quantam execrabilitatem injuriæ Deo illatæ habeant, si solius doni veræ Fidei, ab illo nobis concessi, ratio habeatur; fingite, quæso! exercitum viginti millium hominum, quos injustæ adversus se seditionis reos Rex legitimus, armis primum exutos, omnes internecione delere eaque ratione exemplum in perfidis statuere, sed mutata paulo post (ut erat misericordia plenus) sententia quinque millia eorum in vivis servare constituit, quibus, ne a copiis ad interficiendos reliquos perduelles missis vita spoliarentur, torquem proprium dedit, quo insigniti necem effugerent, vivique relinquerentur, interea dum ipsis inspectantibus ceteri ad unum omnes ultrice ferro haurirentur. Quantæ, putatis, magnitudinis, facta his quinque millibus gratia foret? Quam se illi Regi suo misericordissimo devinctos atque obstrictos crederent? Quam firmam voluntatem, fidos se Regi tali toto vitæ suæ tempore præbendi, conciperent? Sic certe de illis sentire nos oportet, nisi credere velimus, eos cor belluinum sub humano pectore gessisse. Ponite rursum, hæc quinque, tanta gratia tantoque privilegio impertita hominum millia sordidi lucri caussa, scortis suis satisfaciendi studio aut effræni divitiarum parandarum cupiditate stimulata regalis palatii, data opportunitate invadendi atque expilandi, animum ac voluntatem suscepisse, ornatosque eodem, quod in signum acceperant, vitæ ac salutis vindice monili regem ipsum tota cum familia jugulasse. Quid, quæso! de tam tragico facinore cogitatis? Dicetis: Chimericum quid narras, Pater charissime! cui immorari haud juvat. Recte dicitis: At volo plane, factum hoc tanquam verum ponatis, atque ob id ex vobis quæro, quid de illo sentiatis. Quid, amabo! de ejusmodi hominibus cogitatis? Quam in eos sententiam (siquidem pœnas tanti sceleris ab illis repetendi arbitrium penes vos esset) ferretis? Existimatisne, esse paria portentosæ adeo ingratitudini pro meritis puniendæ supplicia? Hem! nocentis fæminæ, lucri, licentiæ gratia tam beneficum, tam bonum vita spoliare dominum, idque pendente de collo salutari torque!

Ah! non est, Dilectissimi! non est chimæræ similis, quam vobis modo proposui, imago, sed in singulos dies re factisque firmatur &, quod in Rege terrestri chimæricum deputari potest, reapse in hujus rerum universitatis Monarcham fit? Nonne per originariam perfidiam genus humanum omne vitam æternam in perpetuum amisit? Istud quidem Fides docet: Nonne adultos, quo salutem æternam obtineant, credere ex Fide catholica in Christum oportet? Hoc superius demonstravi: Nonne mortales cuncti veræ Fidei obtinendæ jure omni carent? Ita profecto est: Nonne (quod consequitur) veræ Fidei donum insignis ille torques est, datus a Deo, ut habentem (siquidem ipse voluerit) a generali omnium non habentium clade immunem faciat? Sic omnino se res habet: Nonne torque hoc carentium multitudo (si cum iis, qui eumdem acceperunt, componatur) quasi viginti millia, millibus quinque collata, sunt? Ah! utinam errarem! Nonne vos, Auditores mei! ita, vos & ego in eorum numero sumus, quos torque hoc Deus donavit? Hoc profitemur; Et post hæc dicere audeamus, imaginem a me adumbratam chimericum quid referre? Nonne adversus divinam illustris adeo donatoris Majestatem cor illud belluinum nos gestavimus, quod in Regem suum militibus illis eximie habitis esse plane non potuisse putabamus. Scimus sane, omne peccatum mortale offensam esse ejusmodi, quæ (quantum in ipsa est) ad Dei destructionem tendit, dum eidem, quantum quidem fieri potest, characterem finis ultimi (Deo plane singularem ac proprium) rapit. Scimus præterea, omne perjurium, omnem impudicitiam, omnem aliam gravem præceptorum Dei & Ecclesiæ, quæ credimus, violationem peccatum esse lethale; & tamen quot horum, eheu! post acce-

ptam istarum veritatum omnium fidem commisimus; Quoties nomine Dei, nomine Christi, nomine Virginis sanctissimæ, illis ipsis Evangeliis (verbo) illo ipso Decalogo, quem ex Fide profitemur, Deum mortaliter offendendo abusi sumus, & pendente de collo torque illo, quocum fieri omnino non potuisse credebamus, ut milites illi privilegiarii de Rege benefactore suo interficiendo conjurarint: nos, portenta ingratitudinis, vitam Dei torquem hunc misericordissime donantis attentavimus? Quam merito jure ille dicere de nobis, quod in Osea, potest: *Ego erudivi eos* per Fidem & confortavi *brachia eorum* (l) hoc dono; ipsi autem, ipsi *cogitaverunt in me malitiam.* Quid vobis videtur, Dilectissimi! Quid ad hæc sentitis? Verane an falsa narro?

Nimis, eheu! vera sunt, Deus amantissime! nimis vera, quæ narro: At nunquid in posterum hæc eadem faciemus? Nequaquam, Deus meus! nequaquam auxiliante tua divina gratia, quam ex toto animo, demisseque invocamus. Quin potius memores insignis beneficii veræ catholicæ Fidei, quo nos infinita bonitas & misericordia tua impertivit, unusquisque nostrum una cum Augustino pœnitente confitemur, non videre nos meritum ullum, cujus caussa nos, innumeris aliis prælatos præelectosque, maxime necessario ad salutem æternam veræ Fidei privilegio donaveris: *Non enim ullum video meritum, quo de universa impietate generis humani me potissimum* (m) *elegisti ad salutem*, atque ob eam rem præteritas ingratitudines toto animo execrantes, deque iis ob amorem tui ex intimo corde dolentes nunquam in posterum offendere te decernimus, immo potius una saltem per diem vice de insigni & tam necessario, nobis concesso, veræ Fidei dono grates tibi animo propensissimo agere cum Apostolo satagemus: *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.*

(l) *Oseæ.* 7. (m) *Enarr. in Psalm.* 30. (n) *Coloss.* 1.

SERMO II. PRÆLIMINARIS.

De caussis, quæ Fidem christianam prudenter evidenterque credibilem reddunt.

Cum in præcedenti sermone de pretioso & inæstimabili sanctæ Fidei dono, quo adjuvante omnes veritates a Deo Ecclesiæ revelatas & ab Ecclesia ad credendum propositas firmiter tenere debemus, verba fecerim; cumque Fides hæc ad altissima maximeque obscura mysteria pertineat, quæ naturalibus clarisque argumentis, quippe longissime supra rationem humanam posita, comprobari nequeunt: fors ea cogitatio vestros, Dilectissimi! animos subiit, Fidem nostram nimiæ credulitatis & exiguæ cautionis argui posse, quasi a prudentia, quæ omnes virtutum actus regere debet, destitutam. Verum nequaquam in hanc rationem sancta & verissima Fides nostra, comparata est; nam, tametsi illa ejusmodi mysteria proponat, quæ a nobis (utpote viatoribus) intelligi nullo modo possunt: ut ex ipsa horum professione in hoc quidem seculo magna merita colligamus, in cœlesti vero patria præmium incomparabile obtineamus, in eo maxime positum, quod eadem mysteria clare perspecturi deque iis gavisuri simus; tamen Deus nobis in hac etiamnum vita tanta tamque valida argumenta præbere voluit, quibus, quamquam dictorum mysteriorum veritas clare evidenterque non manifestetur, istud tamen apertissimum maximeque perspicuum fit, digna illa oppido esse, quæ posthabita venerabili, qua involvuntur, obscuritate firmiter credantur. Ob eam rem de iisdem mysteriis ad Deum loquens Rex mentis illuminatissimæ David prophetice

tice edixit: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* (a) Quapropter tum vestræ tum meæ Fidei confirmandæ gratia in hoc sermone de præcipuis argumentis agere constitui, quibus clarum atque evidens redditur, sanctam nostram christianam catholicam Fidem ac Religionem dignam esse, quæ ab omnibus acceptetur atque amplectatur; ut hac ratione tum incredulo cuilibet omnis sufficiens ac gravis de non amplexata Fide excusatio præcludatur, tum nos ad agendas Deo quotidie de data grates vehementius impellamur.

Primum horum argumentorum a Prophetiis, quas Deus multis ante, quam Jesus Christus Religionem christianam conditurus apparuit, seculis a sacris Vatibus edi voluit, ducitur: cujus argumenti vim ac robur invictum ut cognoscatis, exponere opus est, quid sit prophetia. Igitur prophetia, quantum quidem ad propositum nostrum attinet, est certa eventus alicujus futuri (qui ex caussis sive necessario aut (si mavultis) essentialiter contingentibus sive omnino liberis pendet) prædictio; quæ prædictio eo illustrior est, quo longius in futura tempora memoratus eventus removetur, aut quo magis is ex libertate humana pendet. Ex his continuo intelligitis, certam talis eventus prædictionem ab alio, præterquam divino, lumine proficisci non posse; cum res omnes (nobis quidem præteritæ, præsentes, futuræ) in Dei æternitate nullam mutationem accipiant, adeo ut nemo, præter Deum, certa atque infallibili ratione scire queat, quid centum aut quingentis aut mille annis post nostram ætatem de aliqua persona, tum temporis extitura, futurum sit (quantum quidem ad actiones illius liberas, & consilia ab illa libere capienda attinet) quæ si a Prophetarum quodam multo ante tempore certo prædicta & successu temporis re factoque comprobata fuerint, necessario colligi debet, Prophetam illum ex lumine a solo æterno Deo menti infuso locutum fuisse.

Jam vero illud nostis, Charissimi! non unum solum sed omnes universim Testamenti veteris Prophetas de persona Filii Dei incarnati, de Fide illius ac Religione multis ante seculis, quam hæc gesta sunt, infallibili quadam cum certitudine verba fecisse, idque distincte adeo atque enucleate, ut non solum illius, non solum tot tantarumque gentium, quæ Fidem illius amplexuræ essent, actiones liberas, sed minutissima alia quoque, quæ adversus ejus personam gesta sunt (uti carnifices vestimenta ejus divisuros, missuros sortem in vestem ejus inconsutilem) aliasque similes singulares circumstantias prænuntiarint, quarum veritatem eventus cumulatissime atque exactissime comprobavit; id quod adversus Fidei christianæ hostes a Patribus ecclesiæ cunctis, aliisque viris sapientissimis confirmatum fuit. Colligamus modo: Si lumen propheticum non nisi a solo Deo provenire potest; & si vaticinia de Religione christiana omnia rei eventus examussim comprobavit, necessario affirmari debet: hanc ipsam esse Religionem Deo acceptam & ab illo præelectam. Hoc argumento quivis incredulus, sit licet paganus, convincitur; cum quilibet, nisi amens sit, facile videat, certam futurorum longeque remotorum, ex solo libero arbitrio humano pendentium eventuum prædictionem eorumque omnibus suis partibus accuratissimam impletionem ex nulla alia re, quam lumine fluere potuisse, accepto a summo humanarum deliberationum omnium arbitro, qui ipse nemo alius, præterquam Deus, est. Ob eam rem S. Hieronymus jure optimo dixit: *Confitentur arioli, & omnis scientia secularis litteraturæ, præscientiam futurorum* (b) *non esse hominum sed Dei; ex quo probatur, Prophetas Dei spiritu locutos, quia futura cecinerunt.*

Dicet aliquis acutiore præditus ingenio, argumentum hoc adversus Judæos, qui memoratorum Prophetarum vaticinia admittunt ac venerantur; non item adversus Mahometanos & Gentiles facere posse, quippe qui memo-

(a) *Psalm. 92* (b) *Comment. in Daniel.*

memoratas prophetias (tamquam confictas & primum post, quam res in illis prædictæ evenissent, a Christianis conscriptas) rejiciunt. Fuit hoc, o Chare! ipsissimum responsum Gentilium, primævis sanctis Patribus Religionis christianæ defensoribus oppositum, verum ab ipsis fortissime confutatum, post quos qua ratione idipsum ingeniose non minus quam nervose S. Augustinus refellerit, percipite: *De prophetia convincimus*, inquit, *contradicentes Paganos; Quis est Christus, dicit Paganus; Cui respondemus: Quem prænunciaverunt Prophetæ. Et ille: Qui Prophetæ? Recitamus Isaiam, Danielem, Jeremiam, alios sanctos Prophetas*, qui, si eis Davidem addimus, numerum octo & decem implent; *dicimus, quam longe ante illum venerint, quanto tempore adventum ejus præcesserint .... Et ille: Qui sunt hi Prophetæ? Nos respondemus: Qui & prædixerunt ea, quæ fieri videmus. Et ille: Vos, inquit, vobis ista finxistis*, (belle admodum cum objectione supra posita hæc conveniunt) *vidistis ea fieri, & quasi ventura prædicta essent, in libris, quibus voluistis, conscripsistis.* Hæc sibimet sanctus Doctor objicit; jam qua ratione objecta, diluat, attendite: *Hic contra inimicos Paganos*, ait, *occurrit nobis aliorum testimonium inimicorum* (Judæorum scilicet) *Proferimus codices a Judæis & respondemus: Nempe & vos & illi Fidei nostræ estis inimici .... Codex Isaiæ proferatur a Judæis; Videamus, si non ibi lego .... Alius proferatur, Psalmus aperiatur; Etiam inde* .... Sic in reliquis Prophetis fiat, & patebit, non nos hos libros finxisse, sed enim eos a temporibus ipsis Prophetarum (nimirum multis ante Christi adventum seculis) a Judaica gente, in qua memorati Prophetæ floruerunt, asservatos fuisse. *Erubescat* itaque *unus* (Paganus) *inimicus, quia codicem mihi ministrat alius* (Judæus) *inimicus: Ecce* (in hæc verba inexpugnabilem responsionem suam S. Augustinus finit) *Ecce! de codicibus, prolatis ab uno inimico, alterum vici.* Ecce! sic ego affirmare audeo, his ipsis enervata cadunt, quæ mihi objecta sunt. Non sunt conficti a Christianis libri, quibus prophetiæ de Christo ejusque Religione olim editæ, jam ex toto eventu ipso comprobatæ, continentur: Non sunt conficti; cum a gente Judaica, quæ christianam Religionem & multis seculis antecessit & ejusdem hostis implacabilis existit, conservati fuerint: Non sunt conficti, sed enim veritatem Religionis christianæ insuperabili argumento stabiliunt: Quin immo esset in his prophetiis, unde Judæi ipsi illustrarentur, sin minus sua eos perfidia excæcasset. Ast de hoc inferius dicemus, cum gentis Judaicæ dispersio validum argumentum præbeat, quo evidens Religionis christianæ credibilitas confirmatur.

Secundum argumentum, quo Deus Fidem & Religionem christianam certam atque authenticam facit, in miraculis, quæ Deus ad eamdem comprobandam operatur, positum est: Atque ut etiam hujus insuperabilis argumenti vim sentiatis, necessarium videtur monere vos, quod miracula (cum eventus portentosi sint omnem naturæ, & cunctarum creaturarum, a Deo conditarum vim superantes) nulla alia, ut consequens est, quam sola divina virtute patrari queant: Et quamquam Virgo sacratissima, Sanctique omnes operari miracula vulgo dicantur, accipi tamen istud vero ac catholico sensu debet, quatenus scilicet instrumenta sunt, quibus ad operanda miracula Deus utitur, nimirum ob eorum merita intercessionemque; cum de reliquo miracula sola divina omnipotenti virtute perpetrentur. Veritas hæc ab universa Theologorum multitudine admittitur, nititurque ipsa miraculi essentia & quidditate. Sciendum præterea, fieri nulla plane ratione posse, ut Deus (cum suprema & infinita veritas per essentiam sit) falsitatem quamdam comprobet; quandoquidem hoc, utpote res mala, infinitæ ejus bonitati ac veracitati repugnat: unde confidenter S. Paulus scripsit: *Impossibile est mentiri* (c) *Deum.* His, tanquam evidenter veris, in antecessum positis neces-

sario

(c) *Hebr. 6.*

ſario conficitur, quod, ſi quam doctrinam Deus manifeſtis & indubitatis miraculis confirmat, ea omnino veritati conſentanea ſit. Jam vero quot quantisque miraculis Deus vitam & doctrinam Jeſu Chriſti (ſcilicet Fidem & Religionem chriſtianam) approbavit? Næ, qui Evangelium, Acta Apoſtolorum, eccleſiaſticam quinque potiſſimum primorum ſeculorum Hiſtoriam perlegere voluerit, innumera certiſſima, manifeſtiſſima, extra omnem controverſiæ aleam poſita prodigia facile deprehendet, quæ (utpote vulgatiſſima planeque veriſſima) ne ferociſſimi quidem Fidei & Religionis chriſtianæ hoſtes in dubium revocare auſi ſunt; cum mortuos illos, vi ſanctiſſimi nominis Jeſu ad vitam revocatos, ſuis ipſi oculis inter vivos denuo agere: cum energumenos illos, vi ejusdem nominis a dæmone liberatos: cum quovis morborum genere laborantes, vi omnipotentis hujus nominis momento temporis ſanitati redditos, ipſi viderint; unde jam non licuit eis dicere: non eveniſſe res iſtas manifeſtiſſimas, quas ſuis ipſi oculis uſurparant. Ob eam rationem Tertullianus vetuſtiſſimus Fidei noſtræ Apologiſta merito Judæos in hæc verba caſtigavit: *Hæc opera operatum* (d) *Chriſtum nec vos diffitemini.* Eapropter perfidi in eo effugium ſibi quæſiverunt, ſi dicerent: opera iſta vi dæmoniorum patrata eſſe; qua reſponſione & ignorantiam & nequitiam ſuam apertiſſime prodiderunt; nam cum ab univerſa Seraphinorum multitudine ne unum quidem miraculum patrari poſſit, niſi eis virtus hæc ab Omnipotente concedatur: multo minus unum ſolum miraculum omnis dæmonum exercitus unitis viribus patrare poterit, dæmonum (inquam) rebellium, quos æterno Deus odio perſequitur; ob quod in ævum non fiet, ut ille hoſtibus ſuis uſque adeo indignis vim patrandi miracula concedat.

Cum Deus memoratis miraculis Fidei ac Religionis chriſtianæ veritatem comprobarit; certe pro veritate Fidei ac Religionis catholicæ adverſus ſectas hæreticas omnes confirmanda eadem patrare inſtitit. Profecto quot ille vera miracula in noſtra catholica Eccleſia operatur, quibus omnibus evincitur, eam eſſe vineam ab ipſo electam: eam eſſe charum ovile, quod tanquam paſtor regit: eam eſſe ſponſam, quam amore ardentiſſimo complectitur. Non ego hoc loco de quibusvis promiſcue miraculis, quæ narrari vobis contigerit (Multa in his deprehenduntur, quæ mera mendacia ſunt aut quæ vel ab hereticis, ut levem incautiorum Catholicorum credulitatem ludibrio exponant vel ab ipſis Catholicis, at his perditiſſimis, conficta vulgataque fuerunt, ut ex improvida Fidelium ſimplicitate oblectationis aliquid capiant) ſed enim de iis miraculis dico, quæ Eccleſia ſeveris exactisque inquiſitionibus diſcuſſit, quales in perſonis vita functis requiruntur, priusquam Beatorum & Sanctorum albo inſcribuntur, & ſupra reliquos votis Fidelium colendi collocantur. Hæc & his ſimilia, ab Eccleſia excuſſa atque approbata, miracula hæc (inquam) ſunt, quæ non ſolum prudentem dubitationem nullam admittunt, ſed etiam morali certitudine, quæ haberi in præſenti vita poteſt, omni exornantur, quippe (ut dixi) modis quibusvis diligentiſſimis, exquiſitiſſimis ac ſeveriſſimis, omnem prudentem erroris ſuſpicionem excludentibus, indagata. Jam hujus generis miraculorum quot millia ſancta noſtra Religio numerat, quibus nova in ſingulos annos accedunt? Contra ſectæ hæreticæ eisdem omnino carent, niſi forte miraculis annumerare illud libeat, quod Luthero (teſte Friderico Staphylo, Lutherano primum, poſtea ad Eccleſiæ Romanæ gremium reverſo, in *Reſponſione contra Jacobum Schmidelinum pag. 404.*) accidit: Species facti hæc. Miſna Wittebergam puella quædam obſeſſa a dæmone ad Lutherum deducta fuit, ab eo liberanda, cumque ille in eccleſiæ parochialis ſacrario exorcizandi initium feciſſet, dæmon adjurationes illius deridens fores ſacrarii firmiter adeo clauſit, ut Lutherus exterritus, cum fugere vellet, egredi nulla ratione poſſet: cumque nequidem per feneſtram, quippe cancellis ferreis munitam,

(d) *Lib. contra Jud. c. 9.*

exitus pateret, bipennem a custode sacrarii per cancellorum foramen intromitti opus fuit, qua armatus ego, ait Staphylus, namque corporis viribus pollebam omnium maxime, fores discindere aggressus sum; *Interea vero visu admirandum erat, ut Lutherus angoribus correptus sursum deorsum cursitarit, & instar ovis parturientis huc illucque se inverterit.* Hæc sunt miracula, quæ Lutheranis de antesignano suo referre licet; nec graviora sunt, quæ de duce suo Calvinistæ narrent, prout Hieronymus Bolsecus Calvino æqualis ejusque discipulus postea vero Ecclesiæ Romanæ filius in *Vita Calvini cap. 13.* exponit, dum ait: Virum quemdam, Brulæum nomine, una cum conjuge Ostuno Genevam ad Calvinum se contulisse, ut cum eo de eleemosyna recipienda transigeret: Calvinus & daturum & continuaturum se promittit ea tamen conditione, ut Brulæus mortuum fingeret: se a conjuge falsos ciente luctus in auxilium vocatum adfore, precesque quasi pro mortuo fusurum: tum vero ipse ad imperium suum vocemque vivus ac sanus exsurgeret. Sic de nefanda ac sacrilega fraude cum inter eos convenisset, & dies constituta illuxisset, rem exequi aggrediuntur, jamque pro simulato mortuo Calvinus precibus fusis alta voce coram frequenti hominum ad hoc spectaculum confluentium multitudine Brulæum vivum ac sanum consurgere jubet. Ille nihil omnino movetur: Repetit imperia Calvinus: Brulæus, uti antea, immotus jacet; cum uxor illius verita, ne, qui initio mortuum se simulasset, jam Numine pœnas scelesti facinoris exigente vitam re ipsa amisisset, admovens se mariti corpori sæpiusque illud concutiens, tandem virum justo Dei judicio vita spoliatum deprehendit. Quis mente comprehendat, quibus illa ululatibus astra feriverit, aut quibus Calvinum impostorem probris lacerarit? Gesta sunt hæc re verissima, ait Bolsecus, quidquid oblatrent Calvinistæ, dum uxorem, mentis expertem, deliramenta locutam fuisse contendunt: *Negent autem hoc*, in hæc verba finit, *quantum velint Calvini mancipia; exploratum & cognitum satis fuit, veritasque rei satis probata, immo per ipsam uxorem confirmata, quæ nihil minus erat quam mente capta, ut quæ nihil loqueretur absonum, neque quod a ratione alienum esset.* Hac de caussa Erasmus Roterodamus vir multæ quidem eruditionis sed Religionis obscuræ de cunctis suæ ætatis Protestantibus libere pronuntiavit, ne eo quidem illos valuisse unquam, ut claudicantem sanarent equum: *In quibus nec sunt . . . miracula, ut qui ne claudum quidem equum sanare queant.* Quapropter concludere juvat dicereque: Si divina Majestas sanctam nostram catholicam Romanam Fidem certis, manifestis, evidentibus miraculis & comprobavit & comprobare non cessat, benedicamus, laudemus, impensioresque gratias Deo in dies agamus, quod ex infinita sua misericordia in illius gremio nasci nos educarique voluerit.

Verum, ut reliqua argumenta silentio præteream, ad illud exponendum aggrediar, quo præ aliis evidentius probatur, Religionem catholicam potissimum esse Religionem illam, quam Deus præelegit, & singulari præsidio tuetur. Consistit argumentum hoc in modo admirabili, quo Deus sanctam Religionem nostram & condere & propagare voluit. Nemo omnium ignorat, mundo universo, priusquam sancta Fides nostra promulgata est, idololatriam dominatam esse, & abs cunctis hujus terrarum orbis incolis in simulacris suis dæmonia adorata fuisse (Unam Judæorum gentem excipiamus, quæ si cum reliquis cunctis conferatur, quasi duo ad mille, se habet). Itaque idololatriam principes seculi omnes & sequebantur & tutabantur: idololatriam ubique diffusam omnes profitebantur. Hinc mysteria, quæ tum temporis credebantur, omnia depravato appetitui humano mire congruebant: Hinc leges morales, quæ observabantur, licentiæ omni indulgebant: Hinc gentes omnes in cujusvis generis (præcipue impudicitiæ) scelera præcipites ruebant; cum vitiis ipsis idola, quæ adorabantur, dignitatem auctoritatemque conciliassent: Hinc falsarum divinitatum solennia execrandis facinoribus celebrabantur, cum, quo

quo ſceleſtiora fuere Numina, eo majori veneratione colerentur, eoque graviorem imitandi ſe neceſſitatem adoratoribus ſuis imponerent: Præterea præmia, quæ Gentilitas aſſeclis ſuis propoſuit, in bonis ſub ſenſum cadentibus & corruptæ naturæ congruentibus conſiſtebant. Contra ſancta Fides noſtra myſteria altiſſima & humanam rationem multum ſuperantia credenda proponit; leges vero imponit, quibus caro edomatur, mens a divitiis avellitur, ſuperbia deprimitur (verbo) omnes inordinati appetitus crucifiguntur; præmia autem promittit futura, quæ quamquam æſtimari pro dignitate non queant æternumque duratura ſint, tamen ſolius fidei lumine noſcuntur. Accedit, ſanctam hanc legem non ſolum Gentilitatis legem recta petiiſſe, ſed etiam tum omnia cæremonialia tum multa legalia præcepta, quæ gens Judæorum profitebatur, aboleviſſe (Nam præcepta moralia, quippe ex jure naturæ fluentia, antiquari non poſſunt) adeo quidem, ut lex iſta ac Fides cum mundo univerſo nationibusque univerſis contendere voluiſſe videatur. Ex his inſuperabilis difficultas facile apparet, ob quam quis credat, ſanctam Fidem noſtram non ſolum non diffundi ac propagari ſed nequidem mundo proponi potuiſſe.

Jam ſi animum ad alia capita, quæ talis tantaque mutatio, in mundum invehenda, poſtulaſſe videtur, advertamus; magis magisque apparebit, fieri haud potuiſſe, ut inceptum hoc felicem exitum nanciſceretur. Etenim quinam erant in mundo Fidei hujus ac legis protectores? Nullus ſane; cum principes ſeculi omnes (uti dixi) idololatriæ quidem, Judæi vero rituum ſuorum cæremonialium & judicialium ſtudioſiſſimi fuerint. Quinam erant miniſtri, quorum ope Fides hæc atque lex publicari & diſſeminari debuit? Erant ſoli diſcipuli Jeſu Chriſti: viri genere ignobiles: homines nulla eruditione, facultatibus nullis: deſtituti omnibus eloquentiæ præſidiis: nulla factione, ſectatoribus nullis pollentes: ſpoliati (ut verbo dicam) omnibus ſubſidiis, quæ humana prudentia in tam arduo & moraliter impoſſibili negotio exegiſſet. Qua de re neceſſario infertur, Fidem chriſtianam, quandoquidem optatiſſimos & fortunatiſſimos eventus, quos noſtris oculis cernimus, habuerit, unice ab omnipotente Deo defenſam atque ob id pro vera, ſola, ſancta agnoſcendam eſſe; cum fieri nullo modo poſſit, ut Deus aut errori aut falſitati aut iniquitati patrocinetur.

Certe quamprimum Apoſtoli pleni Spiritu ſancto, a Jeſu ipſis promiſſo, e cœnaculo egreſſi fuerant, Fidemque hanc ac legem mundo annunciare occeperant; ſtatim una ex parte Judaiſmus, ex altera Gentilitas (mundus nimirum univerſus) ad arma concurrit, ut duodecim illos (ſi Matthiam in locum Judæ ſubrogatum annumeramus) inermes, abjectos, inopes, pannoſos & (quod ad corporalia attinet) miſeros præcones exterminaret: Neque per aliquod ſolum tempus ſed per tria circiter conſequentia ſecula Fidem hanc mundus eſt inſectatus, ad eam penitus deſtruendam omni omnino humana potentia & modis quibusvis non validiſſimis ſolum ſed etiam crudeliſſimis, quos imperialis gentilis potentiæ efferus ac brutus furor excogitare quivit, uſus: Ex quo martyria illa maxime immania provenere, per quæ innumerabiles pæne homines (heroici Fidei hujus & legis defenſores) quædam quaſi viva potentiæ infinitæ Dei monumenta ac teſtimonia effecta ſunt. Dei (inquam) qui eosdem in tuenda hac Fide plane admirabiles fecit (Unde & millia millium in cœlum empyreum demigrarunt) usque adeo, ut hujus Fidei promulgatores ac propagatores inde ab Apoſtolorum temporibus nullis armis, niſi conſtantia & patientia invicta: nullius, niſi Dei ſolius, patrocinio: nulla arte, niſi fervidis precibus, nulla politice, niſi ſimplicitate chriſtiana iſtud omnipotente Deo auxiliante & miraculorum plane ſtupendorum vi aſſecuti ſint, ut celeberrimos oratores philoſophosque convicerint: dedicata falſis divinitatibus templa everterint: idola ipſa diffregerint: faſtum Imperatorum depreſſerint: in regiis diadematis ſanctæ Crucis ſignum ſtatuerint (verbo) ad legem Fidemque ſuam mundum univerſum traduxerint, & ſuper-

ſitionis omnis ſentinam, Romam urbem, in viſibilis Eccleſiæ chriſtianæ capitis regiam ſedemque converterint.

Quis poſthæc, niſi perfidia excæcatus, inficias ibit, hujus Fidei propagationem opus divinæ potentiæ eſſe (ſi ad ea, quæ dixi, attendere voluerit: nimirum illam non humano ſolum præſidio omni caruiſſe, ſed etiam ſubito exortam per tercentos ferme annos a quavis humana poteſtate exagitatam fuiſſe) eamque eſſe, quod ſequitur, acceptam Numini Religionem. Merito ergo vobis, Auditores chariſſimi! mihique dixero, quod Apoſtolus Paulus Corinthiis ſcripſit: *Videte fratres! videte vocationem* (e) *veſtram*; Videamus O mei! conſideremus mirabilem vocationem, qua ad ſanctam Fidem vocati ſumus; *Quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles*, a Deo ad illam propagandam electi fuere; *ſed quæ ſtulta ſunt mundi*, quos inſipientes humana deputat prudentia, *elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & quæ non ſunt* (ſcilicet eos, quos mundus nihili fecit, ac ſi omnino non eſſent) *ut ea, quæ ſunt*, nimirum orbis Dominatores, ſterneret atque *deſtrueret; ut non glorietur omnis caro*, ut mirandæ hujus propagationis eventus nulli humanæ potentiæ ſed ſoli dexteræ Dei adſcribatur. *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu*, quoniam nos pura ſua meraque miſericordia Jeſu Chriſto Fidei ope conjunxit. Unde eruditus quidam ſenſus literalis interpres (f) concludit: *Unus igitur Deus & mera miſericordia vos ex tot aliorum grege vocavit & elegit: uni illi gratias immortales & agere & habere vos decet; eoquod eſtis in Jeſu Chriſto, & in ejus Eccleſia recenſimini.* Sit itaque, Fideles dilectiſſimi! ſit hoc noſtræ in Deum gratitudinis teſtimonium, ut una ſaltem in dies ſingulos vice propenſiſſimas gratias eidem agamus, quod nos ſublimi maximè maximeque neceſſario ſanctæ Fidei ſuæ dono impertiri dignatus ſit.

(e) *1. Corinth. 1.* (f) *D. Calmet.*

SERMO III.

De Symbolo Fidei, primisque illius verbis: CREDO IN DEUM; & quodnam potiſſimum vitium mortalium animos ad amittendam fidem in Deum præparet?

FERT communis SS. Patrum ſententia, Fidei Symbolum, compoſitum ab Apoſtolis breve quoddam veritatum, a Fidelium quovis credendarum, ſummarium eſſe: Illud ab Apoſtolis non ſcripto ſed ore divulgatum (prout S. Hieronymus (a) monet: *Symbolum Fidei & ſpei noſtræ ab Apoſtolis traditum non ſcribitur in charta ſed in tabulis cordis*) memoriæque mandatum a Fidelibus fuit, qui conſequenter id ſibi mutuo alter alteri tradiderunt; ob eam rem memoratum Symbolum usque adeo breve ac ſuccoſum eſſe deprehenditur: Hoc ſuccedente tempore, poſtquam ab Apoſtolis oretenus divulgatum fuit, primævi Fideles literis mandaverunt, ut ab omni alteratione, quam vel temporum injuria vel hominum nequitia efficere potuiſſet, immune ſervaretur. Norunt omnes, hujus Symboli articulos duodecim, ſive duodecim Fidei puncta eſſe, quæ vocabulo: *articulus*, aptiſſime nuncupantur; nam quemadmodum corpus humanum ex articulis mutuo cohærentibus conſtat, ita & Symbolum (quaſi quoddam corpus morale) ex variis doctrinæ punctis componitur, quæ articuli nomine, idque convenientiſſime ex omni tempore appellari conſueverunt.

Primum Symboli verbum eſt: *Credo*, ſignificatque aſſenſum firmum, ſtabilem, omnis hæſi-

(a) *Epiſt. 61.*

hæſitationis expertem, quo intellectum & judicium noſtrum illis veritatibus ſubjicimus, quas rationis noſtræ aciem omnem ſuperare confitemur. Ob eam rationem non ſolum in codicibus ſacris Spiritus ſanctus ſed SS. Patres quoque in ſuis iuſtitutionibus plane volunt, ut mens credula ab omni curioſa myſteriorum creditorum inveſtigatione alieniſſima ſit, cum Fidelium cuivis ſufficere debeat, illa a Deo revelata (uti in primo ſermone dixi) & ab Eccleſia propoſita eſſe. Inter alias veteris Teſtamenti ſcripturas inſignis eſt locus libri a Siracide ſcripti, vulgo *Eccleſiaſticus* dicti: *Altiora te ne quæſier s, & fortiora te ne ſcrutatus fueris; ſed, quæ præcepit* (b) *tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus non eris curioſus. Non enim eſt tibi neceſſarium, quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis* . . . (nimirum rationis tuæ acie penetrare) *Plurima ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi: multos quoque ſupplantavit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* Et meretur oppido curioſa ac temeraria myſteriorum a divina Majeſtate revelatorum inveſtigatio hoc pœnæ genus, ſcilicet ut mortales fidem amittant, & eorumdem myſteriorum ſublimitate opprimantur atque excæcentur, prout Salomon in libro *Proverbiorum* (c) monuit: *Qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur a gloria.*

Profecto edicite mihi: ſi quindecim aut viginti viri magna eruditione, ſublimi ingenio, pietate incontaminata præditi de quoquam pro vero narrarent rem aliquam ſua ætate geſtam, & a ſe oculis uſurpatam, adeo ut talium virorum teſtimonium omnem ulteriorem inveſtigationem excluderet; num auderetis vos, etſi cogitatione aſſequi nequiretis, qua ratione res illa fieri potuerit, num auderetis (inquam) horum virorum planiſſimæ, feriæ, liberæque aſſertioni vos opponere eidemque certare: Imo nonne injuriam graviſſimis illis viris fieri exiſtimaretis, ſi quemquam de rei geſtæ veritate obſtrepentem audiretis: Nonne eundem nimiæ arrogantiæ increparetis? Sic in caſu noſtro fit, ait S. Ambroſius: ſi virorum gravium de alio teſtimoniis fidem denegare aut contradicere non audemus, nonne ſummæ temeritatis erit, revelata a Deo de ſe myſteria non credere, ſeu (quod idem) illa curioſe ſcrutari: *Quam indignum, ut humanis teſtimoniis, de alio, credamus; Dei oraculis, de ſe, non* (d) *credamus.* Longe itaque ab omni non ſolum incredulitate aut dubitatione ſed omni quoque ſcrutatione atque audaci curioſitate mens abſit fidelis, & quanquam intellectus a ratione, utpote quæ ad tantam eniti altitudinem nequit, perſuaderi convincique non poſſit, hoc tamen immote, hoc firmiter teneat: cum Deus ſic dixerit, ſic omnino atque certiſſime ſe rem habere. In myſteriis Fidei (Eſt hæc ſententia S. Auguſtini) *tota ratio facti eſt potentia facientis; demus Deum aliquid poſſe,* (hoc rationi maxime conſentaneum) *quod nos fatemur* (e) *inveſtigari non poſſe*; nam quomodo infinita foret potentia, ſi illa a mente finita & anguſtiſſimis limitibus circumſcripta, cujus generis mens noſtra eſt, comprehendi poſſet?

Dicitur: *Credo in Deum.* Poteſt, Auditores mei! Deus conſiderari tanquam auctor omnium rerum naturalium (quales ſunt, quæ ſub ſenſus cadunt aut naturali ratiocinio aſſequuntur) & tanquam auctor rerum ſupernaturalium, quæ nec ſenſibus percipi nec ſolis humanæ rationis viribus attingi, quippe ſupra hanc poſita, queunt. Deum, tanquam auctorem rerum naturalium, credunt indocti; nam theologiæ naturalis, quæ *Metaphyſica* dicitur, periti poſſunt quidem animum promptum ad credendum in Deum, niſi de illo evidenter ſcirent, gerere; de cetero vero cum ipſis per demonſtrationes, quas *ab effectu & a poſteriori* vocant, evidens atque apertiſſimum ſit eſſe Deum, illum jam non credunt, cum de eo evidenter ſciant. Tanquam auctorem vero rerum ſupernaturalium, (qualia ſunt myſteria gratiæ ac gloriæ) credere Deum omnes debent; cum mens creata nulla ſit, quæ ſuis viribus alte adeo aſſurgere poſſit. Credimus itaque Deum, hoc eſt: credimus Deum tum naturæ tum gratiæ auctorem exiſtere.

(b) *Eccli.* 3. (c) *cap.* 25. (d) *Lib.* 1. *de Abraham, cap.* 3. (e) *Epiſt.* 137.

At una ſimul credimus, hunc Deum unum ſolum eſſe, cum impoſſibile ſit, plures Deos inter ſe diſtinctos eſſe poſſe; atque ob id in Symbolo primorum duorum Conciliorum generalium *Nicæni I.* & *Conſtantinopolitani I.* vox *Unus* addita fuit: *Credo in unum Deum.* Quæ veritas, præterquam quod pluribus SS. Scripturarum locis manifeſtetur (uti *cap.* 6. Deuteronomii: *Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt*, itemque *cap.* 32. *Videte, quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me*) præterquam, dico, quod his aliisque claris locis comprobetur, tantam inſuper evidentiam habet, ut lumine mere naturali plane cognoſci poſſit; quandoquidem fieri nequit, ut plures Dii inter ſe diſtincti exiſtant: prout argumentis fortiſſimis naturalis theologia demonſtrat, quibus ipſis celeberrimi Fidei chriſtianæ defenſores omnes Tertullianus, Arnobius, S. Juſtinus martyr, Lactantius, Minucius Felix, S. Cyprianus & reliqui ad Polytheiſmum confutandum cæcamque Gentilitatem, plures admittentem Deos, convincendam uſi ſunt. Ex multis rationibus, quæ de hac re afferri in medium poſſunt, aliquas ſolum vobis depromam, quarum præcipua communi notione ipſa, quam de ente Divino mens quævis concipit, nititur: ſcilicet Deum eſſe inter res maximas omnes ſummum. *Deum id definio*, ait Tertullianus (f) *quod omnium conſcientia agnoſcit, eſſe ſummum Magnum:* S. Auguſtinus affirmat: *Deum . . . ab omnibus ita cogitari, ut aliquid, quo nihil melius ſit;* Nam ſi eſſet ens aliquod illo melius, illum jam non Deum eſſe, evidens eſt. Ex hoc autem deducitur, illum unum ſolum eſſe debere; nam quoniam, qui Deus eſt, omnibus perfectionibus ſummus eſſe debet, ſi ſolus non eſt, ſummus eſſe non poteſt quippe carens illis perfectionibus, quæ in aliis reperiuntur: qui ipſi cum utpote Dii a nullo pendere debeant, ecce! perfectiones unius ab eo reliqui non acciperent, & (quod confeſtim ſequitur) ſingulis eæ perfectiones deeſſent, quæ in reliquis invenirentur. Itaque Deus jam non, ille omnibus perfectionibus ſummus, erit; quod tamen entis divini communis notio exigit. Ob id Tertullianus loco citato ait: *Duo ergo ſumme magna quomodo conſiſtent; cum hoc ſit ſummum magnum, par non habere? Par autem non habere uni competit, in duobus eſſe non poteſt.* Explicare animi ſenſa exemplo ſenſibili juvat: Ponite corpus quoddam ſumme lucidum; ſi ſumme lucidum eſt, neceſſario ſolum luminoſum eſſe debet; nam ſi vel unum ſit corpus aliud lucidum, a priori non pendens, lucem non a priori acceptam ſed ſuam habens; ecce! jam nullum horum lucidorum corporum ſumma luce præditum dici poteſt, cum lux alterius alteri neceſſario deſit. Ergo ſi Deus in omni genere perfectionum ſummus eſſe debet, etiam unus ſolus ſit neceſſe eſt; nam ſi pares habet a ſe non pendentes, conſequitur, eum jam non ſummum, jam non Deum eſſe; cum neceſſario parium ſuorum perfectionibus deficiat.

Neque hoc in loco animos veſtros turbet, Auditores chariſſimi! etiam a nobis in Deo tres perſonas realiter inter ſe diſtinctas (Patrem, Filium, Spiritum ſanctum) admitti; nam hac ratione oſtenderetis, ignorare vos, quid credatis: Quandoquidem, dum vos & ego tres perſonas realiter diſtinctas credimus, ob id nequaquam tres Deos dicimus, ſed omnes tres unum ſolum & unicum Deum in perſonis tribus confitemur: Myſterium, quod in ſe clare cognitum æternam noſtram in cælis beatitudinem conſtituet, & a me ſuo loco ex Fidei atque Eccleſiæ ſanctæ doctrina explicabitur.

Aliud invictum argumentum, quo Deum neceſſario unum eſſe debere probatur, Lactantius Firmianus nobis in hanc rationem ſuppeditat: Si plures Dii exiſterent realiter inter ſe diſtincti, deberent habere aliquid, quo inter ſeſe diſtinguerentur: hoc vero poſito oriretur quæſtio, quidnam illud, quo diſtinguuntur, ſit, anne perfectum, an vero imperfectum quid? ſi perfectum quid; ergo eis perfectio aliqua deeſſet; cum quivis illorum ea perfectione deficeret, quæ alterum

(f) *Lib. 1. contra arcion. c. 3.*

rum distinguit: Jam vero qua posthæc ratione hic, ille summe perfectus, erit, qualis quidem utpote verus Deus esse debet. Si imperfectum quid; qua ratione, quæso, imperfectio esse in Deo potest, qui, quemadmodum omni perfectione præditus, ita etiam omnis imperfectionis immunis esse debet: Ex hoc evidens fit, quod, quo plures Dii forent, eo minores illi forent; cum quivis illis perfectionibus, quibus reliqui ab ipso distinguerentur, careret: *Deorum igitur virtutes ac potestates infirmiores sint, necesse est* (g) *quia tantum singulis deerit, quantum in ceteris fuerit; ita quanto plures, tanto minores erunt.*

His unum adhuc, missis ceteris, argumentum adjicere juvat juxta cum allatis duobus evidens atque apertum. Cum Deus ens necessarium: ens, quod necessario existere debet: quin immo *Esse* ipsissimum sit, a quo reliqua entia cuncta esse suum accipiunt; quamprimum ex vero diceretur, eum superfluum esse, mox (credo) intelligeretis, etiam Dei nomine eundem indignum esse; nam cujus, amabo! Deus esset: si non esset, qui illo indigeret, qui ab illo necessario penderet? Jam vero Deorum pluralitas eorundem non necessariam existentiam, imo superfluitatem evidenter demonstrat; Aut enim unus solus Deus totius rerum universitatis principatui sufficit aut non sufficit? Si non sufficit, non est verus Deus, quippe alterius ope egens; si autem eget, pendet ab alio, id quod & notioni, quam de Deo habemus, & ipsi essentiæ Dei repugnat. Si vero sufficit, utique reliqui superflui sunt; & (quod sequitur) necessario non existunt; cum absque illis reliqua entia creata omnia produci gubernarique possint. Atque in hanc sententiam S. Edmundus (h) Cantuariensium Episcopus olim est argumentatus: *Si duo Dii essent, ex hoc sequeretur necessario, quod ambo Dii essent superflui, & diminuti simul & semel; nam primus foret superfluus, quia secundus sufficeret, aliter non esset Deus: Per eandem rationem esset secundus superfluus, cum primus esset solus sufficiens.* Itaque Deus necessario unus solus esse debet.

Opponetis: Si rationes adeo evidentes extant, quibus plures deos esse plane non posse demonstratur, qua ratione fieri potuit, ut ante Christi adventum falsitatem usque adeo manifestam mundus propemodum universus adoptarit multosque deorum greges admiserit: Imo (si historiis fidem adhibemus) populi eo prolapsi sint, ut capris, serpentibus, aliisque longe vilioribus rebus cultum divinum exhibuerint, adeo, ut excepta sola gente Judaica reliquus orbis universus idolorum servitutem servierit? Quæritis ex me, Auditores dilectissimi! unde tanta cæcitas orta sit? Ortam existimo a morum corruptione, maximeque a flagitiis carnis. In hac sententia fuere tres gravissimi, & vetustissimi Doctores, qui in idololatriam calamum strinxerunt; Tertullianus ait: *Idololatria* (i) *Mœchiæ soror.* S. Athanasius (k) affirmat: *Prisci insipientes homines, ubi in carnis cupiditates demersi sunt .... res aspectabiles deos esse finxerunt.* S. Zeno, *Impudicitia* (l) inquit, *deos genuit & intulit mundo.* His ego addiderim, hoc maxime vitium, luxuriæ scilicet, inter alia ad Atheismum (istud erroris genus etsi idololatriæ contrarium videatur, tamen eidem æquale deprehenditur) viam sternere; nam cum ex sententia S. Thomæ voluptas carnalis plus aliis omnibus rationem intellectumque absorbeat, ubi frequenti usu regustata fuerit, ecce! jam miser intellectus proxime ad cæcitatem accessit; ecce! jam voluntas amore carnali (longe omnium puta vehementissimo) fascinata ad nullius rei præterquam execrandæ hujus voluptatis appetentiam inclinata languet. Hinc quid agit Fidelis, hujus semel vitii mancipium effectus, sciens esse Deum, qui carnis voluptatem prohibuit, eamque intra solos legitimos conjugii fines coegit; sciens esse Deum, cui ferali in hora tot carnalium flagitiorum ratio exactissima non sine præsentissimo æternæ damnationis discrimine reddenda: quid, inquam, agit homo, luxuriæ servus? Videns mora-

(g) *Lib. 1. Divin. Instit. c. 3.* (h) *In Spec. Eccl. c. 28.* (i) *In Scorpiaco.*
(k) *Orat. contra Gentil. n. 18.* (l) *Lib. 1. Tract. 4.*

morali quadam impossibilitate hujus vitii deferendi premi se, immo illius jugum aggravari indies super se sentiens id studet, qua ratione sibi in animum inducat: Aut Deum hunc non esse judicem, cui ratio actionum reddenda sit: Aut animam una cum corpore in morte interire; id quod ad ipsum Atheismum redit: Aut denique esse deos, qui cum omnes (alius alio plus minusve) luxuria insignes extiterint, imitatores quosque suos laudare, ad minimum reprehendere non debeant.

Atque ut ea, quæ modo dixi, fortissime comprobem; attendatis velim, hoc maxime Deum spectasse, cum populo Israelitico, veri Numinis cultori, fæminarum idolis servientium connubia gravissime interdixit, bene gnarus, quantam amor carnalis, utut licitus (cujus generis amor connubialis est) vim quantamque, corda ad personarum conjugaliter amatarum idololatriam pervertendi, efficaciam habeat: *Nec uxorem de filiabus* (m) *eorum accipies filiis tuis .... ne fornicari faciant filios tuos in deos suos.* Hæc sunt verba Dei, in quibus primo quidem annotari debet, tum in hoc tum in mille aliis S. Scripturæ locis idololatriam & apostasiam a vero Deo abominabili fornicationis nomine compellari; qua re ostenditur, arctissimam conjunctionem inter hæc duo mala (luxuriam nimirum & defectionem a vero Deo) intercedere; quippe quæ uno etiam & communi vocabulo designentur. Deinde vero illud quoqne observari colligique debet: quod si amor carnalis (utcunque licitus) ubi nimium exarserit, Fideles usque adeo excæcare valet, multo facilius istud ab amore carnali illicito atque a luxuria efficiendum sit.

Habemus rei hujus documentum gravissimum in facto Salomonis, quod nec repeti pro dignitate nec considerari satis potest: Salomonis (inquam) viri sapientia divinitus infusa donisque S. Spiritus pleni, & (quod consequi videtur) a tanto præcipitio longissime remoti. Et tamen, heu! talis tantusque vir Scriptura sacra teste fæminas idololatras ardentissimo amore prosequi cæpit: *His itaque copulatus* (n) *est Salomon amore ardentissimo*; pervertitque usque adeo carnalis hic amor cor illius, ut tergum Deo vero verterit: *Et averterunt mulieres cor ejus*, ut, heu casum horribilem! heu exemplum oppido flebile! heu argumentum inexpugnabile! ut jam tempora canis consitus ad idola fæminarum suarum adoranda, & thura habitantibus in illis dæmoniis adolenda aggressus sit: *Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos . . . & colebat Astarthem deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum . . . ædificavit fanum Chamo idolo Moab . . . atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis.* Cur istud? Quia, ut notat sacer textus, quia prohibuerat Deus, ne Judæi sibi tales fæminas connubio adjungerent; quandoquidem illæ (attendite energiam divini Scriptoris dictionem) quandoquidem illæ certo certius corda eorum ad idolorum cultum conversuræ essent: *Certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum.* O casum, (repeto) o exemplum simul ac argumentum invictum! Salomon! vir talis, qualem vobis supra descripsi, utcumque senex a libidine usque adeo præceps abripitur, ut non obstante incomparabili sapientia sua, non obstantibus donis cælitus inditis, non obstante gratia, qua cumulatus fuerat, omni a Deo deficiens marmorea, cerea, ligneaque simulacra de genibus coluerit; unde in incerto manet, utrum pænitentia tactus resipuerit salutemque consecutus sit; quæ controversia adhuc sub judice est. Jam vero qui Salomone minor est & nihilominus carnalium voluptatum sordibus immergere sese pergit, nonne ex merito fidem amittet? Quod etsi nostra ætate carnis voluptatibus dediti ad adorandos deos, quippe quos nostræ ignorant oræ, animum non adjiciant; tamen exquirunt caussas, quibus sibi persuadeant: vel nullum omnino Deum esse; vel animam una cum corpore interire.

Aut

(m) *Exod.* 34. (n) 3. *Reg.* 11.

Aut neget, si potest, homo carnalis (si quis talis in hoc pio & devoto auditorio est) neget, inquam, si potest, hanc esse ipsissimam illam tentationem, qua sæpius tentatur secumque dubitat: *Quis novit, an vera sint, quæ de Deo & vita secutura præcones sacri virique religiosi venditant?* . . . *Quis novit, an post hanc vitam altera sit, quæ speretur aut metuatur?* . . . Dicat improbus, quoties de hisce capitibus sermones ferat, ut forte quid audiat, quod amplectatur & quo diros conscientiæ morsus sedet: Dicat temerarius, quot libros pervolvat, ut forte in aliquo thesim inveniat, ex qua discat, nihil vel sperandum vel timendum esse: Dicat nequissimus, quot oborientibus dubiis, dum argumenta animæ interitum sibi persuadentia reperire nequit, quot (inquam) oborientibus dubiis meditato inhærescat, quibus ipsis fidem amittit; cum illud inconcussum maneat: *Dubius in fide, infidelis est.* Quod si ipse dicere renuit, ut ne se Atheum prodat, dicant ministri Sacramenti Pœnitentiæ; An non Pœnitentes suos inter illi, qui in dubia circa Fidem lapsi sunt, ii ipsi sint, qui in sordidis voluptatibus computruere, plenique & consummati omni amore carnali existunt.

Quæ cum ita sint, Auditores dilectissimi! cumque luxuriæ vitium præ reliquis omnibus fidei vestræ maxime insidietur; agite! excitate animos vestros ad anxiam illius quam longissime vitandi sollicitudinem; ut tum qui hujus vitii immunes sunt, acriori indies odio illud prosequantur, tum qui eidem obnoxios sese sentiunt, ocyus resipiscant: Id namque sciatis velim, fidem (*moraliter* loquendo) non amitti, nisi vitii alicujus amor, tanquam caussa impellens, interveniat; Quis amabo! est mortalium, qui sine horrore dixerit: *Nolo credere*; Nemo plerumque. Hinc si qui ad id dicendum inducuntur, certe eo alia re mala, quam amant & quam cum propositis Fidei veritatibus conciliare non possunt, inducuntur; cumque inter alias res, quas Fides proponit, veritates de judicio divino ferali in hora subeundo: de animæ immortalitate: de æternitate pœnarum infernalium iis, qui non sincere pænitentes ex hac vita decedunt, destinatarum depravatæ naturæ humanæ plurimum displiceant, eaque de caussa cum amore, quo peccator in illam rem malam ducitur, conciliari modo nullo possint; ob id ad non credendum has veritates impius impellitur, ut harum fide molestissima solutus frui re mala, quam diligit, libere possit. Jam cum rerum malarum amor malus non nisi voluptate, quæ in amando res illas percipitur, nutriatur; conficitur, amatam rem malam tanto majorem vim ad eripiendam Fidem habituram esse, quanto majorem voluptatem obtulerit. Ratiocinium hoc clarum, evidens atque idoneum deputo. Jam autem edicite, an sit inter voluptates sensibiles alia major voluptate carnali? Nulla certe; nam, ut ait Philosophus, cohæret cum necessitate conservationis speciei humanæ, quæ rerum naturalium omnium maxime necessaria est: ob quod idem philosophus sequentem canonem condidit: *Quæ sunt magis necessaria, sunt magis* (o) *delectabilia.* Hoc temporum omnium experientia confirmat: unde per antonomasiam *Voluptas carnalis* vocatur, epithetum, quod reliquis sensuum nostrorum objectis non tribuitur. Qua de re si Fides non amittitur (animadvertite, si lubet, vim consecutionis) si Fides non amittitur nisi amore rei alicujus malæ, quæ cum Fidei veritatibus conciliari non potest, & si sensibilis rerum malarum amor non excitatur nisi voluptate, quæ ex illis percipitur; profecto voluptas carnalis (quippe omnibus aliis sensilibus major) omnium itidem maxime Fidei veritatibus retia struet. Quæ si ita se habent, quivis nostrum, Auditores charissimi! omni cura satagat, ut ne se peccato hoc contaminet, si purus est, aut ut confestim se ab illo purget, si impurus est; quod ut certo obtineamus, quatuor nobis præstanda sunt: Primo ad Deum humili & frequenti prece, quæ valida auxilia impetret, nobis confugiendum, secundo bona probaque Confessio docto ac pio ministro facienda; tertio vitan-

(o) *Lib.* 3. *Physic.*

vitandæ omnino occasiones illecebrosæ & resecanda objecta fascinantia; quarto frequentanda SS. Sacramenta ad modum, quem pius doctusque conscientiæ arbiter præscripserit. Hæc sin minus facimus, præsenti periculo, mille dubitationes inter a Fide simul ac æterna salute aberrandi, nos objicimus.



SERMO IV.

De verbis Symboli: PATREM OMNIPOTENTEM. Explicatur mysterium SS. Trinitatis, itemque attributa Immensitatis, Æternitatis & Immutabilitatis.

POst verba Symboli: *Credo in Deum*, addimus *Patrem omnipotentem.* Nomen Patris, Deo attributum, duplici sensu intelligi potest; Primo namque accipi potest respectu nostri, creaturarum Dei intellectualium filiorumque adoptivorum: quemadmodum ipsemet in pluribus tum veteris tum novi Testamenti Scripturarum locis appellari benignissime voluit. Sic in libro Deuteronomii (a) habetur: *Nunquid non ipse est Pater tuus?* Et Malachias (b) ait: *Nunquid non Pater unus omnium nostrum?* In novo autem Testamento (Prætereo reliqua veteris Fœderis loca) inter alia multa oppido insigne occurrit oraculum a Jesu Christo editum, quo alium quemquam, præ Patre nostro cœlesti, compellari a nobis in hoc mundo Patris nomine vetat: *Patrem nolite vocare vobis* (c) *super terram; unus enim est Pater vester, qui in cœlis est.* At hunc sensum longius excutere in præsenti loco non juvat, in alio juvabit: Secundo Deus Patris nomine vocatur respectu alterius Filii ab ipso ex omni æternitate de mente sua generati, qui alio nomine *Verbum* dicitur. Jam hunc sensum exponere hoc loco aggredior.

Animadvertitis (credo) Auditores charissimi! mihi, cum Patris nomen nomen relativum sit & ad aliam Personam, tanquam Filium, respiciat, necessitatem imponi ad vos de altissimo & præcipuo fidei christianæ mysterio (nimirum de SS. Trinitate) verba faciendi: quod mysterium, tametsi clarissimis veteris quoque Testamenti Patribus revelatum fuerit (uti ex variis locis apparet, in quibus modo Personarum in Deo pluralitas denotatur, modo Personæ suis nominibus, nunc Patris nunc Filii nunc Spiritus sancti, quasi nominibus Personarum distinctarum vocantur; & a Theologis christianis adversus Judæos atque Hæreticos nonnullos probatur) tamen plena & manifesta hujus maxime sublimis mysterii revelatio a Deo in legis Evangelicæ, cujus conditor Christus extitit, tempora rejecta fuit.

Itaque mysterium hoc in eo consistit, ut sciamus, esse in illo solo & unico Deo, de quo in superioribus sermonibus diximus, tres Personas realiter inter se distinctas, quin natura, essentia & substantia divina distinguatur sed enim unica atque indivisa permanens tres Personas includat, quarum prima Pater secunda Filius sive Verbum tertia Spiritus sanctus vocatur. Pater (a nemine procedens) habet id sibi proprium, ut sit Ingenitus, diciturque prima Persona, Verbum sive Filius ex intellectu Patris, Filio omnem suam ipsissimam indivisam essentiam divinam una cum omnibus perfectionibus divinis communicantis, procedit nomineque suo characteristico Genitus vel Verbum vel Filius (quæ denominationes idem sibi volunt) vocatur atque ob id secunda dicitur Persona. Spiritus sanctus procedit ex voluntate Patris & Filii, non quasi duæ essent voluntates, absit! sed una eademque, qua Pater ac Filius se mutuo diligentes, tanquam terminum amoris hujus, Spiritum sanctum producunt, cui nomen characteristicum est Procedens vel Spiratus ab ambobus, non quasi

(a) *Cap.* 32. (b) *Cap.* 2. (c) *Matth.* 23.

a duobus principiis sed quasi ab uno solo principio; cum in Patre & Filio una eademque voluntas sit: atque ob id Spiritus sanctus Persona tertia dicitur, cui a Patre & Filio omnis ipsissima unica & indivisa essentia divina una cum omnibus perfectionibus divinis communicatur. Hinc, quoniam eadem essentia & substantia Divina semper unica & indivisa permanet (etsi tota in omnibus his tribus divinis Personis, inter se realiter distinctis, tota realiter inveniatur) fit, ut quamquam tres sint Personae distinctae, tamen unus solus & unicus Deus in tribus Personis, unus solus & unicus intellectus, una sola & unica voluntas, una sola, & unica omnipotentia, sapientia, immensitas, aeternitas, bonitas, providentia, & ceterae attributiones unicae ac indivisae omnesque integrae in quavis harum divinarum Personarum existant; quia in ipsis (ut dixi) invenitur unica & indivisa essentia divina, quae omnium attributorum & perfectionum divinarum fons atque principium est.

Et quamquam secunda Persona ex intellectu Personae primae; tertia vero Persona ex voluntate duarum reliquarum (tanquam ab uno principio) procedant, ob id tamen nulla Persona aut anterior est aut posterior altera, absit; sed voces istae: *Prima*, *Secunda*, *Tertia* nil aliud significant quam merum purumque ordinem processionum, quin ulla vel antrioritas vel praecedentia (ut aiunt) sive temporis sive durationis, sive dignitatis sive perfectionis alicujus intercedat; nam cum omnes tres Personae unum idemque *esse* divinum habeant, perfectionibus cunctis sibi per omnia mutuo aequales sunt, immo omnes tres eandem perfectionem, absque ulla multiplicatione, in perfectionibus ipsis obtinent. Hinc etiam omnes tres Personae, una cum eodem *esse* substantiali, eundem intellectum (ut superius monui) eandem voluntatem, eandem aeternitatem, eandem infinitatem, eandem immensitatem, eandem immutabilitatem, eandem omnipotentiam, eandem bonitatem, eandem sapientiam, eandem providentiam (verbo) eandem unicam & indivisam perfectionem possident, quemadmodum unicum est & indivisum *esse* divinum substantiale, quod possident: Unde per Fidem confitemur, quod sit unus solus & verus Deus existens in tribus Personis inter se realiter distinctis. Dixi, *realiter distinctis*, cum fieri non possit, ut eadem Persona Pater sit simul ac Filius, Spirans sit simul ac Spiratus. Ob id tamen, quod Personae inter se realiter distinguantur, existimetis nolim, unam extra aliam esse; nam quaevis tota in reliquis duabus (scilicet totus Pater in Filio & Spiritu sancto, totus Filius in Patre & Spiritu sancto, totus Spiritus sanctus in Patre & Filio) est, prout Christus ipse pronuntiavit: *Ut cognoscatis & credatis*, (d) *quia Pater in me est, & ego in Patre.*

Haec autem omnia sola fide tenenda sunt; cum ea nec capere mens humana nec rerum universitas tota similitudinem aequam, qua mysterium hoc explicetur, subministrare queat. Haec in variis Evangelii locis docuit Jesus Christus Filius Dei incarnatus, maxime vero in illo insigni loco, in quo de Baptismo administrando egit: *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti* (e) in quo dicens: *in nomine*, & non in *nominibus* identitatem atque unitatem essentiae perfectionisque ostendit, & reliquis verbis Trinitatem realem Personarum earumdemque per omnia aequalitatem manifestavit. Haec omni tempore docuere Apostoli, eosque inter S. Joannes in illo celebratissimo loco, frustra haereticorum Socinianorum insidiis attentato, in quo ait: *Tres sunt, qui testimonium* (f) *dant in caelo Pater, Verbum & Spiritus sanctus; & hi tres unum sunt.* Haec omnes omnium aetatum Patres sancti, etiam ii, qui ante Concilium Nicaenum floruerunt, professi sunt. Haec denique omni tempore Ecclesia catholica credidit docuitque.

Jam hunc Deum, Charissimi! quem adoramus, quem unum in substantia trinumque in Personis confitemur; cum sit perfectionis infinitae (Quae perfectio una eademque & ipsissima res est cum *Esse* & Essentia illius) infirmis mentibus nostris, quam ex multis perie-

(d) *Joan.* 10. (e) *Matth.* 28. (f) 1. *Joan.* 5.

perfectionibus compositum, concipimus: non quod illas re ipsa multas esse judicemus quippe credentes, Deum & perfectiones illius ipsum simplicissimum esse divinum esse, sed quod universam Dei perfectionem una comprehendere cogitatione nequeamus. Hinc quemadmodum is, qui magnum vas exquisito liquore plenum uno educere haustu nequit, illud sorbillando exhaurit; ita & intellectus noster, cum perfectionem divinam contemplari universam nullo modo valeat, illam per partes intuetur: In hunc modum immensitatem, æternitatem, immutabilitatem, bonitatem, sapientiam, potentiam, providentiam, misericordiam, justitiam &c. quanquam hæ omnes in Deo una eademque res sint, aliam ex alia animo concipimus, ut easdem non quidem pro dignitate sua sed enim pro viribus nostris admiremur, confiteamur, adoremus ac revereamur. Jam vero has Dei nostri unius in essentia, in personis trini perfectiones omnes (quas *Attributa* vocare consueverunt) explanare breviter mihi sumo, exordium ab Immensitate ejus ducens.

Itaque Immensitas facit, ut Deus rebus cunctis præsens sit: Implet is cœlum ac terram, prout ipse in Jeremia (g) de se testatur: *Cœlum & terram ego impleo*, adeo ut rebus omnibus intime præsens existat, conservando eas per essentiam suam: cognoscendo ea, quæ in illis geruntur (ne occultissimis quidem cogitationibus ac voluntatibus exceptis) per præsentem suam cognitionem: operando in iis, quidquid vult, per potentiam suam. Hac de re Theologia catholica affirmat: Deum in omni ente omnique creatura esse *per essentiam*, *præsentiam*, *& potentiam.* Sumus itaque (velimus nolimus) semper præsentes Deo: semper ab ipso circumdati ac penetrati: semper in quavis nostrarum actionum, etiam intima atque occultissima, eidem aperti atque manifesti: semper illius potentiæ & operationi subditi. Eapropter Paulus ait: *Omnia nuda sunt* (h) *& aperta oculis ejus*: iterumque: *Non enim longe est ab unoquoque nostrum; in ipso* (i) *enim vivimus & movemur & sumus.* Et magis minutatim Ecclesiasticus (k) inquit: *Oculi Domini . . . sunt circumspicientes omnes vias hominum . . . & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Quæ cum ita sint, Fratres! quo quæso! animo peccamus? Qui fit, ut Deum hunc in ipsis ejus oculis offendere audeamus? Quis sacratum Regis sui nomen verborum contumeliis ipso audiente onerat aut abutitur? Nemo certe: Et tamen Dei augustissimum nomen perjuriis atque blasphemiis eo audiente in singulos dies proscinditur. Quis actionem Principi suo injuriosam ipso inspectante perpetrare audet? Nemo certe: Et tamen a nobis Fidelibus suis Deus cujusvis generis peccatis in ipsis suis oculis, quos subterfugere nobis nunquam licet, offenditur. Ah! si, dum tentationes peccandi irruunt nobis cum animis nostris paucula hæc verba diceremus: *Deus me videt, & in hoc ipso temporis puncto vita privare me potest*, putatis, O mei! tam facile nos ad peccandum animum adjecturos fore? Hæc divinæ præsentiæ oblivio, teste Davide, potissimum in caussa est, ob quam peccata tantopere multiplicantur: *Non est Deus in conspectu ejus; inquinatæ sunt viæ illius in omni* (l) *tempore.* Hoc maxime scuto Susanna impurissimorum judicum violentas preces propulit, satius ducens, eorum vindicem iram experiri, quam obscæno amori illorum obsecundare: *Melius est mihi absque opere incidere in manus* (m) *vestras, quam peccare in inconspectu Domini.* Eundem in modum vos, O Fideles! si quando vel ab aliis vel a dæmone, vel concupiscentia vestra ad peccandum sollicitamini, cum animis vestris dicite: Quid? Egone peccem? Egone offendam Deum, qui me circumdat, qui me penetrat, qui me contuetur? Istud nequaquam, istud nunquam fiet; & invocantes eundem ex animo non cadetis: Pereant omnia potius, quam peccetur in conspectu Domini. Jam de Æternitate Dei.

Æternitas Dei significat, eundem semper & fuisse & fore: Nec habuit *Esse* sui Deus principium, nec finem habiturus est. Res clara

(g) *cap. 23.* (h) *Hebr. 4.* (i) *Act. 17.* (k) *cap. 23.* (l) *Psal. 9.* (m) *Daniel. 13.*

clara est atque aperta; nam si Deus sempernon fuisset, cæpisset esse, idque ab alio accepisset, cum *Nihil* ad existendum prodire sua virtute non possit, si non sit alius, qui eidem concedat esse: At hoc pacto jam non esset Deus. Debet ergo Deus semper fuisse, quin esse unquam cæperit; ob eam rem S. Joannes Evangelista phrasi significantissima Deum vocat eum: *Qui erat, & qui est, & qui* (n) *venturus est*; Rex Psaltes vero ait: *A sæculo & usque in* (o) *sæculum tu es Deus*; Et Tertullianus: *Quis alius Dei census, quam æternitas? Quis alius æternitatis status, quam semper fuisse & futurum esse: & prærogativa nullius initii & nullius finis?* Hæc modo dixisse sufficiat; cum accommodatum ad morum præcepta sermonem de æternitate in alium locum reservem, quo postremum Symboli articulum explicabo. Transeamus ad Immutabilitatem Dei.

Immutabilitas Dei in eo consistit, quod ille semper idem sit, quin ei vel novi quidpiam accidere vel is deficere ullo modo possit: *Non est Deus quasi homo*, ait (p) jubente Domino Balaamus, *ut mutetur*; Et de seipso apud Malachiam Prophetam testatur Deus: *Ego Dominus* (q) *& non mutor*. His multi alii S. Scripturæ loci concinunt. Rei ratio in promptu est: Deus realiter in omnibus perfectionibus infinitus est; jam enti realiter infinito nihil novi aut accedere aut deesse quidquam potest, prout omnibus liquet: aliter non jam ens infinitum immo (quod sequitur) nec Deus esset. Hinc mutationes omnes, quæ in Deo fieri nobis videntur (uti quod in tempore hominem condiderit: quod peccatorem odio habeat eumque resipiscentem diligat denuo: quod in dies singulos tot animas creet, quot in uteris maternis creaturæ humanæ formantur: multaque his similia, quæ nobis nova sunt, & quamdam etiam in Deo mutationem indicare videntur) Deo nequaquam nova sunt, quippe de quo in libro Sapientiæ (r) affirmatur, quod *in se permanens omnia innovat*; quandoquidem per æternum suum & substantiale semperque præsens decretum ea, quæ nobis successu temporum evenire videntur, omnia providit ordinavitque. Percipite (si lubet) quam erudite, quam acute phantasticum errorem hunc nostrum S. Augustinus (s) dispellat: *Maxime isti errant, qui mentem divinam omnino immutabilem, cujuslibet infinitatis capacem & innumera omnia sine cogitationis alternatione numerantem, de sua humana, mutabili angustaque metiuntur: Et fit illis quod ait Apostolus:* Comparantes semetipsos semetipsis non intelligunt; *nam quia illi, quidquid novi faciendum venit in mentem, novo consilio faciunt (mutabiles quippe mentes gerunt) profecto non Deum, quem cogitare non possunt, sed semetipsos cogitantes, non illum sed seipsos, nec illi sed sibi comparant. Nobis autem fas non est credere, aliter Deum affici, cum vacat; aliter, cum operatur, quia nec affici dicendus est, tanquam in ejus natura fiat aliquid, quod non ante fuerit .... Novit quiescens agere, & agens quiescere: Potest ad opus novum, non novum sed sempiternum adhibere consilium, nec pænitendo, quia prius cessaverat, cæpit facere, quod non fecerat: Sed & si prius cessavit, & posterius operatus est; ... hoc procul dubio, quod dicitur prius & posterius, in rebus prius non existentibus & posterius existentibus fuit; In illo autem non alteram præcedentem altera subsequens mutavit aut abstulit voluntas, sed una eademque sempiterna & immutabili voluntate res, quas condidit, & ut prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt, & ut posterius essent, quando esse cæperunt.* Egregiam, dignamque S. Augustino sententiam! Hinc tituli omnes, qui, secundum angustum intellectum nostrum, noviter Deo accidunt (uti sunt Creator, Dominus, Amator, Iratus, Redemptor, Remunerator, Punitor) vere quidem eidem tribuuntur, quin tamen in illo mutatio ulla sed enim in creaturis ipsis, quarum respectu habito is memoratis nominibus vocatur, eveniat. Ita idem S. Augustinus: *Quamvis temporaliter de Deo incipiant dici, non tamen* (t) *ipsi substantiæ Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturæ, ad quam dicitur.*

Animadvertite, pergit idem S. Doctor, quot novæ res monetæ alicui, e. g. num-

(n) *Apoc. 1.* (o) *Psalm 89.* (p) *Numer. 23.* (q) *cap. 3.* (r) *cap. 7.*
(s) *Lib. 11. de Civit. Dei, cap. 4. 10. 11. & Lib. 12. c. 17.* (t) *Lib. 5. de Trinit. c. 16.*

mo aureo, accidant, quin tamen novi quid ipsi realiter fiat: Modo namque in solutionem expenditur; modo pignori datur; modo donatur dono; modo ostentationis gratia ab iis, qui inde gloriari voluerint, elocatur: Sunt hi totidem contractuum realium specieque inter se diversorum tituli: At in his omnibus anne sensibilis mutatio nummo accidit? Nequaquam, etsi tot diversorum, realium, sensibilium & specificorum contractuum materia sit; nam cum hi tituli omnes relativi sint, nummus in se immutatus permanet: *Nummus cum dicitur pretium, relative dicitur; nec tamen mutatus est, cum esse incipit pretium, neque cum dicitur pignus, & si quæ similia. Si ergo nummus potest nulla sui mutatione toties dici relative, ut neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in ejus natura vel forma, qua nummus est, mutationis fiat; quanto facilius de incommutabili Dei substantia debemus accipere . . . ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturæ, ad quam dicitur.* Digna profecto D. Augustino sensa!

Jam hoc divinum Attributum non quidem quoad physicum & naturale *esse* nostrum (de quo Jobus dicit, quod *nunquam in eodem statu permanet*) sed enim quoad morale aut (rectius ut dicam) supernaturale *esse* (scilicet quoad statum, quo nos in gratia divina firmos atque immobiles conservamus) participari a nobis potest, si in id debitam diligentiam auxiliante Numinis gratia adhibuerimus. Utinam felicissimus hic gratiæ status in nobis exoriatur firmusque permaneat, nec ullo unquam tempore a nobis amittatur: Obtinetur autem, O mei! sancta hæc & desiderabilis immutabilitas (quæ in eo posita est, ut gratiam divinam is nunquam amittat, qui eamdem possidere se sperat) tribus maxime remediis. Primum devota perpetuaque (nimirum continuo repetita) oratio est; dum iteratis vicibus; dum humili & fiduciæ pleno animo divinam bonitatem exoramus: dignetur nos in sua gratia conservare nobisque concedat, ut requisitam pro illa nunquam amittenda diligentiam (quantum in nobis est) adhibeamus, petentes nobis insigne hoc beneficium toties, quoties Orationem Dominicam repetimus: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.* Secundum remedium (quo uti quam maxime, & quod opere complere debemus), in eo positum est, ut procul a periculis occasionibusque gratiæ divinæ amittendæ recedamus. Tertium denique remedium devota Sacramentorum Pœnitentiæ & Evcharistiæ frequentatio est. Primum remedium Oratio est a Christo nobis ad obtinendas quasvis animabus nostris necessarias gratias relictum, addito promisso facile centies in S. Evangeliis expresso, exaudiendos nos fore, si debito modo oraverimus. Similiter fuga occasionum peccandi mille in locis S. Scripturæ & a cunctis SS. Patribus imperatur; cujus remedii adhibendi necessitatem nostra ipsi experientia comprobamus: Tum etenim maxime gratiam Dei perdidimus, cum illos ludos repetivimus; cum ad illam genialem personam denuo invisimus; cum illa theatra, illos cætus iterum obivimus (paucis) cum ad illa loca illasque personas redivimus, inter quas prius gratiam miseri amiseramus. Quapropter ne mutationem nobis usque adeo perniciosam subeamus (hoc est: ne ex amicis Dei heredibusque paradisi inimici Numinis & pænarum infernalium rei efficiamur) necesse est, ut infirmitatem nostram ab illis occasionibus, periculis, personis ac locis, in quibus gratia divina exuti fuimus, longe removeamus. Mire fugam hanc devotus Sacramentorum adjuvat usus, quippe quæ a Jesu Christo, tanquam adjumenta fortissima nobis in gratia firme constanterque conservandis, relicta sunt; Ipsa namque Sacramenta, si bene recipiuntur, gratiam vel afferunt non habentibus vel augent habentibus; cum gratia primus Sacramentorum omnium effectus sit: Jam ad hanc conservandam memorata duo Pœnitentiæ & Evcharistiæ Sacramenta potissimum spectant: Pœnitentiæ, quidem; quia ea, quam Sacramentum hoc affert, gratia id sibi proprium (ex S. Thomæ & Ecclesiæ magi-

sterio

ſterio doctorum Theologorum omnium ſententia) habet, ut animam adverſus tentationes confirmet eidemque jus tribuat recipiendi a Deo auxilia ad reſiſtendum illis neceſſaria, & (quod conſequens eſt) animam in ſtatu gratiæ immotam ſtabilemque conſervet. Eucharistiæ vero; quia non ſolum memoratam gratiam in anima multum auget ſed & ſupernaturalis in eadem alimenti genus quoddam relinquit, quo illa vegetatur, viresque ad currendam legis Chriſtianæ viam accipit: quia animam ab omni peccato, maxime vero impudicitiæ, magis magisque abhorrere facit: quia animæ rerum ſpiritualium ac divinarum amorem atque guſtum ingenerat, atque in dies vehementius mundanarum voluptatum faſtidium creat: quia (ut paucis dicam) animæ robur ad virtutes, quibus ſanctificetur, acquirendas addit. Hac itaque ratione, O mei! Dei noſtri optimi maximi immutabilitatem participate, ut vos nullo unquam tempore de ſtatu divinæ gratiæ dimoveri permittatis; quam durante hac mortali vita in animabus noſtris novis in dies incrementis auctam tandem in hora exitus noſtri vita excipiat ſempiterna: Hanc nobis omnibus ob infinitam miſericordiam ſuam concedere Deus dignetur.

SERMO V.

De Bonitate, Pulchritudine & Amabilitate Dei unius ac trini.

CUm ſuperiori ſermone ad vos, Fideles dilectiſſimi! de nonnullis Attributis Dei noſtri æterni in eſſentia unius trinique in perſonis verba fecerim, idem hodie argumentum (quippe Fidelibus, quotquot eundem Deum venerantur atque adorant, ſcitu digniſſimum) perſequi deque infinita illius bonitate dicere inſtitui; quam ut facilius modo, quo fieri poteſt, optimo comprehendatis, varia vobis membratim exponam, ex quibus in unum quaſi corpus collectis aliqualem Bonitatis divinæ imaginem atque ideam, utut minime æquam, cum animis veſtris efformare valeatis.

Bonitas res eſt ejusmodi, quæ ab omnibus unice amatur; cum amor ferri in aliud quidquam, præterquam in ſolum Bonum, non poſſit, adeo ut etiamſi voluntas noſtra & amor ad res malas rapiatur, illas nos nunquam ut malas, ſed enim quaſi bonas nobis fingamus: *Nemo poteſt diligere niſi bonum; nemo, tendens in malum, operatur.* Axioma hoc eſt philoſophiæ naturalis, quod cuivis experientia ipſa evidens atque apertum reddit. Hinc quemadmodum ſolum Malum (ſive id re ipſa malum ſit ſive tantum eſſe videatur) fugam in nobis averſionemque excitat; ita ſolum Bonum (ſive id re ipſa bonum ſit ſive tantum eſſe videatur) amorem, voluntatem inclinationemque in nobis progenerat.

Objiciet aliquis: Chare Pater! non ſolum Bonum ſed Pulchrum quoque, idque forſitan Bono magis diligitur. Huic reſpondens quæro: Quid rei putas O fili! eſſe τὸ Pulchrum? Pulchrum nil aliud eſt profecto, quam Bonum nobis ſenſibilius apparens; de cetero Pulchrum & Bonum idem ſunt aut (ſi mavis) pulchritudo eſt quidam quaſi effulgens bonitatis radius, qui, ubi ſenſus noſtros perſtrinxerit, amorem intenſivum aut (ſi placet) ſenſibilem in animis creat. Atque ut modo de bonitate & pulchritudine creata, ex qua ſubin ad increatam aſcendamus, dicam; ſolemus bonitatis nomine complecti illas perfectiones, quas non tam oculis noſtris cernimus, quam cum animis noſtris æſtimamus. Hinc bonam dicimus perſonam, quam velut plenam charitatis, caſtam, juſtam, temperantem, patientem, humilem, obedientem, honeſtam (paucis) iis virtutibus, quas facilius mente

te

te atque intellectu, quam oculis sensibusque haurimus, dotatam animis nostris repræsentamus: Pulchram autem dicimus personam egregio corporis habitu, apta partium, ex quibus constat, & membrorum blandis coloribus (ceu radiis quibusdam) variatorum compositione præditam. Et hæc pulchritudo, quam hebes atque angustus intellectus noster uti aliquid a bonitate distinctum concipit, re ipsa nil aliud est, quam bonitas & perfectio corpori quantitativo atque extenso conveniens. Attribuimus igitur animo potius quam corpori bonitatem, dicentes, bonitatem esse potius perfectionem intellectualem ac spiritalem: Pulchritudinem autem adscribimus corpori tanquam perfectionem corporalem, quamvis re ipsa bonitas spiritalis sit animi pulchritudo, & pulchritudo corporis sit bonitas ejusdem: Atque ob id dicimus, a bonitate amorem appretiativum, a pulchritudine intensivum seu sensibilem procreari.

At vero in entibus sive personis mere spiritualibus non est, quod bonitatem a pulchritudine dividamus; nam cum ipsæ meri purique spiritus sint omnis qualitatis sensibilis expertes, quorum dignam ideam habere in hac valle lacrymarum non possumus; quia nihil in mentem nostram, nisi per sensuum corporalium meatus, influit: ob id fit, ut si quam pulchritudinis personarum mere spiritualium (uti sunt Deus & Angeli) imaginem cum animis nostris effingere volumus, confestim aut sublimitate τε *esse* eorum, nostro *esse* multum superioris, opprimamur aut ideis sensibilibus, quæ solæ mentibus nostris insunt, decipiamur; cum aliam pulchritudinem (præterquam eam, quæ sub sensus cadit) concipere animis nostris nequeamus. Hinc pulchritudinem; e. g. Angeli alicujus, cogitare volentes alias quam sensibiles illius ideas formare non possumus: fingimus scilicet nobis juvenem pulchro corporis habitu, oris egregio colore, nitescentem, alatum, & si quæ sunt alia, etsi re ipsa pulchritudo illius nihil horum habeat.

Jam, Fideles dilectissimi! cum Deus noster ens in omni perfectione infinitum sit, idem (quod sequitur) infinite bonus, infinite pulcher est: at quanam Bonitate, quanam Pulchritudine? Bonitate ac Pulchritudine longissime a captu nostro remota, cujus, fieri nullo unquam tempore potest, ut æquam ac dignam ideam formemus. Quid igitur juvat, dicetis, de re ejusmodi nobis loqui, quam nec intelligere nec capere valemus? Dixi, O mei! nos Bonitatem ac Pulchritudinem Dei nostri pro dignitate & ex æquo intelligere atque capere non posse; Minime vero dixi: illam a nobis capi intelligique aliquo saltem modo non posse; namque possumus adjuvante Dei gratia ad Bonitatis & Pulchritudinis divinæ cognitionem eadem fere ratione pertingere, qua (quotquot de Deo scripserunt) assecuti sunt, ut illum vere realiterque (quantum satis est) intellexerint menteque perceperint, & eumdem cognoverint amaverintque, prout ille merito nobis imperavit.

Quin animos probe advertite, quæso, O mei! nam utcunque maxime sublime sit argumentum, tamen illud (si Superis placet) apertissime tractabo, advertite (inquam) animos atque edicite, quisquamne illorum, qui in hoc mundo de Deo scripserunt aut disseruerunt, ex eo scripsit aut disseruit, quod Deum, prout in se est, viderit? Minime profecto: Et tamen omnes SS. Patres atque una cum ipsis Ecclesia sancta de Deo tot tantaque nobis narrant, & ut vera credere jubent. Qua igitur via id sunt consecuti, ut Deum & intellexerint & de illo disputarint? Via certe effectuum ab ipso Deo productorum, via creaturarum, quas omnes solus ipse eduxit. Sic fecit docuitque S. Paulus: *Invisibilia enim Dei a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna* (a) *quoque ejus virtus ac divinitas.* Et ante Paulum auctor libri *Sapientiæ* (b) dixit: *Si* (homines) *virtutem & opera eorum* (rerum creatarum) *mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam, qui hæc fecit, fortior est illis; a magnitudine enim speciei* (creaturarum) *cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Ecce,

(a) *Rom.* 1. (b) *cap.* 13.

ce, O mei! viam certam, securam, compendiariam, qua uti ad essentiam divinam ita reliquas Dei nostri perfectiones (& hodie quidem ad infinitam illius Bonitatem ac Pulchritudinem) vobis explanandas aggredi me licet.

At quoniam Deus non solum auctor est rerum naturalium, ex quibus solo naturali lumine, quin Fidei lumen accedere debeat: Bonitas & Pulchritudo illius, tanquam naturalis auctoris hujus universitatis, cognosci potest (Hac ratione eundem veri philosophi omnes & cognoverunt & cognoscunt) sed rerum quoque supernaturalium, rerum lumen narurale superantium, scilicet mysteriorum gratiæ & gloriæ, auctor est, & ut talis solo Fidei lumine cognosci potest; idcirco primum de Bonitate & Pulchritudine Dei, tanquam auctoris rerum naturalium; deinde tanquam auctoris gratiæ & gloriæ dicam.

Itaque ad cognitionem Bonitatis & Pulchritudinis Dei, tanquam auctoris naturæ, solo naturali lumine ascendere volentibus nobis haud alia via patet, quam ut animos nostros ad considerandam bonitatem ac pulchritudinem, quæ in omnibus hujus universitatis creaturis apparet, convertamus. Cernimus in quovis ente producto & creatura quavis propriam bonitatem ac pulchritudinem pro ratione τȣ *esse* earum: Scimus præterea certissime ex demonstratione naturali, omnes perfectiones, quas creaturæ possident, a prima quadam caussa eisdem esse concessas, quæ caussa solus Deus est. Jam hæc creaturarum bonitas ac pulchritudo a Deo ipsis eum in finem impertita, ut exinde mentes mortalium ad divinæ perfectionis cognitionem contemplationemque assurgant, quam miros effectus in humanis peccato originali corruptis affectionibus edat, videmus; siquidem hæc bonitas ac pulchritudo nonnunquam mortalium mentes, quas ad Deum convertere deberet, ab eodem multum avertit, tamque vehementem animorum ad se rapiendorum vim habet, ut mortales pro consequendo, quod in creaturis advertunt, Bono ac Pulchro facultates, sanitatem honorem, famam, quævis alia naturalia civiliaque bona disperdant, immo eo etiam prolabantur, ut præ mentis delirio vita se spolient aut ad insaniam adacti sensum rationemque amittant. Jam vero bonitatem & pulchritudinem creaturarum naturalem, quæ unquam extitit & quæ ad seculi finem usque extitura est, omnem in unum aggregetis, immensumque hunc perfectionum creatarum cumulum Bonitati & Pulchritudini Dei (auctoris earundem) conferatis velim: Quanti illas cum hac compositas pendi debere putatis? Percipite, Charissimi! supputationem Isaiæ Prophetæ, percipite oraculum a Deo ipsi inspiratum, a Deo (inquam) qui verum non dicere non potest: *Omnes gentes*, una cum perfectionibus suis cunctis & amabilitate omni, *quasi non sint* (c) *sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* Dicine minus quid potest? Nihil sunt. En rei hujus apertam naturalemque rationem! Omnis hic bonitatis & pulchritudinum cumulus denique cumulus finitus est, cumulus fines suos ac terminos habens: at Bonitas & Pulchritudo Dei (etiamsi ut auctor mere naturalis consideretur) Bonitas est & Pulchritudo infinita, quippe Dei infiniti: Præterea *finiti* (ut monet philosophia naturalis) *ad infinitum nulla est proportio.* Ob eam caussam ingens hic bonitatis & pulchritudinis finitæ cumulus, *quasi non sit, sic est coram eo, & quasi nihilum & inane reputatum est ei.* Quapropter si bonitas ac pulchritudo creata, non jam in cumulum coacta sed unius etiam creaturæ, tantas illecebras habet; quanto amore infinita illa Bonitas & Pulchritudo digna sit, cum animis vestris existimate.

Attamen scire debetis, O mei! infinitam hanc bonitatem ac pulchritudinem Dei (considerati ut mere naturalis auctoris) si pulchritudini ejusdem (considerati ut auctoris supernaturalis) componatur, quodam quasi modo evanescere atque extingui: Et hic potissimum O mei! mens humana id sibi necessitatis imponi sentit, ut se demittat, ut opprimi se tantis fulgoribus, neque se nisi Fidei lumine adjutam & iis solum, quæ idem

(c) *Isaiæ* 40.

Deus de ſupernaturali ſua Bonitate ac Pulchritudine revelare perque Eccleſiam ſuam manifeſtare nobis dignatus eſt, nixam pertingere ad ſummam illam pulchritudinem contemplandam poſſe fateatur. Complectar paucis hoc in loco, quæ aliis, ſuisque in locis, fuſius denuo exponere debeo.

Deum, ut auctorem ſupernaturalem, conſiderare vos jubens id volo, ut eundem (tanquam auctorem redemptionis,gratiæ, glo- Sacramentorum, omniumque Fidei myſteriorum nobis revelatorum & ab Eccleſia propoſitorum) conſideretis. O Bonitas & Pulchritudo Dei mei excelſi! Quid de te dicere valeo? . . . Ergone te ſileam? Nequaquam: Dicam, dicam tremens, Deus meus! modicum, id, quod potero, & quemadmodum ex effectibus a te tanquam auctore naturali productis infinitam tuam perfectionem cognovimus; ita eamdem ex effectibus a te tanquam auctore ſupernaturali productis explicare, modoque, quo fieri a me poteſt, optimo eam conſpiciendam Auditoribus meis præbere contendam.

Primus infinitæ hujus Bonitatis effectus, O mei! redemptio extitit generis humani: Potuiſſet redemptionem hanc Deus plurimis modis efficere. Jam autem fingite, Deum innumerabilibus angelicorum Spirituum catervis injungere voluiſſe, ut quilibet eorum, quod convenientiſſimum crederet, efficiendæ redemptionis hujus remedium proponeret: Anne putatis, eisdem remedium illud, quod infinite bonus Deus revera præelegerat, in mentem unquam venturum fuiſſe? Haud dubie quidem unus Angelus hoc remedium, alter aliud, omnes remedia tam ſublimibus Intelligentiis non indigna propoſuiſſent; At quisnam illorum (putatis) eo proceſſiſſet, dixiſſetque: Tu, infinitæ æternæque majeſtatis Deus! Tu, Verbum Patris, ſecunda auguſtiſſimæ Trinitatis Perſona, Creator noſtrum omnium totiusque univerſitatis! Tu ad aſſumendam ope S. Spiritus carnem humanam, ab ipſo perfido Adamo progerminatam, deſcende, ut hac ratione verus Deus verusque homo evadas; Tu virginis te gremio include; Tu in ſtabulo omnium egens naſcere; Tu vitam duriſſimam, & ærumnis refertam per quinque fere luſtra ducito; Poſthæc onerari te infamia, opprobiis, contumeliis, injuriis, ſpinis, colaphis, flagellorum ictibus ſputisque, ac infelici tandem ex arbore quaſi mortalium omnium nequiſſimum ſuſpendi ſinito . . . Quis unquam in animum ſibi inducat, ulli beatorum Spirituum hoc conſilii genus occurſurum fuiſſe? Ah! talem Bonitatis infinitæ exceſſum cogitare mens nulla potuit creata: ob eam rem altiſſimum hoc myſterium Paulus ſapientiſſime *Sacramentum abſcond.tum a ſeculis in Deo* (d) vocat; cum illud venire in mentem ſoli infinitæ bonitatis Deo, qui idem operari dignatus eſt, potuerit. Quis eſt, qui a Rege terreſtri de perfidi ſubditi alicujus recuperandi modo ad conſilium adhibitus tibi induceret animum, dicere eidem Regi: Tu rex auguſtiſſime! tu tibi bardocucullum injice; tu ad claſſem multis periculis obnoxiam triginta pluresque annos nauticis fatigandus laboribus perge; tu compelli te in ſervitutem, percuti, onerari maledictis, cædi alapis, tundi verberibus, male tractari & tamquam vita indignum furcæ dari ſine . . . Quis eſt, qui animum inducat, Regi hæc terreſtri dicere? Nemo profecto, niſi inſanus. Jam ſi non obſtante hac contraria mortalium omnium perſuaſione memoratus Rex nimia bonitate ſua impulſus ultro nobis diceret: Ego mea ſponte ac voluntate in gratiam perfidioſi ſubditi hæc omnia præſtabo; quem mortalium admiratione animique ſtupore non corripiendum, quem non externandum fore putatis? At ſic, O mei! ſic profecto unicus, infinitus & æternus Deus noſter ſua ſponte omnium noſtrum (perfidorum ſubditorum ſuorum) in gratiam facere voluit, ut nobis infinitam Bonitatem ſuam ſignificaret: Sic revera fecit: Sic nos conſtanti atque immobili fide credimus. En primum infinitæ Bonitatis ſupernaturalis Dei noſtri argumentum!

Sed perſequi propoſitum juvat: Non ſatis

(d) *Epheſ.* 3.

tis habuit Deus noster fecisse se fratrem nostrum, dum nostram humanitatem personaliter sibi univit; non satis habuit, fecisse se redemptorem nostrum, dum inter atrocissimos cruciatus mortem ignominiosissimam oppetiit: sed insuper permanere nobiscum ad seculi finem usque voluit: *Ecce vobiscum sum usque* (e) *ad consummationem seculi*; Verba sunt hæc Servatoris, quæ vobis quoque dicta esse facile videtis. Jam ut novum hoc infinitæ bonitatis supernaturalis documentum nobis daret, quid, amabo! fecit? Proh miraculum! proh excessum! proh incomprehensibiles bonitatis divinæ artes! Invenit viam soli suæ infinitæ sapientiæ notam, soli infinitæ charitati suæ excogitatam: Et fuit via hæc, quod se personaliter, vere, realiter ac substantialiter præsentem nobis in augustissimo Eucharistiæ Sacramento fecit, primum quidem ut facile innumeris totidemque per diem vicibus nostri in gratiam ut victima offerretur, quoties per diem Missarum sacrificia peraguntur: deinde vero ut se omni tempore realiter præsentem nostris in templis haberemus, nacti opportunitatem cum illo pro libitu nostro conversandi: denique ut possemus, O Deus! O bonitatis portentum! ut possemus eumdem singulis etiam diebus servata ab iis, quorum obedire est, obedientia debita in viscera nostra, in pectora, in corda nostra recipere. Quid in his vobis, O Dilectissimi! quid, quæso! videtur? Num de Bonitate infinita majus quid cogitari potest? Num, edicite mihi! cogitari majus quid potest? . . . Liceat mihi itaque, liceat cum S. Joanne Chrysostomo (f) a quo, quidquid hoc est considerationis, omne sum mutuatus, exclamare: *Neque enim illi satis fuit, hominem fieri, colaphis cædi & crucifigi; verum & semetipsum nobis commiscet, & non fide tantum, verum & ipsa re nos suum efficit corpus.* Pergamus porro.

Nequaquam eo sibi infinita hæc supernaturalis Bonitas satisfecit, quod se fratrem, redemptorem, cibum nostrum fecerit; vult præterea ipsius, cælesti in gloria clare visus pleneque perceptus, merces nostra in omne ævum esse: *Ego, ego ero* (g) *merces tua magna nimis*: Et hac de re quid dicere unquam potero? . . . Nihil aliud certe vel ego vel alius quiscunque demum dixerit, quam nos in illa gloria Deum possessuros, cognituros, fruituros esse non per velamen, non per ænigma, non per umbram; sed clarissime, plenissime omnique cum securitate illum nunquam amittendi, adeo ut nihil futurum sit, quod ultra desideremus (quippe in ipso omnem felicitatem, omnem voluptatem, omne delectamentum inamisibiliter habituri) immo sic nos Deum possessuros, ut optatissimæ & felicissimæ illum amandi, illo fruendi necessitati obnoxii futuri simus, quin ab hac fruitione, ab amore hoc desistere nos unquam liceat. Jam hoc in loco quas comparationes quæve exempla invenire potero, O mei! quæ non a re ipsa infinito quodam spatio distent; immo indigna sint, quæ in medium proferantur? Putatisne forsitan, me voluptates omnes, quæ in hoc seculo a quinque corporis nostri sensibus percipiuntur, unum congestas in cumulum vestros ante oculos positurum esse? Ponite, per me licet: At hæ eædem cujusvis generis animantibus communes nobiscum sunt. Putatisne, me vobis honores omnes, quos in hac miseriarum valle principes seculi dispensare solent, propositurum? Proponite, per me licet: At hi ipsi, præterquam quod umbratiles mereque scenici sint, insuper a tot reprobris communiter obtinentur. Putatisne, me vestris oculis omnes omnino felicitates terrenas, quarum fruitio in hac vita nobis conceditur, objecturum? Objicite, per me licet: At versantur illæ omnes in objectis limitatis, corruptibilibus: At sunt fugaces & satiandis mortalium mentibus impares, & ab inimicis Dei ut plurimum percipiuntur. Ah! quidquid mundus hic noster habet, ne id omne levissimam quidem umbram illius gloriæ exhibere unquam poterit, in qua Deus Beatis semetipsum communicat atque infundit eo consilio, ut ipsis cognoscendum præbeat, quantum sua, ad ca-

(e) *Matth. 28.* (f) *Homil. 60. ad popul.* (g) *Genes. 15.*

caros amicos fortunandos incumbens Bonitas possit. Quapropter ex eo ipso, quod mundi delicias (mire alioquin ad trahendos mortalium animos idoneas) ut plurimum ab ejusmodi hominibus percipi videamus, qui hostes sunt Dei omnique ævo infernali in carcere erunt; ex hoc ipso (inquam) colligamus, quantæ esse deliciæ debeant, quas Deus in cælo communicaturus est iis, quibus ut dilectissimis perpetuisque amicis suis beneficum se se præbere voluerit.

Juvat hoc unum vos isto in loco monere, quod D. Thomas doctus a Fide sancta & ratione theologica persuasus pronunciavit, cui quoque non Theologorum solum turba omnis sed & Fidelium congregatio universa consentit, scilicet: unam gratiam sanctificantem unius hominis justi pretio suo, valore, bonitate ac pulchritudine sua omnem perfectionem naturalem hujus totius rerum universitatis, in unum cumulum aggregatam, multum superare: *Bonum gratiæ unius* (h) *majus est, quam bonum naturæ totius universi*; Nam gratia sanctificans, cum sit participatio essentiæ Dei auctoris supernaturalis, est ordinis multo nobilioris omni ordine naturali: Et quemadmodum (secundum sanæ philosophiæ placitum) ordo viventis, utut mere vegetativi, omnem ordinem non viventium; ordo deinde viventis sensitivi omnem ordinem & non viventium & solum vegetativorum; ordo denique viventis intellectualis omnem ordinem & eorum, qui solum Esse habent & eorum, qui vita vegetativa, & eorum qui vita sensitiva vivunt, superat; ita vivens vita divina ac supernaturali omnem ordinem entium naturalium & (quod sequitur) ordinem totius hujus universitatis (quæ harmonicus omnium entium naturalium complexus quidam est) superat. In cujus rei confirmationem cum aliquando Jesus Christus amatæ a se Catharinæ Senensi pulchritudinem animæ gratia fruentis, utut adhucdum viatricis & (quod consequens est) multis etiamnum imperfectionibus inquinatæ, videndam præbere dignatus esset; ita virginem sanctam hoc spectaculum rapuit mentisque a sensu abstraxit, ut postea affirmarit, non esse quemquam mortalium, qui tantam perfectionem ac pulchritudinem exprimere verbis aut assequi dicendo queat. His itaque positis liceat, O mei! sic argumentari: Si perfectio & pulchritudo gratiæ unius animæ justæ, utut nondum ab omni imperfectione immunis, totius mundi hujus &, quæ in illo sunt, creaturarum omnium pulchritudinem excedit; quanta erit perfectio ac pulchritudo gratiæ omnium Mentium beatarum jam nullius imperfectionis labe sordescentium? . . . . Quanta erit pulchritudo gratiæ cunctorum ordinum angelicorum spirituum? Quanta erit pulchritudo gratiæ animæ excelsissimæ Virginis Deiparæ? Quanta erit pulchritudo gratiæ animæ incomparabilis Jesu Christi? . . . Quis hæc expendere omnia aut cogitare secum poterit? Jam vero has pulchritudines perfectionesque omnes propemodum immensas clare videre quanti gaudii, quantæ voluptatis, quantæ lætitiæ futurum esse putatis? Et tamen, Amatissimi! omnis hic non comparabilis, non comprehensibilis cumulus, quem vobis hucusque per gradus suos exposui, si perfectioni ac pulchritudini divinitatis componatur, minor est pulchritudine lucernæ cum pulchritudine solis collatæ, quia *finiti ad infinitum nulla est proportio.* Atque ob id in harum finitarum perfectionum visione solummodo accessoria & accidentalis beatitudo animæ beatæ continetur; cum de cetero essentialis felicitas & id, quod *esse* Beati re ipsa constituit, in clara visione fruitioneque sempiterna perfectionis ac pulchritudinis essentiæ Dei tri-unius posita sint.

Repetamus modo quam brevissime, quæ hucusque dixi, videamusque, utrum me Dominus adjuverit, ut infinitam Dei nostri maximi bonitatem, pulchritudinem, amabilitatemque aliquo modo capiendam vobis darem.

Non potest in hac vita cognosci Deus, nisi ex effectibus suis: Ex effectibus illius tanquam auctoris naturalis inferimus, esse

eun-

(h) 1. 2. quæst. 113. art. 9.

eundem optimum, pulcherrimum, amabilissimum; nam cum nulla creata bonitas, pulchritudo, amabilitas esse possit, quæ non ab ipso (tanquam sola prima caussa) processerit, necessario affirmamus, quod, cum tantam perfectionem, pulchritudinem, amabilitatem in omnibus entibus naturalibus deprehendamus, infinite major esse debeat Bonitas ac Pulchritudo Dei nostri optimi maximi, etsi solum ut auctor naturalis (quod dixi) consideretur: immo præ hac illam priorem nihil esse, quippe quæ finita usque permanet; cum hæc posterior realiter atque essentialiter infinita sit.

Ab ordine deinde naturali ad supernaturalem eadem via (nimirum effectuum Dei supernaturalium) ascendere parantes in tantam subito admirationem rapimur, ut eniti eo nisi duce fide immota non queamus; namque Dominus supernaturalem perfectionem, bonitatem atque amabilitatem suam haud per alios effectus, quam per semetipsum modis variis nobis communicatum, cognoscendam dat: dum nimirum in Incarnatione fratrem se nostrum sociumque; in Redemptione pretium se nostrum ac Redemptorem; in Eucharistia cibum se nostrum supernaturalem modo quodam intimo & amoris pleno; in cœlesti denique Gloria præmium sese nostrum æternum fecit: Unde S. Thomas Aquinas phrasibus ingenio suo oppido dignis usus omnes hosce incomprehendendos amabilitatis infinitæ Dei effectus hymni illius (quem Poetæ christiani, quotquot fuerunt, sunt eruntque, omnes admirati sunt, admirantur, atque admirabuntur) stropha conclusit: *Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium.*

Jam vero, O mei! cum Deum tam amabilem habemus, illumque ut talem firma fide rationeque certissima confiteamur; quo, quæso! rubore suffundi debemus, quod eidem totum amorem nostrum non consecremus, sed & persæpe in eum usque adeo negligentes simus, ut dies, hebdomadæ, menses nobis (immo permultis anni integri) abeant, quin unum amoris actum erga eum eliciamus? (At quid dico: Negligentes simus) Dicam verius; atque utinam in multis mortalium vera non essent, quæ dico! In illis (puto) qui amorem suum ad corruptiles creaturas, ad marcescentes formas, ad bestiales voluptates, paucis: ad fugacia hujus mundi bona in contumeliam, in injuriam offensionemque ejusdem amabilissimi Dei adjciunt, adeo ut cum Deum rebus ceteris omnibus præferre præque illis amare deberent, eundem non sine gravi offensa cuilibet illicito lucro, vindictæ, malevolentiæ, quibusvis affectionum æstibus, quin immo, vah cæcitatem humanam! immo persæpe voluptatibus, quas feræ bestiæ nobiscum communes habent, postponant. Atque utinam, Deus meus! hunc in modum ab illis solum tractareris, qui te ex culpabili cæcitate aut omnino non cognoscunt, aut minus probe cognoscentes eam tui notitiam, quam nos ex inæstimabili nobis concesso Fidei dono habemus, non habent: Grande hoc equidem malum foret, at nondum maximum; quod certe de nobis affirmari potest: scilicet te nefandum in hunc modum etiam a nobis haberi; a nobis, qui vero solidoque honori nobis ducimus, quod te cognoscamus, teque (qualis re ipsa es) infinite bonum, pulchrum perfectumque confiteamur: a nobis, qui in sola tui possessione nullaque alia in re nostram felicitatem positam esse profitemur: a nobis, qui quotidie Bonitatis tuæ infinitæ effectus in tot gratiæ auxiliis, in tot Sacramentis cernimus modisque longe tenerrimis experimur. Et quod nihilominus a nobis negligaris: oblivioni deris: offendaris modis, quos de se quivis novit optime, innumeris: vilibusque creaturis, belluinis voluptatibus, indignis irarum æstibus, verbo, cuivis affectioni pravæ posthabearis. Ob hoc ipsum, O mei! Dominus per os Jeremiæ prophetæ cœlos inclamat, ut obstupescant, portasque ejus, ut ad tantam prævaricationem desolentur: *Populus meus* (i) *mutavit gloriam suam*, quæ in eo est, ut me amet atque agnoscat, *in idolum*; namque omnis creatura peccatori idolum fit: *Obstupescite cæli super*

(i) *Jerem.* 2.

per hoc & portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus . . . me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Populus meus, Fideles mei me repudiantes atque offendentes omnem amorem suum ad creaturas, quas persæpe idola sua appellare audent, converterunt: Hoc obstupescite cœli, ob hoc desolamini portæ ejus! . . Ast anne sic usque fiet, o Deus amabilissime? Anne infinitam tuam Bonitatem lædere injuriis persistemus? . . . . Quæ vobis mens, O mei! Anne infinitæ huic Bonitati & Amabilitati divinæ iras vestras, animi impetus affectionesque vestras præferre pergetis? Quis vestrum, O cari & devoti Auditores! sic sentiat? Nemo credo, quin immo persuasum mihi habeo, vos omnes (ne uno quidem excepto) mecum ad hunc infinitæ Bonitatis Deum supplici, humiliata compunctaque mente vos conversuros, dolentesque eidem dicturos fore: o Deus meus, Deus æterne, Deus Bonitatis, Perfectionis & Amabilitatis immensæ! tibi ex hoc temporis puncto amorem meum omnem, cor meum totum in sempiternum consecro; Atque ob id intimo animi sensu detestor, abominor, execror omnes meas præteritas peccaminosas affectiones, omnesque amoris mei abusus, quos in creaturis in gravem tui contumeliam feci, deque illis toto cordis affectu doleo atque compungor vultu in terram prostrato te, O amabilissime Deus! orans atque obtestans, ut ignoscas mihi mortali te in posterum peccato, adjuvante tua gratia, nunquam offendere firmiter proponenti: Atque ut certissimi hujus propositi mei pignus aliquod tibi offeram, utque exoptatam veniam remediis certioribus consequar, haud longius tempus fluere sinam, quin sincera, compuncta humilique Confessione conscientiam expiem: immo, ut in statu gratiæ tuæ me conservem, diem nullum abire permittam, quin uni saltem fidei & spei actui efficacem amoris erga te actum conjungam, dicens: *Diligam te Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum &* (k) *refugium meum & liberator meus.*

(k) *Psalm.* 17.

SERMO VI.

De Misericordia Dei Tri-unius.

De Attributo divino, O mei! quod, utpote miseriis nostris maxime necessarium, Deus noster optimus præ aliis omnibus elucere maxime respectu nostri creaturarum suarum voluit, ad vos disserere parans solito attentiores mihi aures commodetis rogo, quippe materiam ad nostras necessitates maxime spectantem tractaturo. Dixi priori sermone de infinita bonitate Dei; hodierno ejusmodi attributum explicare aggredior, quod ejusdem divinæ in nos bonitatis fructum proximum seu immediatum dixero: Quodnam illud putatis esse? Non aliud certe, quam quod in singula momenta omnium Deum confitentium ore celebratur, nimirum attributum infinitæ illius misericordiæ; de quo ipso dici a Rege propheta Dominus voluit, quod opera misericordiæ suæ (respectu ad creaturas habito) operibus reliquorum attributorum omnium antecellant: *Miserationes* (a) *ejus super omnia opera ejus.*

Misericordia, secundum generalem suam notionem, est quædam animi ad allevandas miserias alienas propensio: Hinc Doctor angelicus plane angelice pronunciavit, vocem *Miseri-*

(a) *Psalm.* 144.

Misericors idem sibi velle, ac *habens cor miserum* seu compatiens: *Misericors dicitur quasi habens miserum cor*, in quantum scilicet quis, ut addit idem S. Doctor, tangitur ac commovetur aliena miseria: *Quia scilicet* (b) *afficitur ex miseria alterius per tristitiam, ac si esset ejus propria miseria; & ex hoc sequitur, quod operetur ad depellendam miseriam alterius sicut miseriam propriam: & hic est misericordiæ effectus.* Jam cum Deus noster æternus sit infinitum centrum omnis Boni, idem (ut prosequitur S. Thomas) centrum omnis felicitatis est, atque ob id fieri non potest, ut alienæ miseriæ in ipso tristitiam pariant, quippe quæ cum felicitate infinita copulari nequit: Qua igitur ratione est in Deo misericordia? Est profecto & quidem infinita, uti reliquæ perfectiones omnes, quoad effectum, ait idem S. Thomas, in quantum nimirum Deus alienas miserias sublevat atque depellit quadam infinite majori cum promptitudine atque inclinatione, ac ea est, quam creaturarum cunctarum de aliena miseria dolentium tristitia universa excitare potest: *Tristari ergo de miseriis alterius non competit Deo; sed repellere miseriam alterius hoc maxime ei competit; ut per miseriam quemcumque defectum intelligamus.*

Jam hujus infinitæ erga miserias nostras misericordiæ quam multa nobis quamque evidentia indicia, O mei! Dominus præbuit? Omnia indicia, quæ superiori sermone vobis exposui, cum sint effluvium quoddam diffusioque bonitatis divinæ, una simul infinitæ misericordiæ beneficia sunt: Hujus generis ineffabile Incarnationis mysterium est, quod Zacharias (c) pignus intimæ misericordiæ Dei esse pronunciavit: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Hujus generis mysterium Passionis & Redemptionis dominicæ est, quod ab Isaia (d) opus magnæ, opus æternæ misericordiæ appellatur: *In miserationibus magnis congregabo te . . in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemptor tuus Dominus.* Hujus generis est mysterium Eucharistiæ, quod mnemosynon miraculorum Dei misericordis ac miseratoris Propheta David (e) vocat: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Hujus generis (ut paucis dicam) sunt omnia Sacramenta, omnia gratiæ dona, uti etiam omnia dona temporalia, corporalia, intellectualia, eaque omnia, quæ in singulos dies atque in momenta singula a Deo accipimus; nam cum Deus nihil nobis debeat, & de cetero, quidquid nobis largitur, ad miseriarum nostrarum sive spiritualium sive corporalium allevationem dirigat, sequitur, id omne infinitæ misericordiæ ejus effectum esse. Ob eam rem Propheta illuminatissimus, cum mundum universum oculis divino lumine purgatis circumspexisset, nil aliud videre potuit, quam mundum divina misericordia plenum: *Misericordia Domini* (f) *plena est terra.* Immo illum divinæ misericordiæ effectibus ita refertum esse animadvertit, ut eosdem ad cœlum usque pertingere affirmarit, e contrario de effectibus justitiæ afferens, illos ad nubes ascendere: *Magnificata est usque ad cœlos misericordia* (g) *tua & veritas tua usque ad nubes.* Et significantius se exprimens ait: effectus misericordiæ divinæ cœlorum altitudinem etiam superare, effectus justitiæ vero solam nubium altitudinem æquare: *Magna est super* (h) *cœlos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua*, ut nobis ostenderet, probeque intelligendum daret, quod (cum hæ sint duæ viæ illæ, quibus nos, creaturas suas, Dominus regit: *Universæ viæ Domini* (i) *misericordia & veritas*) quemadmodum altitudo a nubibus ad summa cæli convexa ascendendo, multo major est ea altitudine, quæ terram inter ac nubes interest: ita quoque effectus misericordiæ divinæ respectu nostri effectibus justitiæ divinæ multo majores sint.

Et quamvis quæ hucusque dixi, eo plus quam sufficere possent, ut hoc Attributum divinum, respectu nostri, aliquatenus capiatis, Dilectissimi! tamen, ut magis magisque cognoscatis, quam ad sublevandas miserias nostras propensus sit Deus noster misericordissimus, verba Pauli ad Hebræos (ea certe

(b) 1. p. q. 21. a. 3. (c) *Luc.* 1. (d) *cap.* 54. (e) *Psalm.* 110. (f) *Psalm.* 32. (g) *Psalm.* 56. (h) *Psalm.* 107. (i) *Psalm.* 24.

te nervoſiſſima) perpendatis velim, ita tamen ut prius in memoriam paulo ante a me dicta revocetis: ſcilicet Deum noſtrum ad ſublevandum miſerias noſtras infinita quadam pronitate ferri, de cetero vero triſtitiam ex ipſis concipere omnino non poſſe; quod affectio hæc cum infinita felicitate ejuſdem ſociari atque connecti nequeat. Ob eam rem Dominus nobis certiſſimum redditurus, ſibi, quanquam triſtitia hac (utpote Deus) affici non poſſit, minime tamen memoratam nobis ſuccurrendi atque auxiliandi voluntatem deeſſe, quid, amabo! fecit? Hominem ſe in Incarnatione fecit ea inter alias de cauſſa, ut in aſſumpta humanitate triſtitiam hanc & hoc ſenſibilis commiſerationis genus experiri poſſet, non quidem ut ad majorem ſe miſericordiam excitaret: Nequaquam; ſed ut memoratam triſtitiam ſublimi atque omnis imperfectionis immuni ratione experiundo nobis illam teneritudinem patefaceret, quacum ſua miſericordia nos reſpexit, quæ in aſſumpta humanitate huic etiam triſtitiæ ſubjacere voluit, a qua ſenſibilis commiſeratio atque ſollicitudo creaturarum miſeriis ſuccurrendi generatur. Audiamus verba Pauli: *Unde debuit per omnia fratribus ſimilari* (advertite animos) *ut* (k) *miſericors fieret & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi:. In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentatatus, potens eſt & eis, qui tentantur, auxiliari.* O ſublimes divinæ miſericordiæ artes! Voluit, ait Paulus, nobis per omnes miſerias (ſolo peccato & peccati effectibus exceptis) ſimilis fieri, ut poſtquam illas in ſe experiundo ipſe ſenſit, nos gnari, quantum hæc experientia ad miſericordiam & ſollicitudinem aliis ſubveniendi animos commoveat, nobis magis magisque perſuaderemus, eundem ad nos juvandos quam promptiſſimum eſſe, quippe ipſa miſeriarum noſtrarum experientia eo inductum. Percipite, quo ſenſu memoratum D. Pauli locum S. Bernardus (l) explicet: *Chriſtus humanis voluit communicare miſeriis, ut ſimiliter paſſus atque tentatus miſereri ac compati ipſe diſceret experimento; quo quidem experimento (non dico) ut ſapientior efficeretur ſed ut propinquior videretur: quatenus infirmi filii . . . ſuas illi infirmitates committere non dubitarent, qui ſanare illos & poſſet ut Deus, & vellet ut proximus, & cognoſceret ut eaſdem paſſus.* Voluit itaque Deus maximus, cum potens ſit ac pronus allevare miſerias noſtras, ſe inſuper ad eaſdem ſentiendas & ad iiſdem per ſenſibilem miſerationem compatiendum habilem reddere, ea re nos animaturus, ut noſtris in neceſſitatibus ad ſe confugeremus, utpote ad eum, qui non ſine benevolentiſſima commiſeratione triſtitiam expertus eſſet, quam illæ in animo miſericordis amatoris creant.

Sed ut infinitam hanc miſericordiam paullo enucleatius conſideremus, prætermiſſis innumeris effectibus, quibus illa ſeſe prodit, unum ſeligamus, eumque præcipuum ac frequentiſſimum. Objectum miſericordiæ miſeria aliena eſt; ex quo ſequitur, tanto magis elucere miſericordiam, quanto major eſt miſeria, quam levare illa aggreditur. At exploratum, O mei! majorem nobis miſeriam accidere non poſſe quam peccatum: Hoc ſolum malum eſt, quod Deus odio habet; hoc malorum reliquorum omnium, principium & fuit & eſt; hoc homini detrimentum, omnium maximum (ſcilicet detrimentum beatitudinis æternæ) & calamitatem omnium graviſſimam (damnationem ſcilicet ſempiternam) affert. Omnia hæc de Fide ſunt, certiſſima ſunt nullique obnoxia dubio, mille S. Scripturæ locis nobis revelata. Jam utprimum homo in peccatum labitur, in odium incurrit Dei (*Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem* (m) *Altiſſimus odio habet peccatores* (n) *Odio ſunt Deo impius & impietas ejus* (o) Sic ſacræ affirmant Scripturæ) &, cum a Deo jure odio habeatur utpote Creatorem ſuum, ſupremum Dominum ſuum, conſervatorem, redemptorem, benefactorem ſuum offendere auſus, ob id dignus evadit, qui in barathrum infernale præceps agatur in eo æternis urendus flammis, tantoque magis hoc odio

(k) *Hebr. 2.* (l) *Lib. de Grad. Humil. c. 3.* (m) *Pſalm. 5.* (n) *Eccli. 12.*
(o) *Sap. 14.*

odio divino, horribili hoc supplicio dignus efficitur, quanto magis peccatis peccata cumulavit.

Jam percipite, qua ut plurimum ratione infinita Dei tam graviter læsi misericordia cum reo, qualem modo descripsi, agat? Facit illa, ut Deus pacem eidem prior offerat; prior invitet, ut in gratiam secum redeat; prior eidem dicat: Revertere, & amplectar te. An dubia habetis, quæ dico, O mei! Væ vobis, si de iis dubitaretis; cum Fidei articulus sit, peccatorem revera ad Deum redire non posse, nisi sancta illius gtatia ac misericordia trahatur: Sic Christus diserte pronunciavit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater* (p) *qui misit me, traxerit eum*: Et alibi: *Sine me nihil* (q) *potestis facere.* Sic S. Concilium Tridentinum canone ad Fidem spectante (r) definivit.

Atque ut melius intelligatis, quam stupenda sit hæc infinitæ misericordiæ Dei nostri demonstratio; ponite uxorem a digno marito ardentissime dilectam & continuis maximisque per vices favoribus, ceu manifestis amoris conjugalis indiciis, cumulatam pluribus se procis prava affectione, cui initio non obstitit, impellente in prædam dedere, & ejusmodi quidem procis, qui acerrimi hostes viri sui optimi sint, eundemque capitali odio prosequantur: hanc autem uxoris maxime injuriosam perfidiam post aliquod temporis spatium viro innotescere: Quam acerbo, quæso! ac justo doloris sensu animum illius commovendum fore putatis? Et quamquam ille, quod bonus Christianus sit, id sibi non sumeret, ut perfidam veneno conficiat aut aliam privatam (injustam ac prohibitam) ultionem ex ea petat, tamen quis dubitaverit, eundem viis legalibus usurum fore, ut perpetuo divortio nequissimam a se repellat, eamque infamibus suis libidinibus imputrescere permittat? At si maritus a me memoratus tanta virtute esset, ut infelici statu miseræ desertæque conjugis tactus ad misericordiam ejus semet excitaret & absque ullius lucri caussa prior eidem per prudentes arbitros significari curaret, se pristino eam statui reddere non dedignaturum; immo si invitam ac reluctantem ad reditum sollicitaret addito distincto promisso, se eam amanter excepturum esse: quid, quæso! diceretis? . . . Subridere mihi ad hanc hypothesin, utpote moraliter impossibilem, innuereque omnes videmini, talem virum chimæricum quid esse. At, O mei! non solum, quod posui factum, moraliter impossibile non est sed in singulos adeo dies fit, & sponsus ille, quem finxi, non chimæra est sed persona realis. Quin fidem vestram animate, faciamque, ut rem manibus palpetis: Edicite, quid aliud est anima gratia fruens respectu Dei, quam sponsa infinito quodam amore ab ipso dilecta? Hoc illam esse nobis Canticum Canticorum declarat, & clare Dominus hujusmodi animam per prophetam Oseam perpetuam sponsam suam (quantum in ipso est) esse pronunciavit: *Sponsabo te mihi in* (s) *sempiternum.* Quid audet anima illa, dum uni pluribusve peccatis mortalibus consentit? In prædam utique sese dæmonibus, perfidissimis & pertinacissimis Dei hostibus dat. Jam quid Deus noster maximus de perfidissima sponsa hac a se (divino sponso) tot favoribus, quot dona gratiam divinam comitari solent, cumulata quid, amabo! facit? Ah videte, O mei! utrum factum a me allegatum chimæricum quid an vero Fidei adeo nostræ articulus a Jeremia expressus, sit; & temperate (siquidem potestis) lacrymis: *Vulgo dicitur*, exclamat Dei nomine Propheta, *vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta & contaminata est mulier illa? Tu autem*, perfida! *fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Infelix, perfida omnem montem excelsum impudicitiis polluit, & sub omni frondosa quercu fætorem adulteriorum suorum post se reliquit (sic prosequitur Propheta) *Abiit sibimet super omnem montem excelsum & sub omni ligno frondoso,*

(p) Joan. 6. (q) Joan. 15. (r) Sess. 6. can. 3. (s) Osee 2.

& fonricata est ibi (t) *Et dixi, cum fecisset hæc omnia: Ad me revertere!* O Deum meum misericordissimum! . . . Quid jam vobis videtur, Auditores mihi longe charissimi! Chimericumne quid an vero Fidei articulus est, sic cum anima peccatrice, perfida & spiritualis adulterii rea Deum nostrum agere? . . . Jam vero quoties Deus sublime hoc & se solo dignum misericordiæ opus, qua prior peccatorem ad resipiscendum invitat, quoties illud in singulos dies exercet? Certe toties, quot mortales in mundo se convertunt, & de statu peccati ad statum pænitentiæ veræque contritionis transeunt.

Atque ut melius nimiam hanc misericordiam, quæ peccatores ad pænitentiam vocat, cognoscatis, problema aliquod vobis proponam, quod ex mente duorum maximorum, quibus Ecclesiæ gloriari licet, Theologorum (nimirum SS. Augustini & Thomæ) explicabo. Est autem problema sequens: Quanam re misericordia Dei sese magis ostendat, an creando animas in gratia ac justas, an vero easdem, si peccaverint, justificando? Primo equidem obtutu videri posset, quod (habito respectu ad donum illud magnum, quale gratia Dei est juncta donis omnibus Spiritus sancti, quæ illam sequuntur) hujus incomparabilis thesauri concessio animæ Esse incipienti, quin ullum meritum vel habeat vel habere possit, facta (videtur, inquam) quod hæc misericordiæ demonstratio respectu nostri multo major altera sit: Attamen contrariam sententiam citati a me gravissimi Theologi, quibus reliqui omnes consentiunt, tenent pertenduntque, multo re vera majorem misericordiæ effectum animæ peccatricis justificationem esse; nam primo (quod ad gratiæ & reliqua, quæ gratiam comitari solent, dona attinet) eadem dona & animam justam (in primo suo Esse ut justam creatam) & eadem animam ex peccatrice, qualis fuit, justificatam constituunt: atque in hoc beneficium æquale esse deprehenditur. Secundo, etsi vere affirmemus: animam in gratia creatam nullum meritum habere; & anima peccatrix, quæ a Deo per pænitentiam justificatur, non solum nullum meritum habet sed etiam peccatum contraxit originale demeriti omnis principium, sed etiam tot positiva personalia demerita affert, quot peccata lethalia admisit: Hinc si talem animam Deus ad pænitentiam, cujus ope illa gratiam consequatur, vocat, ecce! confestim multo major divinæ misericordiæ in hanc animam, quam illam in gratia creatam, effusio apparet atque invenitur. Ita D. Augustinus, cui S. Thomas concinit: *Judicet, qui potest, utrum majus sit justos creare, quam impios justificare? Certe si æqualis est utrumque potentiæ, hoc majoris* (u) *est misericordiæ.*

Quanquam a me hucusque dicta plusquam sufficere queant, ut infinitam Dei misericordiam aliquatenus comprehendatis, dicique ultra nihil posse videatur; tamen alia consideratio restat sacris similiter Scripturis nixa, quæ nos longius fert. Advertite animos: Non satis habet Deus, quod prior pacem peccatoribus proponat, prior eos invitet & ad se suaviter trahat; sed etiam invitationi & vocationi suæ, ac si eorumdem amicitia opus haberet, stupenda plane promissa addit: id quod nemo fecerit, nisi qui in amicitia alterius sua commoda posita esse adverterit, Et tamen Deus noster optimus maximus, qui nullius (quiscunque ille sit) vel indiguit vel indiget vel indigere unquam potest, peccatoribus, si ad se revertantur, promissa supra modum miranda facit; Percipite illa in unum quasi fasciculum redacta ex libro Deuteronomii (x) *Si audieris vocem Domini Dei tui . . . faciet te Dominus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra: Venient super te benedictiones istæ . . . Benedictus tu in civitate & benedictus in agro: benedictus fructus ventris tui & fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum & caulæ ovium tuarum: benedicta horrea tua & benedictæ reliquiæ tuæ.* Immo ut majora etiam significet Dominus, eloquentissimo quodam reticentiæ genere usus

(t) *Jerem. 3.*
(u) *S. August. Tract. 72. in Joannem, & S. Thomas 1. p. q. 43. art. 4.*
(x) *cap. 28.*

fus peccatoribus per prophetam Malachiam dixit: *Convertimini & videbitis, quid sit inter justum & impium, & inter servientem Deo & non servientem ei* (y) O mei! quantum sibi verba hæc Dei ex ore fluentia volunt! Si Rex aliquis multarum opum, potentiæ maximæ, liberalitatis summæ diceret: Redite ad obsequium meum & videbitis, quid inter servientem mihi & odientem me, inter eum, qui se mihi subdit, & eum, qui hostium meorum partes sequitur, intersit; nonne verbis istis nescio quæ præmia significaret iis præparata, qui se colerent. Sic fere Deus noster misericordissimus facit; Venite, peccatoribus dicit, *Convertimini & videbitis* vestris oculis, ipsimet dijudicabitis, *quid sit inter justum & impium, inter servientem Deo & non servientem ei.*

Et reliquit nobis Dominus rei hujus documentum in variis Evangelii locis, quibus, quantum gaudium ex peccatoris ad se reditu percipiat quantaque cum charitate eundem excepturus occurrat, significavit: Hujus generis est parabola tenerrima filii prodigi resipiscentis: hujus generis parabola amoris plena ovis errantis, a pastore bono recuperatæ: hujus generis parabola drachmæ perditæ, a muliere inventæ, quibus omnibus Dei de peccatoris recuperatione lætitia, gaudium ac jubilatio figurate exprimuntur, adeo ut etiam pronuntiarit: *Gaudium erit in cælo super uno peccatore pænitentiam agente, quam supra nonaginta novem justis* (z) *qui non indigent pænitentia.* Plurane dici a quoquam, qui peccatorum conversione etiam egeat, possent? Edicite, O mei! edicite!

Jam post has omnes solidissimas, verissimas atque catholicas considerationes a me propositas, ut pro modulo nostro infinitam Dei misericordiam caperemus, fierine posse putatis, O mei! ut sint adhuc peccatores, qui reverti ad Deum detrectent: qui Fidei expressiones de nimia inæqualitate effectuum misericordiæ divinæ, si cum effectibus justitiæ comparentur, a me allatas parum curent: qui eo nihil commoveantur, quod ipse Deus in assumpta humanitate sensibilem nobis commiserationem impendere voluerit: qui invitationibus, quibus eos infinita majestas Dei prior advocat, aures præbere renuant: qui ad promissa Dei (si mores in melius commutare voluerint) nihil animum advertant: qui (ut paucis dicam) charitatem & benevolentiam, quacum eos revertentes excepturum se Dominus pollicetur, aspernentur? . . An ejusmodi refractarios peccatores esse etiamnum posse arbitramini? Ah! Vereor, ne etiam meos inter Auditores plures existant, qui, cum hæc omnia perceperint, tamen immorari longius peccatis suis & in Dei offensionibus per aliquot saltem temporis spatium pergere in animum instituunt . . Nequit tanta perfidia nisi duobus e fontibus oriri, sive quod se a misericordia illa summa repellendos esse metuant (Qui metus quam a ratione alienus, quam cæcus, quam homine catholico, qui, quæ hucusque dixi, percepit, indignus sit, videtis) sive quod eidem ipsi misericordiæ præfidentes in explendis brutis suis affectionibus insistere longius velint dicentes: Tanto me tempore expectavit Dominus, expectabit aliquanto adhuc: quæ sententia heu! quam inhumana, ingrata, injuriosa & ad ejusdem misericordissimi Dei iram terribilem accendendam idonea est! Hoc sequenti sermone patebit.



(y) *Malach.* 3. (z) *Luc.* 17.

SERMO VII.

De abusu misericordiæ divinæ, cujus reos se faciunt, qui peccare pergunt freti spe, fore, ut veniam scelerum suorum ab eadem misericordia consequantur; deque irritata in hujusmodi justitia divina.

Quemadmodum Dei misericordia animabus bene aut saltem non omnino male dispositis esse excitamento solet ad eandem multa cum fiducia confugiendi, ut illa adjuvante, si quidem bonæ sint, magis magisque in melius mores commutent; si vero peccatrices, emendationis adjumenta sibi expetant: ita quibusdam male dispositis & peccatis suis expedire se negligentibus animabus eadem misericordia occasio fit, ut non sine enormi ejusdem misericordiæ abusu pessimaque illius fiducia pravis suis in consuetudinibus perseverent, dicentes cum impiis illis, de quibus propheta Amos (a) meminit: *Non veniet super nos malum.* Hos præsenti sermone impetere institui, ut tum SS. Scripturarum auctoritate tum ipsa ratione persuasi cognoscant, hanc certe esse planissimam ad perniciem sempiternam viam.

Ante alia omnia advertatis velim, Dilectissimi! de eo hoc in loco agi, ut intelligamus, quomodo Deus erga eos, quos pono, peccatores, affectus sit; quod cum certo nisi ex ipsis verbis Altissimi cognosci non possit, ob id necesse esse videtur, hinc potissimum sermonem ordiri. Primus omnium Paulus Apostolus ejusmodi peccatoribus se se opponit, trahens post se fidissimum & doctissimum interpretem suum S. Joannem Chrysostomum: Adesdum, Apostolus ait, quicumque ad Deum converti negligis, & thesauris patientiæ ac longanimitatis divinæ confidens mores emendare differs! Nescisne, ideo Deum sic tecum agere, ut tu ad seriam pœnitentiam animum des? *An divitias bonitatis ejus & patientiæ* (b) *& longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Scias te duritia tua, dum victas manus dare patienti ac misericordi Domino contumax renuis, & thesaurum bonitatis ejus contemptui habes, alium thesaurum (scilicet thesaurum iræ) adversus temetipsum accumulare: *Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Audistis Paulum: audite & Chrysostomum: *Postquam* Paulus (ait magnus hic Doctor) *Dei patientiam laudavit & ostendit, ex ea maximum lucrum* cito *attendentibus accedere* (*hoc autem erat, peccantes ad pœnitentiam trahere*) *timorem auget*: *Sicut enim iis, qui ejus patientia, ut par* (c) *est, usi fuerint, caussa salutis est, ita contemnentibus* & emendationem procrastinantibus *majus supplicium affert.* Dicito, subjungit S. Doctor, dicito, quod a peccatoribus vulgo dicitur: Est misericors Dominus; pollicetor tibi, quantum libuerit, esse Deum patientem, esse benignum, nec pœnas exigere. Hoc faciens quid aliud quam supplicia auges: *Hoc enim est, quod circumfertur, Deum benignum & patientem pœnas non repetere; cum autem hoc dicis, nihil dicis aliud, quam quod supplicium augeatur.* Dicat ille voluptuarius: Bonus est Deus, exspectabit adhuc paululum, donec juvenilis ardor decrescat; *Thesaurizas tibi iram: supplicium tuum augetur.* Dicat ille fraudator creditorum suorum: Misericors est Dominus, dissolvam æs alienum, postquam hoc vel illud consilium perfecero; *Thesaurizas tibi iram: supplicium tuum augetur.* Dicat illa pessimæ frugis fæmina: Benignus est Deus, aliquanto post amoribus illis, illi amicitiæ, illi cætui valedicam; *Thesaurizas tibi iram: supplicium tuum augetur.* Dicant talia peccatores excæcati, dicant: Redibo ad frugem, revertar, deseram peccatum suo scilicet tempore, postquam huic vel illi promisso meo fecero satis, postquam hæc

(a) *Cap. 9.* (b) *Rom. 2.* (c) *Homil. 5. in Epist. ad Rom.*

hæc, illa negotia ad exitum perduxero: *Thesaurizatis vobis iram in die iræ: supplicium vestrum augetur.* Vos ingratos, immemores beneficiorum Dei, improbos! pergit S. Chrysostomus, *hanc benignitatem Deus exhibet, ut a peccatis te eximas, non ut peccata accumules; si id non feceris, terribilior erit ultio . . . ideo ait: Thesaurizas tibi iram.* Ita profecto thesaurizas tibi iram eo fere modo, quo quis magnam solidorum summam conficere volens nummis nummos seponens accumulat: Sic & tu dum cælestes iras tibi reponis, tu (inquam) non Deus, adversus temetipsum indignationis divinæ thesaurum accumulas: *Vide, quam proprie verbis utatur: Thesaurizas, inquit, tibi iram, omnino repositam iram ostendens; & non judicem, sed eum, qui judicatur, illius esse caussam: tibi, inquit, thesaurizas, non Deus tibi.* Quapropter in hæc verba S. Bernardus concludit: *Thesaurizas* (d) *tibi thesauros iræ pro prorogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis, & evacuas in te misericordiam Dei.*

Atque ut melius & distinctius videatis, qualiter Deus in hoc casu sese habeat, nimirum quod plane cogitet confutare vanam eorum fiduciam (verius dixero) præsumptionem, qui misericordia divina stulte confidentes peccare pergunt, pænarum immunitatem sibi a justitia pollicentes; sciatis velim, Deum differre revelasse, se res omnino sic ordinaturum, ut hujusmodi homines in ea ipsa supplicia incurrant, a quibus se exemptum iri crediderunt. Percipite notatu dignissimum locum Jeremiæ prophetæ Dei nomine loquentis, qui, postquam in vitia populi Israelitici (præsertim in impudicitias illius, adulteria aliaque scelera) invectus esset, subjungit: *Et* post hæc omnia *dixerunt. . . . Neque veniet super nos malum; gladium*, qui nos occidat, *& famem*, quæ nos conficiat, *non videbimus; Prophetæ in vanum* (e) *locuti fuerunt, & responsum non fuit eis.* Ecce casum vestro quam simillimum, O præsumptuosi peccatores, si qui adestis! Pergitis peccare, pergitis satisfacere affectionibus vestris, & dicitis: Oh! non exiget pœnas misericors Deus: *Neque veniet super nos malum.* Clamant præcones verbi Dei, & raucescunt clamando, ne solam misericordiam sed & justitiam spectetis; at ventis verba dant, non audiuntur: *Prophetæ fuerunt in ventum locuti & responsum non fuit eis.* Nonne hic ipsissimus casus vester? Jam autem Dei responsum accipite: Sic isti quidem sentiunt, ait, at faciam ego, ut iisdem, quas se vitaturos sperabant, calamitatibus opprimantur: *Hæc ergo evenient eis; Hæc dicit Dominus: quia locuti estis verbum istud, ecce! ego do verba mea in ore tuo in ignem* (quasi flammam voracem) *& populum istum in ligna* (arida) *& vorabit eos.* Et quoniam dixerunt: Hostiles se gladios, quibus interficiantur, atque famem, qua enecentur, declinaturos, *ecce! ego adducam super vos gentem de longinquo . . . pharetra ejus quasi sepulchrum patens, & comedet* (non solum) *segetes tuas & panem tuum; devorabit* (etiam) *filios tuos & filias tuas; comedet gregem tuum & armenta tua; comedet vineam tuam & ficum tuam; & conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio.* Ecce! sperabant miseri illi, evasuros se gladium, & gladio ceciderunt; sperabant se vitaturos famem, & fame periverunt: *Hæc ergo evenient illis.* Sic & vos, O peccatores! qui misericordia Dei freti peccare pergitis, illam vobis impendendam esse creditis, & non impendetur: *Hæc ergo evenient illis.*

Percipite alium quoque locum Isaiæ Prophetæ, qui tametsi allegoricus sit, non minus tamen terroris habet: *Audi hæc* (O civitas) *quæ habitas confidenter, quæ dicis in corde tuo: Ego sum, & non est præter me amplius: Non sedebo vidua & ignorabo sterilitatem*; Hem! siccine in perfidia te tua amas? *Venient tibi duo hæc* (ipsa) *subito in una die, sterilitas & viduitas* lugendo malorum exercitu stipata: *Universa venerunt* (f) *super te.* Quid ad hæc vos, O mei! . . . . Sed ut alios Prophetas, quos citare possem, prætermittam, unum solum audite Prophetam Amos: *In gladio*, ait, *morientur omnes peccato-*

(d) *Serm. De tripl. miseria.* (e) *Jerem. 5.* (f) *Isai. 47.*

catores populi mei; At quinam potissimum? Ii, *qui dicunt: non appropinquabit* (g) *& non veniet super nos malum*, non appropinquabunt, neque ruent in nos cælestis vindictæ fulmina. Et quinam sunt, Dilectissimi! qui talia ore ferunt? Ii haud dubie, qui de divina misericordia præsumunt, & emendationem morum in dies extrahunt, ut suas interim inordinatas cupiditates explere possint; His potissimum ait Dominus: *In gladio cadent omnes peccatores populi mei, qui dicunt: non appropinquabit, & non veniet super nos malum.* Jam his clarissimis & manifestis S. Scripturæ locis quid oggeri potest? Anne fallax est & periculosa, an vero non (Edicite! quæso) spes illorum, qui Superum misericordia freti peccare pergunt?

Quamvis adducta a me hucusque oracula divina plusquam sufficere existimem, ut cognoscatis, quo animo erga memoratos peccatores Deus sit (scilicet quod iisdem non jam impendere misericordiam sed per justitiam suam ulcisci eos paret) tamen bona vestra cum venia aliud insuper effatum sacrum in medium proferam, quod libro Ecclesiastici inseri Spiritus sanctus voluit. Audite, quæso! quam accurate miseros hos ac flebilem in modum errabundos ille depinxerit, & quæ eisdem eventura prænuntiarit: *Ne dixeris*, O peccator! *peccavi, & quid mihi accidit triste* (Ecce! hoc maxime laudatis a me oraculis homines istius farinæ objiciunt) *Altissimus enim est patiens redditor*: *De propitiato* (a te admisso nec castigato) *peccato noli esse sine metu, neque adjicias* (hoc ipsissimum faciunt ii, quos præsenti sermone exagito) *peccatum super peccatum*: *Et ne dicas* (En id ipsum, de quo hoc loco maxime agimus) *Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur*; *Misericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius*: Quapropter *non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Nonne hæc exhortatio omnis, O mei! a Spiritu sancto dictata casum, quem nos posuimus, omnibus suis partibus continet? Nonne eadem admonitio peccatori de divina misericordia præsumenti atque ob id redire ad frugem tardanti metum incutere debet? Nonne hic S. Scripturæ locus a Deo in peccatores præsumentes & de cælesti misericordia male confidentes consulto exaratus esse videtur? Nemo hoc, credo, inficias iverit. Jam vero an in relatis a me verbis vel unum est, quo innuatur, Deum eos toleraturum, qui misericordiæ divinæ præfidentes peccare pergunt? Istud ne una quidem syllaba proditur, sed enim ex parte omnino contraria eisdem dicitur: ne in misericordia Dei confidant: invigilare iram Numinis: ex improviso vindictam Superum erupturam: Ne ob hoc ipsum emendare se de die in diem differant. Jam autem quid de illis peccatoribus fiet, qui hac quam sibi perperam fingunt, misericordia male freti corrigere se in melius non solum *de die in diem* sed etiam *de mense in mensem, de anno in annum* differunt? Quid aliud sibi hi exspectent, quam quod *subito veniat ira illius, & in tempore vindictæ disperdat eos* Dominus? . . . Qua ratione stare fallacissima fiducia hæc poterit, cum oracula verbi divini apertissime repugnantia habeamus?

Aut putatis, Deum haud jure atque merito eos confundere, qui de misericordia cælesti stulte præsumunt, ut lædere majestatem Dei pergant? Nunquid opus est Deo horum tolerare perfidiam, ut cælestis misericordia videatur atque elucescat: *Nunquid indiget Deus vestro mendacio*, ait Jobus, *ut pro illo* (h) *loquamini dolos?* Nunquid misericors esse non videbitur Dominus, nisi injurias, quas eidem præ fiducia bonitatis ejus infertis, dissimulet? Nunquid misericors esse non existimabitur, nisi dolosa, quibus bonitatem ejus deprædicatis, encomia fortunarit? Edicite mihi, ait S. Augustinus (i) quæ major est misericordia, quam peccatorem ad se cito redeuntem excipere & præteritarum offensarum memoriam

(g) *Amos 9.* (h) *Jo 13.* (i) *Enarr. in Psalm. 54.*

riam in omne ævum deponere: *Nemo sibi multum de misericordia Dei blandiatur. . . Nunquid dicimus, non esse misericordem Deum? Quid misericordius eo, qui parcit tantum peccatoribus, & qui in omnibus conversis ad se non curat præterita?* Ac si diceret: Sunt Deo innumera testimonia, quæ infinitam eius misericordiam indesinenter concelebrant; nam quidquid ille a primo creationis momento ad hoc usque temporis punctum speciei contulit humanæ, id omne a sua misericordia promanavit, cum nemini quidquam vel debuerit vel debeat vel etiam debere possit; At in hoc apparet maxime atque elucescit hæc ipsa misericordia, dum peccatorem ad se animo contrito redeuntem tam amanter recipit; qua re splendidissimum misericordiæ genus contineri S. Augustinus pluribus in locis affirmat. Hinc si Dominus tela vindictæ suæ in eos peccatores coruscaverit, qui cælesti misericordia abutuntur, dum sub ejusdem umbra peccata peccatis adjiciunt, nunquid, putatis, misericors esse cessabit? Nequaquam. Nam quisquis Deum peccatis ignoscere usque voluerit, is tolli in illo a misericordia justitiam vult: *Sic eum dilige misericordem, ut eum esse velis veracem; non enim misericordia potest illi auferre justitiam.* Jam vero si Deus in hoc seculo omni tempore misericordia sua uteretur, quandonam, obsecro! in illo suam proderet justitiam? Et cum misericordiam, eamque oppido excelsam, peccatoribus corde pænitenti cito ad se revertentibus adhibeat, si eandem iis quoque, qui sub umbra ejusdem misericordiæ peccare pergunt, adhiberet, in quos demum justitiam exercitaturus esset? Non in priores, non in posteriores: In quos igitur? Quapropter observari debet, S. Scripturam, dum misericordiam Dei effert, simul manum Domini dextram justitiæ plenam agnoscere (*Justitia plena est* (k) *dextera tua*) eandemque provocare, ut omnes universim peccatores adoriatur: *Dextera tua inveniat omnes* (l) *qui te oderunt.* At si manus Domini, cum peccatoribus cito ad frugem reversis parcat; etiam peccare pergentes non corriperet, quos demum apprehensura esset? Ecce! qui nimirum sibi de misericordia Dei pollicentur, monet denuo S. Augustinus (m) cum animis suis Deum faciunt injustum: *Quoniam qui multum sibi pollicetur de misericordia Dei, surrepit in animum ipsius, ut faciat injustum Deum.* Lubetne hoc propius inspicere, pergit S. Doctor, Accipite.

Quæ hæc, amabo! justitia foret, si quis contenderet, idem prœmium eandemque mercedem Deum dare debere iis, qui in peccatis perseverant & offendere Superos pergunt, quam illis largitur, qui sibi serviunt atque obtemperant? Hæccine justa & æquitati consentiens distributio foret, O mei! . . . Quid, dicet aliquis non omnino rationis expers, Quid? Hoc rerum invertere ordinem: hoc Deum acceptatorem personarum facere: hoc alere sibi injurias: hoc (verbo) patrocinari iniquitati foret: Et accipere merentem prœmia, & pœnas luere reum oportet. Jam quodnam prœmium eos manet, qui Deo semper fideliterque obediunt aut si forte eundem offenderint, confestim corde humili atque contrito veniam postulantes ad ejusdem servitium obedientiamque revertuntur; Scilicet hoc, quod peccatorum remissionem unaque cum illa animæ salutem consequantur (Sic S. Scripturæ, sic SS. Patres, sic Ecclesia sancta docet) Jam si Deus idem prœmium iis largiretur, qui de misericordia præsumentes offendere Numen suum pergunt, certe memoratæ a me inconvenientiæ sequerentur; nam qua ratione jam verum esset: *Justitia plena est dextera tua . . . .* Ecce validissimum S. Augustini argumentum! *Et justum hoc erit, ut ibi te ponat perseverantem in peccatis, ubi positurus est illos* (n) *qui recesserunt a peccatis? Sic vis injustus esse, ut & Deum* tecum *facias injustum?* Quid cogitas, O impœnitens! *Quid vis ergo convertere Deum ad voluntatem tuam? Tu* potius, uti debes, *convertere ad voluntatem Dei*, quæ in eo consistit.

(k) *Psalm.* 47. (l) *Psalm.* 20. (m) *Enarr. in Psalm.* 60. (n) *Loc. cit.*

sistit, ut ocyus pœniteas relictoque peccato ad sanctæ legis ejus observantiam revertaris. *Tu convertere ad voluntatem Dei.*

Huic argumento novam eamque non minus nervosam considerationem adjicit vetustissimus, acutissimus maximæque auctoritatis scriptor Tertullianus, inquiens: Si Deus legis suæ violationes (eas præprimis, quæ per prætextum misericordiæ suæ fiunt) dissimularet, nec in fraudulentos transgressores animadverteret, quomodo, obsecro! Zelum suum anxiamque sollicitudinem, qua legem suam observari optat, ostenderet? Ponite, Regem publicari legem aliquam jussisse addito severo districtoque præcepto, ut illa ab omnibus servetur, atrocesque pænas in violatores constituisse, adeo ut summum, quo decreto suo obtemperari vult, desiderium modis omnibus prodiderit: Jam si post hæc Rex, quem posui, ita dissimulanter, ita (ut sic dicam) frigide pro indole sua benignissima se gereret, ut certior factus esse quamplurimos, qui non solum occasione vel casu dato & (si magis placet) *per accidens* legem latam infringerent, sed esse transgressores memoratæ sanctionis perpetuos, & ob eam maxime caussam tales, quod regiæ patientiæ in se tolerandis præfidant: quantum, amabo! ejusmodi violatores Principem obstringerent, ut contra eos potissimum Zelum suum seriamque de legis suæ observantia voluntatem ostendat, eaque re utique coactum se sentiret Princeps, ut in illos exemplum statueret severeque animadverteret. Istud ni faciat, anne asseri unquam potuerit, inesse revera Regis animo illam de observatione legis sollicitudinem, quam in ejus promulgatione significavit?

Redeamus modo ad propositum & Tertulliani argumentum nobis accommodemus: Deum sanctissimum & sapientissimum legislatorem infinito quodam studio legis suæ observantiam appetere, tam certum atque exploratum est, quam certa Fides nostra; quam certum, quod Deus, cum recti omnis origo ac fons sit, peccatum improbare omnino debeat: Cumque præcepta Decalogi omnia legis naturalis (hoc est: legis ejus, quæ res natura sua malas & actiones non ob id malas, quia prohibitæ sunt, sed ob id prohibitas, quia intrinsece malæ sunt, interdicit) sint, Deus non potest non habere infinitam quamdam sollicitudinem, ut ne illæ perpetrentur, in cujus rei significationem violatoribus non leviores quam infernales pænas intentat. Præterea cognosci a Deo illos, qui memoratum in modum peccant tam certum, quam certum, quod is immensam omnium creaturaram suarum cognitionem habeat: *Omnia nuda & aperta sunt, oculis ejus.* Hinc fraudulentam eorum de sua misericordia fiduciam Deum cernere tam certum, quam certum, quod sit Deus *scrutans renes & corda.* Quapropter Deus (nisi eum, Deum legis suæ negligentem, dicere velimus) necessitatem sibi impositam sentire debet, gravibus pænis hos præsidentes & præsumptuosos peccatores coercendi: *Si enim neque æmulatur neque irascitur neque damnat neque vexat, quomodo illi disciplinarum* (o) *ratio consistat?* Debet itaque Deus etiam ob id peccatores de sua bonitate præsumentes confutare atque punire, ut se justum sanctæ legis suæ Zelatorem ostendat.

Alioquin si Deus, pergit acutus plurimæque eruditionis argumentator noster Tertullianus, alioquin si Deus videt per dissimulationem suam peccatores indies pejores fieri, qua ratione dici poterit, eum Deum infinite bonum esse, cum ex illius bonitate homo sibi sumat in pejus indies labi: *Quis est iste tam bonus Deus* (p) *ut homo ab illo malus fiat?* Bonus nec fovere malum nec patrocinari eidem potest, præsertim si potestatem ac jus illud puniendi habeat. Qua de re cum bonus Deus, immo solus bonus (*Nemo bonus nisi solus Deus*) quin etiam solus optimus sit, debet utique, si a fiducia suæ misericordiæ ali malum videt, ejusdem fiduciæ vanitatem futilitatemque ostendere, severam justitiam suam adversus illam exercendo.

Atta-

(o) *Tertull. l. 2. contra Marc. c. 16.* (p) *Loc. cit. c. 5.*

Attamen videmus (hoc multi vestrum objicere mihi videmini) attamen re vera videmus, quam plurimos peccatores a Deo tolerari, immo etiam fortunari & bonis temporalibus in longa beari tempora. Quomodo igitur allata argumenta stringunt? Advertite animos!

Est hæc ipsissima cogitatio, quæ Prophetam Jeremiam adeo olim occupavit, ut sequentes Deo querelas dirigere in animum induxerit: Justus quidem tu es, Domine! erisque semper, quascunque querelas, utut mea opinione justas, ad te effudero: *Justus quidem tu es, Domine! si disputem tecum; veruntamen justa loquar* (q) *ad te: Quare via peccatorum prosperatur*, quare *bene est omnibus, qui prævaricantur & inique agunt?* Indies bonis augentur temporariis; indies majorem eorum vim sibi colligunt: *Plantasti eos & radicem miserunt; proficiunt & faciunt fructum.* Laudant te ob id labiis suis, & verbis prædicant bonitatem tuam; verum cor eorum, mens eorum multum alienata est a te: *Prope es tu ori eorum; & longe a renibus eorum.* At ego vitam afflictam, ærumnosam duco, etsi cognoscas innocentiam meam & expertus sis, quam bonum sit cor meum: *Et tu Domine! nosti me & vidisti me & probasti cor meum tecum* . . . . En ipsissimam objectionem vestram! Sed jam audite responsum. *Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica* (sacrifica) *eos in die occisionis.* Hoc profecto, O mei! hoc pœnarum omnium pessima, si peccatores in præsenti vita prosperantur: hoc evidens documentum, eos in die vindictæ (scilicet ferali in hora) ad interitum reservari in modum gregis armentarii, qui ubi morti destinatur, nullo jam jugo, nullo labore premitur sed liber per opima pascua errare permittitur, ut cæde sua lanienam clariorem reddat: *Firma eos* (ait magnus eruditusque Cardinalis Hugo) *impingua in statu prosperitatis in diem occisionis, quo eos occides sicut animalia, quibus liberius indulgentur pascua, ut ad immolandum fiant* (r) *pinguiora.* Et Gregorius maximus doctissimusque Pontifex (s) inquit: *Injustus ad debitam mortem currens effrænatis voluptatibus utitur; quia & vituli, qui mactandi sunt, in liberis pascuis relinquuntur:* Unde Isaias eandem metaphoram atque allegoriam prosequens ait: *Gladius Domini repletus est sanguine.* Cujus? *Incrassatus est adipe de sanguine agnorum & hircorum & medullatorum arietum* (t) Stillat vindex irati Numinis gladius, stillat cruorem, cruorem scilicet harum incrassatarum, impinguatarum, exsaturatarum bestiarum. Hinc reducta ad proprium sensum allegoria nostra S. Augustinus (u) concludit: *Intellexi, quare illi habent pacem & florent in terra; quia in morte eorum non est declinatio: id est, quia certa mors & æterna eis manet, quæ nec declinat ab eis nec ipsi declinare ab ea possunt.* Proh terribilem sententiam! Atque hoc ipsum, O mei! sentiunt omnes SS. Patres nixi formidando vaticinio Spiritus sancti: *Prosperitas stultorum* (peccatorum; etenim hi in libris sapientialibus quam sæpissime stultorum nomine compellantur) *prosperitas stultorum* (x) *perdet eos*; namque mala operatio puniatur plane necesse est, si non in hoc sæculo, certe in futuro: Et est hoc validissimum inter alia argumentum, quo post hanc præsentem vitam esse aliam, evincitur. Itaque ne vos, O dilectissimi! vana de patientia & misericordia Numinis fiducia, multoque minus impiorum in hoc sæculo fortuna ac beatitudo seducant, ut vestram conversionem procrastinetis; sunt illi *greges ad victimam*: pascuntur, *ut ad immolandum fiant pinguiores*: sunt *vituli, qui mactandi sunt*: sunt, *quibus certa mors & æterna manet, nec declinare ab ea possunt;* ut hac potissimum ratione jura justitiæ divinæ illæsa maneant, quæ si suum in hac vita non obtinuit, certe in altera repetet: atque ob eam rationem pœna hæc omnium maxime formidanda est. Quin igitur, Peccatores charissimi! si qui huic cætui miseri interestis, Dei in vobis tolerandis patientiam experti, quin cavete, ne abutendo misericordia cælesti thesaurum iræ divinæ vobis thesaurizetis, Dominumque tradere vos æternis iræ suæ

(q) *Jerem.* 12. (r) *Hugo in Jerem. c.* 12. (u) *Enarr. in Psalm.* 72. (x) *Prov.* 1. (s) *Homil.* 1. (t) *Isai.* 34.

fuæ effectibus in vita altera (ut fic dicam) compellatis. Tenete documentum, quod Spiritus fanctus Judithæ fuggeffit: Quoniam Deum erga nos patientem experimur, ob id ipfum nos ad eum confeftim nulla mora, nulla dilatione interpofita convertamur, cordeque pænitenti & fufis lacrymis veniam petamus: *Quia patiens Dominus eft* (y) *in hoc ipfo pæniteamus, & indulgentiam ejus fufis lacrymis poftulemus.* Immo, o Dominus meus & Deus meus! immo dolemus ex toto corde, quod non, ut par erat, tua in nobis perferendis patientia ufi fimus: hoc dolemus, Deus meus, hujus rei veniam ex animo poftulamus firmiffime proponentes, ocyus animas noftras fincera, pænitenti, integra culparum noftrarum Confeffione expiare, ut hac ratione ad te ftabili converfione reverfi Majeftatem tuam nunquam amplius offendamus. Amen.

(y) *Judith* 8.

SERMO VIII.

De Omnipotentia Dei.

Omnipotentia, de qua dicere hodie aggredior, pro ipfa nominis etymologia nil aliud fibi vult, quam *omnia poffe*: Omnipotens ergo dicetur is, qui omnia poffibilia poteft; Dixi: *Omnia poffibilia*; nam ad impoffibilia potentiam non effe ipfi facile videtis; Neque opponatis mihi: Videri, rem nullam effe poffe, quæ refpectu ad Deum habito impoffibilis dici queat. Etenim fi hoc in fenfu debito dicitis, bene dicitis; male vero, fi in fenfu non debito dicitis: Bene dicitis, fi id refpectu potentiæ feu virtutis divinæ dicitis, fcilicet nullam rem Deo impoffibilem effe; nam cum potentia illius infinita fit, nulla res eft, ad quam fe ea non extendat, modo res factibilis fit: Male dicitis, fi id refpectu rerum faciendarum dicitis, fcilicet etiam ea a Deo fieri poffe, quæ non factibilia & (quod fequitur) impoffibilia funt; nam hoc qui dixerit, Deum non jam omnipotentem fed enim chimæricum quid (uti S. Auguftinus monet) facit. Hinc res nonnullæ fieri a Deo non poffunt, quia fua natura in-factibiles funt: Hujus generis funt res omnes, quæ contradictionem involvunt, e. g. ut quis uno eodemque tempore, fimul & femel, vivus fit ac mortuus; homo fit & non homo; exiftat & non exiftat, aliaque, quæ impoffibilia effe & fieri a Deo non poffe dicuntur non ob defectum potentiæ, fed ob defectum termini ejusdem potentiæ, qui fieri non poteft; cum impoffibile fit, ut quis vivus fit fimul ac mortuus; homo & non homo; exiftens & non exiftens: Quæ res omnes cum chimæricæ fint, chimærica & non realis foret potentia, quæ talia poffe fingeretur: *Tanta non poteft, quæ, fi poffet, non effet* (a) *omnipotens.*

Sed neque alias res Deus poteft, quas poffe effentiæ non convenit divinæ, & quæ de omnipotente vera effe nec debent nec poffunt; cum is, qui eas poffet, omnipotens effe non poffet. Itaque Deus mori, mentiri, peccare, mutari, effe minor non poteft, & quæ funt fimilia; quandoquidem talia poffe non jam effectus potentiæ fed defectus ejusdem foret; nam poffe, quod malum, vitiofum, imperfectum eft, effectus eft imbecillitatis, miferiæ, deficientis perfectionis, non autem effectus virtutis, potentiæ, fortitudinis. Unde egregie S. Auguftinus (b) pronunciavit: *Ne quis me temere dixiffe arbitretur, aliquid omnipotentem non poffe . . . Non enim poteft juftitia velle facere, quod injuftum eft; aut fapientia velle, quod ftultum eft; aut* veri-

(a) *S. Auguft. ferm.* 213. (b) *Serm.* 213.

veritas velle, quod falsum est. Unde admonemur, pergit idem S. Doctor, *Deum omnipotentem . . . multa non posse* (idque sine detrimento immo cum confirmatione omnipotentiæ suæ) *Deus omnipotens non potest mori, non potest mutari, non potest falli, non potest miser fieri, non potest vinci: Ac per hoc non solum ostendit veritas, omnipotentem esse, quod ista non possit, sed etiam cogit veritas, omnipotentem non esse, qui hæc possit.* Nam (Ecce vobis solidissimum argumentum) nam quia Deus id est, quod esse vult, & quia æternus, immutabilis, verax, beatus, insuperabilis esse vult, ob id talis & est: Quod si esse posset id, quod esse non vult, utique omnipotens non foret. Verum quia revera omnipotens est, quidquid vult, potest, & ob eam rationem nequit esse id, quod esse non vult; quapropter in Psalmis dicitur: Quæcumque voluit Deus, fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis: *Volens enim est Deus, quidquid est; æternus ergo & incommutabilis & verax & beatus & insuperabilis, volens, est. Si ergo potest esse, quod non vult, omnipotens non est: Est autem omnipotens; ergo quidquid vult, potest; & ideo, quod non vult, esse non potest, qui propterea dicitur omnipotens, quoniam, quidquid vult, potest, de quo & psalmus dicit: Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra & in mari & in omnibus abyssis* (c)

Quæret aliquis ex me: qua de re Symbolum, cum Deus unus sit in essentia & trinus in Personis, omnipotentiam Deo Patri attribuat? *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem.* Facilis ad ista responsio est; non enim Pater omnipotens vocatur, ac si in ipso solo omnipotentia resideat; Nequaquam: cum & Filius & Spiritus sanctus omnipotentes sint, immo omnes tres Personæ non tres omnipotentias sed unam eandemque omnipotentiam possideant, uti eandem essentiam & substantiam habent: Dicimus igitur Patrem omnipotentem per appropriationem quandam respectu intellectus nostri, quemadmodum per eandem appropriationem Filio sapientiam, charitatem Spiritui sancto adscribimus, etsi eadem sapientia eademque charitas in omnibus tribus sit, uti eadem quoque omnipotentia & essentia est. Cur vero hisce appropriationibus utamur, percipite si lubet! Appropriamus sive attribuimus omnipotentiam Patri; quod ab ipso, ceu origine, reliquæ duæ personæ, scilicet Verbum ex intellectu & Spriritus sanctus ex voluntate Patris & Filii (uti alibi diximus) procedant: Pater autem a nullo procedat. Sapientiam deinde tribuimus Filio utpote ex intellectu Patris procedenti; quanquam eadem sapientia, quam illi adscribimus, in Patre & Spiritu sancto sit. Charitatem denique Spiritui sancto assignamus, utpote ex voluntate reliquarum duarum Personarum procedenti; tametsi eadem charitas, quam S. Spiritui attribuimus, in reliquis sit. Itaque quando Patrem dicimus creatorem, minime accipi a vobis eo sensu debet, ac si reliquæ duæ Personæ non una creent, & in creando una operentur; cum in ipsis tribus una divina sit & agendi concordia & eadem operandi efficacia: *Ita singulorum quoque in Trinitate opera Trinitas operatur, unicuique operanti cooperantibus duobus; conveniente in tribus agendi concordia, non in uno deficiente efficacia peragendi* (d)

Jam vero etsi effectus hujus omnipotentiæ numero careant, & in singula momenta a nobis experientia ipsa sentiantur; tamen illa in duabus maxime rebus apparet atque enitescit, primum in ordine naturali, dein in ordine supernaturali; nimirum si Deum (prout alibi diximus) tanquam auctorem naturalem & tanquam auctorem supernaturalem consideremus. Quod ad ordinem naturalem attinet; effectus, in quo maxime omnipotentia resplendet, creatio est hujus rerum universitatis; atque ob id in Symbolo voci *Omnipotentem* subdimus *Creatorem cœli & terræ.* Creare significat educere aliquid e nihilo; id quod fieri non potest nisi imperante virtute quadam omnipotenti & soli Deo propria, quæ ob id efficaciæ esse infinitæ debet, cum inter nihilum

(c) *Loc. cit.* (d) *S. August. serm. 71. de Verb. Dom.*

lum & τὸ *Esse* infinitum quoddam intervallum intersit, ita ut vel eo, ut exigua musca appareat atque e nihilo exeat, vis ejusmodi requiratur, quæ solo imperio det τὸ *Esse* ei rei, quæ *Esse* non habet & quæ, priusquam id accepit, non extitit. Hinc Moyses, universitatis creationem in sacratissimo *Genesis* (e) libro exponens, phrasi plane divina, quæ sapientissimos gentilitatis oratores hosque inter celeberrimum illum Longinum stupore affecit, usus ait, dixisse Deum *Fiat lux*; *& facta est lux*; *Fiat firmamentum*; *& factum est ita.* Et in hunc modum narrationem suam sacer scriptor prosequitur, cujus stylum maxime sublimem imitatus Psalmista inquit: *Ipse dixit, & facta sunt*: *Ipse mandavit, & creata sunt* (f) Jam vero, cum infinita Dei potentia vel musculæ unius productione prodatur; quanto magis ex eo apparebit atque elucescet, quod cælos cum omni ornatu suo; terram cum innumerabilibus, iisque genere ac specie inter se maxime diversis, viventibus; mare cum omni rerum in aquis viventium varietate; hominem una cum anima intellectuali; tot angelicorum Spirituum exercitus e nihilo condiderit: quod cælos ordinarit eorumque motus certissimos definierit, quibus dies, anni, menses computantur: quod mari terminos statuerit, ad quos allisi tumescentes illius fluctus evanescunt, quin positas consilio Superum metas transgredi audeant: denique quod res omnes, ut paucis dicam, quas cælum, quas terra, quas pontus (verbo) quas hæc universitas tota habet, e nihilo produxerit? Hinc Symbolum Nicænum apostolico adjecit: *Creatorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium.*

Neque hoc in loco dicere id juvat, quod malesano Hermogenis errore occæcata ingenia dicunt, Hermogenis (inquam) qui, quod infinitam omnipotentiæ virtutem concipere intellectu non potuerit, contenderitque plus non posse Deum, quam quod angustissima & fallacissima mens humana capere possit, affirmavit: Deum omnia ex materia quadam sibi coæterna effecisse; Qui error, præterquam quod sapientium virorum omnium risu exceptus sit, ab eruditis quoque Methaphysicis invictis evidentibusque argumentis est exterminatus. Etenim commentitia illa materia vel fuit a Deo creata vel non fuit: Si a Deo creata, ecce creationem in eo, quod extiterit: Si a Deo non creata fuit nec ab ipso quoad esse suum pependit, en sublatam penitus divinitatem, quæ pro sua notione quemadmodum non pendere a quacunque demum re debet, ita alia omnia sibi subjecta & a se pendentia habere debet: Ob eam rem memorata materia Deus quidam alter esset, distinctus ab illo, quem adoramus; ex quo ipso pluralitas Deorum flueret, quam naturali repugnare lumini sermone tertio demonstravi. Verum ineptias has iis relinquamus, qui easdem impietate duce, & ut ad Atheismum viam sibi pandant, nostris etiam temporibus ex vetustate ac tenebris denuo eruunt. Nos humili, firma ac catholica fide id confiteamur, quod Concilium æcumenicum Lateranense IV. Innocentio III. sanctissimo doctissimoque Pontifice Ecclesiam Dei regente celebratum canone primo professum est: *Unum universorum principium, creator omnium visibilium & invisibilium, spiritualium & corporalium; quia sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam.*

Sed transeamus ad alium effectum, in quo omnipotentia Dei tanquam auctoris supernaturalis egregie apparet. Quod si nunc ex vobis sciscitarer, O mei! qualemnam effectum hunc esse putetis, haud vane auguror, vos omnes aut ferme omnes quævis alia in medium allaturos fore, præ illo quod jam exponere vobis paro. Igitur sciatis velim, hunc effectum in eo consistere, quod Deus creaturarum intellectu præditarum, quarum e numero etiam nos sumus, arbitrium liberum gratiis suis infallibiliter subjiciat, idque ita,

(e) *cap. 1.* (f) *Psalm. 32.*

ita, ut non solum libertatem ejusdem arbitrii nulla ratione lædat sed eandem magis magisque perficiat. Atque ut intelligatis, Dilectissimi! quam mirabilis in hoc ipso appareat omnipotentia divina, animadvertite, si lubet, alias creatas res omnes ita divinæ potentiæ subditas atque obnoxias esse, ut immutabilibus Dei ordinationibus necessario subjaceant; quæ subjectio tantum abest, ut ipsis injuriosa sit, ut potius multum ad majorem earundem perfectionem conferat: Atque ita illæ divinis subjacent imperiis, ut etiam naturali sibique propriæ inclinationi renuncient (si quando de adimplendis dispositionibus divinis agitur) & ad earundem promptam accuratamque obedientiam rapiantur: Hinc corpus grave, quod pro naturali conditione sua ad inferiora tendit, confestim in altum se effert, ut jussa expleat divina: & corpus leve, quod pro ratione insitæ sibi naturæ in altum fertur, ad inferiora descendit, ut primum memoratarum dispositionum divinarum impletio hoc postularit. Ob eam rem egregie S. Petrus Damianus (g) pronunciavit: *Ipsa quippe rerum natura habet naturam suam, Dei voluntatem; ut sicut illius leges quælibet creata conservant, sic illa, cum jubetur, sui juris oblita divinæ voluntati reverenter obediat.* Neque vero ob id, subdit S. Augustinus (h) dici potest, memoratas creaturas contra naturam suam operari, cum id eo faciant, ut omnipotenti divinæ voluntati pareant, in cujus obedientia harum facturarum omnium natura ipsa maxime posita est: *Quomodo est contra naturam, quod Dei fit voluntate; cum voluntas tanti utique creatoris conditæ rei cujusque natura sit? Portentum ergo fit non contra naturam sed contra quam* (nobis) *nota est natura.*

Ast aliter cum creaturis intellectu & libertate præditis (Angelis nimirum & nobis) agit Deus, cum nostrum *Esse* hunc diversum agendi modum sibi maxime postulet: Quo in loco credatis nolim, omnipotentiam, dum operandi modum in nobis, quippe liberis, variat, ob id in certo effectuum, quos vult, eventu ulla ratione variare. Nequaquam; immo in hoc ipso omnipotentia divina plurimum apparet, nimirum quod consilia sua certissime atque infallibiliter in exitum deducat (relinquens de cetero in illis contingentiam respectu nostræ voluntatis) dum facit, ut voluntas libera certo & infallibiliter operetur simulque plenissima cum libertate operetur; immo dum facit, ut, dum sub omnipotentis gratiæ influxu voluntas libera operatur, una ejusdem libertas perficiatur. *Cum enim*, ut ait S. Augustinus (i) *Deus sit præscius voluntatis nostræ, cujus est præscius, ipsa erit: Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius, nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit: Non igitur per ejus præscientiam potestas mihi adimitur, quæ propterea mihi certius aderit, quia ille, cujus præscientia non fallitur, adfuturam mihi esse præscivit.* S. Augustino consentit S. Anselmus (k) Cantuariæ Archiepiscopus, dicens: *Quoniam quod vult Deus, non potest non esse; cum vult hominis voluntatem nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum, tunc necesse est, voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* Atque iterum S. Augustinus (l) pronunciat: *Voluntas libera tanto erit liberior, quanto sanior: tanto autem sanior, quanto divinæ misericordiæ gratiæque subjectior; libertas enim sine gratia non est libertas sed contumacia.* Hoc ipsum denique modo plane angelico S. Thomas explicat adjecto solido rei hujus argumento: *Cum enim aliqua* (m) *caussa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur caussam, non tantum secundum id, quod fit, sed etiam secundum modum fiendi vel essendi; Cum igitur voluntas divina sit efficacissima* ad operandum, & voluntas humana huic divinæ omnipotentiæ (ut caussa secunda caussæ primæ) essentialiter subjecta sit, *non solum sequitur, quod ea fiant, quæ Deus vult fieri, sed etiam quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult . . . Omnis actio voluntatis, in quantum est actio, non solum est a voluntate ut immediate agente, sed a Deo ut a primo agente, qui vehementius imprimit;* Unde

(g) *Opusc. 36. c. 11.* (h) *Lib. 21. de Civit. Dei. c. 8.* (i) *Lib. de Grat. Christi. c. 4.*
(k) *Libr. de Concord. præscient. & prædestinat. c. 3.* (l) *Epist. 157.* (m) *1. p. q. 9. art. 8.*

Unde (n) *sicut voluntas potest immutare actum suum, ita & multo magis Deus.* Accepit doctrinam hanc Doctor angelicus a S. Augustino, qui aperte declaravit: *Sic enim* (o) *velle vel nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat aut superet potestatem. Non est itaque dubitandum*, pergit idem S. Augustinus, *voluntati Dei, qui in cælo & in terra omnia, quæcumque voluit, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat id quod vult; quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, facit.* Unde idem sanctus Ecclesiæ Pater in hæc verba (p) concludit: *Habens sine dubio humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.*

Jam vero quem fructum, O dilectissimi! ex fide omnipotentiæ divinæ, quam vobis hucusque exposui, capere nos oportet? Tametsi plures inde utilitates nobis parare queamus, tamen duas potissimum esse existimo, quæ cum illa fide maxime cohærent ac connectuntur. Prima est, ut magnam in in orationibus, quas Deo offerimus, fiduciam habeamus; nam cum superioribus sermonibus infinitam Dei misericordiam ad nos pro necessitatibus nostris ad se clamantes exaudiendos promptissimam vobis explicuerim, cumque modo eidem misericordiæ omnipotentiam conjunctam esse confiteamur, qua ratione in nobis orantibus locus diffidentiæ relinqui ullo tempore possit, non video. Commovet Dominum infinita misericordia, ut nos adjuvare velit, omnipotentia obvias quas vis difficultates de medio tollit: hinc si vult Dominus, utpote misericors, omnia potest utpote omnipotens, omniaque eidem effectu facilia sunt, eja! firmiter speremus, fore, ut, quod pie, humiliter, constanter ab eo petiverimus, consequamur. Ob eam rem sanctam Matrem Ecclesiam orationes, quas divinæ Majestati offert, fere omnes Spiritu sancto auctore in hæc verba ordiri audimus: *Omnipotens & misericors Deus*, ut, dum Dominum omnipotentiæ & misericordiæ suæ memorem esse optat, ille Ecclesiæ concedat ea, quæ postulat; cum solari nos & velit & possit.

Altera, quam ex fide omnipotentiæ Dei percipere debemus, utilitas in quodam sancto & justissimo timore consistit, qui nos retrahat, quo minus eundem offendamus; nam cum omnipotentia misericordiæ juncta spem excitet, eadem justitiæ addita metum ciere debet . . . Quid, amabo! facit, quisquis peccat? Nonne sic cum omnipotente Deo agit, ac si is omnipotens (qualis tamen re ipsa est) non esset, nihilque mali nocentibus inferre posset. Ita profecto peccatores faciunt, non tam verbo quam opere teste Jobo dicentes Deo: *Recede a nobis; Et quasi nihil facere posset Omnipotens* (q) *æstimabant eum.* Et quicumque sic cum Omnipotente juxta ac Justissimo agit, nonne metuere debet, ne justissimæ vindictæ ejus telis configatur. Ita profecto, ait idem Jobus: *Videbunt oculi ejus interfectionem suam, & de furore* (r) *Omnipotentis bibet.*

Igitur si quando, O mei! sive diabolica suggestione sive mala animorum vestrorum propensione trahi vos ad aliquod peccatum mortale advertitis, dicite cum animis vestris: Quid? Deum meum omnipotentem lacessam ego? Deum, qui nutu uno vita privare me ipso in scelere; qui diabolorum legioni obsidendum me tradere; qui meis me spoliare facultatibus; qui derepente infernale in barathrum agere præcipitem me potest? . . . Et tametsi nulla me calamitas hac in vita excipiat, num ad alteram vitam transiens effugere unquam potero manus ejus? . . . Sic equidem se sapiens ille Eleazarus gessit. de quo liber secundus *Machabæorum* (s) meminit: Erat is inter primores Scribarum, vir per omnia venerabilis, qui a ministris Regis Antiochi incitatus, ut cibos sancta lege prohibitos comederet, violentiis eorundem constanter obstitit; quod advertentes nonnulli amicorum ejus facileque prospicientes, eundem renisus sui pœnas capitali supplicio expensurum fore, iniquo in eum amore acti persuadere eidem conabantur, ut comedere se memoratos cibos

(n) *Quæst. 22. de Verit. a. 8.* (o) *Libr. de Corrept. & Grat. c. 14.* (p) *Loc. cit.*
(q) *Job 22.* (r) *Job. 21.* (s) *c. 6.*

bos fingeret saltem, quo hac simulatione & ad speciem edictis regiis faceret satis seque imminenti morti subtraheret. Quibus ille plenus Spiritu sancto: Quid inquit, ego nonaginta annos natus & Scribæ dignitate insignis pessimi moris exemplum hoc junioribus præbeam, meque ob amorem miseræ hujus maximeque fragilis vitæ violatorem sanctæ legis fingam? *Nam etsi* (quod mihi restat vitæ perbreve curriculum) *in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar* (advertite, quantum momentum consideratio omnipotentiæ divinæ habeat) *sed manus Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam*: Hac senex optimus animatus fide martyrium atrox gloriose sustinuit. Sic & nos, O dilectissimi! sicubi ad offendendum Deum quocunque modo aut a quacunque demum persona sollicitamur, ad nos conversi nobis ipsis dicamus: Quid erit, si consensero? Primum lædo Dominum, qui non offensas sed enim totum plane amorem meum promeretur: Deinde post perceptam illam indignam voluptatem, post partum iniquum illud lucrum, post satiatas illas brutas libidines num effugere potero ejusdem omnipotentis Dei manus, quem offendere mihi sumpsi? Et cum Deum omnipotentem inimicum mihi habeam, num quietis, num tranquillitatis quidquam capere animo potero; cum me Deus ille eo ipso temporis puncto, quo peccato consentio, quo consensum expleo, statim post patratum delictum tollere e medio queat, adeo ut nec vivus nec mortuus omnipotentis hostis hujus manibus subtrahere memet possim? *Manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam.* Non sic, non sic: Absit usque ut peccem; absit ut Dei omnipotentis odium atque offensionem in me concitem.

SERMO IX.

De Providentia Dei, deque distributione bonorum & malorum temporalium.

Cum Deus noster optimus maximus prima rerum omnium effectrix caussa, quod superius explanavi, existat; eum inter (ut Deus ille, qualis est, reapse sit) & nos inter (ut creaturæ, quales sumus, simus) felix quædam necessitas intercedit faciens, ut nos invicem atque mutuo respiciamus; adeo ut & ipse (posito, quod nos subsistere velit) a respiciendo ac juvando nos cessare non possit: & nos (posito, quod subsistere debeamus) nostri conservationem non exspectare ab eo non possimus. Oritur autem felix ista necessitas in Deo quidem ex eo, quod in se ipso essendi omnisque perfectionis, quæ in creaturis invenitur, principium contineat; in nobis vero ex nihilo, quod unum a nobis ipsis habemus, & ex eo, quod *Esse* nostri (uti consequens est) continuationem (quam alio vocabulo *Conservationem* dicimus) atque ea, quæ hanc continuationem sequuntur, omnia a Deo exspectemus. Hinc sublimi non minus quam succosa phrasi Deus ipse auctorem libri *Sapientiæ* (a) pronunciare fecit: *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut, quod a te vocatum non esset, conservaretur?*

Itaque cum a solo Deo conservatio procedat creaturarum omnium, quæ, utprimum vel uno temporis puncto vis divina conservatrix influens cessaret, mox in primævum nihilum suum rediture essent; sequitur, Deum dum creaturas suas, ut sint, conservat, una eisdem pro ratione consiliorum, quæ de illis sua infinita sapientia formavit, providere. Quo in loco cum S. Thoma observetis velim, providentiam generali notione acceptam nil aliud esse, quam dire-

(a) c. 11.

directionem seu ordinationem rerum ad finem præstitutum: *Ratio ordinandorum in finem proprie providentia est* (b) atque ob id ille demum Princeps providentiam habere dicetur, qui res imperii sui ad tranquillitatis communis scopum ordinarit: Cum autem tranquillitas communis sibi postulet, ut & boni præmia accipiant, & mali pænas luant, idcirco Princeps, quem posui, non solum tum, cum probos præmiis sed etiam tum, cum improbos (ita exigente pacis communis ratione) suppliciis affecerit, providentiam exercebit; ex quo error ignaræ plebis apparet, quæ sub nomine providentiæ solas beneficas actiones accipere consuevit, & ob eam ipsam rem, dum aut bono desiderato privatur aut malum quoddam, quod culpis suis promeruit, sustinere cogitur, istam agendi rationem providentiæ nomine vocare non novit; cum tamen providentissimo consilio fiat, ut pænæ exigantur sive bona desiderata negando sive mala formidata irrogando, quandoquidem etiam hoc ipsum ad communem pacem quam maxime conducit; nam quæ demum stabilis quies haberi posset, si ii, qui facinoribus suis communem turbant tranquillitatam, ab imperante nec reprimi nec castigari deberent?

Jam (ut ad Deum transeat oratio nostra) statuimus primo, inesse in Deo respectu creaturarum suarum & maxime respectu nostri exquisitissimam ac plane divinam quandam providentiam; quæ cum sit rerum ad finem congruum ordinatio (ut superius monui) nec alium finem sibi propositum habere Deus possit quam semetipsum, nimirum suam gloriam: ob eam rem providentia Dei in eo consistit, quod creaturas suas ad gloriæ suæ manifestationem dirigat: *Omne bonum*; ait S Thomas, *quod est in rebus, a Deo creatum est: in rebus autem invenitur bonum, non solum quantum ad substantiam rerum sed etiam quantum ad ordinem earum in finem, & præcipue in finem ultimum, qui est bonitas divina. Hoc igitur bonum ordinis, in rebus creatis existens, a Deo creatum est; cum autem Deus sit caussa rerum per suum intellectum, & sic cujuslibet sui effectus oportet rationem in ipso præexistere; necesse est, quod ratio ordinis rerum in finem in mente divina præexistat . . . Ipsa igitur ratio ordinis rerum in finem providentia in Deo nominatur.*

Neque in animos vestros inducatis id velim, quod alii ignorantia, alii impietate seducti affirmant: Deum respectu principalium quidem partium hujus universitatis & etiam respectu nostri creaturarum suarum intellectualium (quod ad præcipuas nostras actiones & consilia attinet) providentia sua uti; de reliquo eundem, ut res pro ratione sive instinctus, sive propensionis suæ fluant, permittere, quin ad eas (ut sic dicam) animum advertat, quin de illis cogitet, quin ullo eas modo dirigat: Addunt istiusmodi homines, infinitæ Dei majestati aut injuriosum aut molestum fore, res quasvis minimas attendere atque ordinare, suo scilicet modulo Deum maximum metientes. Non sic, O mei! Non sic: (Occlamat primum Fides, deinde & ratio) Non sic se res habet; quin contra creaturis etiam minimis providentiam suam Deus adhibet, & unamquamque facturam ad finem gloriæ suæ dirigit, illa iis modis utens, qui ad gloriam suam facere possunt. Etenim in divino *Sapientiæ* (c) libro præcise dicitur, Deum omnes omnino res (nulla excepta) providentiæ suæ ope gubernare: *Tu autem, Pater, gubernas omnia providentia.* Et David impulsu Spiritus sancti actus, (d) in hæc verba canit: *Omnia a te exspectant, ut des illis escam in tempore: Dante te illis colligent; aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Oculi omnium in te sperant, Domine! & tu das escam illorum in tempore opportuno.* Alibi dein ad singularia descendens ait, Deum esse, *qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluviam: qui producit in montibus fœnum & herbam servituti hominum* (e) *qui dat jumentis escam ipsorum & pullis corvorum invocantibus eam* (f) Quid ad hæc vobis videtur, O Dilectissimi! An Dei

(b) *1. p. q. 22. art. 1.* (c) *cap. 14.* (d) *Psalm. 103.* (e) *Psalm. 146. v. 8.* (f) *Psalm. 146. v. 9.*

Dei de creaturis suis, utcunque minimis ac vilissimis, providentiam Scripturæ sacræ clarius atque apertius manifestare possent?

Verum Servatorem nostrum audire juvat, qua ille ratione providentiam hanc, idque maxime data sibi quadam homines ad habendam in illa fiduciam animandi occasione, exprimat. In hæc autem verba loquitur: *Ideo dico vobis, ne solliciti* (g) *sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini: Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt neque metunt neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa; Nonne vos magis pluris estis illis?* ac si dicere vellet: Si Deus curas suas eo etiam convertit, ut tot volucres cæli quotidie & quavis anni tempestate pascat, quin illæ reponere sibi alimenta in anni importuna tempora curent, id quod tot alia animantia, a providentia Dei eo stimulata, faciunt; nonne magis vestri curam geret, qui creaturæ estis majestatem ejus, potentiam, benignitatem cognoscentes, tantumque volucres cæli omnes vestræ naturæ præstantia antecellitis: *Nonne vos magis pluris estis illis?* Pergit dein idem Servator, dicens: *Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modicæ fidei?* Jam toto hoc Filii Dei sermone nonne quædam plane peculiaris Numinis versus creaturas minimas providentia manifestatur? Quid enim, quæso! in viventibus sensitivis vilius avicula? Quid in viventibus vegetativis abjectius fœno? Attamen pro his quoque Christo teste Dei excubat providentia. Ubi vero de nobis, hominibus, loquitur Servator, ait: *Capilli capitis vestri* apud Deum *omnes numerati* (h) *sunt: Capillus de capite vestro* (i) *non peribit.* Et hoc non fit, rerum vilissimarum ac minutissimarum curam providentiamque habere? Percepistis, quid Fides moneat: jam, quid ratio dictet, percipite.

P. Cuniliati Catechista.

S. Thomas volens hanc, de providentia Dei in quavis re particulari, veritatem ratione ipsa confirmare, sequentem thesin statuit: *Necesse est dicere* (k) *omnia divinæ providentiæ subjacere non in universali tantum sed etiam in singulari*, id quod sequenti argumento probat: Omne Agens intellectuale (si quidem prudenter agit) agit in ordine ad aliquem finem, prout in nobis ipsis fieri quotidie videmus; ex quo sequitur, quod tantum se extendat ordinatio effectuum in finem, quantum se extendit vis influens sive causalitas primi Agentis. Solum tum contingit, ut in operibus alicujus Agentis aliquid proveniat non ad finem ordinatum, cum effectus ille consequitur ab alia caussa, quæ Agenti non subjacet; nam de cetero omnia, quæ Agenti subsunt, ab Agente ordinantur in finem præstitutum. Jam illud manet, Deum esse primam omnium caussam: esse Agens, cujus influxum sentire, a quo pendere debet res quælibet in omnibus, quæ in illa inveniuntur; ex quo consequitur, fieri non posse, quin omnia, quæ in re quavis inveniuntur, a Deo ad finem, quem vult, scilicet ad gloriam suam dirigantur; atque ob id necesse est, ut quælibet creatura etiam quoad minima, quæ in illa reperiuntur, ad hunc finem a Deo ordinetur ac dirigatur; cum nulla sit res, utcunque minima, quæ a Deo non cognoscatur & (quod sequitur) ad finem gloriæ suæ non dirigatur, atque ob eam ipsam caussam ad ordinem providentiæ non pertineat: Quapropter in hæc verba concludit S. Thomas: *Unde necesse est, omnia, quæ habent quocunque modo Esse, ordinata esse a Deo in finem . . . Cum ergo nihil aliud sit providentia Dei, quam ratio ordinis rerum in finem, necesse est, omnia, in quantum participant Esse, in tantum subdi providentiæ divinæ.*

Hoc ipsum sanctus Doctor egregia similitudine, quæ alterius argumenti instar esse debet, confirmat: Certum est, Deum omnes creaturas suas in hac rerum universitate eo fere modo spectare, quo perfectus consummatusque artifex artis suæ opus spectat.

G Ob

(g) *Matth. 6.* (h) *Luc. 12.* (i) *Luc. 21.* (k) *1. part. quæst. 22. art. 2.*

Ob id Spiritus Sanctus affirmat, sapientiam Dei rerum omnium artificem esse: *Quis horum, quæ sunt, magis quam illa* (l) *est artifex.* Jam vero artifex numeris omnibus absolutus non solum præcipuas sed & minutissimas artificii sui atque operis partes ad finem constitutum ordinat; hinc non erit in illo opere loculamentum aut angulus, qui ad artis directionem non attineat: Tantoque majoris perfectionis esse artifex dicetur, quanto magis noverit reddere rationem cujusvis minimæ particulæ sui operis, & qua de caussa huic particulæ hunc vel illum situm dederit. An vero putatis esse artificem creatum, qui (in ordine ad suum opus) Deo (in ordine ad productionem hujus totius universitatis) componi possit? Nullus certe hujus generis existit. Igitur quæcunque in hac universitate invenire est, ea plane omnia ad divinæ providentiæ, quæ eadem artificiosissime fabricata est, directionem attinent, habetque Deus cujusvis consequentis eventus sapientissimam juxta ac providentissimam caussam: *Cognitio Dei comparatur ad res, sicut cognitio artis ad artificiata, ideo necesse est, quod omnia supponantur suo ordini, sicut omnia artificiata subduntur ordini artis.* Quapropter, Dilectissimi! cum plane omnia (re nulla excepta) a divina providentia gubernentur, eandem in omnibus, quæ vobis accidunt, rebus sive prosperis sive adversis Fidei spectare oculis, adorare, eidemque vos submittere assuescite firmiter tenentes, ab ipsa res omnes ad nostram utilitatem (ceu finem, quem spectat, immediatum) & ad gloriam suam (ceu finem ultimum, quem spectare necessario debet: finem, quo sanctior ac nobilior reperiri nequit) dirigi. Ne tentari animos vestros permittatis, eoquod non intelligatis, qua ratione hic vel ille eventus bene dirigi possit; Hoc namque, O mei! nil aliud foret, quam arroganter sese immittere velle in imperscrutabilia consilia Mentis illius infinitæ, quam (cum Mentem esse Dei, qui omnia scit, omnia videt, omnia potest totusque bonitas est, novimus) submisso adorare animo, nequaquam superbe investigare debemus. Ob eam rem S. Joannes Damascenus (m) ait: *Solus Deus natura bonus ac sapiens est; quatenus igitur bonus providet (neque enim bonus est, qui non providet, nam & homines & bruta proli suæ naturali quodam affectu prospiciunt, & vituperatur, qui non prospicit) quatenus autem sapiens est, quæ sunt, optime procurat. Ac proinde nobis faciendum est, ut hæc attento animo considerantes omnia providentiæ opera suspiciamus, omnia laudemus, omnia citra ullam censuram comprobemus, quamlibet ea plerisque iniqua videantur, quod videlicet nec Dei providentia cognosci comprehendique possit, & nostræ cogitationes & actiones & futura ipsi soli nota atque comperta sunt.*

Nunquid, amabo! confitemini ex Fide catholica, perfectiones Dei re ipsa infinitas esse? Hoc utique tenetis; Erit ergo & providentia Dei infinitæ cujusdam perfectionis. At si infinitæ perfectionis est, ratio exigit teste Nemesio (n) magno illo inter Christianos seculi quarti vel quinti philosopho, ut universa capi comprehendique a finita angustaque mente (cujus generis & nostra & creaturarum omnium in unum collectarum est) nequeat; nam si universa vel caperetur vel capi a finito intellectu posset, qua ratione infinita foret? Itaque confiteri cogimur, nos nec posse nec debere capere omnes providentiæ cælestis vias ejusdemque de creaturis suis consilia. Multo minus est, quod illius agendi rationes, quæ angustissimo intellectui nostro ineptæ minusque accomodæ esse videntur, improbemus; immo vel maxime officii nostri est, easdem submissis animis revereri: confiteri, quod eas non capiamus, atque nihilosecius ut rectissimas, sapientissimas, accomodatissimasque suspicere, quippe rationes Dei providentia præditi infinita: *Si infinita est, nobis erit ignota; quamobrem par non est, nostram inscitiam ad rerum curæ ac providentiæ subversionem transferre.*

Ah Deus! Ita exclamantem vestrum aliquem audire mihi videor, Ah Deus! Veneror, adoro providentiam tuam, eidemque me subjicio; Verum vehementi uror tentatione videns improbos secunda, probos contra adversa

(l) *Sapient. 8.* (m) *Lib. 2. de Fide orthod. c. 29.* (n) *Lib. de Philos. in append. Opp. S. Greg. Nisseni.*

versa fortuna uti; quandoquidem iniquitas justitiæ prævalet, & impiis quidem malitia prodest sua, piis innocentia nocere videtur.

Quæstionem hanc sermone septimo attigigimus atque dissolvimus pro eo ut materia, quæ ibi tractabatur, postulabat. Cognoscite modo, qua ratione tentationem hanc vestram, cum & vetus sit & pervulgata ac communis, Patres sancti præcipue autem Fidei christianæ Apologistæ destruxerint, & (quoniam ad populum fidelem verba facio) percipite, si lubet, duas S. Ambrosii considerationes. Mementote, ait sanctus hic Doctor, mementote propositæ a Christo parabolæ divitis epulonis: tripudiabat is in vita, utcunque peccator; contra Lazarus, justus, mille miseriis conflictabatur. Quid autem evenit? Hunc fatis functum Angeli in sinum Abrahæ deportarunt; ille in inferno sepultus est: *Post obitum vero* (o) *utriusque, pauper erat in sinu Abrahæ requiem habens, dives in suppliciis.* Ex quo, pergit idem S. Ambrosius, *nonne evidens* fit, *meritorum aut supplicia aut præmia post mortem manere*? Nonne injuste, nonne incongrue ageret, qui coronas ante conflictus finem distribueret? *Nonne injustus est, qui ante dat præmium, quam certamen fuerit absolutum?* Nequaquam vita hæc præsens est, in qua bene actorum præmia ferantur, male actorum pendantur supplicia; sed enim vita futura: *Quid* ergo *alibi poscis, quod alibi debetur? Quid præpropere coronam exigis, antequam vincas?* Est vita hæc arena certaminis, non præmii locus. Ponite, ait idem sanctus Doctor, ponite ante oculos vestros eos, qui sedentes spectant & pugiles in arena concurrentes intuentur; Habent se illi commode, bene teguntur membra, jucunditatem ore præferunt; Quare istud? Quia spectatores, non athletas agunt. Jam ponite athletarum quendam eisdem dicere: Eja! descendite una nobiscum generoso pulvere sordidandi! Quid ad hæc responsuros spectatores esse putatis? Sedemus hic, inquient, de vestra fortitudine judicaturi: Vos ad extremum absque nobis, si viceritis, gloriæ coronam referetis: *Unguentati spectare solent, non decertare: non solem, æstus, pulverem imbresque perpeti. Dicant ergo & ipsis athletæ: Venite nobiscum laborare; sed respondebunt spectatores: Nos hic interim judicamus de vobis, vos autem sine nobis coronæ, si viceretis, gloriam vindicabitis.* Ita ferme, ait idem S. Ambrosius, vita hæc præsens se habet: *Isti igitur, qui in deliciis, in luxuria, in rapinis, quæstibus, honoribus,* vitiis *studia sua posuerunt, spectatores magis sunt quam præliatores . . . sed exsolvent seram licet nequitiæ suæ pænam. Horum requies in infernis, tu vero in cælis.* In eandem sententiam tanti Doctoris in Christo filius, puta S. Augustinus (p) pronunciat: *Placuit divinæ providentiæ præparare in posterum bona justis, quibus non fruantur injusti, & mala impiis, quibus non cruciabuntur boni.*

Opponet aliquis: Bene, dicis Pater! ast interim impii bonis hujus vitæ fruuntur, justi miseriis premuntur. Ah Dilectissimi! advertite paulisper animos, & quam in hoc ipso adorabilis sit Dei providentia cognoscetis. Edicite: Nonne vitæ Christi & totius sancti Evangelii summa omnis eo redit, ut nobis voluptatum, deliciarum atque amplitudinis mundanæ contemptus: & e contrario anxium, bona piis in futuro seculo promissa acquirendi, studium atque sollicitudo persuadeatur? Hoc quavis ferme pagina novum Testamentum monet; hoc vita Christi omnis prodit, qui quam parce, quam egene, quantas inter miserias vixerit, nemo est, qui ignorat. Jam si divina providentia bonorum probitatem hujus vitæ prosperitatibus præmiaret, & improbitatem malorum hujus vitæ malis atque miseriis castigaret; nonne obicem ipsa poneret persuasioni: multo scilicet majora esse tum præmia tum supplicia, quibus suo tempore & remuneretur virtus & impietas puniatur? Nonne ex hoc humana infirmitas occasionem arriperet credendi, bona hujus vitæ vera bona, mala hujus vitæ vera mala esse; quare fieret, ut hæc pro viribus vitarentur; illa, cum contemni debeant, omni studio quærerentur. Quapropter Dei providentia, ut cognoscendum det, neque vera bona neque vera mala esse in

(o) *S. Ambros. Lib. 1. de Offic. c. 15.*

(p) *Lib. 1. de Civit. Dei. c. 8.*

in præsenti vita, alio usa consilio ordinavit, ut & multi justorum hujus vitæ miseriis subjacerent & multi impiorum hujus vitæ prosperitate fruerentur. Sic argumentatur (q) magnus ille Augustinus: *Ista vero temporalia bona & mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur; nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur. Nam*, pergit idem S. Doctor, *si nunc omne peccatum manifesta plecteret pœna* (miseriis hujus vitæ) *nihil ultimo judicio servari putaretur; rursus si nullum peccatum puniret aperte* (in hoc seculo) *divinitas, nulla esse providentia divina crederetur.*

His aliam considerationem a S. Joanne Chrysostomo propositam addo. Quis ignorat, O mei! quantis calamitatibus humana natura nostra, pro nativa sua conditione, post peccatum obnoxia sit; atque ob id quid magis, quam miserias, experiri homo debet, sive is in se ipso sive respectu malitiæ alienæ spectetur. Quod si homo in se spectetur; nonne humorum sibi invicem repugnantium, ex quibus componitur, mistura eundem vivam quandam mille infirmitatum sentinam, multorum variorumque dolorum sibimetipsi architectum & jugem vitæ propriæ latronem facit? Si respectu alienæ malitiæ spectetur idem; nonne facultates, fama, honores, dignitates res ejusmodi sunt, quas æmulatio, invidia, rapinæ & vindictæ studium sibi quam lubentissime vendicant. Qua de re, cum homini (utra ex parte spectetur) tam congenitum sit variis miseriis atque infirmitatibus subjici; nonne oportuit, ut providentia ante viventium oculos perpetua quædam exempla servaret, a quibus mortales discerent, qua ratione sese gerere in occurrentibus miseriis deberent; Atque ut omnes mortalium querelas occuparet eadem providentia & importuna eorum lamenta intra ipsas fauces suffocaret; nonne oportuit, hæc exempla vitæ inculpatæ esse, ut hac ratione calamitates, quibus illa a divina providentia exercenda essent, pro eo haberentur, quod revera sunt, nimirum pro crucibulo, in quo perfectio eorundem probaretur, nequaquam pro justo impietatis eorum supplicio. Oportuit itaque personas has justas & liquido justas esse, ut (quemadmodum monui) non supplicium judicaretur id, quod virtutis illorum tentatio fuit: *ut omnes*, ait S. Joannes Chrysostomus, *in gravia incidentes sufficientem consolationem & mitigationem habeant in eis.*

Et profecto quantum miseriæ allevamentum capit ærumnosus, si alios se meliores calamitatibus juxta secum premi videt: Et si homo bonæ frugis fuerit, quantum roboris ex eo sibi parat, si miserias, quibus & viri sancti subjacuerunt & justi jugiter subjacent, secum recogitat. Sapiens Seneca bona doctus philosophia veritatem hanc solo naturali lumine adjuvante agnovit, quando ait: *Quare bonis viris accidant mala, cum sit providentia*? respondetque sibimet in hæc verba: *ut etiam alios pati doceant.* Ob id subdit, neque paupertas posteaquam illam Fabricius toleravit: neque exilium, posteaquam id Rutilius tulit: neque venenum, posteaquam illud Socrates hausit: neque ignis, postea quam eum Mutius sensit: neque mortis insidiæ, postquam eas Cato expertus est, malis accenseri debent; concluditque in hæc verba: *Egestatem, labores, calamitates ceteraque corporis incommoda inter mala non esse enumeranda;* quare id? *quod Cato ea pertulerit.* Quamobrem si pro sapienti judicio unius Stoicorum miseriarum a viris probis devoratarum exemplum ad confirmandos mortalium animos tantum pondus habet, ut illæ, quippe a tot illustribus viris præcipue vero a Catone toleratæ, malis annumerari non debeant; quid, amabo! nos, nos (inquam) quos Fides sancta & philosophia christiana erudit, de iis statuere oportet? Cum sciamus, quantis usque calamitatibus per temporum vices tot viri vere sancti conflictati fuerint; sed quid dico Sancti? Cum sciamus, eisdem ipsum Dei Filium subjacuisse. Et si rationis lumen naturalisque philosophia Stoicum illum commovit, ut hujus vitæ miserias inter mala numerari non debere affirma-

(q) *Loc. citato.*

firmarit, *quod Cato eat pertulerit*; num nos easdem inter mala computabimus ex Fide infallibili supernaturali scientes, quod *Christus eas pertulerit*?

Certe in hunc, O Dilectissimi (si quando justos in hoc seculo affligi a Deo videmus) in hunc Fidei defigere oculos, dicereque nos oportet: Non sunt hæc vera mala, *quod Christus ea pertulerit*: Immo debet nos illius exemplum inducere, ut eadem pro veris bonis habeamus, per quæ regnum æternum acquirimus, per quæ ipse Servator in regnum cælorum, utut Dominus illius, voluit pervenire: *Hæc oportuit Christum pati* (r) *& ita intrare in gloriam suam.* Qua de re S. Petrus Apostolus fideles omnes monet: *Hæc est enim* vera *gratia* & insigne Dei beneficium, *si propter Dei conscientiam* (ut se servet in amicitia Dei) *sustinet quis tristitias patiens injuste: Quæ est enim gloria, si peccantes & colaphizati suffertis? sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est* vera *gratia apud Deum*: *In hoc enim* maxime *vocati estis* ad Fidem, *quia Christus passus est pro vobis* (s) *vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* In eandem sententiam Apostolus Paulus ait: *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes; nondum enim usque ad sanguinem restitistis*, prout ipse, *adversus peccatum* (t) *repugnantes.* Sic est, O mei! sic est; Quando affligi vos sentitis, primum quidem dicite: Sit benedicta providentia Dei, quæ me a peccatis meis purgare in hoc seculo dignatur: Quod si omnino insontes estis (ægre admodum sic se res habebit; cum unum solum peccatum mortale omnibus seculi hujus miseriis obnoxios nos facere queat) si omnino insontes estis, pergite nihilominus laudes dicere providentiæ divinæ, tot Sanctorum immo Sancti Sanctorum (scilicet Christi Jesu) exemplo vosmetipsos animantes dicentesque cum animis vestris: In hoc maxime Fidem Christi profiteor: *in hoc vocatus sum*; quia Christus innocentissimus pati voluit, ut haberem exemplum, quo me excitem, cujus vestigia premam: *quia Christus passus est pro me, mihi relinquens exemplum, ut sequar vestigia ejus:* id quod & mihi & vobis concedere ipse velit, Amen.

(r) *Luc.* 24. (s) 1. *Petr.* 2. (t) *Hebr.* 12.

SERMO X.

De errore Justorum, qui in angustiis suis providentiæ cælesti diffidentes modis peccaminosis consulere sibi tentant.

QUanquam afflictiones, labores, angustiæ ac tribulationes adjumenta quædam sint, quibus divina providentia & peccatores ad se conversos & justos insontes ad æternæ beatitudinis metam perducere consuevit (id quod Sanctorum ferme omnium historiæ produnt) tamen fieri, neque raro, solet, ut justificati aut justi, cum se non exaudiri a Domino, ad quem pro obtinendo ærumnarum suarum auxilio confugiunt, vident; paulatim ab oratione, qua fortitudinem, patientiam perseverantiamque sibi impetrent, cessantes referre pedem, ac propositum a diabolo consilium (scilicet miseriarum levamen modis peccaminosis sibi parandi) animis agitare occipiant tandemque suggestioni hostili cedant necessitatibus suis temporariis (sive furando res alienas sive alias injustitias admittendo sive procorum amoribus se permittendo) consulentes, relictaque legis divinæ observantia ex offensis Numinis id auxilii expectantes, quod precibus ad Dominum fusis obtinere (ut putant) nequiverunt. De impio hoc

juxta ac perniciosissimo errore die hodierna ad vos dicere, O mei! vobisque ostendere constitui, hoc genus consilii temporalem utplurimum perniciem, æternamque ex morali quadam certitudine afferre; ut hac ratione tum justi ac pænitentes miseriis temporalibus obnoxii (si qui horum auditores meos inter existunt) fideles se Deo servent tum ii, qui, ut necessitatibus suis temporariis subvenirent, Superos offenderunt atque offendunt, perniciosissimum hoc consilium quamprimum abjiciant.

Ponamus igitur, personam quandam Deo adjuvante constanter in sancta gratia illius vivere & nihilominus multis calamitatibus atque ærumnis temporalibus subjacere, immo illis ob hoc maxime subjacere, ut fidem Deo servet, & ab illius offensione se abstineat; cum habeat aliquem, qui, si ipsa consentire peccato velit, quodvis auxilii genus polliceatur. Num quæso! in animum inducere unquam poteritis, Deum, hanc creaturæ fidelitatem cernentem, eidem opem suam denegaturum esse? Quales nos, amabo! nosmet præberemus ei, qui magnorum præmiorum spe ad gravem nobis injuriam inferendam stimulatus repudiata constanti animo conditione quavis in ea sententia perstaret, nolle se nobis ullo modo injurium esse, satiusque haberet, egene attamen in fide atque amicitia nostra, quam ex injuriis nobis factis opipare ac splendide vivere. Si hæc (inquam) comperta & explorata haberemus, nobisque potestas illius nobis fidissimæ personæ miserias & ærumnas allevandi foret, anne tam duro corde essemus, ut testata adeo fidelitate tantoque amicitiæ candore non moveremur: amicitiæ (inquam) quæ mediis conflictari miseriis quam per nostras offensas ad vitæ commoditates grassari mallet? Omnes, credo, una mecum dicetis: Quin omni contentione huic tali feramus opem; Quin eundem ut amicum longe fidissimum complectamur; Quin multis nosmetipsos commodis privemus, ut tam constanti, tam suorum commodorum negligenti, tam probatæ charitati respondeamus: Et quisquis nostrum talem se non gereret, nunquid dignus esset, qui humana societate ejectus in sylvas & inhospita ferarum tesqua compelleretur, tigrides inter atque atroces pantheras dies exacturus suos. Et post hæc, O mei! cogitare nobis liceat, hunc humanitatis sensum, quem nos versus amicum talem habituri essemus, in Deo non inesse? In Deo, qui amoris infiniti, quo amicos suos diligit, argumenta adeo evidentia nobis reliquit: In Deo, qui tot tantisque malis modis tractari sese suspendique e cruce permisit, ut omni, quod accipere possemus, bono nos cumularet: In Deo, qui tot verbi sui divini oraculis fidem obstrinxit suam, se fideliter se amaturos sibique exacte servituros nunquam derelicturum esse.

Prosequamur cœptam hypothesin. Quantam, amabo! injuriam eadem nobis persona faceret, si diffidens opi nostræ verensque, ut auxilia, quæ præstari sibi a nobis posse novit, præstare nos non vellemus, cederet tentationi & absque ulla ratione injurias, a quibus inferendis primitus abhorruit, subin inferre nobis sibi sumeret, adjungensque se partibus inimicorum nostrorum multum nos graviterque offendere pergeret? Profecto hæc nos injuria magis commotura esset, quam quævis alia, qua nos affecerit; Quid, diceremus; Quid? Irrationalis diffidentiæ caussa (ne forte testatæ fidelitati suæ grato animo non responderemus) inducere animum, non meritis nos allicere injuriis! Quid? persuadere sibi, nos ea auxilia intermissuros, ad quæ ferenda humanitatis & amicitiæ juribus obstringimur! Hinc ægre ferentes, quod persona illa levem adeo mutuæ amicitiæ fiduciam nobis habuerit, decreturos nos fore existimo, facere modis debitis, ut injuriæ hac re nobis illatæ gravitatem illa cognoscat. Jam vero nonne multo graviorem putatis esse injuriam, quam justus ærumnis pressus Deo facit, siquando in calamitatibus suis temporariis cælesti diffidens auxilio tentationi cedit, peccatisque & offensionibus Numinis sese permittit, ut opem, quam a Deo se non acce-

acceptorum esse metuit, sibi paret. Proh injuriam longe atrocissimam!

Sunt hæc verissima, dicet aliquis, at quid agat bonæ frugis persona, quæ post preces ad Deum pro obtinendo in angustiis temporalibus auxilio fusas non solum nihil allevamenti recipit, sed etiam in pejus ruere res suas videt? Quæritis, quid persona hujusmodi agat: Subjiciat sese illa paternis Domini consiliis; recogitet peccata præteritis a se admissa temporibus, intelligatque non esse mitius satisfactionis, quam pro illis Deus exigat, genus quam ærumnas; cogitet, flagella temporalia certissimum quoddam pignus esse, nos a Deo in filiorum numerum adoptatum iri; cum sit Fidei axioma: *Flagellat omnem filium* (a) *quem recipit:* In cujus regni signum, ait S. Augustinus (b) *Et quoniam flagellat omnem filium, quem recipit, nec unico pepercit, in quo delictum non invenit.* Quæritis, quid persona hujusmodi agat? Cogitet, pergit S. Augustinus, certumque teneat, sibi constanter invocanti adfuturum Deum, si nullo alio, certe occulto auxilio; quod auxilii genus manifestæ antecellit opi: Animi mei sensa, ait idem S. Augustinus, latius pando. Ecce! tres pueri a Nabuchodonosore in fornacem ardentem conclusi & invocato Dei nomine prodigiosum in modum liberati sunt: Septem fratres Machabæi inter alia supplicia flammis ab Antiocho dati sunt, & ab atrocibus illis tormentis non liberavit eos Dominus. Utcunque sit, tamen & hi & illi liberati sunt, illi quidem manifeste tum quoad animam tum quoad corpus, hi vero occulte quoad solam animam (quippe quibus Deus miram illam in lege majorum suorum constantiam est largitus) non autem quoad corpus (quippe quibus præmia æterna destinarat) *Deus quosdam occulte* (c) *quosdam vero liberat publice, occulte sicut Machabæos, publice sicut tres pueros de camino ignis educens . . . Quid hic credimus fratres! nisi quia liberati sunt? sed occulta fuit eorum liberatio. At vero tres pueros aperte de camino ignis liberavit: quia & corpus eorum erutum est, salus eorum publica fuit; illi ergo sunt in occulto coronati, isti in aperto liberati: omnes tamen salvati . . . Est ergo liberatio occulta, est liberatio manifesta; liberatio occulta ad animam, liberatio manifesta etiam ad corpus pertinet; in occulto anima liberatur, in manifesto corpus.* Debet itaque justus temporaliter afflictus & a Deo (utut oret) forte temporaliter non liberatus debet, inquam, occultæ liberationis genus illud firmiter expectare, hoc est: debet a Deo petere & firma cum fiducia expectare adjumenta patientiæ, resignationis, perseverantiæ, quibus ipsis anima in tormentis temporalis afflictionis posita limatur atque perficitur; id quod certe fiet, si Dominum humiliter fideliterque exorare non cessaverit. atque hac ratione, tametsi Dominus justum confici miseriis & absumi calamitatibus permittat (uti tormentis ac flammis consumi Machabæos & mille alios Sanctos permisit) permagnis tamen meritis animam ejus ditabit, quorum ope ille ad altissimos gloriæ cælestis gradus in omnem æternitatem evehatur; *Eritque occulta sua liberatio, quæ ad animam pertinet*, liberatio temporali liberatione tanto præstantior, quanto bono sanitatis aut facultatum terrestrium majus est bonum gloriæ sempiternæ.

Dixi: *A Deo forte temporaliter non liberatus*; nam quot justis afflictis Dominus, postquam illos diuturna tribulatione ad eum perfectionis gradum, quem infinita sua providentia intenderat, extulit, etiam *manifestam liberationem*, liberationem quæ teste S. Augustino *ad corpus pertinet*, impendit? Divinæ hujus mutationis exempla innumera tum in sacris codicibus tum in historiæ ecclesiasticæ commentariis legere est. Nos unam Fidei historiam seligamus: Edicite, num quisquam unquam extitit Jobo quoad temporalia afflictior? Atque ut plus ureretur miseria sua, de ipso felicitatis omnigenæ culmine, de ipso abundantiæ rerum omnium fastigio ad imam detrusus est necessitatem exutus facultatibus cunctis, spoliatus filiis suis, privatus sanitate & (quod longe acerbissimum est) derelictus ab omnibus

(a) *Hebr. 12.* (b) *Psalm. 36. Conc. 3.* (c) *S. Aug. in Psalm. 68. Conc. 2.*

bus derisuique abs uxore ipsa habitus: Et reliquit illum Deus in flebili hoc statu sat longo temporis spatio. Verum quid evenit? Ita ad extremum bonis temporalibus eum fortunavit Dominus, ut illi non solum, quæ prius habuerat, reddiderit sed etiam duplicato reddiderit; Et (cum illorum temporum divitiæ in eo consisterent, ut quis, præter agros & prædia, jumentorum variorumque animantium greges haberet) ob id Dominus quatuordecim ovium millia, sex camelorum millia, duo millia boum, & jumenta mille Jobo dedit fecitque, ut septem denuo filios filiasque tres formæ decore facile omnium principes & ingenti dote præditas susciperet, concessitque ei insuper, ut alios centum quadraginta annos viveret videretque filios filiorum ad quartam generationem. Percipite verba sacri textus: *Dominus autem benedixit novissimis Job magis, quam principio ejus; & facta sunt ei quatuordecim millia ovium & sex millia camelorum & mille juga boum & mille asinæ & fuerunt ei septem filii & tres filiæ . . . , non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Job in universa terra, deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum: Vixit autem Job usque ad quartam* (d) *generationem.*

Jam quemadmodum secundum irrefragabile S. Scripturæ (e) testimonium Dominus mortalibus Jobum tanquam patientiæ exemplar proposuit, ita etiam vult, ut ad illius modum Justi & Innocentes suis in miseriis sese gerant; utentes scilicet integerrima subjectione erga providentiam Dei: utentes humilitate seque ob peccata sua multo majoribus malis dignos agnoscentes: utentes fiducia, sublevandos se esse, si id saluti animarum suarum magis conduxerit: utentes firma spe, resignationis se suæ præmia accepturos. Et quemadmodum magnum illum Justum tanquam patientiæ exemplum propositum nobis habemus: ita eundem ceu documentum quoddam habemus, quo angustiarum, in quibus nos Dominus posuit, allevamentum ab ipso Domino expectare erudimur (dummodo nos patientiam, & subjectam divinis consiliis voluntatem, uti ille, servaverimus) allevamentum, inquam quod innumeri viri probi, magnis oppressi calamitatibus, receperunt; quorum multos ipsi forsitan novimus.

Bene est, respondentem quendam audire mihi videor, verum quid agat, qui patienti animo sustinet seque divinis submittit consiliis, & tamen miserias suas, cum minui deberent, incrementum capere indies videt? Quid hic agere debeat, jam superius vobis exposui: Aut monentem me audire vultis forsitan vel saltem permittentem, ut peccaminosis conditionibus, a ministris dæmonis vobis oblatis, utamini; ut, quod tentatio vobis suggerit, Dei offendendi consilium sequamini: ut modis illicitis (a justitia & charitate certe lege divina prohibitis) consulatis vobis? Ast quodnam aliud a ratione alienius juxta atque sceleratius propositum venire in mentem vobis posse putatis? Nunquid tam certum, O mei! quam certa Fides, nullum boni genus accidere nobis, quod non e manibus Domini profluat. Ita profecto est, adeo ut qui vel in dubio haberet, aliquod boni genus contingere nobis posse, quod non a Deo sed diabolo aut ministris ejus aut alia quavis creatura independenter (ut aiunt) a Deo proveniat, hæreticus immo polytheista esset & idololatra plures admittens Deos: Innumeris locis S. Scripturæ a me dicta confirmant: *Qui dat escam omni carni. Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore. In manu Domini prosperitas hominis. Vita & mors, paupertas & honestas a Deo sunt* (f) Itaque illud ipsum levamentum, illud ipsum commodum, illud ipsum lucrum, quod peccati ope consequi vos posse putatis, evenire vobis unice a Deo debet, quo non volente aut non permittente nemo plane sive in cælo sive in terra sive in inferno largiri vobis illud potest: Sunt hæc certa ex Fide. Jam sciscitari ex vobis placet, num illud levamentum Deus facilius vobis concessurus sit, si vestris in angustiis fidos vos morigerosque ei præbueritis, an vero si eundem offendatis

(d) *Job. 42.* (e) *Tob. 2.* (f) *Psalm. 135. Psalm. 130. Eccles. 10. & 11.*

tis atque injuriis afficiatis? Num quæso! probabilus similiusque vero existimatis, Deum exoptatum illud miseriarum allevamentum offensis suis potius quam vestra patientia ac subjectione venditurum fore? Quid, edicite quæso! vobis videtur? Atque ut sapientiori responso quæsitis occurrere possitis, percipite, quæ ulterius dicturus sum.

Rex Israelis Ochozias, cum de cancellis cænaculi sui præceps decidisset eoque ex lapsu affixus lecto jaceret, impatiens insoliti, qui sibi contigerat, casus eoque liberare se cupiens, cum adire Dominum debuisset, confugere ad idolum Accaronitarum satius duxit. Tendentibus, quos Rex ire jusserat, nuntiis ad sacrilegum delubrum illud Elias occurrit Propheta, qui rem omnem divina edoctus revelatione eosdem gradum sistere & sacrilego Ochoziæ consilio damnato Regi hæc suo nomine nunciatum reverti jussit: *Nunquid non est Deus in Israel*, ad quem confugiatis, *ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes sed morte morieris.* Et sic evenit: *Mortuus est* (g) *ergo juxta sermonem Domini, quem locutus est Elias.* En! quale lucrum nobis ex eo proveniat, si temporarias miserias nostras solaturi remedia peccaminosa arripimus.

Asa Rex Juda, cum a Baasa Rege Israelitatum armis acriter appeteretur seque belli defendendi subsidiis nudum cerneret, thesauros templi Deo sacros temerarius invasit illorumque magnam summam eo impendit, ut Benadadum Regem Syriæ ad infringendam, quam cum Baasa pepigerat, pacem induceret: *Protulit Asa aurum de thesauris domus Domini* (h) *misitque ad Regem Syriæ, dicens: Rupto fœdere, quod habes cum Baasa, facias eum a me recedere.* Ecce injustum consilium, quod Asa necessitatibus suis temporabilibus subventurus arripuit: At quid inde evenit? Sistit se coram illo Propheta Hannani Regemque increpans Dei nomine hæc denunciat: *Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco evasit exercitus Regis Syriæ de manu tua: stulte igitur egisti; & propter hoc ex præsenti tempore adversum te bella consurgent.* En alium iterum fructum ex eo, si peccaminosa remedia amplectimur! Verum, ut orationis vela contraham, percipite oraculum Numinis ab Osea Propheta adversus omnes universim animas editum, quæ, temporaria subsidia peccatis sibi empturæ, discedere a Deo instituunt.

Dicunt illæ: *Vadam post amatores meos, qui dant panem mihi & aquas meas, lanam meam & linum meum, oleum meum* (i) *& potum meum.* En propositum, quod eheu! sæpius tot pudicæ mulieres secundum litteram implent (Atque utinam non implerent) propositum, inquam, relinquendi sese in prædam iis, qui pudori suo insidiantur! At quid eveniet? Nequaquam (ait Dominus) nequaquam, quæ optat, consequetur; non habebit amatores: *Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam*, qua eos sequi cogitas, *spinis & sepiam eam maceria* impenetrabili, *& semitas suas non inveniet, & sequetur amatores suos & non apprehendet eos, & quæret eos, & non inveniet.*

Jam post percepta hæc divina oracula sciscitari ex vobis juvat, utrum (Cum sit Fidei veritas: omne bonum temporale, utut minimum, a Deo provenire debere) utrum vobis probabilius videatur, Deum subsidiis vos temporalibus impertiturum fore, si gratiam illius deseratis peccatisque vos dedatis; an vero si fidos vos eidem in angustiis vestris servetis & peccaminosa consilia respuere strenue pergatis? . . . Quid ad hæc dicitis?

Audire dicentem mihi videor: Equidem Fides & ratio respondere nos cogunt, Deum nobis facilius necessaria subsidia largiturum, si fidem eidem servaverimus. Immo æquitas & ratio exigit, ut Dominus eadem nobis obtingere non permittat, si illa peccando parare nobis voluerimus; At mille facta contrarium docent. Illa, ex quo pudicitiam prostituit quæstumque corpore facit, omnibus fortunæ bonis abundat; cum prius re-

rum

(g) 4. *Reg.* 1. (h) 3. *Reg.* 15. & 2. *Paralip.* 16. (i) *Oseæ*, 2.

rum omnium inopia languerit. Hic, ex quo jam nihil respicit & ad injusta negotia animum dedit, reperit, quo filias dotet, collocet filios, suæque familiæ provideat; cum illa prius etiam necessariis alimentis defecerit: Sic agi res multorum multarumque in dies videmus, qui per offensas Numinis ex mendicis bene aucti, ex egentibus divites evadunt.

Miserum te & infelicem, qui in hanc rationem loqueris! Quin attentas mihi aures præbe; & intelliges, quo loco ponenda sit prosperitas illa, quæ e peccato provenire putatur. Adverte probe animum: Cum sit caput Fidei (prout dixi) nullum bonum temporale quanquam exiguissimum ab ullo in tota hac rerum universitate, nisi a solo Deo rerum omnium auctore, nobis accidere posse; consequens est, bona temporalia a Deo offendentibus se concessa esse effectus aut misericordiæ aut justitiæ aut indignationis ejus, atque ob id illa vel ut beneficia vel ut præmia vel ut supplicia considerari debere: Jam si Numinis misericordia ista bona iis, quos pono, non concessit prius, quam Deum offenderunt; qua ratione dici potest, esse illa quædam misericordiæ cælestis beneficia, pro injuriis acceptis concessa? Anne dici hoc sine blasphemia poterit? Nequaquam profecto; Ergo non sunt nova misericordiæ divinæ beneficia. Multo minus autem tanquam justitiæ divinæ præmia considerari possunt; Nam cum justitia Dei nihil præmio remuneret, quod sibi gratum non est & quod præmio remunerare non promisit, neque adstrui sine hæresi queat, eidem justitiæ gratum accidere peccatum eandemque de illo præmiando promisisse; nulli certe in mentem venire potest, memoratam prosperitatem justitiæ præmiantis effectum esse. Nil aliud igitur reliquum est, quam ut dicamus, eam prosperitatem iræ cælestis & justitiæ, non præmiantis sed vindicantis, supplicium esse. Hinc inficias non ivero, multis peccando rerum temporalium conditionem fortunatiorem obtingere; attamen etiam illud adjecero, hanc a Deo permissam meliorem fortunam quoddam longe maxime tremendi, quod his misere fortunatis accidat, supplicii genus esse. His etenim maxime Spiritus sanctus formidandum illud *Væ* dirigit, quando ait: *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam & qui*, ut aliquid auxilii acciperent, *dereliquerunt vias rectas* (k) *& diverterunt in vias pravas.* Væ his! Nam istud, ait S. Gregorius Magnus (l) indicio est, hos in modum infirmorum, quorum salus desperatur, desideriis relictos suis & fortunato rerum suarum statu delusos peccatum non deserturos & impoenitentes mortem æternam obituros esse: *Nonnunquam bona terrena justis subtracta largo munere tribuuntur injustis, quia & desperatis ægris medici, quidquid poposcerint, dari præcipiunt.* Horum felicitatem, ait S. Joannes Chrysostomus (m) plangamus, ceu manifestum atrocissimæ eorum damnationis æternæ argumentum: *Multos videmus & quidem scelestissimos bona corporis valetudine & prospera fortuna lascivientes: Nolimus propterea eos admirari sed deplorare potius; quod enim in hac vita nihil adversi patiuntur, majoris in futura supplicii est argumentum.* Idem Patres reliqui tenent; at quid dico: Patres: Idem Deus ipse affirmat: *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum* (n) *ibunt in adinventionibus suis.* Væ itaque, *væ his, qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas & diverterunt in vias pravas.* Pergitque Spiritus sanctus: *Quid facient, cum inspicere cœperit Dominus?* Ac si diceret, uti Expositores omnes monent; *Quid facient*, cum Deus inquirere in vitam eorum, deque ea judicare inceperit: *Quid facient?* Utique expectare sibi debebunt divitis epulonis judicium; epulonis, qui improborum fortunatorum omnium exemplum est: qui *sepultus est in inferno.* Quare id? Accipite caussam: *Quia recepisti bona in vita tua*; ita & hi, *quia receperunt bona in vita sua* peccando, Deum offendendo. Hinc cum in præsenti vita justitiæ divinæ non fecerunt satis, oppido justum est, ut eidem in vita altera æternum faciant satis. Quapropter O Dilectissimi! si secundum legis divinæ normam viven-

(k) *Eccl.* 2. (l) *Lib.* 16. *Moral. c.* 11. (m) *Homil.* 37. *in Joan.* (n) *Psalm.* 80.

viventes affligimini, ne perdatis, obsecro! ne perdatis sustinentiam. Sustinete patienter, confugite ad Deum; cum moraliter certum habeatis, vos ab illo vel temporale (si animabus conduxerit vestris) vel aliud speciale auxilium obtenturos esse, quod vestram patientiam confirmet vosque vitam hanc finientes in paradisum deducat. *Expectate* itaque *Dominum*, *viriliter agite*, *confortetur cor vestrum* (o) *& sustinete Dominum.*

(o) *Psalm.* 26.



SERMO XI.

De secundo articulo Symboli: ET IN JESUM CHRISUM DOMINUM NOSTRUM, QUI CONCEPTUS EST DE SPIRITU SANCTO. Ostenditur gravitas peccati mortalis: Veritates catholicæ de Persona Jesu Christi explicantur, & culpæ mortalis execrabilitas latius proponitur.

SEcundus Symboli apostolici articulus fidem altissimi Incarnationis mysterii complectitur. Intelleximus sermone quarto, esse in Deo tres Personas realiter distinctas Patrem, Filium seu Verbum, & Spiritum sanctum. Jam cum genus humanum ob Adami, qui mortalium omnium caput extitit, peccatum e patria cælesti expulsum fuisset, liberare illud Trinitas sanctissima destinavit, ita tamen ut sibi integra, de injuria ab Adamo ejusque posteris cunctis accepta, satisfactio præstaretur; immo satisfactio, quæ non solum injuriam æquaret illatam sed omnia etiam peccata, quæ ab humanis creaturis patrari possent, superaret. At vero cum injuria, quæ Deo per unum solum peccatum mortale infertur, infinita sit (Nam tanto gravior reputatur injuria, quanto major digniorque persona offensa existit: & cum Deus infinita majestate ac dignitate sit; videtis, peccatum mortale, quatenus est talis Dei offensa, offensam infinitam esse) eo, ut Deo huic graviter læso ex toto satisfieret, ad satisfactionem præstandam persona ejusmodi requirebatur, quæ dignitatis esset infinitæ; cumque talis persona in omnibus creaturis existentibus, futuris ac possibilibus reperiri non potuerit, idcirco in altissimo & divinissimo consilio illo est constitutum, ut una divinarum Personarum adæquatam hanc satisfactionem offerret. Quemadmodum autem memorata satisfactio in humiliationibus, passionibus aliisque rebus, quæ cadere in Personas divinas (quippe divinas) non possunt, consistere debuit; ita placuit, ut una earum humana carne se vestiret & sibi personaliter humanitatem, hoc est: corpus animatum (uti nostrum est) sibi conjungeret, hocque induta humiliationes & passiones illas omnes sustineret, quarum capax, in solo Esse divino manens, non fuisset. Hinc decretum est, ut Verbum seu Filius, secunda SS. Trinitatis Persona, humanitatem nostram assumeret, in illa viveret, pateretur ac moreretur, eaque ratione pro peccatis generis humani in totum faceret satis. Itaque dum in utero intemerato Virginis Mariæ ex purissimo ejusdem sanguine corpusculum ope Spiritus sancti formatur, eidemque anima rationalis infunditur: eodem temporis puncto Verbum æternum, secunda Persona, in uterum Matris sacratissimæ descendit, ut corpus illud sibi ipsi uniret; ex quo verus ille Deus-Homo extitit, quem Jesum Christum vocamus. Habetis modo summam Mysterii, quod progressu sermonis aliquo modo explanabitur: Sic Fides Ecclesiæ catholicæ, sacris Scripturis & revelatione divina iisdem contenta, nixa docet.

Pri-

Primum itaque, O mei! omnes vivæ fidei actum eliciamus, dicentes: Credo Deus meus! secundam SS. Trinitatis Personam, Filium seu Verbum dictam, de cælo descendere benignissime voluisse nostra se humanitate in utero Mariæ Virginis ope Spiritus sancti vestituram, ut a servitute peccati & diaboli nos omnes liberaret occlusasque paradisi portas reseraret.

Deinde in gratiarum actiones versus Deum nostrum æternum ac tri-unum effundamur omnes: Patrem quidem, quod tanto cum amore Filium suum divinum nobis Redemptorem dederit; Filium vero, quod tanta cum charitate venerit nos atrocissimis tormentis in libertatem asserturus: Spiritum denique sanctum, quod nostræ liberationis gratia ineffabile hoc mysterium in utero Virginis sacratissimæ operatus sit.

Tertio in consideranda portentosa peccati mortalis execrabilitate consulto immoremur dicamusque cum animis nostris: ergone peccatum mortale est peccatum illud, quod tantam Deo injuriam infert, ut nulla sit creatura vel existens vel futura vel possibilis, quæ dignam tanta injuria satisfactionem offerre queat. Immo si satisfactiones, quas creaturæ præsentes, futuræ ac possibiles cunctæ afferre possunt, omnes in unum colligerentur, nullo tamen modo ad constituendam adæquatam satisfactionem sufficerent, adeo ut pro plena hac satisfactione paranda unam divinarum Personarum descendere de cælo opus fuerit, quæ carne vestita passibili in conspectu læsæ majestatis sese humiliaret, dignata insuper innumeris laboribus, infamiis, pænis mortique ignominiosissimæ subjacere. Sic se omnino res habet.

Et profecto, O mei! anne probe intelligitis, quid audeat is, qui mortale peccatum admittit? Tentat ille, quantum in se est, Deum privare Esse suo, hoc est: privare eundem charactere finis ultimi, qui character infinitæ majestati Dei singularis maximeque proprius est; nam dum peccans deliberato imperia detrectat divina, ut sui animi affectionibus faciat satis, ecce vobis! sui affectus expletionem Deo præhabet, dumque hac ratione priores partes animo suo tribuit, semetipsum suamque cupiditatem pro ultimo fine ipsa re agnoscit, privans (quod sequitur) ex parte sua Deum charactere veri ultimi finis. Ita S. Thomas, & Theologorum, quotquot scripserunt atque scribent, turba omnis docet; Hinc dogma illud theologicum, e sacris litteris deductum: Quemvis peccantem mortaliter a Deo ceu ultimo fine suo se avertere, convertereque ad suas cupidines tanquam ultimum suum finem: *Peccans mortaliter avertitur a Deo ultimo fine, & constituit ultimum finem in creatura.* Itaque cum tam portentosa sit atque horrenda peccati mortalis (quod, quantum in ipso est, destruere Deum tentat) execrabilitas, ut pro digna satisfactione Deo offerenda Personam divinam incarnari incarnatamque humiliari necesse fuerit; num, O mei! tam facile illud committendum esse, uti in singulos dies committitur, existimatis? Eheu! quot mortalium existunt, qui unius diei spatio facile viginti, centum peccata mortalia patrant per illa falsa aut absque ulla attentione prolata juramenta: per obscænas illas cogitationes, quas in animum admittunt: per impudicas delectationes aut desideria impura: per obtutus & sermones inhonestos; quæ omnia permulti præ noxia consuetudine ne animadvertunt quidem: consuetudine (inquam) quæ peccatum non solum involuntarium non reddit, sed etiam certam eidem malitiam addit: *Quicunque peccat ex certo habitu* (a) *peccat ex certa malitia.* Jam quid de tot actionibus praviter peccaminosis, quid de scandalosis familiaritatibus, de lascivis commerciis, quid de illicitis contractibus, rapinis, furtis, odiis atque illis vitiis dicam, quibus mundus catholicus inundatur? Et tamen quodvis horum peccatorum, pro habenda digna satisfactione, incarnationem unius Personarum divinarum sibi postulavit: Et nihilominus per ludum, per otium & (ut sic dicam) ridendo admittitur; quæ res in sacro *Proverbiorum* (b) libro non sine horrore notatur: *Quasi*

(a) *1. 2. quæst. 78. a. 2.* (b) *cap. 10.*

Quasi per risum stultus operatur scelus. Ah! cur nos per fidem agnoscentes injuriam infinitam, quam peccatum Deo nostro facit, cur nos (inquam) non decernimus illud nullo amplius tempore comittere, & exterminare monstrum hoc maxime horrendum?

Quivis gestorum in sacris Scripturis traditorum non omnino ignarus novit, quæ Semei contra Davidem Regem celebratissimum ausus sit. Cum David præfectis militum stipatus civitatem Bahurim prætergrederetur, in occursum ejus egressus est Semei, homo privatus de stirpe Saul, qui Regem & comites ejus lapidibus impetens etiam probra acerbissima verbaque pungentissima adjecit, Davidem tyrannicum regni usurpatorem, hominem sanguinarium, sceleftissimum atque ob id dignum alta voce appellans, quem Deus defectione filii Absalonis puniret: *Mittebat lapides contra David & contra universos servos Regis... ita autem loquebatur Semei ... Egredere, egredere vir sanguinum & vir Belial: reddidit tibi Dominus univesum sanguinem domus Israel* (c) *quoniam invasisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalon filii tui, & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.* Tam graves contumelias in Regem suum dignissimum jactas audiens Ducum quidam, Abisai nomine, justoque honoris regii vindicandi studio accensus ait: *Quare maledicit canis hic mortuus*, stercus hoc & hominum vilissimus, *Domino meo Regi? Vadam*, curram *& amputabo caput ejus.* Et meruisset hoc supplicii genus culpa tulissetque etiam, nisi Ducem Regis mansuetudo cohibuisset. Atque (ut verum dicam) nunquid justo Abisai zelo applauditis, O mei! Ita profecto; omnes respondere mihi videmini, Ita! bene nefarius iste regia auctoritate detruncatus jacuisset; nam quod non-tolerarabilis audaciæ genus hoc est, Regem piissimum, fortissimum ac potentissimum nulla agente caussa maledictis idque publice lacerare?

At quantum, O Dilectissimi! dignitatem Dei inter dignitatemque Davidis, vilitatem Semei respectu Davidis inter vilitatemque nostram respectu Dei, injurias Semei adversus Davidem inter nostrasque in Deum injurias, irrationabilitatem injuriarum Semei in Davidem inter & irrationabilitatem injuriarum nostrarum in Deum: quantum (inquam) interesse putatis? Tantum interest, quantum infinitam inter & finitam dignitatem: vilem creaturam inter & Deum: infinitam inter & finitam injuriam: Deum benefactorem, a quo una cum Esse bonum, quod habemus, omne accepimus, inter & hominem (utut Regem) a quo Semei nihil acceperat, interest. Et nihilominus animos nostros atrocium conviciorum Davidi innocenti ingestorum auditio tantopere commovit, ut conveniens esse judicaverimus, regia sententia ense collum nefario Semei secari. Et post hæc non excitabimur, ut peccatis a nobis admissis caput demamus (Cum nostrum demere nobis haud fas sit) ductique pænitentia cum animis nostris dicamus: Quamobrem ego, respectu Dei fætido cadavere vilior tanta audacia fui, ut Dominum meum, Regem meum, Creatorem meum, Deum meum graviter offenderim: *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? Quare?* Quid ille in me peccavit, ut mortales ei offensas rependam. *Quare?* Fors quia Esse mihi dedit: quia me conservat manuque tenet: Fors ob alia infinita tum naturalia tum supernaturalia beneficia, quibus me cumulavit? *Quare* ergo, *Quare*? Ah! *Vadam & amputabo caput ejus.* Ita! Pereat, destruatur execrabile peccatum hoc, quod infinitam summi Domini & Dei mei bonitatem tantopere lædit: Et quoniam gladius, quo illud exterminetur, sola humilis, intima, sincera pænitentia dolorque de eo patrato verus est; ecce; Deus meus, nos omnes coram infinitæ majestatis tuæ oculis in faciem humi procumbentes omnia nostra peccata mortalia execramur, detestamur illaque admisisse totis animis dolemus; quia per ea infinitam tuam bonitatem læsimus, offendimus ac sprevimus, & veniam illorum humili mente exposcimus fixum animo certissimumque habentes, nullum amplius pec-

(c) 2. Reg. 16.

catum lethale tua, quam iterum iterumque imploramus, adjuvante gratia perpetrare, summique beneficii loco hoc a te postulantes, ut mori nos potius quam peccata lethalia iterare permittas.

Jam ad explicandas, quas de Persona incarnati Filii Dei Fides proponit, veritates converti placet. Primum quidem statim initio sermonis hujus mysterium Incarnationis summatim exposuimus monuimusque, illud in eo consistere, quod Filius seu Verbum, secunda SS. Trinitatis Persona, in viscera Mariæ descendit ibique Personæ suæ nostram humanitatem ope Spiritus sancti conjunxit: Modo addere juvat, quod, quanquam tota sanctissima Trinitas in hoc mysterium conspirarit, illud tamen Spiritui sancto specialiter tribuatur; nam cum Spiritus sanctus essentialis amor sit divinarum Personarum, & mysterium Incarnationis opus sit maxime singularis Dei erga nos (creaturas suas) charitatis, idcirco illud Spiritui sancto assignatur: Hic corpus e Verbo assumptum ex purissimo Mariæ sanguine efformavit, in quo, organis instructo, anima rationalis creata est; ut hoc modo perfecta partibusque suis omnibus absoluta humanitas existeret, quæ ex corpore de carne ex Adamo progenerata formato & ex anima a Deo in illo procreata componitur: eodemque temporis puncto, quo in illo corpusculo anima in utero sacratissimo Mariæ creata fuit, de cælo Verbum est delapsum, ut illud animatum corposculum divinæ suæ Personæ conjungeret, eaque re verum fieret: unam solam divinam Personam cum duabus naturis seu essentiis esse: scilicet Personam Verbi divini cum natura seu essentia divina, quæ cum ipso identificatur, & cum perfecta natura humana ex anima & corpore composita; Estque hæc Persona hujus Dei simul ac hominis Dominus noster Jesus Christus: Quemadmodum (ut aliqua, utut alienissima, similitudine utar) si cedro mali aurantii ramus inseratur, quamvis una arbor permanet, tamen ex vero dicitur, eandem fructus duarum diversarum naturarum (cedri nimirum & aurantii) ferre; ita secundum modum, quo mens nostra res concipit, Persona verbi, eadem ipsissima permanens, duas essentias seu naturas (divinam scilicet humanamque) complectitur, easque non confusas, non permixtas, uti fieri solet, si ex duabus diversis rebus tertia existit: Nequaquam; sed enim naturæ hæ duæ, inconfusæ interque se distinctæ permanentes, sic distinctæ in sola Persona Verbi ita uniuntur, uti duæ illæ inconfusæ & distinctæ species cedri atque aurantii in eodem trunco uniuntur. Multo minus cogitare fas est, vel naturam divinam in humanam vel naturam humanam in divinam transiisse: Neutiquam; sed ambæ suum proprium verumque *Esse* (divina scilicet divinum, humana humanum) retinentes in unica Persona Jesu Christi veri Dei verique hominis subsistunt: Ex quibus sequitur, Jesum Christum (quatenus Deus est) reliquis duabus Personis divinis per omnia æqualem, & (quatenus homo est) eisdem inferiorem esse: Sequitur præterea, quod, cum naturæ hæ duæ (divina & humana) in Christo Jesu omnibus suis partibus perfectæ sint, quævis earundem potentias suas habeat, hoc est: quod natura divina intellectum divinum & voluntatem divinam, humana vero humanum intellectum & humanam habeat voluntatem, quippe quibus deficientibus perfecta non esset. Atque hac Fidei professione, quam Christus, quam Apostoli, quam Patres sancti, quam Ecclesia catholica perpetuo docuit, quælibet hæreses confutantur atque ridentur, quas adversus ineffabile hoc mysterium varii variis temporibus hæresiarchæ ore scelesto evomuerunt.

Consequitur insuper, Christum, cum veram carnem humanam ab Adami stirpe descendentem habuerit (quanquam eandem habere impatibilem, si voluisset, potuisset) tamen voluisse, ut ea, quamvis peccati originalis omnino expers, patibilis esset: Atque ob eam rem, cum Christus ab ipso primo, quo in utero Mariæ Virginis conceptus fuit, momento perfectissimum rationis usum habuerit (prout cum S. Thoma Theologi omnes docent) illo ipso quoque momento

mento passionis suæ initium fecit cum perfectissima cognitione novem mensium spatio illis uteri virginalis angustiis conclusus permanens; & in hunc modum passionem suam totius vitæ suæ decursu, usque dum in cruce extremum spiritum reddidit, continuavit, dignatus vitam privatam, laboriosam, egentem, molestiis plenam tolerare ad tricesimum ætatis annum, quo ipso ad prædicandum sanctum Evangelium suum est aggressus, in cujus divulgatione quantos labores, curas, molestias exhauserit, quantas contumelias, probra, vexationes, injurias devorarit, quatuor Evangelistæ temporum illorum æquales hosque inter duo charissimi illius socii referunt; donec fine missionis suæ temporeque passionis appropinquante vitam suam durissimam horrendis illis, cruciatibus, quos iidem Evangelistæ descripserunt, & morte tunc temporis maxime infami (qualis erat cruci, quæ illis temporibus patibuli loco fuit, clavis affigi) consummavit, in qua cruce trium horarum spatio infandis doloribus defunctus nostri in gratiam animam sanctissimam exhalavit, refixusque honorificam sepulturam accepit.

Hæc, Dilectissimi! summa mysterii Incarnationis, hæc summa vitæ & mortis Salvatoris nostri Jesu Christi, veri Dei verique hominis in una sola Persona subsistentis. Placeat modo ad ea, quæ superius dixi, reverti nimiamque peccati mortalis atrocitatem denuo expendere; quod cum ex iis, quæ primitus observavi, adeo execrabile vobis visum sit, multo magis abominabile vobis post hujus mysterii a me susceptam expositionem videri profecto debet. Nam quantum, quæso! ex eo portentosa peccati ingratitudo crescit, quod adversus benefactorem adeo insignem committatur, adversus illum ipsum Deum (inquam) qui nostræ salutis caussa, & ut nos ad se ex toto corde amandum magis adstringeret, pati morique in cruce dignatus est?

Juvat referre rem antiquitus gestam, subin argumentari. Popilius vir Romanus e consulari illa (ut credunt) familia de delicto aliquo postulatus vitæ ex senatusconsulto amittendæ discrimen præsentissimum subiverat: hujus defendendi negotium Tullius, ille Oratorum facile celeberrimus, in se suscipere decrevit, tamque valide, tam eloquenter caussam ejus coram Senatu peroravit, ut augusto illo tribunali, vitæ gratiam facere Popilio, persuaserit. Verum ut varia rerum mundanarum vicissitudo, & quam instabilis sit mens humana & quam fluxa sit omnis vel infelicitas vel felicitas, semper ostendit; ita etiam aliquanto post hæc tempore contigit, famosissimum illum Tullium ab Antonio capitis damnari. Creditis, puto, idque haud temere, nullum extiturum fuisse, qui carnificis munus in virum tanta famæ celebritate præditum, virum optime meritum ac plane singularem exercere & sententiam usque adeo lugubrem exequi voluerit; a qua ipsa implenda cum quemvis alium tum maxime Popilium quam vehementissime abhorrere debuisse recte existimatis, Popilium (inquam) quippe qui vitam suam Tullio debebat: Ita profecto vobiscum cogitare vos credo. At (Vah ingratitudinem plus quam belluinam) at ille ipse Popilius ad carnificium se accinxit vitamque Tullio ademit, Tullio, cujus eloquentia, cujus defensione ipse vivebat. Proh ingratitudinis atque inhumanitatis monstrum! Quis est vos inter, O mei! qui hæc audiens non totis artubus obrigescat? Quod si alicui vestrum Tullii facundia vita servata fuisset, num vel solam cogitationem Tullio vitam adimendi & detestabile carnificis munus in eum ultro occupandi animum hujus subituram fuisse putatis? Heu, Pater charissime! sic respondere omnes mihi videmini, heu! quid dicis? Cor belluinum gerat sub pectore is oportet, qui hoc vel cogitet.

Ah, O mei! hoc ipsum cor belluinum (Heu! quid talia exprobrare vobis cogor) hoc ipsum cor belluinum, quod erga Tullium gesturi non fuissetis, erga Christum multi vestrum gesserunt! Ita profecto, hoc cor belluinum erga benefactorem de vobis multo melius meritum, quam Tullius de Popilio

lio meruerat, vestrum multi gessistis. Edicite: Nonne Fidei articulus est, omne peccatum mortale (quantum in ipso est) Jesum de novo crucifigere vitaque privare? Nonne Fidei articulus, omne peccatum mortale (quantum in ipso est) spernere & inutiles reddere atrocissimos cruciatus omnes, quos Salvator eum in finem pertulit, ut vitam nobis acquireret sempiternam? Jam vero si, posteaquam ipse nobis a morte æterna liberandis & ut aditum nobis vitæ sempiternæ patefaceret, tanta toleravit, si (inquam) post hæc eum peccato mortali læsimus; nonne longe atrocius Popilio peccavimus, sive ad personam sive ad beneficium acceptum sive denique ad id, quot vicibus ingratitudo hæc iterata fuerit, respectus habeatur? . . . Et quæ comparatio Tullii ad Christum aut labores Tullii pro servando Popilio ad labores Jesu pro salvandis animabus nostris? Quæ comparatio mortis temporalis Popilio depulsæ ad mortem æternam nobis depulsam, aut vitæ paucorum annorum in hoc mundo transigendæ ad vitam sempiternam in paradiso vivendam? Et tamen si peccavimus, ademimus vitam (quantum in nobis situm fuit) liberatori nostro Christo, totiesque adimere aggressi sumus, quoties lethale peccatum iteravimus. Quid jam dicitis, O mei! quid ad hæc cogitatis? Nemo vestrum, si una Tullii ad Senatum oratione mortis imminentis periculum evasisset, nemo vestrum (inquam) voluptatis obscœnæ, lucri injusti, perjurii, irarum ac vindictæ aut criminosæ oblectationis gratia eundem Tullium vita privare sibi persuaderet; & Christum eadem privare mortaliter peccando vobis sumpsistis: Christum qui non diserta oratione una sed precibus, sed doloribus suis, sed famæ, honoris, sanguinis & vitæ suæ dispendio a sempiterna vos morte vindicavit? Proh ingratitudinem portentissimam! Proh inauditam feritatem! Jam olim per Prophetam Oseam (d) id jure conquestus est Dominus, aiens: *Ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia*, immo non solum mendacia, sed & injustitias, perjuria, blasphemias, adulteria, fornicationes, quævis impuritatis aliaque mortalia scelera; & hæc omnia, donati beneficio redemptionis. Nonne potiori jure id Christus nobis exprobret, quod Judæis saxa, ut eum lapidarent, arripientibus exprobravit: *Multa bona opera ostendi* (e) *vobis ex Patre meo; propter quod eorum opus me lapidatis?* Ita profecto, multo potiori jure hoc nobis Christus exprobrare poterit; tum namque passionem suam mortemque, quam paucis mensibus post pertulit, nondum subiverat: cum contra nos redempti sanguine illius & ob infinita ejusdemmet sanguinis merita mille affecti beneficiis eundem (quantum in nobis fuit) lapidavimus, male tractavimus atque occidimus; & hoc *propter quod opus?* Propter quod eorum, quæ in nostram utilitatem gessit; quandoquidem nil nisi beneficia ab eo accepimus? *Propter quod opus?* Forsitan quia nos statim post admissum peccatum vita spoliatos in infernum præcipites non egit? aut quod pristina peccata resumentes denuo ad sua Sacramenta admiserit? *Propter quod opus?* Forsitan quia etiamnum per me indignum ministrum vos excitat, ut ex animo resipiscentes eundem haud amplius offendere firmiter statuatis? *Propter quod opus?* Nunquid multi nostrum ob patrata & nondum confessa peccata fulmina inferni que tormenta meremur; & tamen ille cum pœnas infligere posset, ille inquam) ob hoc ipsum, quia nos redemit, ad pænitentiam & pacem secum renovandam nos invitat, & nimia bonitate actus eandem redemptionem, quæ eum in præsenti irritare adversus nos (quippe contemptui habita) deberet, eandem, inquam, redemptionem caussam esse placationis vult; unde nos ad seriam pænitentiam vocet, data fide, nostra se scelera, ceu nebulam furentis Aquilonis impetu axagitatam & quasi nubem radiorum solarium virtute disjectam, deleturum esse: Percipite, quomodo per Isaiam vos invitet: *Delevi ut nubem iniquitates tuas* (f) *& quasi nebulam peccata tua: Revertere ad me.* Percepistis invita-

(d) cap. 7. (e) Joan. 10. (f) Isa. 44.

vitationem; percipite hujus & caussam: *quoniam redemi te.* Ita, ait Redemptor Deus, redemisse te me movet, ut, cum ad pœnas repetendas excitari deberem, ad invitandum te impellar: *Revertere ad me, quoniam redemi te.* Ah, Deus meus suavissime! ecce revertimur, ecce revertimur ad pedes tuos tanta tua misericordia in ruborem acti, pænitentes teque tot modis graviter offendisse totis animis dolentes: Detestamur serio ob amorem infinitæ tuæ bonitatis, quam modo super omnia diligimus, omnia peccata nostra, de iisque toto ex corde meo dolemus fixum ratumque habentes, te adjuvante tua gratia, quam ut nobis largiaris, per merita sanctissimæ passionis tuæ oramus atque obtestamur, nunquam in posterum offendere: Et quoniam hoc cum animis nostris verissime, ut credimus, destinatum habemus, quamprimum pedibus unius e ministris tuis advolvemur a peccatis nostris sacramentali absolutione liberandi, Amen.

SERMO XII.

De eodem Symboli articulo: Natus ex Maria Virgine. Agitur de persona Mariæ, Matris Christi Jesu & de prima hujus maternitatis sequela, sanctitate nimirum beatæ Virginis.

CUm in explicatione mysterii incarnationis personæque Christi necessario de persona Mariæ mentio inciderit; jam & Fides & pietas exigere videntur, ut reliquæ præclaræ Virginis sanctissimæ dotes exponantur. Itaque Maria Verbum seu Filium Dei castissimo utero suo eo ipso temporis puncto concepit, quo ope S. Spiritus ex purissimo Virginis sanguine animatum corpusculum efformatum fuit; quod corpus (ut superius monui) Verbum divinæ Personæ suæ conjunxit: Concepit autem Virgo sacratissima Verbum absque ulla intemeratæ suæ Virginitatis læsione (quippe creatura nulla sed enim Spiritu sancto agente) exactoque novem mensium spatio novo miraculo peperit absque ulla iterum Virginitatis suæ (etiam corporalis) violatione, absque ulla claustri virginalis fractione; Et postmodum perpetuo virgo permansit ad obitum usque intemeratissima. Hæc omnia Fides docet SS. Scripturarum & traditionis auctoritate nixa.

Præterea cum Maria hunc Deum-hominem conceperit pepereritque, consequitur, esse eam veram Matrem hujus Filii non solum ut hominis sed etiam ut Dei carne humana induti, eamque ob rem dici illam confiterique debere veram Matrem Dei incarnati. Hoc iterum de Fide (ut ajunt) est, & in concilio generali Ephesino adversus impium Nestorium, qui singularem hanc veræ Matris Dei prærogativam Mariæ denegare repugnante ratione omni aggressus est, definitum fuit; Nam quemadmodum reliquæ matres re ipsa veræ matres sunt earum personarum, quas concipiunt pariuntque, tametsi anima, quæ pars potior sobolis est, ab ipsis non generetur sed a Deo creetur; nihilominus veræ matres non solum corporis suæ prolis sed personæ illius, quam pariunt, quoque ex corpore & anima compositæ dicuntur: ita etiam Maria, quanquam Personam divinam Jesu non generarit, nihilominus quia eandem in humana carne vere concepit peperitque, vera mater hujus Personæ conceptæ ac genitæ existit: Unde vera Mater Dei illius incarnati, quem concepit peperitque, vocatur. Audite S. Thomam (a) *Concipi autem & nasci personæ attribuitur secundum naturam illam, in qua concipitur: Cum igitur in ipso principio conceptionis fuerit humana natura as-*

(a) 3. p. q. 35. art. 1.

sumpta a divina Persona, consequens est, quod vere possit dici, Deum esse conceptum de Virgine; ex hoc autem dicitur aliqua mulier mater, quod eum concepit & genuit: unde consequens est, quod beata Virgo vere dicatur Mater Dei. Percepistis hucusque, quæ Fides sancta monet.

Ex his omnibus Patres sancti primo eminentissimam Virginis sanctitatem inferunt docentque Mariam pro reliquarum merarum creaturarum omnium sanctissima haberi debere; cumque sanctitas pro ratione graduum gratiæ sanctificantis major minorve sit, statui debet, gratiam Mariæ omnium merarum creaturarum gratiam superare atque excedere. Hinc (b) S. Thomas Doctor rectissime res definiens, nihil axaggerans & effata sua exactissima judicii theologici statera examinare solitus ait: *Maria super omnes, post Christum, habuit plenitudinem gratiæ.* Atque ut intelligatis, quibus rationibus adductus Doctor angelicus in hanc sententiam scripserit; satishabeatis velim, aliquot vetustissimorum Patrum e plurimis, quos citare liceret, testimonia percipere.

S. Methodius Tyri Episcopus longe doctissimus & insignis sub imperio Diocletiani Martyr in *sermone de Simeone & Anna*, legitimo suo opere, quod eidem viri longe eruditissimi (c) invictis argumentis asseruerunt, quidquid alii frivolis nixi rationibus obmurmurent, Mariam *celsiorem cunctis generationibus* vocat, *quæ inter cuncta omnia tum visibilia tum invisibilia multis numeris honorabilior enituit.*

S. Ephraem Syrus vir doctissimus, *Orbis magister* cognominatus, cujus scripta teste S. Hieronymo in Ecclesiis post S. Scripturas legebantur: cujus laudes SS. Gregorius Nyssenus, Amphilochius & Joannes Chrysostomus prædicarunt, vir hic magnus ac singularis de sanctitate Mariæ sequentia monet: *Maria sanctior Cherubim* (d) *sanctior Seraphim & nulla comparatione ceteris omnibus supernis exercitibus gloriosior.* S. Gregorius Neocæsariensis (e) scriptor Ephraemo vetustior seu (ut alii volunt) S. Proclus Episcopus Constantinopolitanus ejusdem cum S. Joanne Chrysostomo ævi ait: *Convenienter Angelus gratia plenam præsignificavit, quoniam cum ipsa gratiæ thesaurus reconditus erat.* Et alibi: *Omni humana creatura gloriosior, purior sanctiorque effecta est.* Vetustus seculi V. scriptor (f) sub nomine S. Hieronymi notus docet: *Ceteris per partes gratia præstatur; Mariæ vero se tota simul infudit gratiæ plenitudo.* S. Ambrosius celeberrimus Episcopus juxta ac Doctor, *Bene,* inquit (g) *sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia promeruit, consecuta est.* S. Basilius (h) Seleuciensis ait: *Virgo universos Martyres tantum excedit, quantum sol reliqua astra.* S. Gregorius (i) Magnus docet: *Maria, ut ad conceptionem Verbi pertingeret, meritorum verticem super omnes Angelorum choros usque ad solium divinitatis erexit.* Atque (ut reliquos prætermittam & eum, quem primum laudavi, postremum denuo citem) S. Thomas (k) ait: *Illa, quæ genuit Unigenitum a Patre, præ omnibus aliis majora gratiæ privilegia accepit.*

Et profecto si Maria in Annunciatione ab Angelo facta ex vero *gratia plena* a sacrosancta Trinitate appellata est, utique tum gratia plena fuit: Non est, cur hoc dubium habeatur. Jam vero quot quantaque argumenta habuit Maria, hanc primævam gratiæ plenitudinem toto vitæ suæ spatio nimium quantum augendi? Hoc ut probe intelligatis (Advertite, loqui me ad mentem S. Thomæ & Theologorum omnium) explicare vobis oportet, quomodo gratia animabus nostris infundatur & in iis crescat? Cum amare, secundum notionem a Philosophorum turba omni adoptatam, nil aliud sit quam bene velle (*Amare est velle Bonum*) consequitur, quod ille, qui vere & efficaciter amat, Objecto amato id, quod ipsi vult, Bonum conferat, præsertim si id conferre absque ullo incommodo potest; quod si hoc Bo-

(b) *3. p. q. 7. art. 10. & q. 27. art. 1.* (c) *Nat. Alex. Hist. eccl. IV. sec. c. 6. a. 1.*
(d) *S. Ephr. de laud. Deiparæ.* (e) *Serm. 1. & 2. in Annunciat.* (f) *Serm. de Assumpt.*
(g) *Lib. 2. in Luc. c. 2.* (h) *Orat. de Annunciat.* (i) *In Libr. 1. Reg. c. 1.*
(k) *3. p. q. 27. a. 1.*

Bonum Objecto amato non confert, vere dicimus, eum Objecto amato illud Bonum ex animo non velle. Præterea cum omne Bonum creaturis accedens a nullo alio (puta ceu caussa prima) nisi a Deo provenire possit, necessario inferimus, omne Bonum creatum esse effectum efficacis amoris Dei, qui creaturam amans eidemque hoc vel illud Bonum efficaciter volens, dum vult, creaturæ confert: Ob hanc rem S. Thomas una cum Theologis cunctis ait: *Amor Dei est creans & infundens bonitatem in rebus;* qua in re istud discriminis intercedit, quod Deus (si ut auctor naturalis efficaciter amat) Bona naturalia (si vero ut auctor supernaturalis amat) Bona supernaturalia (& quo vehementius amat) eo majorem gratiam largiatur. Jam vero fuit Jesus Filius Mariæ Deus verus; & cum Mariæ quoque Filius verus fuerit, credere fas est, eum caram sanctamque Matrem suam amore efficacissimo (non naturali solum sed & supernaturali, qui priori longe superior est) dilexisse. Itaque si Jesus verus Deus fuit Bonumque supernaturale efficaciter voluit Mariæ tanquam veræ Matri, dum voluit, eidem illud contulit. Hinc statuat, qui potest, quantum per tot annorum spatia, quibus Christus Matri suæ convixit hoc eam amore jugiter magisque ac magis in dies complexus, quantum (inquam) Mariæ gratia (quæ ipsa gratia est Bonum supernaturale animæ amatæ a Deo volitum) excreverit? . . . Nonne post hæc, O mei! laudati SS. Patres, hujus rationis theologicæ quidem at vero evidentis lumen sectantes, merito jure affirmasse, vobis videntur, quod *Mariæ totus se infudit gratiæ thesaurus, tota gratiæ plenitudo*; Nam cum Jesus Mariam plus creaturis omnibus dilexerit quippe veram suam Matrem, Matrem, cui totus amor Filii debebatur (Quippe qui amoris sui participem patrem quenquam temporalem, quem non habuit, facere haud debuit) statuat, repeto, qui potest, vel ex hoc solo capite, quantam altitudinem gratia sanctitasque Mariæ triginta trium annorum decursu consecuta sit, quibus illa a Jesu vero Deo amore supernaturali jugiter inque dies magis ac magis amata fuit. Ob hanc rationem S. Bernardinus (1) exclamavit: *Soli Deo cognoscenda Mariæ gratia reservatur.*

Dixi: *Vel ex hoc solo capite*; scilicet si istud solum consideremus, quod gratia & sanctitas pro ratione amoris, quo Deus animam prosequitur, crescat. Jam etiam hoc expendere placet, quod memorata gratia ac sanctitas ex ipsis dispositionibus creverit, quibus Maria hanc accretionem adjuvit; quo in loco vos de novo monitos velim, me ea afferre, quæ S. Thomas in variis *Summæ theologicæ* locis docuit. Scire oportet, quod quemadmodum solus Deus gratiam & charitatem (hoc est: sanctum amorem suum, qui una eademque res cum gratia est & proprietas a gratia non separabilis) infundit animæ; ita solus eandem augeat majoremque reddat. Hoc autem ut faciat, postulat a nobis, ut ope sua adjuti actus amoris & charitatis erga se semper intensiores ferventioresque eliciamus, veluti dispositiones quasdam ad memoratam gratiæ augmentationem requisitas; quos actus si nos exercuerimus, ipse eodem temporis puncto charitatem, gratiam seu sanctitatem in anima illos actus producente auget. Revocemus modo breviter, si lubet, in mentem vehementissimas occasiones & impulsus fortissimos, quos Maria, ex quo Verbum incarnatum castissimis visceribus suis concepit, ad mortem suam pretiosissimam usque habuit, exercendi continuos ardentissimi in hunc Deum Filium suum amoris actus; atque inde concludamus: quod, si Maria, dum Verbum concepit gratia plena fuit; superabundantia charitatis, gratiæ, sanctitatis in illa in singulos dies ultra omnem modum aucta sit.

Fingite, O Dilectissimi! cum animis vestris, quanta amoris vi, Maria prægnans in Deum incarnatum continuo rapta sit, dum moveri illum in utero suo sensit, dum cogitavit sibique in animo dictitavit: Conclusum utero meo gesto Deum meum, mei quoque amore hominem & verum filium meum factum! fingite (inquam) in quos amoris

I 2 actus

(1) *Serm.* 51.

actus cor Mariæ amantissimum hac cogitatione, quæ ei continuo adfuit, abripi debuerit? Quod si nos miseri, miserabiles, frigidi (sicubi ad S. Synaxim accedimus & hunc Deum-hominem nostris nos visceribus concludere cogitamus) temperare nobis, ut sic dicam, non possumus, quin in actus amoris erga eum erumpamus: Si viri sancti fæminæque sanctæ, quando eum in SS. Sacramento receperunt, ardentissimis amoribus in hac vita diffluxere, adeo ut multarum horarum spatio extra se rapti sensuum usu caruerint; quis, amabo, mente concipiet amoris æstus, quos Maria prægnans per integros novem menses, quibus Salvatorem virginali utero suo tulit, persensit? Vah longissimam actuum amoris ultra, quam credi potest, fervidi seriem! Vah continua ob hoc ipsum gratiæ, amoris & sanctitatis incrementa!

Ubi vero partus auspicatissimum momentum advenit; ubi tenellulum Infantem suis suspexit oculis; ubi ulnis strinxit; ubi subblandientem sibi vidit; ubi lacte suo virgineo aluit; ubi tota puerili ætate adjuvit, ah! quos ardores, quæ incendia, quos amoris impetus sensit. Proh! quantum Reges Magi, dum eum Infantem inviserunt: quantum Simeon, dum eum ulnis complexus est: quantum tot Sancti ac Sanctæ, dum eum inter visiones sibi concessas a Maria in manus acceperunt, animis exarsere suis? Et quis est, qui hos amoris igniculos cum æstibus Virginis matris componere audeat? Nemo certe, hinc existimate (si lubet) quæ incrementa amor, sanctitas, gratia Mariæ toto infantiæ ac pueritiæ Christi tempore acceperit, quo eundem apud se fuisque sub oculis habuit: quo eidem inserviit: quo eum nutrivit & manuum suarum labore adjuvit. . . . . dum eum in re domestica obedire sibi vidit; dum mutuis se blanditiis demulsere; dum Filius cum illa familiariter continuo egit. Explicet, qui potest, quos ignes, quæ incendia in his senserit Maria; Explicet ingentia, quibus per hæc sanctitas amorque Virginis auctus fuit, incrementa!

Postquam autem Filius hic suavissimus adolevit isque esse cæpit, qui in taberna suis ipse manibus laboraret sudoreque suo victum Matri quæreret; quis explicando par est, quibus amoris affectibus ipsa accensa sit, dum illas cælorum & totius universitatis formatrices ac creatrices manus malleos, serras aliaque vilia instrumenta tractare vidit, ut Matri alimenta pararent; quos labores cum Christus ad unum ætatis ferme tricesimum continuarit, quantum exinde charitatis ardentissimæ pabulum tanto temporis spatio Mariæ cor accepisse putatis? dum suis ipsa oculis tot actiones Dei-hominis, non dicam amantissimo Mariæ pectori sed vel saxeo cordi liquefaciendo pares, conspexit; dum suis ipsa auribus ex divino ore verba illa, etiam silici (si ita loqui fas est) amoribus incendendo paria, hausit; dum, ut paucis dicam, ea cum familiaritate mutuo usi sunt, quæ talem Filium talemque Matrem decuit. Quod si, miserrimi qui sumus, tali in convictu ac consuetudine magnis amoris ignibus exarsuros nos fore nobis videmur; quanta demum cor Mariæ senserit & quæ novæ exin eæque incomprehendendæ sanctitatis ac gratiæ accessionis in illa factæ sint, cum animis vestris putate.

Hæc inter advenit tempus, quo Servator Matrem desereret Evangeliumque suum prædicatum iret. Cogitet, qui potest, quanta incrementa amor Matris ex hoc vulnere acceperit? Dimisit profecto Filium quam lubentissime, quod ille & Pater ejus æternus sic voluit; at simul una Filius cor Matris secum abstulit vel potius illa eundem (quantum fieri potuit) secuta est, conciones illas divinas auditura; id quod nonnulla sancti Evangelii loca indicare videntur & sancti Patres confirmant: fuitque id Mariæ liberrimum, teste S. Epiphanio (m) quem multi alii sequuntur, quippe quæ jam nulla sponso suo Josepho multo ante, quam Christus prædicare cæpisset, tempore fatis functo assistendi necessitate premebatur. Itaque dum adhortationibus illis ipsa interfuit; dum stupenda

(m) *Hæres. 78. n. 10.*

penda cujusvis generis miracula, a filio summa nominis cum gloria patrata, cognovit; dum ea, quæ pertulit, famem, sitim, itinera, vigilias & alia, quæ sustinuit, ut ad Fidem populos execæcatos adduceret, intellexit; dum persecutiones in eum adornatas, calumnias ei impositas, opprobria in eum jacta aliosque nequitiæ judaicæ impetus in eum factos accepit; quanta amoris jam congaudentis jam commiserantis vi cor Mariæ absumptum fuisse: quantis ex hoc ipso charitatis & sanctitatis incrementis auctum eandem fuisse existimatis? Denique ubi eum in horto gravi agonia conflictatum, ubi contumeliose in vincula conjectum, ubi ad tribunalia raptum, ubi ludibrio habitum, ubi inspectante magistratu alapa exceptum, ubi cæsum flagellis ac spinis coronatum audivit; ubi eas, quæ hæc comitatæ sunt & in Evangelio narrantur, irrisiones, probra, colaphos, verbera, & sputa in faciem ejus jacta cognovit; . . . ubi eundem Barrabbæ postpositum vidit audivitque; ubi immanes clamores, quibus furens populus eum in crucem agi postulavit, auribus accepit; ubi eum cruce (supplicii, cui destinabatur, instrumento) onustum secuta est; ubi ictus, quibus infami figebatur ligno, audivit; ubi suffixum infelici arbori & in aera sublevatum conspexit; ubi insultus, contumelias ac cavillationes inimicorum in filium sub cruce afflicta vidit audivitque; ubi eundem se ipsam Joanni commendare eaque ratione extremum in hac vita vale sibi dicere audivit; denique ubi illum post trium horarum acutissimas convulsiones benedictam reddere animam conspexit . . . Et hæc omnia non sine seria consideratione, pati Filium cuncta ista sui (Matris) maxime in gratiam & ut sibi (Matri) excellentem, qua cumulata fuit, sanctitatem atque incomparabilem æternæ gloriæ partem a se olim possidendam commereretur. Quis post hæc mente comprehendere unquam poterit, quantis accessionibus charitas Mariæ in Filium & (quod consequens est) sanctitas ejusdem increverit? Aut quæ mens creata eniti eo poterit, ut eandem pro dignitate concipiat? Non est, ait S. Bernardinus, non est creatura, quæ ad illam cognoscendam pertingere valeat sed *soli Deo cognoscenda Mariæ gratia reservatur.*

Neque credatis, O mei! in Christi morte sanctitatem ac charitatem Mariæ crescere desivisse; quin ipsa ab Objecto amato separatio personæ ardenter amantis pectus sancti amoris flammis magis magisque accendere consuevit. Hinc quanto cum amore videre redeuntem ab inferis Filium optavit Maria, quanto cum fervore eundem præstoluta est? . . . At quantis diffluxit gaudiis, ubi eundem immortalitate ac gloria ineffabili donatum amplecti se, sæpiusque illo quadraginta dierum, qui ab ejus resurrectione ad ascensionem usque interfluxerunt, spatio ad se invisere vidit? Quantus, O Superi! apparitiones has omnes amoris jubilus, quam ardentis charitatis mutui æstus, quam teneræ blanditiæ, quæ promissa; & hinc quanta gratiæ & charitatis incrementa comitata sunt? ubi vero elapso quadraginta dierum spatio, post supremum tantoque filio ac matre tanta dignum Vale mutuo sibi non sine maximo amoris sensu dictum, ascendere eundem triumphantem in cælos suismet oculis vidit, quanta amantissimum Mariæ pectus & lætissimæ mæstitiæ & mæstissimæ lætitiæ vi emotum fuisse existimatis; cum totum cor totamque animam suam rapi (ut sic dicam) una cum Filio in illas superas sedes, simulque remanere se in hac lacrymarum valle sensit, ut ei placeret, qui remansionem hanc divinissima sua voluntate ordinarat. O amores! O raptus! O extases! O transformationes utut maxime sublimes nostroque intellectui omnino impenetrabiles! At O ingentia ob id ipsum in dies singulos sanctitatis & charitatis Marianæ incrementa! *Soli Deo cognoscenda Mariæ gratia reservatur.*

Pergamus hanc sanctitatem ex actibus ad eam disponentibus & a Maria exercitis fusius deducere longeque absit, O mei! ut vos orationis meæ fastidia capiant; cum argumen-

gumentum propositum ejus generis sit, quod abtractando satiari nec possum nec etiam debeo. Verum quid dicam, cum Maria, ut primum una cum Apostolis a monte Oliveti (admirabilis & gloriosi illius, quod paulo ante memoravi, mysterii theatro) reversa est, cænaculo se incluserit, ut ad promissi a Christo ascendente Spiritus sancti adventum sese studiosius præpararet. Certum manet, esse Spiritum sanctum substantialem & increatum amorem: Certum manet, præparationem ad dona Spiritus sancti quam copiosissime recipienda aptissimam esse eam, quæ per actus amoris fit: Itaque etiam illud certum manebit, quod Maria ad hunc inauditum adventum ferventioribus amoris actibus se præparavit. Et quis hoc in loco Marianorum amoris actuum vehementiam mente concipere poterit? . . . Ubi vero Spiritus sanctus ipsus advenit; quis gratiæ abundantiam, quam sanctissimæ illi animæ infudit, expendere valuerit? . . . Quod si gratiæ hujus plenitudinem Apostoli ostenderunt, quando de cænaculo egressi magnalia Dei eum in modum prædicarunt, ut sancta quadam ebrietate correpti viderentur; quantam gratiæ plenitudinem Mariam accepisse putatis, tum quod ad eam recipiendam longe paratissima tum quod mater fuerit (Dum contra Apostoli solummodo discipuli fuerunt) Jesu illius, qui ipsis omnibus Spiritum sanctum de cælis est elargitus . . . Ita profecto, quis hanc plenitudinem comprehendere intellectu poterit? Ah! *soli Deo cognoscenda Mariæ gratia reservatur.*

Quin modicum adhuc tempus sustinete me, O mei! jam jam finem sermoni imponentem. Accedit his omnibus, quod ex primorum Fidelium consuetudine, quæ in libro *Actuum Apostolorum* notatur, Maria singulis diediebus augustissimum Eucharistiæ mysterium participarit, eaque ratione illum ipsum Jesum, quem concepit, nutrivit, & eduxit, visceribus suis exceperit. Jam in his Communionibus quæ nova charitatis & gratiæ incrementa anima hæc sanctissima non cepit? Novimus (Et commentarii de rebus gestis Sanctorum referunt) quanta gratiæ abundantia in divinissimi cibi hujus perceptione Dominicis, Philippis Neriis, Ignatiis, Cajetanis aliisque sacra facientibus: quanta gratiæ abundantia Theresiis, Catharinis & Senensibus & Florentinis, Rosis, Magdalenis de Pazzi totque aliis similibus, hoc potissimum adjumento tantam inter alios sanctitatem adeptis, infusa fuerit. Et Maria . . . Maria . . . quantam gratiarum copiam obtinere debuit, si incomparabilem illam mentis præparationem quam ad mensam dilectissimi Jesu sui attulit, consideremus. Præterea quantum charitatis & gratiæ augmentum Maria consecuta est, dum loca, in quibus Jesus passus est, visitavit (Remansit enim una cum S. Joanne ad finem vitæ usque Hierosolymis, uti opinio probabilior cum viris doctissimis (n) & sanctis Epiphanio seniore, Andrea Cretensi ac Joanne Damasceno affirmat) mysteriaque ibidem gesta contemplata est? Quod si vita illius omnis jugis & continua quædam contemplatio fuit, adeo ut (o) teste S. Ambrosio brevis etiam, quem capiebat, somnus piæ meditationi locum fecerit (*Et tamen cum quiesceret Mariæ corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat*) quantum, putatis, Maria contemplationes suas, inque his amores & raptus suos protraxit; qua re factum, ut vita illius perpetua quædam amoris extasis fuerit: Cumque Maria hac vitæ genus ad extremum usque temporis, quo Christo superstes fuit, punctum sit prosecuta; jam reputet secum, qui potest, excelsissimam & imperceptibilem sublimitatem eminentissimæ sanctitatis, quam Maria etiam ex dispositionibus retulit, quibus mentem suam adornavit. Hinc semper manet, quod *soli Deo gratia Mariæ cognoscenda reservatur.*

O Maria! Maria, quam jure merito Sanctissimam prædicant omnes, ad te una cum Auditoribus meis cunctis conversus tuisque provolutus pedibus dicam: Quam merito, O Virgo! tibi ab Ecclesia Dei sancta pulchrum

(n) *S. Epiphan. hæres. 78. n. 11. S. Andr. Cretens. Homil. II. de Dormit. Deiparæ. S. Joan. Damasc. de Dormit. Deiparæ,* (o) *Lib. 2. de Virg. c. 2, n. 8.*

illud encomium adſcribitur, quo olim mulierem fortem Spiritus extulit ſanctus: *Multæ filiæ congregaverunt divitias* (p) *tu ſupergreſſa es univerſas.* Nam ſi per filias animæ juſtæ ac ſanctæ intelligi debent; de qua alia inter meras creaturas, niſi de te, O ſanctiſſima mater noſtra, dici ex vero poterit, quod ſanctitate ſupergreſſa ſit omnes. Ah! quantum de incomparabili ſanctitate tua, O Maria! gaudemus omnes, ſimulque quantum illam cogitantes erubeſcimus! Tu a primo, quo eſſe cæpiſti, momento gratiam acceptam augere ad extremum vitæ tuæ ſanctiſſimæ terminum ſtuduiſti: Nos, quam in ſancto baptiſmate accepimus, gratiam, utprimum rationis uſum conſecuti ſumus, peccata mortalia committendo atque iterum committendo cito perdidimus. Ah Maria! ſi (quod avertat Deus) nos inter exiſtat aliquis, peccatorum divinæ gratiæ recta adverſantium reus; ah! per illos gratiæ tibi conceſſos theſauros rogamus: impetra eidem lucis divinæ radium, quo illuſtrante ſummam ſtatus ſui infelicitatem advertat, ut hac ratione ad pœnitentia commotus & dolore compunctus amiſſam denuo recuperet gratiam. Eos autem, qui hanc gratiam ſincero dolore integraque Confeſſione recuperaſſe ſe credunt, potenti tua protectione cuſtodi, ne eandem de novo amittant. Et cum gratia utplurimum non amittatur niſi in illis mortalium peccatorum occaſionibus, ob id te, O Virgo! per illam maximam, quam de gratia divina ſemper habuiſti, exiſtimationem obſecramus: ſuccurre nobis, ne unquam noſtra ſponte in peccandi occaſiones incurramus; ut hac ratione nunquam mortaliter peccemus, & divinam nobis ſervantes gratiam, eandem bonis adaugere operibus ſatagamus; quo nos quoque ad tuam incomparabilem ſanctitatem, quæ ſanctitatem omnium merarum creaturarum antecellit, æternum laudandam pertingere poſſimus, Amen.

(p) *Prov.* 31.

SERMO XIII.

Agitur iterum de perſona Mariæ, ſcilicet de ejusdem dignitate atque auctoritate.

CUm ſuperiori ſermone ſingularem excelſamque ſanctitatem Mariæ veræ matris Jeſu Dei-hominis laudibus extulerimus; modo devotio eidem a nobis debita haud permittere videtur, ut ſaltem duas dotes, quæ Matris divinæ ſummum gradum proxime ac recta conſequuntur ſcilicet ejus eminentiſſimam dignitatem & auctoritatem potentiſſimam intactas relinquamus. Dixi, *ſaltem duas dotes*; nam ſi omnes expendere vellemus, ne multa quidem volumina (non dicam ſermones) nobis ſufficerent.

Volens itaque eminentiſſimæ dignitatis Mariæ notitiam dare; proponere vobis infalilbile oraculum a Spiritu ſancto in libro *Eccleſiaſtici* (a) editum debeo: *Deus enim honoravit patrem in filiis*; quod idem ſibi vult, ac ſi diceretur: Quanto majori laude dignæ ſunt prolis dotes, tanto major ex illis gloria ad parentes redit; & quo ſublimiores ſunt, quibus filii florent, dignitates, eo clarior inde ſplendor ad genitores reflectitur eoque major ſatoribus exiſtimatio apud alios paratur. Id quod experiundo quotidie deprehendimus, cum majorem haberi honorem parentibus, ſi filius de populari ad nobilitatis ordinem aſcenderit, videamus: & ipſimet maxima reverentia genitores (ſi filius eorum ad principatus faſtigium provehatur) ſumma vero proſequi eosdem ſoleamus, ſi filius ad regale ſolium elevatus ipſoque regii diadematis inſigni exornatus fuerit. Hinc

(a) *cap.* 3.

Hinc si dignitas Nobilis decem e. g. honoris radios parentibus impertitur; certe dignitas Principis centum, Regis mille largietur &c. His positis quærere ex vobis juvat, num aut persona aut dignitas dignitate vel persona divina sublimior reperiri possit? Neutiquam profecto. Itaque si hæc divina Persona eum in statum semet redigat, ut veram matrem habeat, a qua re ipsa concepta & genita sit (cum persona Persona divina sublimior nulla esse possit) affirmari oportet: majorem quoque dignitatem non esse in fæmina posse, quam quod hujus divinæ Personæ mater sit: Est autem mater hæc haud alia, quam Virgo nostra sanctissima maximeque venerabilis Maria. Ex hac theologica ratione S. Thomas infert (b) *Nulla major, dignitate Matris Dei.*

Verum quamvis dignitas hæc (quod summa sit in matre) nec augeri in se possit nec alia major inveniatur; æstimabilior tamen ex circumstantiis effici potest. Quin bene advertite animos. Non est dubium, quod, si Persona divina non veram solum matrem sed verum quoque patrem in terris habuisset (utcunque sublimis maxime permansisset dignitas matris) hoc tamen posito mater aliquem parem sibi immo etiam se quodammodo superiorem habuisset; nam dignitas memorata patri quoque (ceu caussæ potiori) respectu prolis progeneratæ convenisset. Ast cum Maria mater fuerit & ea quidem mater, quæ sola absque ope patris terreni Personam illam divinam concepit peperitque; ecce! in ea sola incomprehendenda hæc dignitas residet, quin ulla creatura in illius partem veniat. Unde præterquam quod dignitas hæc summa sit, etiam Mariæ propria ac singularis est; atque ob id accommode admodum S. Methodius antiquissimus juxta ac doctissimus (c) Tyri Episcopus & insignis sub imperio Diocletiani Martyr affirmavit: *Quamobrem etiam sola, quæ Dei sunt, cum Deo partiri meruisti, quæ sola Deum carne peperisti: ipsum, qui ex Deo Patre unigene & coæterne natus est.* O Maria vere (ut verbis Ecclesiæ piissimis utar) vere *omni laude dignissima, quia ex te ortus est Christus Deus noster.* Nam tu sola (uti observat magnus ille & devotissimus servus tuus S. Bernardus) tu sola unum eundemque cum Patre æterno habuisti Filium, qui (quod ex divinitate, quam a Patre: & humanitate, quam a te accepit) constet, solum & unicum Jesum Christum constituit, totusque & Patris æterni & tuus totus est: *Ut de Patris Virginisque substantia unum Christum efficeret vel potius unus Christus fieret, qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine; totus tamen Dei, & totus Virginis esset* (d) *nec duo filii, sed unus utriusque filius.*

Quamvis, O mei! Mariæ dignitati, in maternitate Dei vera positæ, superaddi jam nihil posse videatur; tamen eandem dignitatem S. Thomas epitheto quodam ornare voluit, quod ego proferre mihi haud sumerem, sin minus tanti tamque suis in scriptis accurati viri auctoritate fulcirer: Ausus est affirmare Scriptor iste sanctissimus, dignitatem Mariæ, utcunque infinita *absolute* dici non possit, quod Infinitas attributum sit soli substantiæ divinæ conveniens; tamen eandem *in certo modo* infinitam servato rigore theologico omni dici posse; Nam, ait S. Doctor, Persona (scilicet Filius hujus Matris verus) absque ullo dubio Persona infinita est; præterea maternitas Mariæ hanc Personam non solum ceu aliquem mere extrinsecum terminum hujus ejusdem maternitatis respicit (Quemadmodum servitus & subjectio nostra eundem Christum, tanquam supremum Dominum nostrum, respicit) sed respicit maternitas Mariæ Christum ceu verum filium, hoc est: ceu prolem ex visceribus illius editam, & ceu Personam consistentem ex divina humanaque naturis in utero Mariæ conjunctis, & ceu quosdam Marianæ ad hanc conjunctionem cooperationis effectus: Ex quibus fluit, quod, quemadmodum in fæmina hac dignitate major esse non possit, ita eadem dignitas certo quodam modo infinita evadat; quatenus certo modo infinitum dicitur in hoc determinato

(b) *in Cap. 11. Matth.* (c) *Orat. de Simeone & Anna.* (d) *Homil. 2. Super. Missus est; n. 4.*

nato ordine id, cui in isto ordine majus quid addi nequit: Percipite verba S. Doctoris: *Ex hoc, quod Mater Dei est, habet quandam infinitam dignitatem ex bono infinito, quod est Deus; & ex hac parte non potest aliquid melius fieri, sicut non potest aliquid* (e) *melius esse Deo.*

Quin igitur (Ne vestram, O mei! devotionem longius morer, quo minus in piissimos erga magnam Dei Matrem affectus ob ejus incomparabilem dignitatem effundamini) quin dicite cum celebri illo seculi sexti Poeta christiano & piissimo Pictavorum Episcopo Venantio Fortunato (f) dicite Mariæ:

O Virgo insignis, Mater pia, nobile semen,
Quam Deus implevit totius orbis ope.
Quaque creatorem meruisti ventre tenere,
Et generare Deum concipiente fide.
Mundatura novo partu de crimine mundum,
Atque sacro fœtu progenitura Deum.

Et cum incomparanda Mariæ dignitas, immenso ferme meritorum ejus thesauro nixa, illam super omnes beatorum Spirituum choros exaltarit; quis eandem, tanquam Reginam cæli ac terræ a SS. Trinitate constitutam, dubitet venerari: qualem eam sancta Mater Ecclesia innumeris divinorum Officiorum in locis alta voce compellat, præcipue dum eam in Lytaniis honori illius dedicatis ut Reginam Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum (paucis) Sanctorum omnium invocat. Pergamus itaque & nos eodem carmine eodemque devotionis sensu, quo memoratus Venantius Fortunatus, salutare eandem:

Conderis in solio, felix Regina! superbo,
Et super astrigeros erigis ora polos.
Nobili nobilior circumsistente senatu,
Consulibus celsis celsior ipsa sedes.
Sic juxta genitum Regem Regina perennem
Ornata es partu, Mater opima, tuo.

— — — — — —
— — — — — —

Dans tibi larga poli, cui tu domus arcta fuisti,
Ventris pro hospitio restituendo thronum.

P. Cunilia i Catechista.

Jam vero si Maria vera Mater Dei, & (quod sequitur) universitatis Regina constituta est; quantam eidem auctoritatem ac potestatem divinum ejus Filium in creaturas, quarum supremus ipse est Dominus, concessisse putatis? Et quamvis Maria hac sua auctoritate tam ad ulciscendos impios quam justos beneficiis afficiendos uti possit; tamen persuasum vobis habeatis velim, eam (tum quod misericordiæ plena ipsa sit tum ut Jesu Christo se conformet, qui utplurimum se in nos misericordissimum continuo demonstrat) eam, inquam, potestate sua nostri in gratiam quam lubentissime, nec nisi invite atque coacte ad pœnas a nobis persæpe nimium quantum commeritas exigendas uti. Quodnam inter maxima officia, edicite! quodnam esse solet charæ Matris, quæ a Rege jus ac potestatem in omnes subditos accepit, munus atque officium? Nonne istud maxime, ut Filium perfidiis, injuriis, inobedientiis subjectorum irritatum placet. Jam quoties, amabo! Mariæ intercessio manum offensi Filii, peccatores jam jam percussuri, cohibuit? Scatet hujus rei exemplis Ecclesiæ, ab ipso illius exordio ad nostra tempora usque, historia. Unde justo elogio S. Ephraem Syrus *Mariam pacem mundi* (g) Andreas Cretensis *propitiatorium commune* (h) S. Bernardus *propitiatorium universæ terræ* (i) una cum aliis pluribus compellarunt. Ob eam ipsam rationem vetustus Scriptor quidam in Operibus S. Athanasii (k) Mariam alloquens sic dicere sibi sumpsit: *Decet te utpote Dei Matrem, Reginam, Dominam & Heram nostram . . . nostrum recordari adstantem illi, qui, nobis terribilis, tibi jucundus est omnesque tibi largitur gratias.*

Talia & nos sentientes confugere ad potentiam atque auctoritatem Mariæ oportet; cum in illa dignitas Reginæ pietatem Matris summam nequaquam excludat, quam inesse eidem, S. Augustinus evidenti hac ratione confirmat: Negari non potest, esse Mariam veram Matrem capitis nostri, quod est Christus Jesus; quomodo igitur non debebit

(e) 1. p. q. 25. art. 6. (f) Lib. 1. poemat. 1. de Partu Virg. (g) Orat. de Laud. Deiparæ.
(h) Serm. 2. de Dormit. B. V. (i) Serm. 1. de Assumpt. (k) Serm. de Deipara.

bebit Mater quoque vocari membrorum, quæ capiti huic conjunguntur: quæ ab ipſo reguntur: quæ corpus illud conſtituunt, cui caput hoc præeſt? Jam vero membra, corpus hoc formantia, nonne nos ſumus, Fideles ejus? Immo, addit S. Doctor, nonne ardentiſſima charitate ſua Maria in id & contulit ſemper & jugiter confert, ut huic corpori (catholicæ nimirum Eccleſiæ) membra, quæ adjungi debent, omnia adjungantur, quo hac ratione numerus verorum credentium augeatur, quos illa aſſiduis ſuis ferventibusque precibus Fidei catholicæ quodammodo parit? Itaque non poteſt Maria non eſſe etiamnum Mater noſtra: Percipite verba S. Doctoris (l) *Maria plane Mater membrorum ejus, quod ſumus nos; quia cooperata eſt charitate, ut Fideles in Eccleſia naſcerentur, quæ illius capitis membra ſunt.* Idemque ſentiens S. Anſelmus Cantuarienſis (m) Epiſcopus in hanc rationem Mariam non fervide minus quam reverenter alloquitur: *Quid unquam dignius æſtimari poteſt, quam ut ſis Mater eorum, quorum Chriſtus dignatus eſt eſſe Frater?* Et profecto, nunquid eundem Paulus *Primogenitum in multis fratribus* (n) vocat: Immo nunquid ipſe Fideles, fratres ſuos, appellare dignatus eſt? *Quamdiu feciſtis uni* (o) *ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis?* Et reverſus ab inferis nunquid Magdalenam Fidelibus reſurrectionis ſuæ nuncium ferre his verbis juſſit: *Vade autem* ad (p) *fratres meos.* Quod ſi Chriſtus frater noſter eſt, & talem ſe alta voce profiteri benigniſſime voluit; cur nos Mariam, Reginam quidem noſtram at ſimul etiam Matrem noſtram, & vocare & venerari non audeamus? Repetamus cum S. Auguſtino: *Plane Mater membrorum ejus, quod ſumus nos.*

Neque ea cogitatione animos tentari veſtros ſinatis precor, ut Mariam in numero moroſarum illarum & aſperarum matrum habeatis, qui filiis, officiorum ſuorum negligentibus, ſuccurrere pigritantur aut miſerias eorundem minus dolent. Non ea, ait Guarricus Abbas (q) non ea eſt Mariæ indoles; ſed cum ſe Matrem nobis a Chriſto in cruce expirante deſtinatam agnoſcat, infatigabili quadam adjuvandi nos ſollicitudine ob nimiam, qua cor ejus abundat, miſericordiam agitur: *Porro beata Mater, quia ſe Matrem Chriſtianorum agnoſcit ratione miniſterii: cura quoque ſe Matrem eis præſtat affectu pietatis; neque enim duratur ad filios . . . cujus viſcera nunquam deſinunt fructum parturire pietatis.* Et profecto ſi Apoſtolus Paulus Galatis ſcribens, pergit doctiſſimus ac venerabilis Abbas, teſtatur, ſe eos ſpiritualem in modum de novo parturire, quin deficiat, donec in eis efformatam Chriſti imaginem conſpiciat: *Filioli mei! quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis* (r) quis eſt qui Mariæ minorem reſpectu noſtrum (filiorum ſuorum) ſollicitudinem adſcribere audeat, quam Paulus pro filiis ſuis ſpiritualibus geſſit? Nemo certe hoc dixerit, quisquis ſanctitatem Mariæ ejusque in Eccleſiam, Filii ſui ſponſam, pietatem profitetur. Itaque *ſi ſervus Chriſti*, ait Guarricus (s) *filiolos ſuos iterum atque iterum parturit cura ac deſiderio pietatis, donec formetur in eis Chriſtus; quanto magis ipſa Mater Chriſti?*

Quæ cum ita ſint, quo animo, O dilectiſſimi, quantaque cum fiducia invocare noſtris in neceſſitatibus Mariam debemus, verba Eccleſiæ ſanctæ eidem dirigentes: O Maria! *monſtra te eſſe Matrem.* Monſtra eſſe te Matrem illam amantiſſimam, qualis vera re es. Si tentationes, ſi cogitationes malæ, ſi pravæ aliorum ſollicitationes, ſi immoderatarum affectionum impetus ad offendendum Filium, inque Filio Matrem lædendam inducere nos conantur; dicamus: Juva, O Mater! ſuccurre, O Maria! Et illa fido invocata animo auxilium nobis obtinebit. Si ita exigente officii noſtri ratione aut decori ſine boni ordinis læſione haud omittendi gratia offerre nos non ſolitæ peccandi occaſioni cogimur; dicamus Mariæ: *Monſtra te eſſe Matrem:* ecce! Eo, me illo confero non mea ſponte, non ex genio, non oblectationis cauſſa, nequaquam (nam tum temerarium foret, Mariam in auxilium vocare) ſed morali neceſſitate, a qua eximere me nequeo, ada-

(l) *Lib. de Virginit. c. 6.* (m) *Orat. 46.* (n) *Rom. 8.* (o) *Matth. 25.*
(p) *Joan. 20.* (b) *Serm. 1. de Aſſumpt.* (r) *Galat. 4.* (s) *Loc. cit.*

adactus: Succurre ergo, Maria! sustine me; & sustinebit. Sic in omnibus aliis negotiis agite: *In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita* (ita juvat vos cum S. Bernardo (t) adhortari) *Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat a corde*; & sentietis optatos devotionis vestræ effectus.

Pergamus ulterius. Nunquid prospera quæque, O charissimi! auguramur clienti alicui, qui ad Regis tribunal Patronam atque Advocatam habet Matrem Reginam, adeo ut, præterquam quod subditus Regis sit, speciali insuper privilegio fruatur regiam Matrem Patronam atque Advocatam habendi. Diceremus haud dubie, eum certam animo victoriam præcipere posse; nam cum Rex Matris suæ, supra quam credi potest, amans & ad obsequendum eidem quam propensissimus sit, dum illam interponere advocationem suam videt, nullam esse gratiam arbitramur, quam illa clienti non obtineat, cliens vero (si modo consequi dignus est) non consequatur: Ita certe se res habet. Jam, ut vobis penitus persuadeatis, Mariam esse nostram Advocatam, solus Ecclesiæ sanctæ sensus sufficere debet, sanctissimam Mariam titulo *Advocatæ nostræ* alta voce condecorantis; Neque hoc juribus Christi derogat, quem S. Joannes Advocatum nostrum appellat: *Advocatum habemus apud Patrem* (u) *Jesum Christum justum*: Etenim Maria advocationis suæ vim atque efficaciam omnem ex meritis Jesu Christi accipit. Præterea conscientia nostra, dum nobis injurias Jesu Christo principali Advocato nostro illatas exprobrat, ita quandoque phantasiam nostram perturbat, dum eundem (tanquam justum quoque ad pænas repetendas judicem) considerare nos facit, ut plus æquo exterriti accedere ad Christum ipsum toties tamque graviter læsum non audeamus (quanquam primo loco ad hunc confugere, attamen dolentes ac contriti, deberemus) Hinc majestas divina in Christo resplendens, ait S. Bernardus, haud probe a nobis accepta atque intellecta, dum mentem inordinato terrore complet, nos consternat potius quam confugere ad eundem movet. Atque ob eam rem Christus ipse, infirmitatis & debilitatis nostræ commiseratione tactus, quandam nobis apud se mediatorem mediatricem providit, quæ nihil, quod nos perterrefacere posset: nihil austerum: nihil terribile haberet; sed tota suavis esset & consolationis suæ lac omnibus offerret: *Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est . . Fidelis sane & præpotens mediator Dei & hominum homo Christus Jesus; sed divinam in eo reverentur homines majestatem* (x) . . . *Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter & judicium . . . Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera a facie ignis, sic pereat ipse a facie Dei? . . . Opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria . . . Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile: Tota suavis est, omnibus offerens lac . . . Revolve*, prosequitur sanctus Doctor, *revolve diligentius evangelicæ historiæ seriem universam & si quod signum vel levis indignationis occurrerit in Maria, de cetero suspectam habeas & accedere verearis. Quod si (ut vere sunt) plena magis omnia pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis & misericordiæ, quæ ad eam pertinent, inveneris; age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil posset esse suspectum.*

Neque solus Bernardus Mariam ut talem agnovit (Uti forsitan aliquis e temerariis nostrorum temporum homuncionibus dixerit) sed, ut talem, Patres primi ordinis & prostatæ Ecclesiæ atque inprimis S. Methodius Tyri Episcopus & Martyr, cujus gravissimam auctoritatem superius collaudavi, Mariam est veneratus: Is post multa elogia, post gravissimas & facundissimas sententias Mariæ directas, tandem se eidem commendans in hæc verba prorumpit: *Propterea te deprecamur* (y) *omnium præstantissimam maternique honoris fiducia gloriantem, ut indesinentem nostri memoriam Dei Mater sanctissima habeas, nostri (inquam) qui in te gloriamur* augu-

(t) *Homil. 2. Super*: Missus est. (u) *1. Joan. 2.* (x) *Serm. de Dom. infra Oct. Assumpt.* (y) *Serm. de Simeon. & Anna.*

augustioribusque canticis perpetuo victuram & nullis desituram temporibus tui memoriam celebramus. S. Me hodie divus consentit Ephraem (z) vir ea auctoritate atque existimatione, qualem vobis superiori sermone descripsi: Is, postquam longius laudes Mariæ celebrasset, multisque piissimis allocutionibus eam in auxilium advocasset, in una harum tandem sic se exprimit: *Per te reconciliati sumus Christo Deo nostro filio tuo dulcissimo: Tu peccatorum atque auxilio destitutorum unica Advocata atque adjutrix: Tu portus naufragantium tutissimus: Tu mundi solatium: Tu orphanorum susceptio: Tu captivorum redemptio atque liberatio Tu ægrotantium exultatio mæstorumque consolatio, & omnium salu; Tu monachorum & solitariorum stabilimentum, & spes secularium: Tu Virginum gloria, corona & gaudium: Tu mundi lætitia, O Domina, Princeps atque Regina præstantissima . . . & dominarum Domina purissima atque castissima! Sub tuum præsidium confugimus, o sancta Dei Genitrix! sub alis pietatis & misericordiæ tuæ protege & custodi nos.* Auscultemus, rogo O mei! eidem sancto Patri adhuc paululum; nam gravius nihil, nihil magis pium, nihil proposito nostro accomodatius inveniri poterit: *Miserere nostri, qui sceleribus atque delictis quamplurimis Creatorem Deum nostrum atque judicem universorum offendimus. Nobis non est alia* (post Christum) *quam in te fiducia, O Virgo sincerissima! ex ulnis siquidem maternis tibi, Domina nostra! dediti sumus miseri, tuique clientes appellatione. Igitur a maligno satanâ ad inferni portas abduci non sinas . . . Sub tua denique tutela & protectione toti sumus. Quare ad te unicam confugimus, crebrisque te lacrymis, O beatissima Mater! imploramus, tibique procidimus suppliciter clamantes & deprecantes, ne dulcis Filius tuus Salvator noster & vitæ omnium dator ob plurima, quæ commisimus, scelera e medio tollat nos . . . aut sicut ficum sterilem nos excidat. Ceterum obsecramus, ut ad Christum securi pervenire possimus, aulasque illas Beatorum subire.* His Patres posteriorum seculorum suffragantur, quorum omnium testimonia adducere in medium si velim, nullum dicendi finem faciam. Concludamus ergo: possidere Mariam dignitati suæ æqualem auctoritatem, quam a Deo in omnes subditos suos accepit eaque potissimum re manifestat, quod ad se recurrentes tueatur.

Opportet hoc loco explicare, qua ratione confugere ad Mariam debeamus, ut auxilium ejus obtinere possimus. Sunt enim, qui præsidium ab ipsa sibi petunt: utut peccatores, at peccatores redire ad frugem & abstinere se ab offendendo Numine desiderantes sint; qui (quod istud negotii genus sive ob inveteratas vitiorum consuetudines sive ob varios, quibus ex morali necessitate implicantur, casus sive ob debilitatem tentationibus facile cedentem oppido arduum esse sentiant) impetraturi necessaria gratiæ subsidia humiliter, frequenter magnaque cum fiducia Mariam invocant, ut sibi efficacissima sua protectione impetrare illa dignetur. Et hi quidem, si adjuvante Dei gratia diligentiam, quam possunt, omnem adhibent, si statum peccati ex animo abhorrent, si peccandi occasiones studiose devitant, si magna cum humilitate magnoque cum ardore ad Matrem misericordiæ confugiunt, ejusdem patrocinium obtinebunt. Verum sunt alii peccatores, qui Mariam invocant, qui ejus in honorem aliquod pium opus exercent haud animum gerentes deserendi peccata, haud secum illa amplius non comittere statuentes; sed enim tacite pessimæ vitæ suæ rationem sub Marianæ protectionis auspicio prosequi parati; qui peccandi occasiones nec fugiunt nec declinant, immo illis audacter occurrunt & eas quandoque ipsi quærunt, deque patrocinio Mariæ confisi peccare parum aut nihil verentes pergunt, sibi cum animis suis dicentes: Jejuno die sabbathi; recito Rosarium; hoc, illud officium Mariæ offero; proteget me illa, ne me Deus sine prævia peccatorum Confessione de medio tollat: Et sic divina judicia parum aut nihil reformidantes peccata peccatis augent. Non expectent sibi hi tales Mariæ protectionem; neque enim illa lædentibus Filium fautricem præbere se nec

(z) *Orat. de Laud. S. Deiparæ.*

nec eos juvare consuevit, qui sua advocatione freti continuare Filio injurias volunt. Obsequia fraudulento hoc animo (scilicet obtinendi impunitatem scelerum & interea affectus pravos explendi) Virgini oblata non sunt obsequia sed totidem injuriæ, quas Mariæ, miseri! infertis; dum illam Patronam eorum, qui offendere Jesum amantissimum pergunt, creditis & similem Matri facitis, quæ munusculis inimicorum Filii sui capi se fineret eosque apud Filium defendere sibi sumeret: Nequaquam istiusmodi peccatores protectionem sed enim indignationem Virginis sanctissimæ sibi expectent. Non sunt, O Maria! non sunt hujus farinæ mei hi devoti auditores: Fatentur quidem se Filium tuum teque in Filio offendisse; verum alii finem facere peccandi optant, alii jam fecerunt; sed nimium fragilitate sua retrahuntur: Alii nolunt peccatum, sed id impetrare a se ipsis nequeunt, ut peccandi occasiones resecent: alii & has resecarunt, at sentiunt mentes suas fastidio SS. Sacramentorum teneri; in quorum tamen frequentatione unicum remedium, quo ad bonum confirmentur, positum est: omnes denique peccatum noscunt: Omnes emendare se in melius aliquo modo desiderant: Non est hos inter unus e fraudulentis illis Peccatoribus de quibus paulo ante memini: Non fautricem te scelerum suorum sed potentissimam Patronam esse volunt, cujus efficax maternumque præsidium humiles petunt, ut miseris succurras, pusilanimes adjuves, instabilesque stabilias. Tibi itaque verbis Ecclesiæ sanctæ a S. Fulgentio Episcopo (aa) acceptis dicam: O Maria! *Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles*, ut omnes resipiscentes, dolentes, confirmati magis magisque dignos nos tuo patrocinio reddamus, quo ipso nos continuo defendere digneris, donec illud eo nos perducat, ubi Deo nostro tibique in illo benedicere atque agere gratias: ubi Deum amare eoque frui nobis per infinita secula licebit. Amen.

(aa) *Serm. 208. n. 11. inter Opp. S. August. t. 5.*

SALUTATIO ANGELICA
Meditatione digesta.

A*Ve Maria*, ait tibi Archangelus Gabriel, dum in altissimam divinæ majestatis contemplationem absorpta divinis charismatibus frueretis ardentissimasque pro salute mundi Deo preces offerres, ut *emitteret agnum dominatorem terræ*, qui ex virginis utero nasciturus humanam sobolem a captivitate dæmonis liberaret: tunc, inquam, salutationem audis angelicam: *Ave Maria.* Quis conjicere aut deprehendere valeat, quænam tunc sensa tibi ob animum obversarentur summa præditum humilitate & ardentissima charitate æstuantem? Quanto cordis affectu supplicaveris, ut sanctissimæ virgini electæ inter omnes mulieres, quæ Deum conceptura pariturAque erat, tu tanquam ancilla vel omnium infima famulari posses, Deumque cumprimis cernere & adorare pro nobis Infantem, & ita obsequi utrique, ut charitatis tuæ nova semper incitamenta nanciscereris? Verum non ita, Virgo sanctissima! quandoquidem Deus, *qui ponit humiles in sublime* ipsosque eo altius extollit, quo magis sibi ipsi vilescunt, cum nemo te humilior existeret vel unquam esset futurus, nemo charitate ferventior, nemo præstantior puritate creatus a Deo vel aliquando creandus, Te præ omnibus elegit, cui annunciaret Angelus assumptionem non ad famulatum ipsius Dei genitricis sed ut ipsa vera Dei Mater efficereris; & ideo diceris

Gratia plena. Oh portentum vere dviinum! Puella, quæ vix quindecim annos expleverat, dicitur & est *gratia plena.* At si ita flavit in te Auster ille divinus, priusquam Dei Filium in sinum tuum susciperes, quonam gratiæ incremento te auctam arbitrabimur, dum carnem tuam & sanguinem, quo Deus homo fieret, ministrasti? dum novem decursu mensium totius gratiæ fontem in utero tuo virginali gestasti? dum in lucem edidisti? dum purissimo lacte potasti? dum sopore correptum in tuo gremio dormientem complexa es? dum oscula tibi infi.entem & multifarie blandientem suspexisti? dum triginta annorum spatio illius intima familia-

miliaritate & colloquio frui concessum tibi est? dum omnia studiosissimæ Matris officia peramanter explesti? . . . Quibus gratiæ charismatibus auctam, dum Filio voluntatem Patris jamjam perfecturo mutuos inter amplexus ultimum Vale dixisti? dum flagellis, spinis, opprobriis affecto condoleres? dum e cruce pendenti constanter adsisteres? dum extremum spiritum exhalantem intuereris? dum cruce depositum in tuas ulnas reciperes eiusque vulnera lacrymis rigares? . . . Quibus gratiæ donis cumulatam, dum e mortuis redivivum rursus amplecti concessum est & cælos ascendentem eminus intueri? dum illum in cælis regnantem exstatico & & nunquam interrupto mentis intuitu æstuantisque cordis affectu contemplareris? dum illum in eucharistico Sacramento latentem vivissima fide adorares atque in tuo pectore quotidie reconderes? dum tu ipsa felici charitatis incendio absumpta ad eundem ascenderes? Si igitur tribus lustris vix jam peractis ab Angelo annunciaris *gratia plena*; quisnam gratiæ cumulus, quænam superessluens mensura, omnium cælicolarum mensuram longe transcendens, tibi addita fuerit, quæ jure ac merito diceris *mons in vertice montium?* Ita plane tot tantisque charismatibus par est eam credere cumulatam, quantum decebat primogenitam omnium creaturarum ab æterno Patre adoptatarum, quantum decebat veram Filii Dei Genitricem, unicamque columbam & sponsam Spiritus sancti. Ex intimis itaque præcordiorum meorum affectibus tibi congaudeo, O Maria! & tam ingentes gratiæ thesauros collatos esse sic gratulor, ac si mihi ipsi collati fuissent: Unum mihi superest flagitandum, ut de excelso, in quo resides, throno me miserum peccatorem respicere ne dedigneris & catellum sub mensa ditissimæ dominæ de micis satiari cupientem magis magisque tuo patrocinio foveas. Fac igitur, ut tuas imitando virtutes semper majora gratiæ incrementa promerear & Filium tuum ac Dominum meum æstuanti amore diligam teque post ipsum ardentius & constantissime prosequar; omnia enim potes, quia

Dominus tecum, tecum ut Filia præ omnibus chara: tecum ut sponsa præ omnibus electa: & vix præstito assensu tecum ut vera Matre super omnes dilecta. *Dominus tecum*, O Virgo purissima! ut novis te cumulet donis; ut suum in te figat domicilium: ut suam ex te humanitatem assumat: ut ad dignitatem, qua major esse non potest, te extollat. *Dominus tecum*, ut oblectetur in te, quæ es deliciarum *hortus conclusus & fons signatus:* ut suavissimo tuarum virtutum odore se recreet. ut in te, quæ es *lilium convallium & flos campi* inferatur. *Dominus tecum*, O Virgo immaculata! per amoris vinculum indissolubile, per beneficentiæ effusionem incomparabilem, per donorum communicationem incomprehensibilem. *Dominus tecum*, O Virgo admiranda! illectus humilitate tua singulari, tua purissima virginitate, sanctitate tua præstantissima. Eja, Mater dulcissima! si *Dominus tecum* tam intima unione, tam perenni admirabilique præsentia, fac quæso! per viscera misericordiæ tuæ, ut etiam sit Dominus mecum indignissimo famulo tuo. Heu, Mater! tu scis, quoties illum a me ipso repulerim; tu sæpe impetrasti, ut iterum rediret in me: Utinam & modo adsit; quod licet sperem, tamen ignoro. Si forte abesset, fac, O pientissima! ut sincera cordis contritione quamprimum revocem atque in æternum ab eo non dimovear, immo fideliter obtemperando & ardenter diligendo arctius cum illo conjungar, donec in cælo regnaturus perveniam ad te, quæ es

Benedicta in mulieribus. Benedicta terra tua, in qua plantavit arborem vitæ & de qua germinavit immortalitatis fructus, in quo benedictæ fuere omnes tribus terræ. Benedicta ab Angelis, quorum Regina ab æterno prædestinata fuisti: Benedicta a justis, quorum perfectissimum & incomparabile exemplar es præstituta: Benedicta a peccatoribus, quorum apud Filium effecta mediatrix es: Benedicta a me tuorum clientulorum miserrimo, qui te magis quam me ipsum diligere vellem atque purissimo tuo amore conflagrare.

Et benedictus fructus Ventris tui Jesus, qui se ineffabiliter humiliando te ineffabiliter exaltavit, & cum in forma Dei esset, carnem ex te assumendo hypostatica quadam unione (si ita loqui fas est) se tibi conjunxit: Benedictus ventris tui fructus, qui florem virginitatis tuæ nullatenus exsiccavit sed candidiorem magisque redolentem effecit; fructus vere benedictus, quo tollitur humani generis maledictio: quo obstruitur perditionis abyssus: quo omnia restaurantur ad vitam: quo deletum est, *quod adversus nos erat chyrographum decreti inimicitias* solvendo *in carne sua, faciendo utraque unum*, Deum nempe & hominem in eadem hypostasi subsistentem. *Benedictus* tandem *fructus ventris tui*, qui me licet indignum tot cumulavit beneficiis Ecclesiæ suæ aggregando, tempus pœnitendi largiendo, ad institutum sanctum vocando, ad altaris ministerium assumando, innumeris charismatibus irrigando. *Benedictus* itaque *fructus ventris tui*, erga me tantopere effusus te utique intercedente: Quare nunc etiam

Sancta Maria! Mater Dei ora pro nobis peccatoribus. Ora; quia *sancta*: cum enim creaturis omnibus sanctitate longe præcellas, majori potestate & gratia polles, & nos miseros majori benignitate complecteris. Ora; quia *Maria*: Quid enim significat hoc dulcissimum Mariæ nomen, nisi Dominam? Domina es: Ora pro servo licet immerito, ora pro indigente & culparum onere oppresso. Ora; quia *Mater Dei*: Quid enim tam congruum quam Matrem Redemptoris orare pro redemptis? Si Filius pro nobis cruorem fudit, an tu, Mater! patrocinium tuum denegabis? Quia Mater es Salvatoris, omnia potes: quia advocata nostra, salutem te nostram velle non dubito, & quamvis ego indi-

indignus sim, ut oculos misericordiæ tuæ in me convertas, nihilominus spero, ut servulum tuum ad te clamantem respicias. Ora igitur pro me, misericordiæ Mater! quem a teneris unguibus tuo patrocinio donasti; quem cura plane materna a tot periculis eruisti; quem plurimis magnisque beneficiis cumulasti; cui etiam, ut te diligerem, impetrasti. *Ora pro nobis peccatoribus*; Justus enim, tametsi tuis precibus adjuvari maxime possit, non tamen æque indiget ac peccator. Et si Unigenitus tuus in mundum se venisse testatur, ut peccatores ad pænitentiam vocaret, tu quoque pro me ceterisque peccatoribus tuas potissimum preces ad Deum effunde: Eos minime dedignaberis, sine quibus tanto Filio caruisses. Eja igitur *Sancta Maria! ora pro nobis peccatoribus*, ora pro me omnium miserrimo, ut ex toto corde peccata mea defleam: ut de virtute in virtutem proficiam: ut Deum meum quam maxime diligam; ut tuo filiali & casto amore deperam.

Nunc, dum hoc in exilio miserrimus dego & in tot tantisque periculis versor: Fac, ut omnia mundi oblectamenta constanter despiciam, ut omnes carnis illecebras superem, ut dæmonum tentationes animose retundam, Ora, o benignissima Mater! ut passiones cohibeam: ut corpus in servitutem redigam: ut oculos ceterosque sensus coerceam: ut instituti mei leges adimpleam. Ora, ut Deo placere semper enitar: ut illius gloriam omni studio promoveam: ut & tibi semper placere tuumque cultum pro viribus ampliare contendam: ut omnium in te corda accendere satagam, ut oculos in te mentis immobiliter figant, ut nostram in te spem (post Deum) omnes collocemus. Ora igitur, ut hæc mihi omnia præstentur *Nunc*

Et in hora mortis nostræ, tunc scilicet, quando ab inimicis nostris graviores struentur insidiæ, viresque nostræ ad resistendum minus erunt idoneæ: Tunc itaque, ut pro me orare digneris, etiam atque etiam rogo, *ut avertantur retrorsum & confundantur, qui cogitant mihi mala*: Tunc mihi obtine firmitatem fidei, vigorem spei, charitatis fervorem, ut *anima mea* finalis perseverantiæ dono fulcita *moriatur morte justorum*. Jam optime nosti, O Mater dulcissima! *momentum illud esse*, a *quo mea pendet æternitas*; a quo salus æterna vel æterna damnatio: momentum, quo vel tecum perpetuo conjungar vel a te dividar in æternum. Heu, Maria! consolatio, jucunditas, fiducia & vita mea! Qui fieri poterit, ut me, quem semper dum viverem protexisti, in hora exitus mei deseras atque repellas: Me in seculo commorantem tuique vix memorem in clientelam tuam benignissime cooptasti; *vincula mea dirupisti*; in salutis semitam revocasti & (ut fatear quod sentio) te modo colere, te diligere, tibi famulari maxime concupisco, ita ut post Christum Jesum te vitam meam, te refugium atque solamen, te spem atque thesaurum, te denique paradisum meum ex animo reputem. Tunc igitur ad te anhelantem: te sitientem: tecum in cælis inseparabiliter conjungi cupientem: te in perpetuum diligere, laudare & benedicere optantem, tunc (inquam) me misellum despicies? Quæ utilitas, O Maria! quod mihi tot & tanta contuleris, si descendero in corruptionem? Non ita, O Mater pietatis! non ita. Quin immo firmissime spero, te maternis misericordiæ visceribus efficacissimam opem mihi esse laturam atque illud potissimum impetraturam a Deo, ut peccata, quæ toto vitæ decursu commisi, serio efficaciterque detester atque altissima cordis contritione afficiar; ita ut spiritus e corpore egrediens, a te inter ulnas exceptus tuoque validissimo patrocinio munitus, Filio tuo judicandus offeratur. *In manibus* igitur *tuis sortes meæ*, o Maria! Si mihi in tanto discrimine manum porrexeris, salvus ero; Sin autem: vereor, ne peream in æternum. At neque misericordia tua neque beneficia abs te mihi collata neque materna dilectio, qua semper me es prosecuta, patiuntur aut suspicari sinunt, te mihi in tanto periculo defuturam. At quia æquissimum est, ut pænas peccatis meis debitas, pro quibus nondum satisfecerim, usque ad ultimum quadrantem in Purgatorio persolvam, ibi etiam fac, ut experiar dilectionis & patrocinii tui efficacitatem, obtinendo ut meritorum tuorum oblatione, sacrificiorum ac indulgentiarum ope quamprimum inde Spiritus eripiatur & ad sempiternam beatamque Dei visionem perveniat nec non ad suavissimos amplexus tuos, ut te semper possideam tuaque societate & præsentia perfruar in secula seculorum, *Amen*.

ANTIPHONA: SALVE REGINA

Meditatione digesta.

S*Alve Regina* cæli & terræ, Angelorum & hominum! *Salve Regina*, æterni Patris Filia dulcissima, Dei Filii Mater summe dilecta, Spiritus sancti Sponsa charissima! Regina cælo admirabilis, inferno terribilis, mundo venerabilis: cujus præsentia Cælites lætificat, cujus protectio mortales refovet, cujus imperium dæmones terret! Regina, *cujus pulchritudinem sol & luna miran-*

mirantur, cui Angeli omnesque Cælicolæ obsequuntur, cui nihil creatum æquari potest! Regina, *cujus decorem cælorum Rex concupivit*, cujus *vultum deprecantur omnes divites plebis!* Regina, cujus famulatui me totum devoveo, cujus amore deflagrare desidero, in cujus obsequium omnes accendere gestio! *Salve* itaque *Regina*

Mater misericordiæ, quam pro mundi salute peperisti, quam peccatoribus mihique omnium miserrimo toties impetrasti, quam cunctis ad te confugientibus spopondisti. *Mater misericordiæ*! O verba mihi *dulciora super mel & favum*! verba quæ spem roborant, fiduciam adaugent! Quis in Matre tenerrima, in Matre misericordiæ non speret? Quis ad illam non securus accedat? Mater es; suscipe filium ad te confugientem: Misericors es; suscipe miserum tua suffragia præstolantem. O Mater! O Misericors! Satis esset appellare *Matrem*, ut munus tibi a Filio demandatum omnes agnoscerent; Verum & *misericors* appellaris, ut ingenita cordis tui in miseros propensio magis magisque pandatur. *Misericors* ab initio fuisti: *Mater* vero tunc maxime nobis effecta es; cum filio tuo *sponso sanguinum juxta crucem adstitisti*, & *angustiæ possederunt te ut angustiæ parturientis*, deductoque fonte lacrymarum nos quodammodo peperisti. Quare etiam jure vocaris

Vita nostra; quia pretium vitæ æternæ pro nobis erogandum ex te quodammodo Filius assumpsit, assumendo humanitatem ex te; quia victimam pro salute nostra immolandam tuo lacte purissimo nutrivisti eamque mira sollicitudine, industria, laboribus usque ad definitum sacrificii tempus fovisti; quia demum in te est *omnis spes vitæ & virtutis*, ut qui te *invenerit*, *inveniat vitam & hauriat salutem a Domino*. Salve igitur *Vita nostra* amabilissima! cujus ope vivimus Deo, vivimus tibi, vivimus & nobis ipsis! *Vita!* per quam fides augetur, spes roboratur, charitas vegetatur; cujus auxilio progredimur de virtute in virtutem & augemur in virum perfectum. O Maria! O *Vita nostra!* Anima mea tibi vivat omnibus diebus vitæ meæ: tibi vivat mens mea de te jugiter cogitando: tibi vivat cor meum ad te jugiter adspirando; quia nihil ex creatis omnibus te ipsa præstantius, nihil amabilius, nihil sanctius; cujus *fundamenta in montibus sanctis* locata sunt, cujus portas diligit Deus *super omnia tabernacula Jacob*. Quid te pulchrius, quæ in Canticis Canticorum speciosa, decora, tota pulchra & in qua macula nulla est, jure a sponso vocaris; quæ ascendisti *ut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol*; quæ *uno oculorum tuorum vulnerasti cor* sponsi tui & *uno crine colli tui* eum tibi perpetuo devinxisti; quæ tandem insigni adeo pulchritudine præstas, ut idem sponsus præ amore tuo languens & videre faciem & sonum vocis audire ardentissime exoptet. Tibi itaque vivat anima mea: ad te vigilet cor meum: in te mens mea conquiescat; Neque mens solum & anima, sed & omnes sensus mei; Visus a cujusvis mulieris specie abstinendo & ab omnibus vanitatibus sæculi sese avertendo, solum imagines tuas devote aspiciendo: auditus mundi profanos concentus fastidiendo iis que tantummodo sese oblectando, quibus Dei tui tuaque laudes & merita concinantur: Olfactus ex variis florum odoribus ad te, quæ es fragrantissimum lilium, mentem & animum extollendo, curratque *in odorem unguentorum tuorum*: Gustus sapidiora fercula respuendo, animusque saturari solum exoptet suavissimo spiritu tuo dulctori super mel & favum: denique Tactus præscriptis ab instituto meo austeritatibus operam dando, tuarum imaginum osculis earumque sacris amplexibus sese sanctificando & ab omnibus mundi illecebris abstinendo. Vivat igitur tibi, O Maria! semper & in omnibus anima mea, ita ut mihi dicere liceat: *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me* Maria; *Mihi enim vivere* Maria *est & mori lucrum.* Tu pariter

Dulcedo, quæ omnem sensum exsuperat; Quid namque in te est, O Maria! quod dulce non sit? Nomen, loquela, mores & vita, omnia demum, quæ in te sunt, dulcedinem spirant. Quid dulcius hoc nomine, si JEsu nomen excipias? Nonne pie ac reverenter prolatum statim *oleum effusum* in corde sentitur? Defervet ira, abscedit turbatio, redit serenum: Resonet Mariæ nomen; & amaritudo dulcescit, mitigatur afflictio, tristitia evanescit. Quid te dulcius, Maria! quæ ipsum dulcedinis fontem peperisti: ex qua JEsus indolem omnium dulcissimam atque mitissimam hausit? Si igitur Filius omnium dulcissimus, quisnam te dulcior, O vita & dulcedo mea! Quid etiam eloquio tuo dulcius? Nonne verba, quæ abs te prolata in Evangelio leguntur, *dulciora super mel & favum?* Et (ut alia præteream) nonne Canticum tuum omnem superat dulcedinem & omnem mundi hujus suavitatem? Quid gestu tuo dulcius? sive te intuear cum Gabriele tractantem, sive Elisabeth invisentem eique humiliter inservientem, sive cum pastoribus & magis de ineffabili mysterio differentem, sive Filiolum in templo offerentem, sive domi educantem, sive injuriis & tormentis affecto sive in cruce pendenti compatientem, sive ei redivivo gratulantem, sive amoris incendio magis quam ægritudinis vi te ex hac vita migrantem, sive animam dulcissimos inter amplexus efflantem, sive corporaliter in cœlum assumptam & ad Filii dexteram assidentem, sive pro peccatoribus & me omnium vilissimo deprecantem: nonne omnia dulcedinem stillant animamque suavitate perfundunt? Nonne *Spiritus* tuus, O Maria! *super mel dulcis & hereditas* tua *super mel & favum?* Comedam itaque *favum cum melle meo* de te sæpius cogitando, O Maria! Bibam *vinum meum cum lacte meo* te sæpius alloquendo, O dulcedo &

Spes nostra, cui neque potestas subveniendi deest neque voluntas. Quod mihi misero succurrere velis, omnia, quæ in te sunt, fundamentum mihi maximum præbent; cum sis Mater misericordiæ: Quod au-

autem possis, quis ambigat? Anne quidpiam negabit Pater Filiæ omnium acceptissimæ, anne Filius Matri super omnes dilectæ, anne Spiritus sanctus unicæ Sponsæ charissimæ? Nonne aliquo sensu & tu asserere potes: *Omnia dedit mihi Pater in manus:* Nonne & Filio dicere: *Tua mea sunt:* Nonne Spiritui Sancto: *Ego dilecto meo & ad me conversio illius?* Si igitur omnia dedit tibi Pater in manus, omnia potes, adeoque in manu tua sunt mearum victoria passionum; in manu tua profligatio inimicorum meorum; in manu tua divino me amore succendere frigescentem, labantem erigere, devium revocare, omnibus ditare virtutibus ac me demum ad vitam æternam perducere: Cur hæc omnia per te obtinere non sperem, quæ omnia potes? Igitur *in manibus tuis sortes meæ*, O Maria. Si Filio *data est omnis potestas in cælo & in terra*, tibi quoque per illum concessa quodammodo est: Tuum igitur infinitum pretiosissimi Christi sanguinis ex te accepti valorem, tua passionis illius infinita merita, tuam omnium distributionem donorum fas est quodammodo appellare. Quæ cum ita sint, anne mihi timendum, ne in talium distributione donorum me licet indignum sis, Mater misericordiæ! præteritura? Minime sane; cum enim per te tot ac tanta hucusque receperim, licet immemor tui, cur & alia majora non sperem, si te ex corde rogavero, O Mater pietatis! *In manibus* itaque *tuis sortes meæ*, O Maria! Si demum ad te conversio ejus, videlicet Spiritus Sancti Sposi tui; quid petere, quid optare poteris, quod non statim ille concedat? Sponsorum eadem voluntas est. Si itaque petas, ut mea mihi peccata dimittat licet plurima atque gravissima: ut templum sanctum suum me dignetur efficere: ut sua me virtute corroboret: ut exteriores sensus interioresque custodiat: ut moriar mihi ipsi ac solum Tibi & Sponso tuo vivam; hæc statim omnia præstabit. *In manibus* igitur *tuis*, O Maria! *sortes meæ;* semper in te sperabo *& adjiciam super omnem laudem tuam, quoniam tu*, Domina! *singulariter in spe constituisti me. Sperent* igitur *in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te*, Domina!

Ad te clamamus exules filii Evæ, clamamus variis cruciati languoribus, magnis circumsepti periculis, innumeris gravati peccatis. *Ad te* (inquam) *clamamus* errantes & fluctuantes per hoc *mare magnum & spatiosum manibus*, pyratarum incursui, ventorum impetui, scopulorum illisioni, tempestatum sævitiæ, submersionis periculo incessant r obnoxii.

Ad te suspiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle; quia Deum ex toto corde, ut par est, non diligimus; quia illius faciem nondum intueri valemus. *Gementes & flentes*; quia & tibi, Dominæ nostræ, servitutem debitam non exhibemus; quia singularem celsitudinem tuam, admirabilem pulchritudinem tuam nondum cernere concessum est nec præsentia tua jucundissima frui.

P. Cuniliati Catechista.

Eja ergo Advocata nostra! ineffabili providentia nobis divinitus data, ut quod nobis immeritis Deus facile denegaret, tua nobis intercessione largiatur. Habemus quidem mediatorem JEsum Christum, ut appareat vultui Dei pro nobis; sed illum ingratitudine nostra provocantes nostrisque sceleribus iterum crucifigentes, potius iratum judicem quam advocatum interpellantem habere merito vereremur. Quare tu quoque *Advocata nostra* divinitus constituta es, ut Filium, quem nos quotidie criminibus irritamus, tua mediatione placares eique ostendendo sinum & ubera, labores ac merita tua obtineas, ut ibi confringat *potentias, arcum, scutum, gladium & bellum*, & rugientem ante leonem nobis in mitissimum agnum convertas: Quapropter jure repetas, quæ de te mystice scripta leguntur: *Ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Eja!* igitur *Advocata nostra.*

Illos tuos misericordes oculos ad nos converte, qui & cordis duritiem emolliunt & tenebras mentis illustrant: illos (inquam) *ad nos converte*, O Maria! Solo tantum intuitu animum refoves, virtutem inferis, misericordiam confers; si enim respicis: & misereris. Sicut igitur nihil tibi facilius quam nos respicere, ita nobis nihil utilius quam respici a te: *Aspice in me ergo, & miserere mei: Illos tuos misericordes oculos ad me* ita *converte*, ut eos nunquam a me posthac avertas; nam eorum aspectu recreor, pulchritudine oblector, suavitate erigor atque confirmor. *Illos* igitur *tuos misericordes oculos* ad me *converte*, O Maria!

Et JEsum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende, illum (inquam) qui est pax nostra: qui nos & sua passione redemit & carne vivifica enutrit & pretioso sanguine inebriat: qui virtute sua omnipotenti sustentat, merito infinito sanctificat, revelata facie in æternum beabit. Illum igitur, qui te Matrem, Reginam, Advocatam nostram constituit, JEsum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende, ut tandem aliquando divinitatem ejus, revelata facie & sicuti est, intuentes perpetua felicitate lætemur. *Nobis*, inquam, *post hoc exilium ostende* non modo divinitatis essentiam sed & deificam humanitatem, quam ex purissimo tuo sanguine sumptam, O Virgo incomparabilis! corporeis hisce oculis post consummationem seculi aspicere merear & possim illius sanctissimæ humanitatis fruitione donari, sicque etiam *cor nostrum & caro nostra exultent in Deum vivum.* Talis enim ac tantus est humanitatis illius splendor & gloria, ut sol ipse e regione positus obtenebrescat, sydera venustatem amittant & aliorum Beatorum corpora, tametsi splendidissima, evadant *sicut scintillæ quæ in arundineto discurrunt* solaribus radiis comparatæ. Cum autem videro *JEsum benedictum fructum ventris tui*, te quoque videbo facie ad faciem, O Mater dilectissima! Quonam vero tunc gaudio replebor, O augustissima

ctissima cælorum regina! O Mater Regis regum gloriosa! Quam ingenti tunc gaudio replebor, cum animam tuam incomparabilem & innumeris præclarissimisque dotibus insignitam indesinenter aspicere datum erit; cum plurima beneficia, queis amore plane materno me indignissimum cumulasti, singulatim distincteque cognovero; cum singularem illam, qua frueris, gloriam intuebor; cum corpus tuum virgineum & immaculatum & solo Christi corpore excepto omnium gloriosissimum sublato velamine datum fuerit intueri; cum oculos sole clariores, frontem majestate simul & suavitate perfusam, faciem sanctitatis & pulchritudinis sedem contemplari licuerit? Quanta demum jucunditate replebor, cum vocem tuam audire, sermones miscere tecum, cordis mei tibi pandere ardorem, tuis castissimis amplexibus frui atque in te & propter te totum liquefieri mihi contigerit? Heu! deficit, O Maria! *in salutare tuum anima mea*, deficiunt in eloquium tuum sensus mei dicentes: *Quando consolaberis me* aspectu tuo? Propterea sunt *mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est* Domina tua, protectrix tua, consolatio tua, vita tua, sponsa tua? *Quemadmodum* enim *desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat ad te*, Virgo, Dei genitrix! *anima mea*, ad te sitit fontem dulcedinis vivum, & spiritus meus moræ impatiens clamitat: *quando veniam & apparebo ante faciem* tuam (excepto Filio tuo) unicam vitam & felicitatem meam. Quid namque, si Deum & Salvatorem excipias) mihi est in cælo & a te quid volui super terram, O amabilissima Mater mea *& pars mea in æternum*! Si tamen incolatum meum prolongare libuerit vitæ necisque Domino atque in *corpore mortis hujus* detineri adhuc animam meam, fac, O Maria cordis mei! ut interim ascensiones in corde meo disponam, utque de virtute in virtutem progrediar, donec perveniam ad videndum Deum deorum in Sion teque simul possidendum in cœlis. Hoc autem ut securius assequar, fac, obsecro! ut anima mea Filio tuo tibique unice vivat & in hora exitus suscipiatur in manibus tuis, ut charactere dilectionis tuæ & Filii tui Salvatoris mei obsignata ante tribunal ejusdem Domini nostri JEsu Christi per te offeratur, *O clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria*! Amen.

SERMO XIV.

In verba: PASSUS SUB PONTIO PILATO, CRUCIFIXUS, MORTUUS ET SEPULTUS. Varia consideratio eorum, quæ Christus in anima sua sanctissima passus est, instituitur.

SErmone undecimo dolores a Jesu Christo, Deo-homine ex Virgine Maria nato, exantlatos summatim quidem exposuimus; ast nec pietas nec gratitudo infinito Redemptionis beneficio debita permittere videntur, ut argumentum istud tam jejuna brevique explicatione tractasse contenti simus: Atque ob eam rem si non omnes, certe præcipuæ aliquot considerationes earum quas major pars Fidelium ignorat, pænarum institui debent. Sunt autem pænæ hæ illæ ipsæ, quas Christus in anima sua sanctissima sustinuit.

Fuit passio Jesu Christi Domini nostri multis ex caussis ipsi optime cognitis acerbissima; harum aliæ præsentes fuere, aliæ futuræ; quas tanquam præsentes ob divinam quæ ei inerat, scientiam cognoscebat. Itaque passionem Christi afflictiones animi longe acerbissimam effecere, quas ipse (ut plura nostri in gratiam pateretur) in se excitare voluit: Harum afflictionum prima caussa fuit, quod gentem a Deo tantopere prædilectam, qualis Judæorum tum erat, ex qua ipse originem duxit & cujus salvandæ caussa se potissimum venisse utpote patribus eorundem promissum, professus est: *Non sum missus* (a) *nisi ad oves, quæ perierant, domus Israel*; hanc ipsam (inquam) gentem passionis suæ administram esse viderit: quæ res supra modum benedictam illius sanctissimamque animam afflixit, & in Persona Christi a Rege Propheta prædicta fuit ajente: *Longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi* (b) *traditus sum & non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia.* Et Daniel (c) ait: *Et non erit* ejus

(a) *Matth.* 15. (b) *Psalm.* 87. (c) *cap.* 9.

ejus populus, qui eum negaturus est. Jam fingite vobis, quam acri dolore cor suum amantissimum transfigi Christus senserit, quando furentis in se populi vocif.rationes atque ululatus audivit: quando injur :, probra, contumelias sibi factas vidit: ando capi se, flagellari, irrideri, conspui, cædi alapis, coronari spinis seque fabulam populi & metam mordacissimorum jocorum factum esse vidit: quando se Barabbæ hominum, qui in vinculis erant, longe scelestissimi ab omnibus atque alta omnium voce, postponi & Judæos divini sanguinis mire sitientes crebrius, ut in crucem ageretur, postulare audivit. Ah quam alto vulnere actiones & voces hæ omnes suavissimum Jesu Christi cor confoderunt!

Ponite patrem sex aut octo filios habentem in educandis & pro status ratione instituendis liberis his suis nulli labori, diligentiæ nulli, nullis sumptibus pepercisse eisque summum amorem suum novis semper beneficiis significasse: Natos contra pro pessima indole sua his omnibus abutentes primum quidem nescio quod patris fastidium animique ab illo aversionem cepisse, qua stimulati omnibus, quibus possent, genitorem injuriis se affecturos conjurarint; subin vero hac aversione in verum odium transeunte eo impietatis processisse, ut patrem ad regium tribunal de atroci læsæ majestatis crimine reum egerint; qua re factum, ut infortunatus ille pater falsis filiorum suorum testimoniis confossus extremo supplicio ab ipsismet filiis adversus parentem (tanquam pessimum seductorem & totius imperii eversorem) alta voce postulato addictus sit. His positis ex vobis quærere juvat, quanto animi mœrore miserandum hunc patrem conficiendum putetis, videntem male adeo ardentissimum amorem suum compensari: videntem administros mortis suæ esse eos ipsos filios, quorum in gratiam tantos sumptus fecit, tantum sudavit atque aluit, quos tantopere adamavit? At quid creditis, O mei! Ecquis plus dilexit, anne pater (quem finximus) filios suos an vero Jesus Judæos suos? quinam majora beneficia accepere, anne memorati filii abs patre suo an vero Judæi a Christo? quisnam meriti sui magnitudinem melius notam habuit, anne pater ille an vero Christus? quis portentosam ingratitudinem illam melius cognovit, anne citatus pater an vero Jesus? quæ denique gravior extitit injuria, anne quam patri filii an vero quas Judæi Christo intulerunt? Jam vero si tanta foret afflictio patris illius (qualis hactenus in orbe, quod scimus, nec extitit nec extiturus est) quantam animi afflictionem Christum perpessum esse existimatis? Hanc is multo ante tempore pluribus sacræ Scripturæ locis indicavit: *Filii Matris meæ pugnaverunt contra me*, & iterum: *Filios enutrivi & exaltavi* (d) *ipsi autem spreverunt me*; Et per Jeremiam, qui longe exactissima Christi patientis imago atque exemplum dici potest, significantius etiam inquit: *Idcirco ego* (e) *plorans & oculus meus deducens aquas . . . facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus.* Ecce vobis primam afflictionis Christi caussam!

Huic succcedit altera, scilicet prævisa carorum discipulorum dispersio & fœdissima personæ suæ derelictio, dum illi Magistrum suum inter hostium manus solum reliquerunt &, cum ad eum consolandum concurrere debuissent, longe ab ipso recesserunt quasi dedecori sibi ducentes, inter ejus discipulos connumerari. Hanc quoque afflictionem Rex Propheta pluribus vaticiniorum suorum locis significavit: *Extraneus factus sum fratribus meis . . . Et sustinui* (f) *qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inveni*; Et alibi: *Elongasti a me amicum & proximum* (g) *& notos meos a miseria.* Isaias (h) vero ait: *Circumspexi; & non erat auxiliator: quæsivi; & non fuit, qui adjuvaret.* Jam quam acerba accidere Christo hæc desertio & quantum reliquas ejus afflictiones augere debuit? Testem hujus rei ipsam experientiam appello: Si incidente aliqua calamitate ab iis, quos in numero fidelissimorum amicorum habuimus, derelinqui nos videmus; quantam, quæso!

L 2 tristi-

(d) *Cant. 1. & Isai. 1.* (e) *Thren. 1. 16.* (f) *Psalm. 68.* (g) *Psalm. 87.* (h) *cap. 63.*

tristitiam hæc eorum perfidia nostris animis affert? Opponet aliquis: Nunquid Christus dilectissimam Matrem sibi semper fidissimam habuit? Habuit; Ast hoc ipsum una ex gravissimis afflictionis ejus caussis extitit: Fidelitas sanctissimæ Matris fecit, ut Christo infidelitas discipulorum acerbior eveniret, cum Matrem discipulis comparans in hac plane prodigiosam fidem, constantiam ac charitatem: in illis vero stupendam infidelitatem, timiditatem atque vecordiam advertit; quippe qui, cum tot stupenda miracula suis vidissent oculis, eorundem tamen immemores panico metu, ne forte Magistri auxilium deficeret, corda sua opprimi permiserunt.

Itaque Christus secum semper fidam sibi Matrem suam charissimam habuit: At quantum ex illius fidelitate solatii, tantum & tristitiæ ex ejus summis animi doloribus cepit. Nam cum ipsi Jesu incomparabilis Matris erga se charitas apertissima & perspectissima fuerit, simul summum commiserationis dolorem, quo anima Genetricis transfigebatur, vidit atque cognovit; quia illa omnium dolorum, quos Filius tulit, partem sibi vendicavit, eosdem cum Nato in anima patiendo. Hinc, ait vir ille maximus (cui, quo minus Patrum Ecclesiæ in numero colatur, nil præter ætatem deest) Ludovicus puta Granatensis, hinc Christus, cum Mariam Virginem Matrem suam plus omnibus in cælo & terra existentibus creaturis dilexerit, ob hunc ipsum amorem afflictiones animi Matris suæ omnes quam vehementissime sensit: *Hic autem dolor tantus fuit* (i) *quantus erat amor, quo Matrem Virginem prosequebatur, quam citra Deum supra omnes creaturas; quæ sive in cælo sive in terra erant, diligebat.* Qua de re cum dolor de ærumnis alicujus personæ amore, quo eandem personam amplectimur, metiatur, cumque charitas Christi in Matrem incomprehendenda fuerit; dicendum omnino, incomprehendendam quoque fuisse afflictionem, quam Christus ob animi dolores a Matre se patiente exantlatos persensit: evasitque hac ratione amor reciprocus, quo se Mater ac Filius invicem arctissime complectebantur, mutuæ afflictionis caussa atque minister. Exclamare hoc in loco cum gravissimo quodam, utut incerto, Scriptore inter opera S. Bernardi (k) juvat: *O dolores inexplicabiles! O ineffabilis reciprocatio amoris!* Concluditque B. Amedeus Episcopus Lausannensis (l) *Ergo abysso abyssum invocante duæ dilectiones in unum convenerunt, & ex duobus amoribus factus est unus ... & amoris magnitudo attulit fomentum passionis.* O Maria! sic piissimis Ecclesiæ sanctæ verbis te compellabo, O Maria! impetra hanc animæ meæ gratiam, ut dolores in mei gratiam a Jesu exantlatos persentiscam, quo hac ratione commotus amarissimis lacrymis funestissimo illo tempore a te profusis meas quoque addam: *Eja Mater! fons amoris! me sentire vim doloris fac, ut tecum lugeam.*

Alia eaque præcipua acerbarum, quas Christus in anima sua sanctissima passus est, afflictionum caussa tum nostra, O mei! tum totius mundi peccata extiterunt: Atque ut probe cognoscatis, quam magnus animæ Christi sanctissimæ ex hoc capite dolor accesserit; cum angelico Doctore S. Thoma observetis necesse est: Dolorem de peccatis oriri tum ex lumine quodam cælitus infuso, execrabilitatem peccati manifestante tum ex ardore charitatis seu amoris erga Deum infinite amabilem excitante in nobis dolorem & displicentiam, hanc infinitam Bonitatem offensam videndi; idque pro modulo charitatis, qua hanc Bonitatem diligimus. Jam cum nullum majoris sapientiæ lumen lumine illo, quo anima Christi prædita fuit aut charitas charitate Christi in Deum ardentior vel extiterit vel existere possit, consequitur: dolorem, quem de peccatis mundi Christus in anima sua sanctissima sensit, omnium creaturarum intellectum superasse: Et cum Christus ex oraculo Isaiæ (m) a Patre suo æterno alienis omnium nostrum peccatis oneratus fuerit (*Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum*) dici necesse est: dolorem Jesu Christi ex hoc capite quodam modo immensum extitisse. Percipite verba (n) angelici Doctoris: *Christus doluit pro peccatis omnium aliorum; qui dolor in Christo excessit omnem dolorem cujuscunque Contriti: tum quia* ex

(i) *Serm. 6. in Parasceve.* (k) *Serm. de Lament. Virg.* (l) *Hom. 5. de B. V.*
(m) *cap. 53.* (n) *3. p. q. 46. a. 4.*

ex majori sapientia & charitate processit, ex quibus dolor contritionis augetur: tum quia pro omnibus peccatis simul doluit secundum illud Isaiæ: Vere dolores nostros ipse tulit. Jam cum ex ecclesiasticæ historiæ commentariis discamus, extitisse Pænitentum nonnullos usque adeo dolore suorum peccatorum commotos, ut alius intra octo dierum spatium expirarit, prout refert S. Joannes (o) Climacus: alius ad pedes confessarii, qui fuit S. Vincentius Ferrerius (p) mortuus ceciderit: alii tantam lacrymarum vim effuderint, ut inde ora illorum rugis fœdata fuerint, quales S. Ambrosius (q) novit: alii aliis prodigiosis modis compunctos sese senserint; expendat jam (qui potest) afflictionis, quam Christus in anima sua ob totius mundi adversus Deum admissa peccata passus est, magnitudinem. Neque objiciatis, Christum illa non admisisse: cum eadem pro infinita sua erga nos charitate in se susceperit; Nam vera perfectaque charitas de peccatis ita dolet, ac si sua essent: dum ea tanquam offensas infinitæ Bonitatis, quam plus omnibus diligit, considerat. Ob eam rem viri sancti, utut innocentissimi, acerbissimos tamen animi dolores propter peccata a proximo in Deum patrata passi sunt, prout S. Paulus (r) S. Cyprianus (s) S. Augustinus, adversus Gaudentium Donatistam scribens, de se ipsi testantur: Et de S. Dominico referunt, quod *peccatis & ærumnis humanis vehementer discruciabatur.* Ergone igitur, O dilectissimi! & vestra & mea peccata benedictam amantissimi Redemptoris nostri animam tantopere afflixerunt? . . . Et hoc ipsum, O mei! nunquid vobis caussa longe justissima esse debere videtur, ob quam eadem detestemur, abominemur, execremur ab iisque abstinere statuamus? Ita profecto, Deus meus! ita detestamur peccata omnia, deque iis ex totis animis etiam ob hoc (scilicet ob afflictionem, quam illa amantissimo cordi tuo tempore sanctissimæ passionis tuæ attulerunt) dolemus & ex hoc momento illa adjuvante tua gratia, quam toto corde invocamus, haud amplius committere decernimus; cum infelices illos inter esse nequaquam velimus, quibus (sive quod emendare mores pessimos renuant sive emendationem nimium procrastinent) passio tua nihil ad salutem æternam profutura est: id quod alia & longe gravissima afflictionis tuæ extitit caussa.

Ita est, O mei! Cognovit Christus propter infallibilem, quam habuit, rerum futurarum omnium præscientiam quam certissime acerbissimos dolores, quos, ut omnibus æternæ salutis aditum patefaceret, infinita cum charitate perferebat, innumeris animabus plane nihil profuturos esse; puta tot infidelibus, qui effræni vivendi licentia impedituri essent, quo minus Fidei sanctæ, sine qua nulla salutis spes, lucem acciperent: tot Judæis, qui mira pervicacia excæcati in negando suo, tanquam Filii Dei, adventu (utut tot argumentis, quibus is perspicue evidenterque credibilis reddebatur, confirmato) perseveraturi essent: tot hæreticis, qui non secundum Ecclesiæ catholicæ, quæ sola est columna veritatis, dogmata sed secundum rationis suæ placita credituri essent: tot Catholicis, qui & sanctæ Fidei dono & tot salutis subministratis adjumentis abutentes æternæ salutis discrimen, ut inordinatas suas affectiones expleant, subituri essent: tot denique, proh Superos! tot Deo consecratis personis, quæ abutentes concessis sibi cælitus non salutis solum sed & sanctitatis auxiliis omnino specialibus (præcipue si frequentis usus SS. Eucharistiæ ratio habeatur) nihilominus ut male compositis animi affectibus faciant satis, in vitiis maxime execrandis obdurescentes vitæ se sacrilegæ mortique æternæ addictur æ essent. Hæc, heu! ingens animarum turba, quæ ex dirissimis Servatoris cruciatibus nullam utilitatem perceptura esset, maximam animæ Christi patientis afflictionem creavit; de qua re per Isaiam (t) Prophetam diu ante Dominus conquestus est, dum sacer vates missum se esse declarans, ut oves perditas colligeret atque salvaret, in hæc lamenta prorupit: *Et ego dixi: In vacuum laboravi, sine causa & vane fortitudinem meam consumpsi,*

 Ah

(o) *De Pœnit. l. 1. c. 22.* (p) *In ejus vita.* (q) *Lib. 1. de Pœnit. c. 16.*
(r) *2. Corinth. c. 11.* (s) *Lib. de Lapsis.* (t) *cap. 49.*

Ah! Infelicem me! pro multis frustra & quin propositum finem obtinerem, laboravi: Ah! ærumnas, cruciatus, dolores immo vitam meam in vanum profudi: *In vacuum laboravi &c.*

Affluebat Salomon omni terrenæ prosperitatis genere: At vel in hoc felici statu positus re quadam angebatur. Quænam illa, putatis, fuit? Percipite: Omnes industriæ nervos, labores omnes in id contulerat Princeps ille, ut regnum per omnia admirabile constitueret; verum cum ignoraret, quomodo post se filius regnique hæres Roboamus illud administraturus esset, (nimirum anne bene divitiis illis immensis, illa immodica militarium copiarum vi, illa optime composita fundataque aula: an vero male usurus esset) hac futurorum incertitudine ita affligebatur, ut præteritam industriam, laboresque & curas suas omnes detestatus atque exsecratus sit: *Detestatus sum omnem industriam meam* (u) *qua sub sole studiosissime laboravi* (Notate bene) *habiturus post me hæredem, quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit?* Et fuit profecto hæres Roboamus homo nullo ingenio, insipiens, regio diademate indignus. Quod si Salomoni vel istud solum (quod nesciret, quem laborum, curarum, & sollicitudinum a se adhibitarum usum Roboamus facturus esset) tanto mærore affecit, ut easdem (quod audivistis) detestari & (ut sic dicam) diris devovere animum induxerit: quanto majori tristitiæ eundem se traditurum fuisse putatis, si (quod postea accidit) natum suum pessime illis omnibus usurum fore, certo præscivisset? Cernimus profecto quotidie, parentum nonnullos præ mærore interire, quod opes suas tantis a se laboribus partas a filiis inique pessumdari videant. Cogitet jam, qui potest, quanta Christi afflictio fuerit: Christi quam certissimo scientis, innumeras animas infinito passionum suarum pretio abusuras esse, passionum (inquam) quæ thesauris Salomonis omnibus longe præstant, nec ad temporalis regni fundationem sed enim ad regni cælestis acquisitionem pertinent? Cogitet, qui potest, quanta Christi afflictio fuerit certissimo prævidentis, inæstimabile sanguinis sui, inter dirissimos cruciatus tanta cum charitate profusi, pretium a tot obstinatis, perfidis & (neglectis innumeris inspirationibus, vocationibus, invitationibus) in peccatorum suorum statu permansuris animabus contemnendum, aspernandum atque conculcandum fore? Prædixit hoc de se Dominus per os Regis Prophetæ: *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere* (x) *cucurri in siti.* Concupiscebam illos mihi conjungere, mihi unire (ut exponit S. Augustinus) at illi me pretiumque sanguinis mei repulerunt: *Illi interficiebant* (y) *illi repellebant, & ego eos sitiebam.* Tu repellis (si quis talis vos inter, Dilectissimi! existit) tu repellis, o homo in peccatis luxuriæ, in lascivis amoribus, in amicitiis carnalibus infixe! qui tot conscientiæ reclamitantis angores, tot Christi salutem tuam sitientis invitationes nihil curas: *Tu repellis pretium ejus.* Tu repellis (si quæ talis vos inter existit) tu repellis, o mulier! quæ ab amatoris lascivi cujus impurum amorem evidentibus argumentis cognitum habes, usu ac consuetudine avellere te negligis, vitæ tenorem pessimum servans, fors etiam sacrilegiis sacrilegia addens: *Tu repellis pretium ejus.* Vos repellitis, O pecatores omnes! qui ære gravati alieno dissolvere illud (si quidem potestis) non studetis aut, debitam parcimoniam adhibendo, illi dissolvendo pares vos facere negligitis: Vos repellitis, O peccatores! qui in commerciis, in officiis, in negotiis vestris ea, quæ non licet, rapitis, retinetis, extorquetis, novas veteribus injustitias adjicientes, quin certam male partorum restitutionem cum animis vestris unquam destinetis: Vos repellitis, O ministri altaris! qui, heu! qua cum conscientia ad sacra facienda accedatis & Christum recipiatis, ipsi optime nostis: Vos denique repellitis, O peccatores & peccatrices! qui, animos vestros lethalibus culpis gravari cognoscentes, aut accusare vos de illis indies differtis aut accusare vos de illis absque ulla subsequente emendatione (id

(u) *Eccle. 2.* (x) *Psalm. 61.* (y) *S. August. in Psalm. 61.*

(idquod etiam deterius eſt) pergitis, & ſtabilis morum correctionis cogitatione omni depoſita vitæ veſtræ termino magis magisque appropinquatis, in quo ſive ex improviſo ſive per furioſum momentorum aut dierum aliquot morbum, ſine ulla omnino Confeſſione aut cum Confeſſione multis numeris manca, vivorum e numero erepti ire in infernum præcipites vultis, infinitum æſtimabile Redemptionis pretium a vobis repellentes. De his omnibus non ſine maximo animi mærore Chriſtus, cum pretium iſtud acerbiſſimis cruciatibus ſuis paraverit, ait: *Veruntamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in ſiti.*

At forſitan credunt miſeri iſti, a Chriſto tam contumelioſam ſanguinis ſui effuſi aſpernationem diſſimulatum iri, & infinitam Servatoris juſtitiam ab amore infinito, quo in Fideles ſuos fertur, ita exarmandam fore, ut nulla, quibus ſe ulciſcatur, fulmina habitura ſit. O inſanam, ſtultam atque impiam cógitationem! Quin efficiet profecto Dominus, ut contemptores ſuos illud ipſum pretium, ille ipſe in eorum redemptionem ſparſus ſanguis perſecuturus, vindicaturus atque condemnaturus ſit, & injuriæ huic ſanguini ita contumaciter peccando factæ ab illo ipſo ſanguine æterno ſupplicio ulciſcantur. Percipite aſperrima, quibus ſe per Prophetam Ezechielem Dominus exprimit, verba, & ab animis veſtris (ſiquidem poteſtis) metum ac conſternationem arcete; *Propterea vivo ego, dicit Dominus, quoniam ſanguini tradam te, & ſanguis* (z) *perſequetur te, & cum ſanguinem oderis, ſanguis perſequetur te.* O calamitatem irremedicabilem! O horribilem vindictam! O condemnationem inevitabilem! Heu! ille ipſe ſanguis, qui alioquin ſpei noſtræ fundamentum eſt, ingratum contemptum noſtrum judicaturus: heu! ille ipſe ſanguis, qui pretium regni cæleſtis eſt, ad æterna nos ſupplicia damnaturus eſt: *Propterea vivo ego &c.* Num vos inter, O chariſſimi Auditores! quenquam invenire eſt, qui terribili hoc tonitru non excitetur? Num vos inter eſt, qui in laſcivis amoribus, ſcandaloſis familiaritatibus & luxuriæ peccatis permanere: qui retinere bona aliena: qui in officio ac miniſterio ſuo infidelitates & injuſtitias ſuas proſequi: qui fovere in eos, a quibus offenſus eſt, odia: qui quotidiana ſua ad aram ſacrilegia continuare etiamnum cogitet? Num eſt vos inter aliquis, qui de divino illo ſanguine confidens ſibi cum animo ſuo dicat: In præſenti converti nolo; erit emendationis tempus? Quod ſi quis talis meos inter Auditores (quod quidem credere nolim) ſit, is, cum tanti tonitrui fragore non percellatur, fulmen miſer expectet, quod eum aut repente aut furioſo paucorum dierum vel horarum morbo de medio tollat: morbo, qui illi & tempus & mentem rapiat, quo minus bene confiteatur, eique ob perfidiam & criminoſam pænitentiæ dilationem magnorum, ad veram pænitentiam neceſſariorum, auxiliorum recipiendorum viam præcludat; Unde infelix merito æternum pereat: *Propterea vivo ego, dicit Dominus, quoniam ſanguini tradam te, & ſanguis perſequetur te, & cum ſanguinem oderis, ſanguis perſequetur te.* A tanto malo liberare nos omnes Dominus dignetur, Amen.



SER-

(z) *Ezechiel.* 35.

SERMO XV.

Agitur de modo, fructum ex passione Christi capiendi.

POsteaquam nonnullas animæ Christi patientis sanctissimæ pœnas exposui, videri vobis, O mei! poterit, me jam ad ea, quæ Servator in corpore suo pertulit, enarranda descendere debere. Verum internos Christi dolores quod ii a multis (ut dixi) aut ignorentur aut non considerentur, explicare opportunum judicavi; externos autem, quod longe notissimi sint & quod eorum pia devotaque descriptio sæpius, maxime vero quadragesimalis jejunii tempore audiatur (Quamvis argumenti gravitas mereatur, ut toto anno de illo differatur) tamen ne plus justo longior sim, silentio prætermittere & in hoc potius incumbere statui, ut arcanam, ex memorata passione magna commoda (quod quidem ad nos attinet) Dei gratia adminiculante percipiendi artem vobis prodam. Dixi: *quod ad nos attinet*; nam fructus ex eadem passione (quod ad Deum spectat) ortos neminem nostrum latent, novimusque illos fuisse redemptionem a peccati & diaboli servitute, regni cælestis universo generi humano occlusi reserationem, adjumenta & subsidia salutis æternæ omnia, Sacramenta cuncta efficaciæ & virtutis ad nos sanctificandos plena, thesaurum meritorum infinitum nobis relictum, per quæ a Deo omnia tum ad animam tum ad corpus (si inde animæ nostræ salus nullum detrimentum accipit) nobis necessaria petimus: Et quis demum nescit divinam illam passionem uberrimam esse remediorum omnium, mala quæque tum arcentium tum curantium, aurifodinam; dommodo nos illa uti adjuvante divina gratia velimus. Quid igitur agendum nobis, ut benedicta ac sancta Domini passio nobis fructuosa evadat, aut quæ diligentia in id a nobis est adhibenda? Ecce! diligentia nostra in crebra illius recogitatione considerationeque versari debet; nam cum fructus Dominicæ passionis ex parte nostra in firmis bene agendi propositis consistat, fieri non potest, ut hæc proposita absque prævia aliqua ejusdem passionis consideratione concipiantur. Et profecto Servator gnarus, quantas utilitates pia passionis suæ recordatio haberet, curavit quam maxime, ut eadem nostros ob oculos quotidie poneretur. Dicetis: Qua id ratione? Hem! qua ratione, dicitis. Advertite animos, & invicto argumento vobis demonstrabo, Christum fecisse, ut passio sua nobis quotidie ante oculos esset.

Charitas, quacum commoda nostra Christus quærit, & sollicitudo maxima, qua nos benedictam suam passionem memoriæ infixam habere voluit, omnipotentiam ejus induxerunt, ut centies ac millies quovis die unum maximorum, quæ cogitari possunt, miraculorum operetur. Quodnam hoc miraculum? Consistit illud in eo, quod Christus millies in singulos dies passionem suam nostris in oculis renovari faciat. Qua istud ratione? Eh! qua ratione dicitis. Excita, o Jesu! ob tuam misericordiam fidem nostram eamque corrobora! Anne, O mei! Missæ sacrificio adesse consuevistis? Haud dubie id: At quid est Missa? Anne aliud, quam passionis dominicæ renovatio? Anne aliud, siquidem Fidei dogmata sequimur, quam passionis Christi repræsentatio; at non mera, non victima carens, non mere commemorativa (prout nonnulli hæreticorum audacter affirmant) sed plena repræsentatio eandem, quæ olim immolata fuit, victimam continens, & ob id verum ac reale sacrificium ipsius Jesu, Patri æterno factum: sacrificium unum atque idem cum illo, quod in monte Calvariæ peractum fuit.

Nam

Nam ibi idemmet Jesus oblatus est: & hic idem Jesus principaliter se offert; ibi idem Jesus separationi pretiosi sanguinis sui a divino corpore subjacuit, atque ob id re ipsa mortuus est: & hic idem Jesus separationi sacramentali pretiosi sanguinis sui a divino corpore suo subjacet, ita ut vi verborum consecrationis in calice solus sanguis, in hostia solum corpus significetur. Et quanquam tam in hostia quam in calice totus Christus vivus ac gloriosus sit, quia talis jam nunc est; tamen vi verborum consecrationis in hoc solus sanguis, in illa solum corpus demonstratur: id quod est eundem exsanguem & mortuum significare, adeo ut si Apostoli tribus illis diebus, quibus Servator mortuus extitit, priusquam ad vitam rediit, Missæ sacrificium celebrassent, re vera in hostia solum corpus cum divinitate absque anima ac sanguine, & in calice solus sanguis cum divinitate absque anima & corpore fuisset, quia Christus tum talis fuit; cum econtra in nostris sacrificiis totus atque integer Deus-homo tam in hostia quam in calice sit, quia ille non amplius moritur: id quod nihil obstat, quo minus sacramentaliter & consecrative per verborum significationem occidatur, dum super hostiam dicitur: *Hoc est corpus meum*, super calicem vero: *Hic est sanguis meus*; quibus verbis, etsi Christus re ipsa vivus sit, tamen mortuus esse significatur: Atque ob id Fides nos monet, Missam idem omnino sacrificium esse cum sacrificio crucis, quia eadem victima offertur, hac sola accidentali differentia interveniente, quod Christus ibi realiter occisus fuerit: hic sacramentaliter occidatur: *Una enim est*, ait Concilium Tridentinum (a) *eademque hostia: idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Jam hæc passionis & mortis Christi renovatio quoties in singulos dies nobis inspectantibus celebratur? Et quem in finem, O mei! nisi ut constans perpetuaque sit passionis hujus memoria: novit enim perbene Dominus, quantum illa animabus nostris proficua sit: *ut ejus memoria* (b) ait concilium Tridentinum, *in finem usque seculi permaneret.* Certe permagna sit oportet Christi sollicitudo, quacum passionem suam mentibus nostris impressam atque insculptam esse optat; quoniam eandem toties singulis diebus nostris in altaribus instaurat! Sit itaque hoc primum propositum nostrum: nos passionis dominicæ memoriam renovaturos, saltem tum cum Missæ sacrificio intersumus; quandoquidem per Fidem scimus, esse illam verum sacrificium, in quo sanctissimæ Trinitati idem ille Jesus, qui in cruce oblatus fuit, offertur: &, quemadmodum Jesus in monte Calvariæ, Offerens simul atque Oblatio, fuit; ita eundem in Missa principalem esse, Offerentem se ipsum per manus sacerdotum simul atque Oblationem: Oblationem, quæ ab ipso Christo offerente & oblato omnem tum spirituales tum temporales (quæ saluti nostræ non officiunt) gratias nobis obtinendi vim atque efficaciam accipit. Verum cum de sacrosancto Missæ sacrificio mihi alio in loco sermo faciendus sit, jam istud dixisse sufficiat: esse vobis hoc sacrificium excitamento, quo passionem Christi, quæ vestris in oculis renovatur, recogitare admonemini.

Miram effrænium animi motuum moderandorum ac sedandorum vim benedictæ passionis dominicæ consideratio præ aliis considerationibus cunctis habet. In quam rem acute ac profunde admodum S. Joannes Chrisostomus verba Pauli expendit, quibus gentium Doctor ad sedandos graves tumultus usus est, qui ex variis Corinthiorum factionibus extiterant, dum quivis illorum eum verbi divini præconem, a quo saniora edoctus fuerat, præferebat: & hic Apollinem, ille Paulum aut Petrum, alius alium sibi volebant. Huic malo occursurus Paulus ad eos epistolam dedit, in qua ait: Ut quid in factiones itis? Ut quid scindimini in partes: *Nunquid* obsecro! *Paulus* (c) *crucifixus est pro vobis?* In quæ verba S. Chrysostomus (d) *Animadverte ejus prudentiam, non enim dixit: Nunquid mundum Paulus condidit? Nunquid Paulus vos, ut ex nihilo, effecit? sed eu tantum,*

(a) *Sess. 22. c. 2.* (b) *loc. cit.* (c) *1. Cor. 1. 13.* (d) *Serm. 1. in 1. ad Corin. n.*

quæ eximia erant Fidelium, & multæ benevolentiæ opera meminit, crucem scilicet . . . Nam Dei benignitatem & in homines amorem ostendit etiam mundi fabrica; maxime autem ad crucem demissio & dejectio. Pergit Chrysostomus, aitque: observate, *Et non dixit: Nunquid Paulus mortuus est pro vobis; sed nunquid Paulus crucifixus est pro vobis: in quo etiam mortis genus affert*, ut hac ratione vim majorem verbis adderet suis, & quo sedaret Corinthiorum animos, mortem crucis a Christo exantlatam eis in memoriam reduceret. Tantæ efficaciæ esse memoriam passionis Christi Paulus judicavit: tantæ item apud nos erit, si eam sæpius & præcipue ubi ærumnæ tum spiritales tum temporales incidunt, recolere studuerimus. Certe eorum, quæ Christus nostri caussa pati dignatus est, recordatio invocationi opis divinæ juncta efficiet, ut afflictiones nostræ leviores fiant: ut tristitia ex eis orta minuatur: denique ut ad divina de personis, de facultatibus, de rebus nostris omnibus consilia animos voluntatesque nostras conformemus.

Immo alius Apostolorum, S. Petrus, ita deditos meditationi dominicæ passionis Fideles esse cupit, ut illa ceu armatura quadam induantur, quæ ictus omnes, quibus quovis modo animæ nostræ vulnerari possunt, avertat. Sensa animi clarius pando: Ponite generosum militem a duce suo pectorali aut thorace & galea chalybea, quæ arma ensis nullus, lancea nulla, nullum ferramenti sive ad pungendum sive ad cædendum apti genus pervadere queat, donari: Quid, quæso! faciet miles ille? Certe arma hæc induet & eis toto belli tempore magno suo cum commodo utetur, quippe ad omnia hostium tela quodammodo invulnerabilis effectus. Novit Apostolus, vitam hanc nostram jugem militiam esse: *Militia est vita hominis* (e) *super terram*; atque ob id nos continuo depugnare debere, primum quidem cum hostibus spiritalibus (mundo, carne ac diabolo) deinde cum aliis rebus mille, quæ nos continuo turbant & memoratis tribus hostibus viam pandunt nos vehementius variis modis adoriendi; adeo ut armatura quadam nobis opus sit, quæ vitam supernaturalem animæ (gratiam scilicet) a lethalibus ictibus, quibus ferimur, defendat & simul (quod armatura corporalis efficere nequit) vires nobis ac robur ad resistendum subministret. Jam quænam, putatis, armatura hæc? Memoria, ait Petrus, & cogitatio passionis dominicæ: Hanc cogitationem familiarem vobis facite, O Fideles! & omnia hostium tela irrita cadent: *Christo igitur in carne passo* (f) *& vos eadem cogitatione armamini.* In quæ verba gravissimus memoratæ epistolæ interpres, qui sub nomine S. Thomæ circumfertur, ait: *Et bene dicit*: Armamini; *quia memoria dominicæ passionis contra insultus & tentationes diaboli munit* (g) *& roborat: Ut enim ait D. Bernardus, tanta est virtus crucis Christi, ut, si in mente fideliter habeatur, nulla libido, nulla peccati prævalere possit invidia; sed continuo ad memoriam ejus totus peccati & mortis spiritualis fugetur exercitus.*

Hæc itaque, Amantissimi! hæc sit armatura vestra, hoc scutum, quo vos ab omni ictu in animas vestras intentando defendatis: *Hac cogitatione armamini.* Si vos ira tentat, ut eum, a quo vos læsos fuisse creditis, ulciscamini: ut illius famam obscuretis: ut ejus promotionem impediatis: ut licita lucra eidem avertatis aut eum ex hoc illove ordine deturbetis, dicite cum animis vestris: Absit hoc a me, absit! Jesus meus tot tantasque injurias, probra, contumelias mei caussa, immo vero a me quoque pertulit; & ego ejus in gratiam illam, quam accepisse puto, injuriam non condonabo: ego verbum illud de me prolatum non dissimulabo: ego, me præter fas postpositum esse, minus feram? Nequaquam sic agam; Omnem simultatem Christo dono atque remitto: *Hac cogitatione armamini.* Si vos ad obscænos amores sive tentationes diabolicæ sive aliorum artes atque versutiæ sive scandalosarum personarum invitationes extimulant, ita ut ad indigna prolabi prava concupiscentia velit, dicite: Egone voluptati operam dabo; egone pec-

cato

(e) *Job.* 7. (f) 1. *Petr.* 4. (g) *S. Thomas* vel *alius Scriptor* super loc. citat.

cato consentiam ac cedam: egone tam execrandis modis corpus meum oblectem; cum sciam, quam atroces pænas Christus in corpore suo innocentissimo sustinuerit? Absit hoc a me! Faxint Superi, ne unquam sordidas voluptates acerbis Christi doloribus opponam: *Hac cogitatione armamini.* Denique in omni peccandi occasione, in omni tentatione, in omni Deum offendendi periculo vestros animos ad dominicæ passionis memoriam revocate; in illa enim, ceu nitido crystallo, omne virtutum genus resplendere advertetis & re vera id experiemini, quod S. Augustinus in se expertus est: *Cum me pulsat*, ait, *aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi; cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo; cum Diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, & recedit a me; si ardor libidinis movet membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri Filii Dei extinguitur* (h) *In omnibus adversitatibus non invenio tam efficax remedium, quam vulnera Christi: in illis dormio securus & requiesco intrepidus.*

Hoc ipsum documentum, a S. Petro nobis datum, de novo Paulus phrasi significantiori commendat aliam fortiilimam rationem adjiciens, quæ nos quaslibet incidentes ærumnas patienti animo ferre inducat: *Recogitate*, ait (i) *eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* In quibus verbis cum magno Ludovico Granatensi primum vox: *Recogitate*, consideranda est, quæ idem sibi vult, ac si dixisset: non solum quandoque passionem Christi cogitate, sed eam animorum vestrorum oculis perpetuo propositam habete: *Quibus verbis nos* (k) *ad laborum ac dolorum Christi magnitudinem non semel atque iterum sed perpetuo considerandam hortatur; hoc enim recogitandi verbo significare voluit.* Secundo consideranda vox: *Eum*, quæ idem sonat (si gravis auctoris sub S. Anselmi nomine noti explanationem admittimus) ac si dixisset: *Eum, qualis ac quantus sit*; nam si is, qui totius universitatis Creator & Conservator est nostri nostræque salutis caussa pati voluit, cum nos illius caussa, & ut merita ejus nobis applicemus (quorum ope salutem æternam revera consequamur) pati dedignemur? Tertio considerandum, qui talem sustinuit contradictionem: *Talem contradictionem, hoc est plagas*, ait S. Joannes Chrysostomus, *irrisiones, injurias, improperia, illusiones* . . . *& non illa tantum* (tempore passionis scilicet) *sed & alia, quæ circa omnem docentis Christi vitam contigerunt.* Hac ratione nos, qui miseræ & peccatrices creaturæ sumus, nos ipsi vero Deo comparantes ejusque tam graves, tam ignominiosas atque atroces pænas nostris multo inferioribus afflictionibus, calamitatibus, tentationibus componentes ad patientiam, ad constantiam, ad æquanimitatem in malis perferendis nosmetipsos excitemus, ut fiat, quod Paulus vult: *Ne fatigemur, animis nostris deficientes.*

Sed jam caussam percipite, ob quam Paulus vult, ut ne fatigemur, ut ne pati fastidiamus: *Nondum enim*, ait, *usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.* O gravem, o vere fortissimam caussam! Ac si diceret: Ecce! Jesus vestri caussa tam diuturnas persecutiones, afflictiones, ignominias, pænas ad mortem usque pertulit, quam effuso pretiosissimo sanguine suo omni in crucis patibulo oppetiit: Et vos anne eo jam processistis, ut res tantas illius caussa, & ut salutem ab ipso vobis promeritam consequamini, passi sitis? Edicite, quæso! . . . Hem ille tam multa pro vobis; & vos tam pauca pro illo! Et posthæc stomachabimini, O mei! lamentabimini, conqueremini in ærumnis vestris, in adversis, in tentationibus aliisque rebus, quas accidere vobis Dominus vel vult vel permittit eo unice, ut vos corrigat melioresque efficiat: ut hoc honoris vobis largiatur, vos ad salutem vestram, a se sanguinis sui dispendio vobis paratam, nonnihil contulisse? Quod si salutem hanc vestram vita & sanguine vestro emereretis (uti tot gloriosissimi Martyres emerunt) quid vel hoc foret, si cum iis, quæ Dominus pertulit

 (habi-

(h) *S. Aug. Manual. c.* 12. (i) *Hebr.* 12. (k) *Lud. Granat. Conc.* 1. *de Passione.*

(habita personæ & ærumnarum exantlatarum ratione) componatur. Jam quanto magis hisce rebus vos subjicere nunc debetis, cum nondum eo processeritis: scilicet ut illius in gratiam & peccato resistendi caussa vitam vestram amiseritis? *Nondum enim ad sanguinem usque restitistis, adversus peccatum repugnantes.* Hæc considerare nos in variis afflictionibus (sive spirituales illæ sint sive temporales) positi, hæc reputare nobiscum, (nimirum, quanta Christus pro nobis passus sit) & cogitare debemus, nos (si animo ad divinam voluntatem accomodato atque constanti patimur) Christo sociari & nostræ saluti, cujus caussa ille passus est, cooperari. Percipite præclarum facinus e S. Scriptura depromptum, cujus narratione finem hujus sermonis facio.

Cum Deo permittente adversus Davidem a filio Absalone atrox rebellio conflata fuisset, in eas angustias David redactus est, ut, quo vitæ consuleret suæ, fugam arripere debuerit: Cogitate, O mei! quanta in hoc tragico casu afflictionum procella in calamitosum Davidem detonuerit. Utcunque sit, fugientem eum multi fidorum suorum bellatorum deserere noluerunt, se in casus omnes Regi sociantes: Fuit hos inter unus, Ethai nomine, quem cum conspexisset David, sic eum compellavit: Quo pergis? *Cur venis* (1) *nobiscum?* Ac si diceret: Nonne vides, quibus te periculis, quibus calamitatibus exponas? Revertere & rebus tuis consule: revertere & partibus Absalonis, quem Regem proclamarunt, adjungere: *Revertere & habita cum Rege.* Immo & Gethæos tuos tecum reduc: *reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum misericordiam . . . quia ostendisti gratiam & fidem.* Hæc audiens Ethai intrepidus heroica cum fidelitate reposuit: *Vivit Dominus! Et vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi Rex! sive in morte sive in vita, ibi erit servus tuus.* Ah! Talia utinam sensa respectu Christi Auditorum meorum animis instillare atque imprimere possem. Vivat, dicant, imo vivat Dominus, quoniam, in quocunque statu tu fueris, Jesu! ibi & nos erimus: Tu toto vitæ tempore in ærumnis, in passionibus, in afflictionibus, in ignominiis, in tormentis, in flagellis, in spinis, denique in crucis morte fuisti: ibi & nos erimus. Quod si talia adversum nos excitare ipsimet non audemus, (Uti Sancti tui omnes adversus se excitarunt) saltem voluntati tuæ concedemus & illis nos ærumnis haud gravate subjiciemus, quas in nos immittere tibi placuerit: Miles ille aliam sibi, præterquam Regis sui Davidis, sortem esse noluit; & nos aliam ab illa, quam tu habuisti, o Rex, o Redemptor, o Deus noster! nobis velimus? *Vivit Dominus! quia in quocunque loco fueris, Domine mi Rex! sive in morte sive in vita, ibi erit servus tuus.* Ah! concede mihi hanc gratiam, o Jesu! ut benedictam passionem tuam sæpius, præcipue vero eo tempore iisque in casibus recogitem, qui me ad vitia & te offendendum inducere tentant. Absit a me! ut, cum fidus tibi socius ac comes esse debeam, te ingratus offendam atque deseram: Immo fac, ut eorum, quæ pro me passus es, memor ego quoque pro vitanda tui offensione pati eligam, ut ad illum salutis statum pervenire merear, in quo posito mihi te semper amare, glorificari ac frui per infinita sæcula liceat, Amen.



(1) 2. *Reg.* 15.

SER-

SERMO XVI.

De descensione animæ Chrsti ad inferos & gloriosa Domini resurrectione, in verba Symboli: Descendit ad inferos tertia die resurrexit a mortuis.

Post mortem & sepulturam amantissimi Redemptoris nostri Jesu Christi Symbolum apostolicum articulos de descensu animæ Servatoris sanctissimæ ad inferos ejusque glorioso a morte ad vitam reditu nobis proponere pergit: *Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.* Primum in descensione Servatoris ad inferos mentis aciem figamus.

Sciendum itaque vobis, O mei! vocabulo *infernus* in sacris Literis significari locum in terræ visceribus situm: dividitur autem ille in varias mansiones &, ut sic dicam, habitacula. In uno horum morabantur animæ Justorum, qui immunes ab omni peccato personali omnique pœnæ exsolvendæ debito ex hac vita migraverant; & hoc dicebatur Limbus SS. Patrum absque ullo reatu fatis functorum: Hæ vero animæ non solum nihil mali aut pænæ sustinebant, sed & sancto quodam gaudio exultabant, orto ex adventus Redemptoris generis humani expectatione; a quo ex illo loco liberandi ad capessendum gloriæ bravium eidem comites ituri erant, cum ipso æternum gavisuri. Alia subterranea mansio Purgatorium est, in quo animas esse nostis justas illas & in gratia Dei defunctas quidem, sed quæ sive quod de peccatis perpetratis & remissis plenam satisfactionem non præstiterint sive quod peccatorum venialium reæ sint, ibi, donec divinæ justitiæ ex toto satisfecerint, detinentur pænasque atrocissimas multa cum resignatione sustinent (de quo, suo tempore atque ex proposito, alio in loco dicemus) Hæ animæ ante Christi redemptionem, postquam debita sua plene dissolverant, ex Purgatorio in Limbum Patrum translatæ fuerunt erantque exspectantes & ipsæ redemptionem, ut cum Redemptore in paradisum ascenderent: Nunc vero post peractum redemptionis humanæ opus, postquam debita sua exsolverunt, statim in paradisum feruntur. Alia iterum subterranea mansio est mansio infantum, qui ex hac vita a peccati originalis labe non mundati migrant, quorum animæ, utut secundum probatissimam in Ecclesia opinionem pænas nullas patiantur, nunquam tamen in paradisum intraturæ sunt. Alia denique mansio subterranea est mansio, eheu! quam illa terribilis, Deus meus! animarum ob peccata mortalia personalia, de quibus, priusquam e vivis excederent, sincere non doluerunt, damnatarum: Et hæc mansio a nobis proprie *infernus* nuncupatur, e quo nullus animabus reprobris reditus patebit unquam, & de quo suo loco ex proposito agetur.

Postquam varios infernos seu loca subterranea distinximus (advertite, quæso! animos; nam & ego quam clarissime disseram & vos veritates illas, quas exponere paro, percipientes gaudio nequaquam carebitis) jam poni cum angelico Doctore S. Thoma debet: dici duobus modis posse, quod aliquis in loco quodam præsens sit, sive per effectum potestatis suæ sive per suam realem præsentiam. Sic Regem in toto regno per effectus potestatis suæ præsentem esse dicimus, dum scilicet leges promulgat; reos punit: dignos remunerat: pauperes beneficiis afficit: oppressis succurrit &c. Per realem vero præsentiam & personaliter idem Rex præsens esse dicitur in aula sua vel in urbe, in qua residet: *Dupliciter* (a) *aliquid dicitur, esse alicubi: uno modo per effectum suum* ... *alio*

(a) *S. Thom. 3. p. q. 52. a. 2.*

. . . . *alio modo per essentiam suam.* In articulo igitur, in quo ex Fide profitemur, animam Christi e sanctissimo corpore suo egressam *descendisse ad inferos*, intelligitur, animam Christi quoad essentiam suam & substantialem præsentiam descendisse in infernum Patrum scilicet animarum justarum, quæ Servatorem exspectabant ingentique gaudio perfundebantur, ubi in eundem locum sanctæ animæ Joannis Baptistæ & Josephi, quorum ille præcusor, hic nutritius visi jam in terris Redemptoris fuerant, delatæ sunt: Credimus itaque ex Fide per articulum: *Descendit ad inferos*, animam Christi substantialiter & realiter in Limbum Sanctorum, & Justorum descendisse: *Per suam essentiam anima Christi* (b) *descendit solum ad locum inferni, in quo Justi detinebantur.* Idque ex vaticinio Zachariæ (c) Prophetæ: *Tu autem in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu.* In reliquos vero infernos Christus descendit in eisque præsens fuit solam per potentiam suam: *Per suum effectum Christus in quemlibet infernorum descendit.*

Adverto, vos quam avidissimos esse cognoscendi, quos effectus divina Servatoris anima in memoratis infernis ediderit; & ego istud hoc loco maxime paro, ut votis vestris ex incomparabilis Doctoris mei theologia satisfaciam. In inferno seu Limbo sanctarum & justarum animarum Christus, ait S. Doctor, lumen gloriæ eisdem infudit: *Sanctis autem Patribus . . . lumen æternæ gloriæ infudit* (d) quo eisdem beatos esse dedit: Quod ut melius intelligatis, ponere debetis, Personam divinam Verbi, quemadmodum corpori Jesu in sepulchro unita mansit, ita & animæ Jesu unitam fuisse; unde Christus tanquam verus Deus animas illas sanctas ac justas subito gloriæ lumine beatificavit. His addit Doctor angelicus, animam Christi in Limbo Patrum permansisse, donec divino suo corpori tertia die, qua illud suscitavit, se iterum conjunxit: *Corpus ejus mansit in sepulchro per diem integram, & duas noctes . . . unde etiam totundem, credendum est, animam ejus fuisse in inferno.* In inferno, quem nos Purgatorium dicimus; *illis vero, qui detinebantur in Purgatorio, spem gloria consequendæ dedit.* In inferno reproborum; *in inferno damnatorum habuit hunc effectum . . . quod eos de sua incredulitate & malitia confutavit . . . ad suam confutationem & confusionem.* In inferno seu Limbo infantum: *pueri, qui cum solo peccato originali decesserant, nullo modo participes fuerant Fidei Christi; ergo non perceperunt fructum propitiationis Christi*; nam omnes ii, qui salutem vel consecuti sunt vel consequuntur vel consecuturi sunt, non nisi per Fidem Christi salvantur: Unde, ex quo Deus Redemptorem hunc se missurum in mundum promisit, omnes tam in naturali quam in scripta lege per Fidem hujus ejusdem venturi Redemptoris salvati sunt, de quo Apostolus (e) ait, quod eum Deus *propitiatorem per Fidem in sanguine ejus* constituerit. Atque ob eam rem cum infantes illi nullo modo, neque per fidem parentum suorum (quo remedio in lege naturæ peccatum originale tollebatur) neque per circumsionem (quo remedio in lege Abrahamo a Deo data, postea scripta peccatum illud originale delebatur) neque per baptismum (quo remedio labes originaria in lege christiana eluitur) cum infantes illi, inquam, nullo modo Fidei in Christum vel videndum vel visum participes effecti fuerint; ob eam rem nullum fructum ex illius passione & (quod consequitur) nullum itidem effectum ex descensione animæ Christi in memoratos infernos acceperunt. Hæc sunt, quæ de articulo: *Descendit ad inferos*, afferre vobisque exponere opportunum judicavi.

Verum antequam ad articulum de gloriosa Domini resurrectione transeam, commodum esse judico, aliquam considerationem circa descensionem ad inferos interponere atque observare, quod anima Christi, statim ac sanctum, benedictum ac crucifixum corpus suum reliquit, Limbum SS. Patrum sive animarum justarum se exspectantium mansionem petiverit, ut ostenderet, quam magni animas sibi amicas faciat. Quis est, qui dubitet, animam illam sanctissimam (si voluisset)

(b) *S. Thom. loc. cit.* (c) *cap. 9.* (d) *S. Thom. loc. cit.* (e) *Rom. 3.*

ſet) alio morari in loco potuiſſe? Nemo profecto: Aſt charitas incomprehendenda, qua Chriſtus in animas juſtas ſibique amicas & ab omni tum culpæ tum pœnæ reatu ex toto puras fertur, haud ſivit, ut vel uno ſolo momento conſolari illas ac beatificare differret. Tanta nimirum, O dilectiſſimi! tanta eſt fidelitas amicitiæ Dei erga amicos ſuos non hoc ſolum ſed innumeris aliis factis comprobata, ex quibus manifeſto deſiderium illud apparet, quocum Dominus omnia Bona eisdem cupit, dummodo ſummo Bonorum (ſcilicet ſaluti eorum) non obſtent: Cujus rei exemplis & ſacra & eccleſiaſtica hiſtoria, in tot ſanctorum Virorum tum veteris tum novi Teſtamenti vitis, ſcatent. Et tamen quam parvi hanc Dei amicitiam multi Fidelium pendunt? Eſt Fidei articulus, eam per peccatum amitti: Et! quanta, heu! cum facilitate peccatum ab innumeris mortalibus committitur atque iteratur? quanta cum facilitate juramenta eduntur, quin advertatur, verane an falſa dicantur, bonumne an malum grave ſit, quod jurejurando firmatur? quanta cum facilitate ex impuris cogitationibus, ex impudicis obtutibus, ex ultionibus cum animo in Proximum machinatis voluptas captatur? quanta cum facilitate ſive impudicarum ſive Proximo damnoſarum ſive irreligioſarum, aliquo modo graviter malarum, actionum patrandarum deſideria admittuntur? quanta cum facilitate ſive in detrimentum famæ alienæ ſive de rebus obſcœnis & ſcandaloſis ſive de argumentis Religioni, cultui Dei & Sanctorum pernicioſis ſermones miſcentur? quanta (ut paucis dicam) cum facilitate actiones graviter peccaminoſæ patrantur? Noſtis illud unusquisque veſtrum, & videtis quotidie & auditis, leviſſimam quamvis ſeu fortunæ amplificandæ ſeu capiendæ voluptatis ſeu iræ erumpendæ ſeu alterius rei minimæ occaſionem eo ſufficere, ut neglecta divina hac amicitia affectionum pravarum ſaturatio eligatur. Edicite, O chariſſimi! nec ſine ſtupore immanem errorem ex Fide vel extincta vel oppido languenti natum oſtendite! Anne tam parvi amicitia magni alicujus in hoc ſæculo viri æſtimatur? Heu quanti labores ſubeuntur, quam dura ſervitus ſervitur, quot dona præbentur, quam amara tolerantur, ut ne illa amittatur? Et ſcimus, quam ea inconſtans, quam fallax, quam nobis perſæpe etiam exitioſa ſit. Præterea nemo mortalium, utut maximus atque potentiſſimus ſit, bonum ullum facere nobis poteſt, niſi prius a Deo ad illud nobis faciendum excitetur (Fides hoc docet) Et tamen amicitia Dei nihili reputatur: contra amicitia creaturæ immenſis laboribus conſervatur. Proh cæcitatem: proh perfidiam mentis humanæ! Deteſtemur, O mei! tam gravem errorem, ſtatuamusque, nos, ſin minus pro dignitate, ſaltem pro viribus noſtris Dei amicitiam æſtimaturos eique alia omnia poſthabituros eſſe; & fortibus animis dicamus: Pereant omnia, dummodo Deus non amittatur.

Sed jam de Reſurrectione Chriſti. Poſtquam corpus Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti, quod divinitati ſemper unitum erat, ſepulchro conditum fuit inque eo reliquas diei ſextæ horas, & noctem illius diei totam, diemque ac noctem integram ſabbathi ad ortum ſurgentis auroræ usque permanſit (ut Scripturæ de reſurrectione hac (f) loquentis teſtimonia & ipſius Servatoris verba: *Tertia die reſurget* (g) implerentur) ecce! anima Chriſti ſanctiſſima, comitatu omnium ſanctarum animarum e Limbo poſt acceptam jam beatitudinem (uti diximus) prodeuntium ſepta, benedicto corpori ſuo ſe univit non jam ſquallenti, lacero verberibusque ac plagis deformi ſed enim pulcherimo ac glorioſo, per hanc ipſam denuo unionem effecto: ſolis manuum, pedum, laterisque cicatricibus retentis; cujus rei cauſſam inferius intelligetis. Surrexit itaque Servator ſumma claritate reſplendens eaque corporali gloria circumfuſus, quæ ipſi a primo conceptionis ſuæ in utero Mariæ momento debebatur quidem, at quam ille reprimere voluit, ut noſtri in gratiam pati atque

que

(f) *Oſee. 6.* (g) *Matth. 20.*

que emori posset: Surrexit propria virtute divinitatis suæ; id quod S. Scripturæ locis non repugnat, dicentibus: illum a Patre ad vitam revocatum fuisse. Nam cum eandem cum Patre divinitatem habeat, verissimum est, eum ab inferis propria virtute rediisse, quippe virtute ejus divinitatis, quam cum Patre & Spiritu sancto communem habet; Unde ipse de se dixit: *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso* (h) *sic dedit & Filio habere vitam in semetipso .... Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat.*

Jure merito Servator *primitiæ dormientium* (i) & *primogenitus ex mortuis* (k) vocatur; nam, tametsi multi ante illum sive a Prophetis in veteri Testamento sive ab ipso Salvatore (uti Evangelium narrat) a mortuis suscitati fuerint, hi tamen omnes resurrexerunt, iterum morituri: Christus autem resurrexit, nunquam amplius moriturus: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi* (l) *ultra non dominabitur.*

Jam vos omnes exspectatione suspensi & avidi sciendi esse mihi videmini, cui primum præ allis omnibus ita gloriosum sese Servator ostenderit; cum Evangelium S. Marci narret, eum primo Mariæ Magdalenæ apparuisse: *Surgens autem mane prima sabbathi* (m) *apparuit primo Mariæ Magdalenæ.* Adverto, in animis vestris nescio quam mirationem oriri, quod Servator sese Matri suæ dilectissimæ Mariæ non præ omnibus aliis videndum præbuerit, quippe quæ eum sine comparatione plus cæteris amavit omnibus; quæ ei fidem præ aliis omnibus servavit; quæ eidem plus omnibus condoluit; quæ eundem redeuntem ab inferis majori animi cum ardore præstolata est; quam denique Servator ipse multo plus reliquis omnibus diligebat. Verum consolamini, O mei! nam, etsi Evangelium non referat, tamen pie creditur, Servatorem Matri suæ charissimæ primo spectandum sese dedisse; cujus rei caussæ gravissimæ hæ sunt. Prima est, quia Evangelium nullo in loco memorat, Servatorem Mariæ comparuisse; ex quo inferri deberet, Christum eidem non apparuisse, cum tamen tot aliis & semel quidem plus quam quingentis fratribus (teste Paulo) visus sit: Videtis itaque, silentium S. Scripturæ in hoc facto nos eo haudquaquam obstringere, ut contrarium non dicamus; quia Evangelium, cum tot aliis Christum visum fuisse narret, non addit, eundem Matri suæ dilectissimæ, quæ hac gratia reliquis omnibus dignior fuit, non visum fuisse; Ratio vero, ob quam Evangelistæ apparitionem Matri factam silentio prætermiserunt, eaque fortissima & prudentissima hæc est (advertite animos) Fuit Evangelistarum, maximum resurrectionis miraculum literis ad posteritatis fidem mandantium, munus, ejusmodi afferre testimonia, quæ apud eos, qui hujus resurrectionis historiam lecturi forent, omni exceptione majora essent: At quis non videt, quod Evangelistæ, si testem resurrectionis ipsam Christi a mortuis reversi Matrem citassent, ejusmodi Personam citassent, quæ pro eo ut homines judicare solent, honoris Filii sui nimium studiosa extitisset & cujus testimonium apud lectores nullam vim atque auctoritatem habiturum fuisset. Ea re adacti Evangelistæ apparitionem Matri factam silentio involverunt tanquam rem ab instituto suo alienam, quippe qui id spectabant unice, ut memoratam resurrectionem firmam ratamque redderent: Atque ob id in nullo historiæ suæ sacræ loco hujus apparitionis faciunt mentionem, sed consilio longe prudentissimo alia personarum Christo sanguine non cohærentium nec ita arcte, uti Mater erat, eidem conjunctarum testimonia attulerunt; atque hac ratione Evangelistæ supponere maluerunt, quod Fideles omnes putaturi essent, Christum Matri primo immo etiam sæpius apparuisse, quam talia narrare. Ecce vobis caussam, ob quam Evangelistæ de Matre tacent, a Magdalena vero testimoniorum citationem ordiuntur, cui inter illa testimonia primo videndum se Dominus obtulit. Præterea magnus Ecclesiæ Doctor S. Ambrosius (n) vos sola-

(h) *Joan.* 5. (i) 1. *Cor.* 15. (k) *Coloss.* 1. (l) *Rom.* 6.
(m) *Marc.* 16. (n) *Lib. de Virgin. c.* 3. *n.* 14.

solatur inquiens: *Maria resurrectionem Domini & prima vidit & credidit: vidit & Maria Magdalena, quamvis autem & ista nutaret.* En Mariam Matrem a Maria Magdalena distinguit &, illam (Matrem scilicet) *primam vidisse & credidisse*, hanc (Magdalenam) nonnihil *nutasse* affirmat. Ecce ut ex sententia magni hujus Doctoris, quem alii posteriorum temporum scriptores sequuntur, Maria Filium ab inferis redeuntem prima vidit, quamquam id Evangelistæ non memorent tanquam rem, quæ & ab instituto eorum vobis supra exposito abhorruit & ab ipsis præsupposita fuit.

Apparuit autem redux ab inferis Servator Magdalenæ, Discipulis aliisque permultis, ut extra omnem dubitationis aleam gloriosam suam poneret resurrectionem; quæ cum post adventum Spiritus sancti ab Apostolis Hierosolymis publice prædicabatur, nemo fuit, qui negare eandem ausus fuit: usque adeo manifestis argumentis tanti mysterii veritas nitebatur.

Quadraginta vero dierum spatio Dominus cum Discipulis est conversatus, loquens cum eis de Ecclesia sua, uti S. Lucas (o) refert: *Per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno Dei*, quæ verba: *regno Dei*, in novo Testamento SS. Patrum turba de Ecclesia christiana accipit. His præcipue colloquiis, quæ Christus cum Discipulis habuit, Traditio divina sive *Verbum Dei orale* nititur, quod æque ac *Verbum Dei scriptum* Fidei nostræ regulam constituit; Nam veritates illas, quas ex Fide profitemur & quæ in S. Scripturis non reperiuntur, hac Traditione obstetricante cunctas accepimus, Traditione (inquam) quæ his colloquiis, a Christo e mortuis reduce cum Discipulis suis habitis, nititur. Hujus generis sunt sequentes Fidei veritates: quod Maria ad mortem suam pretiosissimam usque Virgo permanserit; quod sacra baptismatis unda abluere infantes liceat; quod matrimonium Fidelium verum Sacramentum sit; quod extrema Unctio similiter verum Sacramentum sit, postea a S. Jacobo Apostolo in *Epistola canonica* divulgatum; quod sit Purgatorium & animæ in eo detentæ vivorum adjuvari suffragiis possint; aliaque similia.

Jam cum Christus de se ipse testatus sit, quod *oportebat Christum pati & resurgere* (p) *a mortuis*; inter alias, quas de necessitate hujus resurrectionis S. Thomas refert, caussas etiam sequens est, quam in nostram utilitatem expendere juvat: Nititur illa commendatione divinæ justitiæ, cujus est exaltare eos, qui se Dei caussa humiliant: *Et quidem ad commendationem justitiæ divinæ* (q) *ad quam pertinet exaltare illos, qui se propter Deum humiliant.* Cumque Jesus ad crucis, quæ illis temporibus patibuli vice fuit, mortem usque sese humiliarit, ut ait Apostolus: *Humiliavit semetipsum.... usque ad mortem crucis* (r) justum erat, eundem tam gloriosa resurrectione exaltari: *Quia igitur Christus . . . se humiliavit usque ad mortem crucis, oportebat, quod exaltaretur a Deo usque ad gloriosam resurrectionem.* Atque exaltatio quidem, O mei! omnibus placet, non item humiliatio; immo hæc a multis, quantum fieri potest, vitatur. Exercetur vero humiliatio tam erga Deum quam erga proximum: Et quanquam res haud valde difficilis esse videatur, eandem erga Deum exercere; cum quivis Fidelium sciat, omne, quod habemus, bonum nobis ab infinita illius misericordia provenisse & nos ex nobis nil nisi merum nihil & peccata (utpote nihili istius nostri effectus) habere: tamen in molestis quibusdam casibus, quos nobis evenire Deus permittit (uti si agros grando devastatur aut siccitas exurit aut aquarum eluviones corrumpunt) inque aliis temporariis calamitatibus persæpe, cum humiliare nos & peccata demeritaque nostra respicere deberemus, irascimur, fremimus, lamentamur, quandoque etiam sanctum Dei nomen blasphemamus. Nequaquam hoc humiliare se est, sed enim de se ipso præsumere erigereque se in Deum, ac si ille nos, contra quam meremur, tractaret. Hæc sunt, O charissimi! hæc sunt tempora, in quibus nobis ipsis dicamus: En! ob innumeras Deo illatas injurias

(o) *Act.* 1. 1. (p) *Luc.* 24. (q) 3. p. q. 53. *art.* 1. (r) *Philipp.* 2.

jurias infernum millies promeruisti; nunc cum ille paternis hisce monitis & pænis, inferno multum levioribus, excitare te vult, conquereris, lamentaris, infremis: Cur non potius ex vero corde pænitens depriinensque te in humilitatem ais: Deus meus! pejora mereor, utpote infernum meritus: gratias tibi ago, quod, ut me ab illo eripias, paternis hisce ictibus admonere digneris, quibus magna mea demerita mihi in memoriam reducens ad emendationem impellis: Sis benedictus; largire mihi patientiam, meam voluntatem tuæ conforma veroque de injuriis tibi factis dolore cor meum compunge. Cur non potius (inquam) corde contrito & humiliato ista proferimus . . . . Ah charissimi, sic facite & in vobis quoque sententiæ illius veritas comprobabitur: *Qui se humiliat, exaltabitur* (s) nam aut prosperabit vos Dominus aut tanta in patiendo pace ac patientia muniet, ut major inde exaltatio in futuro seculo ad vos reditura sit. Jam quod ad Proximum attinet; heu! quam multis difficile accidit, se erga illum humiliare: Nunquid verbum, nutus, sæpe nixa levibus argumentis suspicio sufficit, ut iris accendamur, ut debacchemur, ut vindictam spiremus & pænas reposcamus? Num hoc humiliare se, num hoc se ad exaltationem nobis ad extremum a Deo venturam parare est? Miseros nos! Quid hoc amabo! aliud est quam nova parare demerita, ob quæ Deus fastum, superbiam, ambitionem atque arrogantiam nostram castiget; ut & alterius oraculi a Christo editi veritas firmetur: *Qui se exaltat, humiliabitur.*

Postremo præteriri non-consideratum haud debet, ob quam caussam resurgens a morte Servator in corpore suo gloriosissimo manuum, pedum & lateris cicatrices retinere voluerit testimonium perhibente Evangelio, quod Dominus se per has suis discipulis cognoscendum præbuerit: *Videte manus meas & pedes meos* (t) *quia ego ipse sum* & Thomam invitarit, ut digitos suos in foramina manuum & lateris inferret: *Infer digitum tuum huc & vide manus meas, & affer manum tuam & mitte in latus* (u) *meum.* Quam putatis, O mei! rei hujus caussam extitisse? Haud alia, Charissimi! haud alia profecto fuit, quam infinita charitas, quacum ille pro nobis passus est. Quemadmodum aliquis, qui magna cum charitate (sive patriæ in commodum sive personæ cujusdam a se honeste & sat magna cum virtute adamatæ in gratiam) decertavit multaque in conflictu vulnera accepit, adeo ut obductæ eisdem cicatrices corpus insigniant; ipse in his gloriatur, in his sibi placet, has ceu triumphum sinceri amoris sui lubens gerit (Uti fidus ille miles, de quo Josephus Flavius (x) meminit, senatui se sistens solutis circumquaque vestibus de suo in patriam amore amanter gloriatus est, sparsas per totum corpus vulnerum cicatrices ostentans dicensque: *En signa amoris patriæ*) ita etiam amantissimus Jesus noster in corpore suo glorioso vulnerum cicatrices, ceu quædam infinitæ suæ in nos charitatis testimonia, conservare perpetuo voluit, has jactat, his gaudet atque triumphat. Sic S. Thomas Ven. Bedæ sententiam secutus: *Ut perpetuum victoriæ suæ circumferat triumphum.* Unde Augustinus (y) eandem rectissimam sententiam adoptans ait: *Fortassis in illo regno in corporibus Martyrum videbimus vulnerum cicatrices, quas pro Christi amore pertulerunt* Retinuit itaque Christus, retinebuntque Martyres (uti & reliqui Sancti) insignia laborum, quos ille nostri caussa, hi illius caussa exantlarunt: Et nos, O amantissimi! quid hactenus Christi caussa toleratum, quid Christi caussa exantlatum ostendere possumus? . . . Quod ad me attinet, Deus meus! confiteor humili animo, me nil, præterquam peccata, miserias, perfidias & malam tot gratiarum in me collatarum repensationem ostendere posse; Quod si etiam adjuvante tua gratia tui caussa quidquam laboravi, tu nosti quantopere illud & puræ intentionis & fervidi affectus defectu vitiatum fuerit. Sed quid mei Auditores suavissimi ostendere poterunt! Hoc quidem nescio; at unusquisque eorum novit, quid sua sibi

(s) *Luc.* 14. (t) *Luc.* 24. (u) *Joan.* 20. (x) *Lib.* 1. *de Bello Jud. c.* 23.
(y) *Lib.* 22. *de Civit. Dei.*

fibi conſcientia dictet. Ego autem & (ut ſpero) ipſi una mecum toto corde dolentes veniam ingratitudinum noſtrarum a te Deus! expoſcimus teque, per infinitum amorem, quo ductus cicatrices tuas tibi retinuiſti, obteſtamur, ut auxilium nobis largiaris ita in poſterum vivendi, ut & nos ſigna doloris noſtri laborumque tui cauſſa toleratorum ſtigmata tibi oſtendere queamus, Amen.

SERMO XVII.

De Aſcenſione Chriſti, in verba Symboli: ET ASCENDIT IN CÆLUM, SEDET AD DEXTERAM PATRIS.

POſt glorioſam Chriſti reſurrectionem Symbolum admirabilem ejusdem aſcenſionem nobis credendam proponit: *Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Itaque Chriſtus a mortuis reverſus, poſteaquam per dies quadraginta reliquis hominibus inviſibilis, viſibilis autem illis, quibus præbere ſe videndum voluit, extiterat, in cælum aſcendit. Dicetis illico: Quare morari quadraginta dierum ſpatio Dominus neque confeſtim in ſupera abire voluit? Reſponſum ad hanc interrogationem peti ex ſermone praecedenti debet: Voluit nimirum Dominus tanto tempore morari, primum quidem ut perſpicua certaque reſurrectionis ſuæ documenta daret, de qua initio quidem Angeli Mariis (uti omnes quatuor Evangeliſtæ referunt) dein vero ii teſtati omnes ſunt, qui eundem viderunt & cum illo ab inferis reverſo converſati ſunt; hinc ſi Dominus confeſtim ſupernas ſedes petiiſſet, hæc teſtimonia, quæ ad ſtabiliendam reſurrectionis dominicæ fidem tantum conferunt, deficerent. Secundo, quia tum Pænitentiæ (prout Evangelium claris verbis monet) tum alia quoque Sacramenta (uti præcedenti ſermone docui) inſtituere & Apoſtolos aliis Fidei veritatibus imbuere voluit, quæ obſtetricante Traditione ad nos manarunt, & a Chriſto quidem Apoſtolis oretenus, ab Apoſtolis vero ſucceſſu temporis ſuis Diſcipulis traditæ atque hac ratione a ſeculo in ſeculum ad nos usque derivatæ ſunt. Itaque poſtquam divina hæc ſua conſilia Dominus perfecerat, Apoſtolos ſuos cum Matre dilectiſſima multisque aliis Diſcipulis in monte Oliveti congregavit, in quo loco cum & ſe ſtitiſſet, poſt mutuas, quas mente concipere nequimus, ſalutationes extremumque Vale invicem ſibi dictum, ipſis inſpectantibus ingenti cum majeſtate elevari in aera cæpit, Diſcipulis defixos in eo oculos, quamdiu licuit, habentibus, donec illum lucidiſſimæ nubis interjectu e conſpectu amiſerunt: *Videntibus illis elevatus eſt* (a) *& nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*, ſicque in regnum ſuum immenſa cum gloria comitantibus cunctis, quas e Limbo liberaverat, animabus ingreſſus inque illo eo modo eſt exceptus, quem per fidem credere quidem, nulla vero ratione vel comprehendere animis; vel aſſequi verbis valemus, utpote qui Deo-homini mundi Redemptori debebatur.

Atque in hoc loco pro rudium inſtitutione addi debet, Chriſtum (quoad humanitatem aſſumptam) in cælos aſcendiſſe; cum de cetero (quoad divinitatem) ibi ſemper, neque ſolum in cælo ſed ubique locorum fuerit, puta per immenſitatem ſuam, quam ſuperius ſermone quarto expoſui. Hinc cum Deus unus in eſſentia & trinus in Perſonis ſemper ubique ſit, ſequitur, quod, ubi eſſentia eſt, ibi & Perſonæ ſint; ob id Perſona divina Verbi, quæ eſt Perſona Chriſti, ſemper in omni loco una cum reliquis duabus & (quod conſequitur) etiam in cælo

(a) *Act.* 1.

lo in sinu Patris sui æterni est, tametsi & in hoc mundo in assumpta humanitate fuerit, ut pro nobis pateretur. Ex hac doctrina, quæ omnis de Fide est, concludere vobis licet, quam inepte nonnulli sacrorum Oratorum se exprimant, sicubi de mysterio Incarnationis agentes multa cum emphasi dicunt, Verbum relicto Patris sinu (aut simili phrasi alia interposita) de cælo descendisse &c. mendacii Christum ipsum quasi arguentes, dicentem: *Pater in me est & ego* (b) *in Patre.* Hinc S. Thomas una cum Theologis omnibus concludit: *Constat* (c) *quod secundum humanitatem Christus ascendit.*

Verbis: *Ascendit ad cælum*, subjungit Symbolum: *Sedet ad dexteram Patris*; id quod de humanitate Christi accipi debet, tum quia divina illius Persona in terram, ut incarnaretur, veniens cælestes sedes nunquam reliquit; tum quia divinitas (utpote purus, immensus, infinitus Spiritus) nec dextram nec sinistram partem admittit: Indicat ergo phrasis: *sedet ad dexteram Patris*, humanitatem Christi multo ceteris beatis mentibus majorem gloriam (nimirum summam in cælo & in terra potestatem) possidere, quam ipse redux a mortuis Discipulis suis significavit, dicens: *Data est mihi omnis potestas in cælo* (d) *& in terra.* Unde S. Augustinus (e) *Ipsam dexteram intelligite potestatem, quam accepit ille homo susceptus a Deo.* Et S. Thomas (f) *Secundum gratiam habitualem, quæ abundantior est in Christo præ omnibus aliis creaturis in tantum, quod ipsa natura humana in Christo beatior est ceteris creaturis & super omnes alias creaturas habens regiam & judiciariam potestatem.* Quemadmodum, si quem honorare volumus, illum nobis a dextris esse jubemus ostendentes hac ratione eam, quam illi habemus, existimationem atque honorem; ita ferme, ad significandam collatæ Christo (qua homini) gloriæ & potestatis plenitudinem, sedere ille ad dexteram Patris dicitur. Hæc sunt, quæ de hoc Symboli articulo vobis exponere opus esse duxi.

Jam in nostram utilitatem atque ædificationem considerationes aliquot instituere libet. Narrat S. Lucas (g) Mariam atque Apostolos, postquam gloriosam Christi ad cælos ascensionem oculis usurparant, Hierosolymam magna cum lætitia rediisse: *Et ipsi adorantes reversi sunt in Jerusalem cum gaudio magno.* Nostisne, O mei! unde in Discipulis magna hæc lætitia orta sit, quam non fortuito ac temere sed ex proposito S. Evangelista notat. Dicam id vobis, verbis Evangelii nixus: Sciatis itaque Christum ante mortem suam dixisse Apostolis, se eos relicturum quidem, at ut pararet eis locum in cælo: *Vado parare vobis locum* (h) Hinc vobiscum cogitate, quantam lætitiam Discipulis, postquam suis ipsi oculis Magistrum in cælos ascendere viderunt, promissionem illam (nimirum, quod vaderet paraturus gloriæ locum) in mentem reducentibus hæc Domini ascensio attulerit? Atque ob hanc caussam in illis post admirandum adeo spectaculum Hierosolymam revertentibus magnum istud gaudium merito Evangelista annotavit: *Reversi sunt cum gaudio magno.* Sed & ad nos, O charissimi! gaudium hocce pertinet, si quidem agente Christi infinita misericordia per veram Fidem & S. Baptismatis Sacramentum membra ejus, quorum omnium caput ipse est, effecti sumus; Nam, uti multis in locis S. Augustinus observat, Jesus caput cum Membris suis nil aliud quam unum solum corpus mysticum & morale est: Atque ob id hujus lætitiæ ac spei (scilicet quod etiam nobis locum paraturus ascenderit) participes nos quoque esse & nobis quoque dictum putare ex vero possumus (*Vado parare vobis locum*) dummodo per bona opera dignos nos facimus, ut viva Christi membra simus. Hac de caussa S. Hilarius Arelatensis Episcopus (i) sapienter ait: *Totis fidei viribus nitamur, ut sicut Dominus noster nostro cum corpore ad superna ascendit; ita nos quoque, membra ejus effecti, Caput nostrum officiosis desideriis ac bonorum studiis jam sequamur. Ascendamus*, pergit, *post eum*

conr

(b) *Joan.* 10. (c) 3. *p. q.* 57. *a.* 2. (f) 3. *p. q.* 58. *a.* 2. (g) *cap.* 24.

(d) *Matth.* 28. (e) *Serm. de Symbol.* (h) *Joan.* 14. (i) *Serm. de Ascens. Dom.*

compunctione, benevolentia, concordia, charitate: ascendamus per ipsarum adminicula passionum. Quomodo autem post eum per passiones nostras possimus ascendere, si quis roget? hoc utique modo, si unusquisque nostrum subducere eas sibi studeat, & eminentia dominantis animi super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construat, quo ad superiora conscendat: Sublimabunt nos, si fuerint infra nos; de nostris etiam vitiis scalam facimus, si vitia ipsa calcamus. Quid ad hæc vos, O dilectissimi! . . . Num sic nos gerimus, ut ad mansiones a Jesu in cælos ascendente nobis præparatas evolare possimus? Num sic vivimus, ut digni simus esse viva divini Capitis nostri membra. Cogitate, ait memoratus S. Hilarius, cogitate, quod *cum Christo, id est humilitatis Magistro, non ascendit superbia, nec cum bonitatis auctore malitia, nec cum pacis amico discordia, nec cum filio virginis libido atque luxuria: Non ascendunt,* non ascendunt *vitia post virtutem nec peccata post justum.* Ita est, O mei! Non ducunt ad Christum amores obscæni, lascivæ amicitiæ, libidinis furores; sed enim ab illo abducunt: Non ducunt ad regnum Christi dona, sive justitiæ violandæ sive honestarum personarum seducendarum sive Proximi de ordine suo deturbandi sive lucrorum jure ei debitorum labefactandorum caussa, vel data vel accepta; sed enim in infernum deprimunt: Non ducunt ad cælum discordiæ, malevolentia, detractiones, sermones obscœni, delectationes ex malis cogitationibus captæ, desideria quarumvis animo occurentium rerum, juramenta per Dei, per Virginis sanctissimæ nomen, per Evangelium, per Crucem, per Sanctos ad quamvis fere periodum (Quin, quæ jurejurando firmentur, attendatur) prolata, non ducunt ad cælum; sed enim ad Tartara viam pandunt: Non ad gloriam, si creditoribus non satisfacimus (sicubi id fieri potest) aut si pares nos æri alieno solvendo, debitam diligentiam adhibendo, facere negligimus: Non ad gloriam, si vitam cujusvis generis voluptatibus plane deditam sectamur, non ad gloriam ibimus cum Christo æternum habitaturi; sed in infernum descendemus cum dæmonum turba, quamdiu Deus erit, cruciandi: *Non ascendunt peccata post virtutum parentem &c.*

Quid igitur facto opus est, ut eo perveniamus, ubi Caput nostrum in secula regnat? Haud aliud quidquam, quam ut, tanquam membra Capite hoc digna, vivamus: caput & membra unum corpus constituunt: corpus ab una anima, ab uno spiritu regitur. Quapropter ut membra simus Capitis hujus, ab ipso Christi spiritu vivificari regique debemus: Quisquis spiritu Christi non animatur, non est vivum membrum Christi, non est Christi. Sic Apostolus Paulus pronuntiavit: *Qui non habet spiritum Christi, hic* (k) *non est ejus.* Jam quis est Spiritus Christi? Si de Christo (ut Deo) loqui placet; Spritus Christi est ille ipse Spiritus, quem Pater habet, & qui ab utroque ceu uno solo principio (utpote una sola voluntate) procedit, estque is Spiritus sanctus tertia SS Trinitatis Persona: Et hic est Sanctitas, Charitas, Bonum summum essentiale. Quod si deinde de Christo (ut Homine) loquimur, spiritus Christi est spiritus crucis, videlicet contemtus voluptatum, mundi, vanitatum, rerum non sanctarum omnium: Estque spiritus virtutis, recti & omnis, quæ cogitari potest, perfectionis. Ob eam rem Christus dixit: *Qui vult venire post me,* ut perveniat eo, quo ego perveni, *abneget semetipsum* (l) *& tollat crucem suam & sequatur me.* Hic, hic est spiritus Christi, quo animari debemus, ut membra efficiamur digna, quæ Christo in regno cælorum uniantur. Itaque Christi spiritu, O charissimi! Christi, inquam, spiritu (qui est spiritus sancti Evangelii ab eo prædicati, scilicet spiritus observantiæ diviuorum præceptorum, spiritus obedientiæ erga legem Numinis) imbuere mentes nostras, eumque in finem modis omnibus peccata fugere mortalia &, hæc ut vitare queamus, occasiones eorum propiores (Nam proximæ ex se ipsis peccata sunt mortalia) relinquere perpetuo debemus. Hinc deserndi ludi illi, qui vos ad blasphemias, ad execrationes, ad jurgia atque eo inducunt, ut facultates vestras

(k) *Rom. 8.* (l) *Matth. 16.*

vestras non sine injusto familiarum vestrarum, ex lusione vestra mille inter angustias languescentium, damno dilapidetis. Deferendæ visitationes illæ, illæ fæminarum servitutes, illæ conversationes, in quibus tot impuræ delectationes tum oculis atque cogitatione hauriuntur: tum persæpe desideria & actiones lascivæ aliæque impudicitiæ admittuntur. Deferendæ illæ hominum dissolutorum societates, quæ perpetuis sermonibus inhonestis & mille detractionibus ansam præbent: in quibus pessimi isti non sine scelere millies gloriantur, se fecisse ac dixisse ejusmodi, quæ a peccati mortalis noxa minime aliena sunt. Deferenda illa commercia, illæ negotiationes atque officia, quæ continuis injustitiis, oppressionibus, clandestinis adversus Proximum consiliis, extortis muneribus & mille illicitis lucris caussam dant. Deferendi heri illi, qui adjuvare sua facinora (scilicet fovere illegitima literarum commercia: nefanda facere lucra: adducere ad se personas, quæ adduci non deberent: violare Ecclesiæ præcepta) suadent. Deferendi procacissimi illi vestiendi se modi atque illæ morum illecebræ, quibus tum viri ad sexcenta peccaminosæ complacentiæ peccata inducuntur tum scandala mille fæminis præbentur exemplum pessimum imitari volentibus quo plures sibi amasios comparent. Ut paucis omnia dicam; animari, divina auxiliante gratia, spiritu legis Dei (qui ipse spiritus Christi est) debemus; Quisquis secus agit, non est Christi; neque blandiatur sibi, se divino Capiti suo in gloria æterna jungendum fore: *Qui non habet spiritum Christi, hic non est ejus.* Itaque illo potissimum spiritu agi, O suavissimi! debemus, qui inordinatas reprimit animi affectiones: qui in rebus (saltem graviter peccaminosis) quinque corporis coercet sensus: qui voluntatem in desideriis divinæ legis præceptis repugnantibus frangit: qui multas oblectationum (quæ utut ex se licitæ sint; tamen ob id, quod peccati alicujus gravis vel proprii vel alieni incitamenta sint, graviter scandalosæ evadunt) interdicit. Omnia hæc verbis illis significantur: *Abneget semetipsum & tollat crucem suam.* Qui hunc spiritum non habet, nec est nec erit Christi: *Qui non habet spiritum Christi, non est ejus.* Utinam hunc per merita pretiosi sanguinis sui & mihi & vobis, O suavissimi! concedere Jesus dignetur.

Superest alia consideratio de Christo ad Patris dexteram sedente a me instituenda: Offert mihi illam denuo Paulus, scilicet quod Christus (quatenus homo) ad dexteram Patris sedeat, ut pro nobis de cujusvis generis gratiis intercedat: *Est in dextera Dei* (m) *qui etiam interpellat pro nobis.* Et alibi ait: *Sempiternum habet sacerdotium . . . semper* (n) *vivens ad interpellandum pro nobis.* Atque iterum alio in loco: *Non in manufacta Sancta Jesus introivit . . . sed in ipsum cælum* (o) *ut appareat vultui Dei pro nobis.* Immo S. Joannes Christum claris verbis nostrum apud Patrem Advocatum appellat: *Advocatum habemus apud Patrem* (p) *Jesum Christum justum*, adeo ut Jesus Christus, cum (qua Deus) Creator ac Conservator noster (qua homo vero) Redemptor noster, Cibus noster ac continuus Benefactor sit, una simul & Advocatum pro nobis perpetuo agat: Advocatum tantum nostri studiosum, tantum partibus addictum nostris, quantum credere de Advocato fas est, qui pro clientibus suis vitam in patibulo fudit. At jam hoc in loco scire ex vobis velim, Auditores mei! qua speciali devotione Advocatus hic noster a maxima Fidelium parte colatur? Profecto si comitatem & morum elegantiam erga Advocatos bonorum temporalium adhiberi solitam contemplor; mirum quantum obstupesco considerans, horum in comparatione supremum illum maximeque necessarium Advocatum parum aut nihil omnino curari; Etenim hi, præterquam quod eis quavis in consultatione ample ac generose pecunia solvatur, persæpe ut familiam aliquam perdant aut litis male vel excogitatæ vel dolose tractatæ caussa, & muneribus & variis magnæ existimationis significationibus & modis, quibus nostri studiosi reddantur, omni-

(m) *Rom.* 8. (n) *Hebr.* 7. (o) *Hebr.* 9. (p) 1. *Joan.* 2.

omnibus coluntur: Ille optimus, postquam nos famæ vitæque suæ dispendio redemit, non solum nullis specialibus obsequiis, nullis amoris significationibus honoratur: sed singulos in dies diversis modis & contemnitur & offenditur & læditur & male tractatur. Nunquid O mei! quivis ferme Christianus Advocatum aliquem apud Deum Sanctorum e numero sibi eligit, hic illum ille alium: hic plures, ille pauciores? Mariam autem omnes aut fere omnes Patronam implorant. Horum in obsequium unus has, alter illas devotiones exercet: Heus! longe abest, ut illa in feriam tertiam aut sabbati diem statuta jejunia solvantur. Et sunt hæc omnia tum bona tum laudabiliter exercentur: Oroque ac obtestor omnes & singulos, ut ista & præcipue specialem cultum Mariæ quam fidelissime retineant, Mariæ (inquam) in qua etiam ego omnem meam post Christum spem repositam habeo, cujus beneficia a me indignissimo accepta nec verbis nec scriptis deprædicare digne possim. At Christum, quis est, qui speciali devotione prosequatur & amore ductus aliquod peculiare homagii genus, aliquas distinctas preces ei efferat vel ejus caussa speciale aliquod qualis aut hebdomada aut mense jejunium servet? Pauci horum sunt, O mei! paucissimi. Atque (ut de me dicam) persæpe istud mihi contigisse profiteor, ut in ejusmodi Pænitentes inciderim, qui, cum nulli religioni sibi duxerint, sæpius per diem jurasse dicentes in conspectu Christi, per Christum, per Crucem, imo per sanguinem Christi similiaque; interrogati subin, num & per nomen Mariæ aut S. Antonii &c. jurarint, interrogati (inquam) responderint: Absit bone Deus! hæc ut dicam. Quid hoc rei, quæso, O charissimi! Ubi fides nostra? Quis est Christus, si Mariæ, si cælo universo componatur? Nunquid Sanctos immo & Mariam colere plus Christo oportet? . . Vah! quis talia ore blasphemo proferat! . . . Quomodo ergo fit, ut cum tam anxiam curam adhibeamus, ne Sanctos lædamus, Christum Jesum immo & Deum, qui major Christo (quatenus is homo est) existit, offendere nihil reformidemus? Quomodo fit, ut cum studio tanto hanc illam devotionem, hoc illud sive quotidiani sive hebdomalis sive menstrui obsequii genus Mariæ aut Sanctis offeramus, ad Christum aut nunquam aut perraro confugiamus: Christi aut nunquam aut raro recordemur: Christum aut nunquam aut raro invocemus, nisi eo ut absque omni reverentia per ejus nomen juremus aut nomen illud omnino blasphememus. Nonne ex hac nervosissima ratione, quæ Fide ipsa nititur, cognoscitis, O mei! quam male vestra sibi devotio constet? Nolo, Charissimi! ut devotos vos Mariæ & Sanctis præbere intermittatis; immo ut his devoti sitis, vos obsecro atque obtestor: At Christo multo magis devotos vos esse exopto. Nonne Mariam iniquis vos oculis aspecturam, si amantissimum ejus Filium læditis: Nonne Sanctos indignaturos esse putatis, si Salvatorem eorum supremumque Dominum offenditis? Atque utinam non essent sexcenti, qui a plurimis mortalibus adversus Christum peccatis emendare sese nihil curant, illi quidem Mariæ, isti vero Sanctorum patrocinio confisi; ac si Maria & Sancti in hoc positi essent, ut pessimis illis patrocinarentur, qui horum quidem supremum Dominum, illius vero amantissimum Filium offendunt. Igitur si ex Fide constat, Christum esse Deum nostrum, Redemptorem nostrum, summum Dominum nostrum, Patrem nostrum, Benefactorem nostrum, Amicum nostrum, Fratrem nostrum (Hos titulos omnes respectu nostri adscribere ille sibi dignatus est) & si is insuper in cælum ascendit, ut Advocatus noster esset *semper vivens ad interpellandum pro nobis:* si (inquam) hæc omnia ex Fide constant, ipsum, O Mei! omnibus anteferte: ipsum, plus omnibus colere, plus omnibus conciliare vobis, plus omnibus exorare satagite. Hinc nulla vobis (si fieri potest) effluat dies, quin Ecclesiam, ubi in sacro tabernaculo ob amorem nostri vivus & re ipsa residet, frequentantes eundem revereamini offerentes ei actum fidei, spe, chari-

charitatis, contritionis, gratiarum actionis & affectu plenissimæ commendationis, ut vos longe ab offensis suis remotos servet: seligentesque vobis pulchram aliquam & devotam orationem, eam illi quotidie dirigere statuite. In hunc finem ex multis pulcherrimis devotissimi Anselmi Cantuariensis Episcopi orationibus duas vobis propono easque breviores, ne, pro eo ut miseri homines sumus, fastidium subrepat.

„ I. Domine Deus meus! si feci, ut non „ essem servus tuus, nunquid facere potui, „ ut non essem effectus tuus? Si mihi puritatem meam ademi, nunquid misericordiam tuam peremi? Si commisi, unde me „ damnare potes, tu non amisisti, unde „ salvare soles. Verum est, Domine! quod „ conscientia mea meretur damnationem; „ sed misericordia tua superat omnem offensionem. Parce ergo mihi, Domine! „ quia non est impossibile tuæ potentiæ nec „ indecens tuæ justitiæ nec insolitum tuæ „ clementiæ. Quid enim est Jesus, nisi „ Salvator? Ergo, Jesu! qui me creasti, non „ me perimas; qui me redemisti, non me condemnes; qui me creasti tua bonitate, non „ pereat opus tuum mea iniquitate: Cognosce ergo in me, quod tuum est, & absterge, quod meum est, Amen. „

„ II. Scio, Domine Jesu! scio & fateor, „ quod non sum dignus, quem tu diligas; „ sed certe tu non es indignus, quem ego „ diligam. Indignus quidem sum tibi servire; sed tu non es indignus servitio creaturæ tuæ. Da mihi ergo, Domine! unde tu es dignus, & ero dignus, unde „ sum indignus. Fac me, quomodo vis, „ a peccatis cessare, ut, quomodo debeo, „ tibi possim servire. Concede mihi per „ tuam piissimam misericordiam sic custodire, regere & finire vitam meam, ut in „ pace dormiam & requiescam in te. Præsta „ mihi, Domine! ut in fine recipiat anima „ mea somnum cum requie, requiem cum „ saturitate, saturitatem cum æternitate per „ viscera misericordiæ tuæ, Amen.

SERMO XVIII.

In verba: INDE VENTURUS EST JUDICARE VIVOS ET MORTUOS. Agitur de Judicio particulari.

POst articulum de Ascensione Christi in cælum sanctum Fidei Symbolum articulum de ejusdem, vivos ac mortuos judicaturi, adventu proponit: *Inde venturus est judicare vivos & mortuos.* Profitemur hoc in loco, O suavissimi! ut facile videtis, adventum Christi in extrema mundi die, in qua creaturas omnes judicabit: Et quoniam de universali hoc judicio dicere ad vos sermone sequenti constitui, idcirco in hodierno de *particulari* potissimum *judicio* dicam: Quo in loco ad id attendere debetis, quod vos omnes satis scire persuasum habeo: scilicet unumquemque nostrum duplex Christi judicium subiturum esse: unum, quod dicitur particulare; alterum, quod universale vocatur. A primo omnia pendent, nimirum bonus malusve secundi exitus: Quem salvari in primo feliciter contigerit, is non habet, quod in secundo formidet.

Primum itaque, scilicet particulare, judicium eo ipso temporis puncto fit, quo anima corpus linquit; quæ Christo Judici sistitur, ut post discussam caussam suam sententiam, a qua appellari non potest, accipiat: sententiam vel salutis æternæ nulla mora interposita (si justa & ab omni reatu, etiam pænæ, libera fuerit) aut tum demum consequendæ (si in Purgatorio pœnas peccatis mortalibus venialibusque jam dimis-

dimiſſis ſeu venialibus etiam nondum condonatis debitas exſolverit) vel damnationis æternæ, ſi culpa lethali gravata ex hoc ſeculo migravit. Ex quibus cognoſcitis, animam, cui in hoc primo judicio ſalus obtigerit, in perpetuum ſalvari: contra eam, cui in hoc judicio perditio obtigerit, in perpetuum perire: *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem* (ita Paulus (a) dogmatice ſcriptum reliquit) *judicium.* Dicetis forſitan: Ut quid ergo denuo in extrema mundi die univerſale judicium inſtituetur? Reſponſionem ad hoc quæſitum in diem craſtinum, obſecro! expectate: Hodie de judicio particulari, quippe quod maximi in rem noſtram momenti eſt, agere me permittatis oro.

Itaque anima e corpore exiens, in ipſo exitu Chriſto Judici ſuo, a quo apellari non poteſt, occurrit: Hic autem animæ judicandæ omnes actiones (ne minima quidem excepta) & præprimis omnia peccata ob oculos mentis proponit eo modo eaque cum perſpicuitate atque atque evidentia, quacum facere iſtud Deus omnipotens valet. Jam ponite, animam judicandam eſſe innumeris illis, quas Chriſtianos inter invenire eſt, ſimilem: ſimilem (inquam) innumeris illis, quippe quæ maximam ſui in hac terra incolatus partem peccatorum mortalium rea duxit; quippe quæ poſt peractam Confeſſionem, poſt ſumptam ſacram Dapem mox ſequenti aut aliquot diebus poſt ad priora ſcelera rediit, quin ab illis ſe unquam penitus correxerit atque ob hanc cauſſam in poſtrema Confeſſione, priusquam ex hoc ſeculo migravit, eadem peccata indicanda habuerit, quæ plus minusve tantis temporum intervallis absque ulla omnino emendatione iterum iterumque confeſſa eſt: adeo ut poſtrema quoque Confeſſio ejus generis fuerit, cujus præcedentes fuerunt.

Cogitate, obſecro! quam funeſtus accidere animæ huic primus ille occurſus debeat, quo coram Chriſto Judice ſiſtitur: Judice, quem toties graviter offendit, totoque fere vitæ ſpatio capitalem hoſtem (nam talem ſe cuique peccati mortalis reo ille gerit) habuit. Ah occurſum! Ah præſentiam! Ah primum aſpectum! Videre Judicem eum ipſum, quem omni libidini, omni voluptati, omni effrænatæ cupiditati poſtpoſuit! hujus in præſentia eſſe & juſtas indignantis objurgationes audire debere!

Olim Dominus, Regem Judæ Sedeciam ob patrata ſcelera punire volens, Prophetam Jeremiam ad ſe vocatum ita eſt allocutus: *Vade & loquere ad Sedeciam Regem Juda:* Incides in ſervitutem Regis Babylonis; *Dices: Et tu non effugies de manu ejus, ſed comprehenſione capieris &* (b) *in manus ejus traderis: Et oculi tui oculos Regis Babylonis videbunt & os ejus cum ore tuo loquetur.* Vaticinium iſtud eventus cumulatiſſime firmavit: Captus quippe Sedecias & ad Regem Babyloniæ Nabuchodonoſorem eſt adductus, *qui locutus eſt cum eo* (c) *judicium*, hoc eſt, eum de injuriis & offenſis, quas accepiſſe ſe ab illo contendebat, judicavit. Ah! quid jam de nobis, O ſuaviſſimi! fiet, ubi Jeſum tanto tempore injurioſe a nobis habitum contueri: ubi eundem noſtras nobis de immenſis beneficiis ſuis ingratitudines exprobrantem audire cogemur? *Oculi noſtri oculos ejus videbunt & os ejus cum ore noſtro loquetur*: Ubi eundem ipſas adeo occultiſſimas cogitationes noſtras accuratiſſime diſcutientem audiemus? *Loquetur nobiſcum judicium.* Et ſi Dominus, grave malum Sedeciæ in eo denuntiari, credidit, quod Regem inimicum contuiturus & cum eo collocuturus eſſet; quanta, putatis! animæ afflictio erit, quæ plurimorum ſcelerum rea, quamprimum corpus deſerit, convenire Jeſum Chriſtum debet? . . . Aut quæ eſt majeſtatis, indignationis atque furoris, quem Rex Babylonis in Regem Sedeciam ore prætulit, cum majeſtate, indignatione & furore illo comparatio, qui in facie Jeſu Chriſti noſtri poſt mortem judicis adverſus animas peccatrices nec (ut decebat) pænitentia expiatas, mox ut e ſeculo

(a) *Hebr. 9.* (b) *Jerem. 34.* (c) *4. Reg. 25.*

culo hoc migrarint, throno suo sistendas judicandasque apparebit? *Loquetur cum eis judicium* . . . .

Quamprimum anima Judicis tribunali oblata fuerit, audiet distinctam, quam ille facturus est, enarrationem insignium beneficiorum omnium, quæ à se & vi sanguinis sui anima accepit: creationis, redemptionis, sanctæ fidei, spatii ad pænitentiam toties concessi, tot luminum, inspirationum, monitionum, auxiliorum, correctionum, morsuum conscientiæ, calamitatum Proximi oculis usurpatarum, repentinarum alienarum mortium, benefactorum temporalium ac pænarum (paucis) viarum omnium, quibus Dominus ad animam lucrandam usus est, ut ne illa majestatem sui nominis offenderet, sed eandem amaret eidemque pro officii sui ratione serviret, quippe certa Dominum vel minimæ in mentem admissæ cogitationis, verbi ore prolati minimi, actionis patratæ vel omissæ minimæ rationem exacturum fore. Jam quid, heu! de nobis fiet, si nos Dominus benefactis suis abusos: si sexcentorum peccatorum mortalium adversus se commissorum reos esse: si sanctam gratiam sanctamque amicitiam suam nihili nos fecisse: si omnia nobis amori, plus se, fuisse: si nos totos animos divitiis, dignitatibus & voluptatibus obscœnis adjecisse deprehenderit? Quid, heu! de nobis fiet, si Dominus mentem nostram cujvis peccaminosæ imagini, utut turpissimæ, perviam atque apertam: si intellectum nostrum ad omnem cogitationem malam suscipiendam promptum: si voluntatem nostram ad omnem a se prohibitum affectum proclivem fuisse invenerit? Quid, heu! de nobis fiet, si nos debitorum nostra negligentia non solutorum: si nos creditorum insolentiis nostris fatigatorum: si munerum dolosa industria injuste extortorum: si lucrorum innumeris titulis illicitorum reos deprehenderit? Quid, heu! de nobis fiet, si nos Dominus maledictorum, detractionum, calumniarum in Proximum non retractatarum: si damnorum non compensatorum: si sermonum obscœnorum quam frequentissime habitorum: si vestitus lascivi, procacis, ad libidinem excitantis: si scandalorum, seductionum, invitationum, provocationum quandoque etiam violentarum, ut alii in malum traherentur, reos invenerit? Quid, heu! de nobis fiet, si nos Dominus male perjurandi consuetudini deditos fuisse: si cum scandalo Proximi blasphemias vomuisse: si adoranda sanctæ Religionis capita ludibrio habuisse: si sacratissima maximeque veneranda mysteria derisisse cognoscet? Quid, heu! de nobis fiet, si nos Dominus Confessionum sive ob sacrilegam reticentiam sive ob excusationes haud veras sive ob doloris & efficacis propositi aliarumque requisitarum conditionum defectum male peractarum: si nos, proh Superi! Sacramentorum in statu peccati mortalis vel acceptorum vel ministratorum: si nos denique intellectus nihil minus, quam se, cogitantis: si memoriæ nihil minus, quam se, repetentis: si voluntatis nihil minus, quam se, appetentis; si cordis nulli rei minus, quam sibi dediti: si corporis nullius rei caussa minus, quam sui gratia, defatigati reos invenerit? In tali statu si nos deprehenderit, quid de nobis fiet, O suavissimi! quid fiet? ... Quid? ... *Reduc me in memoriam & judicemur simul*, (d) dicet, uti in spiritu audiit Isaias Propheta: *Reduc me in memoriam*, scilicet ea, quæ tibi feci, & tunc judica: quid tu, quid ego mereamur. *Et judicemur simul.* Ego beneficia: Tu peccata; Ego gratias: Tu offensas; Ego auxilia: Tu injurias. *Judicemur simul.* Quid dicis, quid respondes? *Narra si quid habes*, prosequitur Propheta in persona sua, *ut justificeris*: affer, si quam habes, defensionem. Anne forsitan afferes consuetas tuas preces: illas masticatas, devoratas, luridas atque eum in modum recitatas preces, ut tam irreverenter, tam distracte tamque indecenter ne bubulco quidem locutus fuisses? *Narra, si quid habes.* Anne adduces illa ex devotione suscepta jejunia eum unice in finem observata, ne te mea corriperet justitia, & ut sine timore offendere me pergeres? *Narra, si quid habes.* Anne allegabis Communiones illas respe-

ctus

(d) *Isai.* 43.

ctus humani gratia, & ut ne aliis tepidior putareris vel ut occultos amores tuos velares, peractas? *Narra, si quid habes.* Anne laudabis eleemosynas obliqua ex intentione, non ut conversionis a me gratiam sed ut licentiam vitiis altius te ingurgitandi acciperes, erogatas? . . . Ad hæc responde; hæc purga! *Narra, si quid habes, ut justificeris* ... Ah! quomodo fieri poterit, ut has vel similes atque alias justas increpationes audientes ad judicis objurgantis vocem pudore non confundamur & cum alio attonito Propheta exclamemus: *Confusio faciei meæ cooperuit me* (e) *a voce exprobrantis & obloquentis.*

Hæc sunt, O charissimi! quorum maxime rationem (pro eo ut nostro ævo vivitur) ab animabus Fidelium in judicio particulari repetendam fore deputavi. Sunt quidem (ut verum fatear) multa alia inquisitionum genera, quæ hoc in loco addere possem; sed ea consulto prætermitto, ne hac de re nimis prolixus esse videar. Nam quis unquam cogitare ex æquo poterit, quæ & quanta in nobis Christus Judex discutienda atque investiganda reperiet? Excutiet ille (ut paucis omnia dicam) unumquemque nostrum per omnes articulos & per obligationes eo pertinentes omnes, utut minutissimas: quid nobis, tanquam personis ratione præditis, tanquam personis christianis, tanquam personis hujus vel illius conditionis, tanquam personis in hoc illove vitæ ordine positis convenerit? Quo in loco computetis vobiscum velim, quot quamque varia sint uniuscujusque nostrum pro varia vitæ ratione officia: scilicet quæ sint officia personæ alicujus primum ut rationalis, dein ut christianæ: postea ut e. g. nobilis, ut forensis, ut mercatricis, ut artificis &c. subin ut e. g. cælibis aut conjugatæ, ut principis aut subditæ, ut ecclesiasticæ aut regularis. Sic Judex supremus uniuscujusque nostrum, pro statuum ratione, cogitationes susceptas omnes, affectus in cor admissos omnes, omnia verba ore prolata omnesque actiones potentiis externis patratas discutiet. Neque hic subsistet; sed inquiret insuper in omnes omissiones earum rerum, quas scire, cogitare, loqui ac operari debuissemus: Et hic quanta rerum vorago sese oculis objiciat nostris, ipsi cognoscitis. Exiget ergo rationem omnium momentorum, exquirens, quibus rebus illa dicaverimus: omnium obolorum, indagans, in quæ illos expenderimus: omnium aliorum bonorum temporalium, investigans, in quem usum illa adhibuerimus: Nam cognitionem infinitam, qualis Dei-hominis propria est, nihil fugitat, nihil latet, de quo creatura, quæ Esse eum in finem accepit, ut tota ipsi viveret ejusque obsequio omnia ab eo accepta sacraret, rationem non reddat, utrum hoc re vera præstiterit.

Jam hæc omnis disquisitio, O charissimi post annos aliquot, & fortassis a multis post menses aut dies aliquot, certe aliquando omnibus nobis est subeunda. Atque ob id ex vobis sciscitari juvat, quid responsuri quidve allaturi simus? Dicebat olim & merito jure Jobus: *Vere scio, quod ita sit, & quod non justificetur homo compositus Deo* (f) *Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere unum pro mille . . . Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei & loquar verbis meis cum eo: Qui etiamsi habuero quidpiam justum, non respondebo; sed meum Judicem deprecabor.* Quod si in hanc sententiam magnus ille legis naturalis Sanctus locutus est atque hæc (quod ad suum judicium spectabat) cum animo computavit suo; quid nos aut facere aut dicere, O mei! oportet, qui non solum a sanctitate Jobi longe absumus, sed & sexcentis peccatis onustam conscientiam habemus? Atque utinam non sic res multorum esset, quibus de triginta, quadraginta, sexaginta & pluribus etiam vitæ suæ annis dicere licet, se illos (paucis horis demptis) ferme totos in statu inimicitiæ Dei, &, reos culparum mortalium duxisse!

Jam quæ sententia expectari a Judice debet eo tempore, quo ejusdem justitia jus suum, quod toto vitæ hujus tempore misericordiæ cesserat, sibi repetitura est? quæ, proh Deus! sententia! Qualem vobis expectaretis, O mei! si hoc temporis puncto repentina sublati

(e) *Psalm.* 43. (f) *Job* 9.

lati morte in judicium vocaremini ? . . . Ah! vereor, ne multi vestrum dicturi sint: Væ mihi! Sententia, heu! prompta foret: æternæ maledictionis fulmine prosternendus essem. Et cur in negotio, in quo de æternitate vel fortunata vel infortunata agitur, rebus vestris male adeo prospicitis? Oh Pater! sic respondentes nonnullos audire mihi videor, prius confessuros nos, quam morte rapiendos esse confidimus. His repono: Quis vobis istud revelavit? Quot, qui se hac eadem spe lactarunt, absque Confessione mortui sunt æternumque perierunt? Quot vehementi correpti morbo confessi quidem sunt; at vix, quid facerent, scientes? Quot commodo confessi tempore invalidam debitoque serio dolore & proposito firmo destitutam Confessionem peregerunt? Quin advertite, O mei! animos vestros (Sunt, quæ dico, maximi momenti ad eos dedocendos omnes, qui peccaminosis suis libidinibus absorpti vivunt &, per spem peragendæ ante mortem bonæ Confessionis, evitaturos se particulare judicium, quod ferali e lecto abire præcipites in infernum faciat, sibi blandiuntur.)

Advertite animos! Quæro ex vobis, quid de illis Confessionibus sentiatis, quas peccatores identidem faciunt? Quin describere illas juvat! Imminet e. g. Paschalis solennitas, Natalis Domini aut Assumptio Virginis; Dicunt cum animis suis: Oportet confiteri; excutiunt taliter qualiter conscientias suas; legunt libellum aliquem, in quo præparationis ad Confessionem sic dictus actus (sunt multi horum librorum, qui animum, ut decet, ad Confessionem certe non præparant, quos ipse legi, & qui idonei non sunt; cum nullum formalis doloris actum exprimant) prolixe ponitur; libello lecto confessarium quæsituri eunt: Confessarium, sive qui se primus obtulerit aut sæpe ejusmodi, qui parum vel aut nihil interrogant, monent, inculcant &c. Tum exponunt, quæ menti post perfunctoriam investigationem occurrerunt, accipiuntque Absolutionem; quando & longior ante Confessionem examinatio instituenda & in ipsa Confessione plura interroganda & persæpe Absolutio differenda esset tum propter non relictas peccandi proximas occasiones tum ob æs alienum ex negligentia non dissolutum tum ob recidivos in eadem peccata mortalia lapsus tum ob alias, quæ Absolutionis dilationem exigunt, caussas: Jam, Absolutione donati, contenti & quieti vivunt seque Paradisum manibus prehendisse putant. De hujusmodi Confessionibus quid sentiatis, rogo. Ah Pater! dicetis: Credimus, qui talem Confessionem fecit, eum Dei gratiam sibi reconciliasse: Siccine? Placet interrogare ulterius, num Confessiones peractæ omnes hujus generis fuerint? Ita, fuere. Ego iterum quæro: Post has Confessiones omnes vicies, tricesies, quadragesies, centies factas an hi ullum emendationis fructum tulerunt, anne vero priora fere semper peccata ad sacrum tribunal attulerunt: scilicet easdem lascivias, easdem execrationes, eosdem amores, eosdem sermones obscœnos, easdem in malis cogitationibus delectationes, eosdem impudicos obtutus, easdem creditoribus satisfaciendi omissiones, easdem mali occasiones, eadem lasciva commercia atque amicitias easdem (verbo) easdem fere aut sæpe, majori etiam numero & speciei gravioris, culpas? Ita Pater! Jam, si vos tales Confessiones bonas validasque dicitis, ego contra cum omnibus SS. Patribus, qui hoc argumentum tractarunt, illas malas esse affirmo, quippe vero de Deo offenso dolore firmoque de Deo amplius haud offendendo proposito privatas. Sic (repeto) Patres omnes asserunt, quotquot de hac materia scripserunt: dum hujusmodi pænitentias alii fictas, alii mendaces, alii fraudulentas, alii nullas esse declararunt. Atque hoc nixi fundamento summi Pontifices Alexander VII. & Innocentius XI. eorum sententiam reprobraverunt, qui docebant: *non obligari peccatorem ad deserendam occasionem, in qua utplurimum ad peccandum inducitur*; atque iterum: *posse absolvi, qui mortalis peccati consuetudine obstrictus est,*

atque

atque ob id in eadem semper peccata relabitur. Nam si is fidem merito amittit, qui quatuor aut octo vicibus rem graviorem pollicetur, quin illam unquam efficiat; qua ratione in re omnium gravissima (qualis est peccati mortalis derelictio) fides ei adhibeatur, qui se nunquam a malo correxit. Repeto itaque, tales Confessiones sacrilegia potius quam Confessiones dici debere.

Verum concedamus, non omnino nullam aut plane sacrilegam talem Confessionem & saltem suspectam esse. Num cum tali Confessione mori velletis? Nequaquam certe. Jam posthæc ex vobis quæro, num quidquam magis periculosum sit, quam ut ne postremis quoque vitæ diebus talem Confessionem (si tamen gratiam confitendi Deus vobis concedat) faciatis; nam cum hunc in modum, scilicet cum exiguo sensu, cum ancipiti dolore, cum instabili proposito peragere Confessiones vestras assueveritis, quid fieri facilius potest, quam ut vestra postrema quoque Confessio ejusdem generis sit eosdemque consuetos ac usitatos characteres gerat? His addite, in fine vitæ & morbi magnitudinem & animi tædia & mentis de rebus externis sollicitudines ac perturbationes eo conferre plurimum, ut Confessio vestra ultima reliquis Confessionibus minus quieta, minus sedata minusque sensata reddatur. Et talem Confessionem secum ex hac vita afferens anima quod judicium quamve sententiam expectare poterit: quod, edicite obsecro, judicium, quam sententiam? Quid aliud, ita se gerere, O mei! quid aliud est, quam sempiternam salutem ancipiti fortunæ committere seque æternæ maledictionis periculo ultro offerre?

Quid igitur facto opus, ut irreparabilis hujus ruinæ securos nos (quantum id effici potest) reddamus? Dicam id vobis, & faxint Superi, ut opere exequamini, quod verbis moneo; Est enim admonitio Spiritus sancti: *Ante judicium para justitiam tibi. . . . Ante judicium* (g) *interroga te ipsum*, excute, corrige & sic *in conspectu Dei invenies propitiationem.* Itaque ante alia omnia Confessionem debitis modis & (si opus fuerit) etiam generalem facite, sicubi ex recidivis in eademmet peccata lapsibus colligere potestis, præcedentes Confessiones vestras nullas atque irritas fuisse nullumque vel dolorem vel propositum verum vos habuisse. Sic ante judicium in statu gratiæ & justitiæ vos collocabitis: *Ante judicium parabitis justitiam vobis.* Hac Confessione peracta subsequentes Confessiones vestras (non moris aut consuetudinis hoc illo sacro tempore, hac illa in solennitate receptæ caussa, sed præcipue eo consilio, ut vos in gratia Dei stabiles servetis) cum serio sinceroque de offensa Dei infinita bonitate dolore, & firmo stabilique ac certissimo de illa graviter haud amplius offendenda proposito facere consuescite (Requiruntur hæc omnia ad validam Confessionem, uti alio in loco fusius vos docebo) Deinde si de doloris vestri veritate firmitateque propositi vestri prudenter conjicere vobis ex eo licuerit, quod occasiones, in quibus cecidistis, fugiatis: quod obligationes a pio doctoque confessario impositas impleatis: quod a relapsu in eadem peccata vel ex toto vel ex maxima parte abstineatis; adeo ut quælibet Confessio fructum suum pariat, si non ut nunquam saltem ut notabiliter rarius cadatis, donec tandem haud amplius graviter vos peccare contingat aut si quandoque contingat, id casu extra ordinem ac fortuito fiat, bene erit: Sic *ante judicium interrogabitis vos ipsos*, fietque, ut, vobis absque gravi peccato & in statu gratiæ divinæ vivere pergentibus, anima ferali in momento ejusdem gratiæ consors migret, & judicium inveniatis, quod vos paradiso destinet: *Et in conspectu Dei invenietis propitiationem.* Quod si secus facitis maximamque vitæ partem in peccatis mortalibus aut sic vivitis, ut peccatis Confessio, Confessioni peccata succedant, quin unquam aut saltem parum admodum mores corrigatis: vestræ Confessiones, quæ dimittere culpas deberent, easdem etiam aggravabunt, fiet-

(g) *Eccli.* 18.

que miseris vobis, ut postrema Confessio præcedentibus similis sit vosque in judicio particulari æternæ damnationis sententiam reportetis.

SERMO XIX.

In eadem Symboli verba: INDE VENTURUS EST ETC. Agitur de judicio universali.

Postquam de judicio particulari ad vos dixi, O charissimi! restat, ut de judicio universali, quod proposito Symboli articulo maxime profitemur, differam: *Inde venturus est judicare vivos & mortuos.* Objiciet aliquis: quid opus est post particulare judicium, in quo a Christo judice inappellabilis sententia pronunciabitur, aliud universale institui, quo unice sententia pronuntiata confirmetur? Equidem, O mei! nulla hujus universalis judicii faciendi inevitabilis necessitas existit; cum Deus res aliter (si voluisset) ordinare potuisset; Attamen sunt quædam rationes convenientiæ, ex quibus perspicuum fit, juste, sancte summaque ratione hoc universale judicium fieri, in quo creaturæ humanæ (quotquot fuerunt, sunt & erunt) omnes comparere cogentur, ut unaquæque omnis, quod in corpore ad animæ exitum usque gessit, vel boni vel mali rationem reddat; prout per os Pauli Apostoli Fides nos omnes monet: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis* (a) *prout gessit, sive bonum sive malum.* Et quoniam persuasum habeo, vos has convenientiæ caussas cognoscendi avidos esse, illas vobis ex S. Thoma, a quo easdem Catechismus Romanus est mutuatus, adducere non tam inutilis curiositatis explendæ quam fructus inde (ut spero) a vobis capiendi gratia constitui.

Prima judicii universalis ratio hæc est, ut appareat sapientia infinita viarum Domini, quæ imbecillis mentibus nostris insolitæ atque incongruæ esse videntur; dum scilicet bona temporalia inæquali adeo modo distributa esse: dum tot justos contabescere miseriis, contra tot impios prospera fortuna uti: dum probos esse contemptui, ambitiosos atque superbos exaltari: paucis, dum bonos affligi, malos prosperari videmus; quæ distributio, cum bona nostra omnia fortesque omnes in Dei manibus positas esse sciamus, bonis caussam admirationis: malis scandali: impiis blasphemiæ præbet. Oportet itaque uti monet Catechismus Concilii Tridentini (b) Deum harum viarum, quas Fideles omnes (quotquot sunt atque erunt) eo magis adorare ac revereri debent, quo altius supra cæcæ mentis nostræ captum positæ sunt, sapientiam, justitiam ac providentiam omnibus palam ostendere, ut debitæ eidem laudes ab omnibus tribuantur omnesque dicant: *Omnia in sapientia fecisti.* En! ipsa memorati Catechismi verba: *Quoniam in adversis & secundis hominum rebus, quæ promiscue nonnunquam bonis & malis eveniunt, probandum erat, nihil non infinita Dei sapientia & justitia geri & gubernari; par fuit ... publico ac generali judicio decerni, quo omnibus notoria & illustriora fierent, atque ut Deo justitiæ & providentiæ laus ab omnibus tribueretur.* Atque de hoc argumento ego plura non dico, quoniam de eo in sermone nono ac decimo fuse egi.

Secunda judicii finalis caussa est, ut creditæ infamiæ vel honoris indebiti præjudicium, quocum multi ex hoc mundo migraverunt, tollatur. Accidit, neque id raro: quendam sive ob impositam injuste calumniam sive ob delictum occultum aliorum maligni-

(a) 2. *Corinth.* 5. (b) *Part.* 1. *cap.* 8. *n.* 4.

lignitate revelatum sive etiam morte ignominiosa carnificis publici manu illata ex hoc seculo discedere, auferentem secum communem existimationem personæ infamis ac dignæ, cujus nomen ad posterorum memoriam gravi contumeliæ nota insigniatur: Immo fit quandoque, ut nomen illius detestabilis memoriæ æternandæ gratia in rerum gestarum commentarios referatur & libris in lucem datis divulgetur; cum tamen aut innocentia calumniis impetiti aut verus fontis dolor (qui noxium Deo conciliat ejusque Filium adoptivum & regni cælestis hæredem constituit) eundem omni honore atque existimatione dignum faciant. Ita e contrario nonnulli in fama sive sanctitatis sive doctrinæ sive virtutis militaris aut alterius dotis alicujus, qua posteritatis existimationem ac laudes consequantur, e vita migraverunt, quorum nomina in historiis prædicantur; cum tamen illi, sive quod abominabili hypocrisi dediti sive quod impotenti superbia excæcati fuerint sive quod nefandæ traditionis reos se fecerint sive quod impias & Religioni sanctæ perniciosas opiniones foverint aut alii ignominioso vitio addicti fuerint, atque ob id in Dei inimicitia & vixerint & obierint, perpetua notari ignominia mereantur. Jam ut quivis, qualis re vera fuit, talis & cognoscatur, judicium decerni finale quam convenientissimum fuit, in quo coram universo humano genere & iis, qui bonæ famæ detrimentum injuste accepissent, fieret satis: & ii, qui immerito honore crevissent, proderentur. *Cum fama sæpe lædatur, impii vero justitiæ laude proborum commendentur: divinæ justitiæ ratio postulat, ut pii ereptam injuria apud homines existimationem in publico universorum hominum conventu & judicio recuperent.* Ita loco citato laudatus Catechismus.

Ex quibus inferre debemus, hominem (si veri ratio habetur) in tantum solummodo existimatione dignum esse, in quantum talis coram Deo; & non in quantum talis in hominum opinione, erroribus obnoxia, est: erroribus, quos sexcentis tum indoles atque ingenium tum aliorum malignitas tum suspicio & rerum in partem iniquam acceptio tum frivolis rationibus nixum judicium tum anxia æmulatio aut alia immoderata, & quæ nos perperam sentire faciat, affectio creant; id quod in dies singulos fieri videmus. Quapropter haud adeo anxie nobis laborandum, ut hominum existimationem, tot erroribus tantæ inconstantiæ tantæque sententiarum varietati obnoxiam, nobis comparemus; sed in id curæ nostræ ac sollicitudines convertendæ sunt, ut Dei existimatione floreamus, cui placere tam facile quam hominibus placuisse difficile est; quandoquidem, ut Deo placeamus, cor sincerum & efficax eidem placere volendi desiderium gerere sufficit: In cujus rei signum Dominus efficacia operis boni desideria pro opere ipso accipit, si nos ab hujus executione vera impotentia præpediverit: *Præparationem cordis eorum audivit auris tua* (c) *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Contra, ut hominibus placeamus, sola desideria nihil juvant, imo ne exquisitissimæ quidem assiduitates; quandoquidem τὸ placere illis e mille circumstantiis, quæ perraro concurrunt, pendet; & si etiam concurrant, res exiguissima quæque eo sufficit, ut animos mutent & gratiam erga nos collectam amittant.

Tertia judicii finalis caussa (ut alias leviores omittam) est qualitas nonnullarum actionum humanarum (sive malarum sive bonarum) quæ *actiones consequentiæ* vocantur, & quarum effectus ad finem mundi usque perdurabunt. Num e. g. dubium cuiquam esse potest, quin pictor, qui sacram magnæ pietatis sensus instillantem imaginem cum bona rectaque intentione depinxit (si salvatur & in regni cælestis possessionem admittitur) novos gloriæ accidentalis gradus pro quovis pio actu, quem Fideles erga illam sanctam imaginem eliciunt, consequatur? Num cuiquam dubium esse potest, quin scriptori, qui recto consilio opus cultum Dei & profectum animarum adjuvans composuit ac publicavit, nova accidentalis gloria (si in

(c) *Psalm.* 9.

in cælum ivit) ex omni illo fructu accedat, quem lectores hujus operis capiunt & ad finem mundi usque capturi sunt? De hoc dubitare nobis certe non licet, quippe quos de eo certos omnis Theologorum turba reddit. Sic e contrario de pictore lascivo, de obscœno poeta, de scriptore scandaloso deque iis sentiatis omnibus velim, qui quoque modo monumenta ad peccatum inducentia post se reliquerunt: qui omnes (si damnantur) pro quolibet peccato propter ipsos admisso novas accidentales pænas in inferno persentiscent. Quo in loco sciatis velim, hos tum gloriæ tum pænarum gradus *accidentales* dici, non quod veniant transeantque; Nequaquam (nam semel cum venerint, æternum durant) sed quod gloriæ ac pænæ essentiali (quarum hæc in privatione visionis Dei: illa in visione ac fruitione ejusdem consistit) superaddantur; de quo in ultimo Symboli articulo fusius dicam. Ex his, quæ hucusque attuli, convenientissimum esse cognoscitis, universale judicium institui; quandoquidem ad illius tempora usque effectus bonarum malarumve actionum plurimorum hominum duraturi sunt: *Cum vel ipsis hominibus mortuis* (En verba memorati Catechismi) *interdum superstites sint filii parentum imitatores: reliqui sint libri ac discipuli, exemplorum, orationum, actionum amatores ac propugnatores, quibus rebus ipsorum mortuorum præmia & pænas augeri necesse est; cum hæc vel utilitas vel calamitas ad plurimos pertinens non prius finem habitura sit, quam extremus veniat mundo dies: æquum erat, de universa hac recte aut perperam factorum dictorumque ratione perfectam quæstionem haberi; quod fieri non poterat, nisi facto communi hominum judicio.*

Et hic quam ampla se mihi, O suavissimi! dicendi materies offerret, nisi hoc de argumento alio in loco, in quo de scandalo dicam, agendum esset? Nunc eos omnes, qui sive verbis sive actionibus suis posteritati monimenta ad peccatum excitantia, ad peccatum provocantia, ad peccatum trahentia, ad peccatum seducentia post se reliquerunt, secundum memorata Catechismi verba monuisse satis habeo, eos in illa terribili die apparituros esse, omnibus malis effectibus actionum suarum gravatos: atque ex illis judicandos fore, visuros longam atque perpetuam prave a se gestorum seriem & funestissimam scandalorum a se datorum propagationem. Atque ob eam rem memoratus Catechismus monet, ut parentes quoad exempla & doctrinas natis dandas: ut præceptores quoad alumnos suos, multoque magis parochi, virique ecclesiastici & regulares quoad eos, quibuscum vivunt: ut præfecti cujusvis generis quoad subditos suos: ut scriptores, typographi, bibliopolæ quoad libros a se vel componendos vel divulgandos: ut pictores, sculptores aliique artifices quoad opera a se facienda sibi multum prospiciant; cum certi sint, fore, ut omnes actionum, verborum & operum suorum consecutiones in suprema mundi die distincte videre debeant, vel magna præmia magnumque solatium (si bonæ fuerint) vel graves pænas multamque tristitiam ac confusionem (si malæ fuerint) inde relaturi: *His rebus ipsorum mortuorum præmia & pænas augeri necesse est.*

Hæ sunt caussæ præcipuæ ab Ecclesia nobis propositæ, ob quas (præter particulare) universale insuper judicium fiet.

In hoc judicio, ait Symbolum, judicabuntur vivi ac mortui: *Vivos & mortuos*; sub quibus verbis ut Augustinus (d) dicit, eos qui gratiæ vivunt atque eos, qui eidem mortui sunt, intelligere possumus: *Vivos justos, mortuos autem injustos.* Sensum tamen magis proprium si sequi velimus, mortui dicuntur, qui ante summam judicii diem obierunt, & vivi ii, quos tremenda illa dies vivos inveniet; qui tamen omnes (uti Fides docet) morituri sunt; prout de omni humana creatura Scripturæ sacræ pluribus locis affirmant. Morientur itaque omnes: Alii præ timore, dum horrenda judicii prænuncia signa (de quibus paulo post dicam) videbunt: Alii ex malo naturali, quo corripientur: Omnes autem emittendis e cælo flammarum imbribus occidentur atque devorabuntur: flammarum (inquam) quas judi-

(d) *Enchirid. c. 55.*

judicium antecessuras esse certissimum est, uti plurimi tum veteris tum novi Testamenti loci produnt; Veteris quidem: *Ignis ante ipsum præcedet*, ait David (e) *Ignis ante ipsum exardescet & in circuitu ejus tempestas valida* (f) *Advocabit cœlum de sursum & terram discernere populum suum.* Dabo prodigia in cælo (g) ait Propheta Joel, *& in terra sanguinem & ignem & vaporem fumi: sol convertetur in tenebras & luna in sanguinem, antequam veniat Dies Domini magnus & horribilis. Ecce Dominus in igne veniet* (h) ita Propheta Isaias . . . *reddere in indignatione furorem suum & increpationem in flamma ignis; quia in igne Dominus judicabit & in gladio suo ad omnem carnem*: His concinunt reliqui Prophetæ, quando de ista die, quæ per antonomasiam *Dies Dei*, *Dies Domini* dicitur, loquuntur. Quod ad novum Testamentum attinet: unus sufficiat ex epistola S. Petri desumptus locus: *Adveniet Dominus, sicut fur; in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem &, quæ in ipsa sunt, opera exurentur* (i) *Cœli ardentes solventur & elementa ignis ardore tabescent.*

Priusquam devoratrices hæ flammæ torrentis instar desuper effundentur, Christus ipse in Evangelio nobis denunciat, alia formidanda signa præcessura esse: *Sol obscurabitur* (k) *Luna non dabit lumen suum: Stellæ cadent de cœlo & virtutes cœlorum commovebuntur.* Adeo ut homines præ nimio metu obrigescent: *Arescentibus hominibus* (l) *præ timore & expectatione, quæ supervenient universo orbi.* Quod si signa judicium præcedentia tantum terroris habitura sunt; quam infelix, quæso! atque infaustus impiis (nam justi non habebunt, quod metuant) quam infaustus, inquam, erit impiis aspectus Judicis in lucida ac terribili nube, ceu throno quodam, magna cum potestate ac majestate sedentis? Ita ipse de se testatur: *Videbunt Filium hominis venientem* (m) *in nube cum potestate magna & majestate.* O aspectum! O visionem reis, eheu! tristissimam maximeque funestam!

Revocate hic in memoriam id, quod in horto Gethsemani accidit, quando milites ac satellites ad Christum accesserunt eundem in vincula daturi. *Quem quæritis?* ajebat Servator. Illi, *Jesum Nazarenum. Ego sum,* reponebat Christus, & continuo his duabus vocibus ceu fulmine tacti retro in terram prociderunt. Heu! tantum milites illos mansuetissima Christi facies perculit, quando in vincula rapiebatur, dicentis: *Ego sum*: Et quid Deus meus! quid, eheu! de nobis fiet, si te elevatum in aere, densis vectum nubibus, Sanctorum & beatorum Spirituum (nam teste Isaia (n) *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui & principibus ejus*) sanctæ crucis vexillum (*Tunc apparebit signum* (o) *Filii hominis*) alte sublatum tenentium exercitibus stipatum cernemus? Quid erit, o Jesu! si te miram majestatem vultu præferentem & severissima oris specie videbimus, ulturum in illa vindictæ & sævientis justitiæ die acceptas a creaturis tuis injurias universas? Duo verba: *Ego sum,* cum in vincula quærebaris, proferendo illam audacium petulantium, impudentissimorum carnificum catervam tantopere exterruisti; quid jam erit, si te dicentem audiemus: *Ego sum* ille Deus-homo Redemptor, qui eo veni, ut a vobis creaturis meis a me emptis, ad me factis injuriarum omnium rationem deposcam? O aspectum! O vindictam!

Judicium sedit (ait Daniel) *& libri* (p) *aperti sunt.* Libri hi (ut Viri docti exponunt) conscientiæ hominum sunt, ex quibus Judex, collecto in unum ante se humano genere universo, caussarum discussionem ordietur. Discussio hæc, etsi verbaliter fieri posset; tamen, quod tempus multo longissimum exigeret, mentaliter fiet (ut SS. Augustinus & Thomas sentiunt) virtute potentiæ divinæ, a qua omnium corda aperientur omnibusque certum lumen quod-

(e) *Psalm.* 96. (f) *Psalm.* 49. (g) *Joel.* 2. (h) *Isai.* 66. (i) 2. *Petri* 3.
(k) *Matth.* 24. (l) *Luc.* 21. (m) *Luc.* 21. (n) *cap.* 3. (o) *Matth.* 24.
(p) *Dan.* 7.

dam infundetur, cujus vi quivis omnes ſive bonas ſive malas a quolibet hominum patratas actiones viſurus eſt; unde cuivis omnes actus vel boni vel peccaminoſi, ad illud usque temporis punctum perpetrati, manifeſti fient: Ita S. Thomas (q) citans S. Auguſtinum (r) *Auguſtinus dicit, quod liber vitæ vis quædam eſt intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera ſua bona vel mala ad memoriam revocentur & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuſet vel excuſet conſcientia: atque ita ſimul & omnes homines & Angeli judicentur. Sed ſi vocaliter diſcuterentur merita ſingulorum, non poſſent omnes & ſinguli judicari in maximo tempore; ergo videtur, quod illa diſcuſſio non erit vocalis,* Videbit itaque unusquisque tum ſuam ipſius tum reliquorum omnium conſcientias; cujus rei cauſam affert S. Thomas, dicens: divinam juſtitiam in illa die omnibus evidenter apparere debere; id quod fieri reſpectu uniuscujusque non poteſt, niſi unusquisque merita & demerita cujusvis agnoſcat: *In communi judicio oportet, quod divina juſtitia omnibus evidenter appareat: ſententia autem condemnantis vel præmiantis juſta eſſe non poteſt, niſi ſecundum merita vel demerita proferatur; ita oportet ad hoc, quod juſta ſententia appareat, quod omnibus ſententiam cognoſcentibus merita innoteſcant.* Neque ob id credatis velim, peccata a Juſtificatis & Beatis admiſſa, ubi reprobis innotuerint, ullum juſtis pudorem allatura eſſe: Nequaquam, ait memoratus Doctor unaque cum illo Theologi omnes; nam pænitentia & pænæ ad ea expianda toleratæ Sanctos multo illuſtriores & honorabiliores efficient. Quemadmodum nunc quoque (utut tot præjudiciis agamur & ſat exiguo lumine regamur) neque Mariæ Magdalenæ vel Mariæ Ægyptiacæ laſciviis neque trina Petri negatione quidquam movemur ſcientes, hæc illos peccata auſteriſſima pænitentia eluiſſe: idque multo magis tunc, cum præjudicia, rectam & rerum æſtimationem impedientia, nulla futura ſint & lumen divinum res actionesque omnes ſuo de pretio ſpectari faciet: Quibus accedit, quod, cum ad laudem miſericordiæ divinæ plurimum pertineat, liberaſſe ab anterioribus peccatis ſuis juſtificatos: hanc liberationem omnibus patefieri oporteat. Ita S. Doctor angelicus; quod ipſum S. Paulus Apoſtolus declaravit, quando Corinthiis in hæc verba ſcripſit: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum & manifeſtabit conſilia cordium* (s) *& tunc laus erit unicuique a Deo.*

Jam hoc in loco cum animis veſtris cogitate, O mei! quantus impiorum pudor futurus ſit, dum omnia ſua usque ad illud tempus occulta nec debitis pænitentiis expiata peccata ab univerſo humano genere cognoſci intelligent: dum omnia illa mentalia probra audient, quibus ceu totidem ſagittis tum innumerabiles Juſtorum catervæ tum ingens infelicium ſociorum turba eos confodient; nam ſi in hoc ſeculo calamitatum ſocios habuiſſe dolorem aliquo modo levat, tum certe illum levabit minime ſed & augebit ob capitale, quo ſe infelices mutuo perſequentur, odium: Ah! quam acerba ignominia fæminæ apud omnes modeſtiæ opinione floreſcenti accederet, ſi ejus admiſſæ laſciviæ in media civitate tubæ ſonitu ea præſente publicarentur? Quantum dedecus ille miniſter aulicus honeſti alias viri famam gerens ſubiret, ſi eodemmet modo perfidiæ illlus, malæ artes atque extorſiones vulgarentur? Quantam infamiam ille probitatis laude commendatus vir pateretur, ſi ſimili modo nefanda ejus facinora proderentur? Quantam denique turpitudinem vir ille eccleſiaſticus, magnæ ceteroquin pietatis exiſtimationem ab omnibus habens, acciperet, ſi pari fere ratione ſacrilegia ejusdem & amores obſcœni diſpaleſcerent? Ego quidem ſic exiſtimo: hos omnes mortem prius optaturos ſibi, quam talem, ſe adſtantibus, publicationem laturos fore; Et quæ hæc publicatio, ſi cum ea componatur, quæ in auribus univerſi humani generis fieri illa tremenda in die debet, in qua ultionum Dominus *illuminabit abſcondita tenebrarum & conſilia cordium manifeſtabit.*

Quod

(q) *In Suppl. quæſt. 88. art. 2.* (r) *Lib. 20. de Civit. Dei.* (s) *1. Corinth. 4.*

Quod si confusio impiorum ob hanc publicationem & probra ab omnibus in eos jacienda ingens atque incomprehensibilis futura est; qualis demum, O mei! erit, ubi ipse adeo Judex omnia beneficia collata, omnes gratias concessas, omnia Sacramenta eorum in gratiam instituta, omnia documenta praebita, omnem in eis ad pœnitentiam expectandis patientiam atque insuper omnes cruciatus infinita cum charitate eorum salutis caussa toleratos eisdem objiciet? *Inimicis vulnera demonstraturus est sua* (ita pie S. Augustinus sentit) *ut convincens eos dicat: Ecce hominem, quem crucifixistis! Ecce Deum & hominem in quem credere noluistis! Videtis vulnera, quæ inflixistis: agnoscitis latus, quod pupugistis; quoniam & per vos* (t) *& propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.*

Quid ad hæc probra respondere scelerati, quid objicere poterunt quippe jam de eo convicti, quod & inspirationes neglexerint & Sacramenta sponte omiserint & monita repudiarint & exempla bona contempserint & ipsas adeo castigationes irritas atque inutiles reddiderint? . . . Quid, obsecro! in sui excusationem adferre poterunt? . . . Hæc inter Angeli justos a noxiis separabunt: *Exibunt Angeli & separabunt* (u) *malos de medio justorum*, hisque ad dexteram, illis ad sinistram collocatis stabunt omnes justæ, inappellabilis & æternæ miro fragore intonandæ sententiæ exspectatione suspensi: sententiæ, quæ in prius jam damnatis vel beatis primam illam in judicio particulari latam confirmabit; in iis vero, qui adventante judicii die vixerunt, obierunt & resurrexerunt, unica & sola erit. O sententiam! O definitionem! O separationem! Itaque Judex conversus ad eos, qui in dextera stabunt, voce mirum quantum sonora, læta, amabili; orisque specie benignissima, benevolentissima maximeque festiva, *Venite*, inquiet, *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis* (x) *regnum a constitutione mundi*: Quæ verba novo eoque imperceptibili gaudio & nova, quam mente assequi in hac vita nequimus, lætitia Justorum corda; contra impios nova nec verbis explicanda tristitia afficient, videntes se a benedictionis consortio excludi, ut confestim maledictionis sempiternæ sententiam audiant. Cogitate hoc in loco laudum cantica, benedictiones atque actiones gratiarum a justis Deo suo Salvatori; Judici mente certe dirigendas, sin minus devotissimo lætissimoque clamore & viva voce id, quod olim (y) Rex Propheta, dicturi sunt: *Benedictus Dominus in æternum! Fiat, Fiat.*

Subin ad sinistram & ad reprobos conversus Arbiter supremus vultu, heu! quam severo, terribili, indignante, cujus imaginem miserorum e mentibus nulla æternitas deletura est, *Discedite*, inquiet, *Discedite maledicti*, indigni amoris mei, indigni passionum mearum, indigni fructuum sanguinis mei; indigni in ævum misericordiæ meæ! *Discedite* miseri, in quos, ceu scopum quendam, iræ & justitiæ meæ tela æternum desævient! *Discedite a me maledicti*, flammis infernalibus æternum sepeliendi: *Tunc dicet & his, qui a sinistris erunt: Discedite*, O verba! O fulmina! *discedite* (z) *a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Ita, *discedite*, inquient omnes Justorum turmæ teste Propheta (aa) *ut faciant in eis judicium conscriptum; gloria hæc est omnibus Sanctis ejus. Discedite*, una omnes voce exclamabunt, *maledicti: Discedite*, parentes natis, nati parentibus: mariti uxoribus, uxores maritis dicent. *Discedite* fratres sororibus, sorores fratribus: affines affinibus, noti notis, amici amicis (verbo) Justi cuncti reprobris cunctis dicent: *Discedite maledicti in ignem æternum*, nunquam in æternum ex eo exituri, quamdiu Deus erit. Pronunciata autem sententia *ibunt hi in supplicium æternum, Justi autem in vitam æternam.* O separationem! O divisionem!

Ecce, O mei! maxime rudem atque impolitam judicii finalis imaginem! Veniet certe atque illucescet funestissima dies hæc, &, quotquot hic adstamus, ad unum omnes tremendo isti judicio interesse cogemur: Nos, nos

(t) *Serm. 2. de Symb. ad Catechum.* (u) *Matth. 13.* (x) *Matth. 13.*
(y) *Psalm. 88.* (z) *Matth. 13.* (aa) *Psalm. 149.*

nos nostris auribus tum illud *Venite benedicti* tum illud *Discedite maledicti* audiemus. Et quis est nostrum, O mei! qui sibi salutare illud *Venite benedicti* non optet? At si id optat, cur non & comparare studet? Ratio & modus vivendi via est, qua sive ad dexteram sive ad sinistram Judicis itur: Peccata, illicitae voluptates, amores impuri, sermones obscoeni, injustitiae, rapinae, odia, vindictae, cujusvis cupiditatis expletio ad sinistram: Obedientia erga legem divinam, affectionum malarum compressio, sensuum corporalium domatio, pravarum inclinationum defraudatio, opera misericordiae erga Proximum, conservatio justitiae, concordia, pax (verbo) vita ad christianismi & status munera exacta ad dexteram ducunt . . . Quam viam nos hactenus, O mei! trivimus? . . . Quapropter cum S. Augustino omnes moneo atque exhortor: *Si timemus futurum judicium, fratres! bene vivamus; Tempus misericordiae nunc est: Tempus judicii tunc erit. Poenitebit & tunc, sed frustra poenitebit: modo poeniteat, cum fructus est poenitendi* (bb) De praeteritis itaque serio, intime atque constanter poeniteamus: In futurum novam vitae rationem sequi statuamus frequenti, pio ac fructuoso Sacramentorum usui conjunctam; sine quo fieri moraliter vix potest, ut diu a peccatis mortalibus alieni simus.

(bb) *Enarr. in Psalm. 49.*

SERMO XX.

De Articulo: CREDO IN SPIRITUM SANCTUM.

POsteaquam Symbolum duarum divinarum Personarum Patris ac Filii & eorum, quae ad Filium pertinent, fidem proposuit, ad tertiam SS. Trinitatis Personam, quae Spiritus sanctus est, pergit: *Credo in Spiritum sanctum*; de quo cum in sermone quarto (quantum quidem ad erudiendos Fideles satis fuit) dixerim; ob id hoc in loco iis breviter expositis, quae de memorata sanctissima Persona & creditu necessaria & scitu utilia sunt, subin de aliis ad hanc Personam divinam spectantibus & multum ad nostram utilitatem conferentibus rebus fusius agam.

Itaque Spiritus sanctus tertia est SS. Trinitatis Persona, a Patre & Filio realiter distincta, duabus reliquis per omnia aequalis; cum divinam unicam essentiam, quae in ceteris duabus est, habeat: semperque unus solus Deus in tribus distinctis Personis existat. Spiritus sanctus verus est Deus, uti forma baptismi a Christo instituta prodit, in qua Spiritus sanctus cum Patre & Filio aequaliter nominatur: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*; quo in loco vocabulo, *Nomine* identitas essentiae, reliquis verbis distinctio Personarum divinarum per omnia aequalium denotatur. Ita etiam S. Petrus Spiritum sanctum Deum esse in *Actibus Apostolorum* docet, ubi Ananiam ob dolum & mendacium prolatum exterrere jure volens dixit: *Anania! cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus* (a) *sed Deo.*

Spiritus sanctus a Patre Filioque procedit tanquam harum ambarum Personarum amor substantialis ac reciprocus, non quasi ex duobus principiis sed uno principio, quippe una sola voluntate; cum una sola natura divina in omnibus sit. Procedit a Patre, uti Christus in Evangelio affirmavit: *Spiritus Veritatis, qui a Patre* (b) *procedit*; quibus verbis, cum Spiritus sanctus Spiritus Veritatis (quae est Christus Filius) dicatur, idem ab ipsa Verita-

(a) *Act. 5.* (b) *Joan. 15.*

Veritate procedere denotatur. Præterea quid aliud sibi illa Christi verba volunt, quando Apostolis Spiritum sanctum insufflando contulit (*Insufflavit & dixit: Accipite* (c) *Spiritum sanctum*) quam eundem a Filio quoque procedere? Neque enim eum conferret, nisi eundem & spiraret. *Cur ergo non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus* (ait Augustinus) *sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus? Si enim ab eo non procederet, non post resurrectionem suam se repræsentans discipulis suis insufflasset dicens: Accipite Spiritum sanctum. Quid enim significavit illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus sanctus & de ipso* (d) Nunquid præterea Christus clare dixit, quod Spiritus sanctus de suo accipiat? *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet* (e) Nunquid idem subjungit? *Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet.* Quæ omnia quid aliud produnt quam Filium habere eundem vim spirativam, quam Pater habet, & ab ipso quoque Spiritum sanctum procedere? Quamobrem loco citato S. Augustinus dicit: *A quo autem habet Filius, ut sit Deus (Est enim de Deo Deus) ab illo habet utique etiam, ut de illo procedat Spiritus sanctus; ac per hoc Spiritus sanctus, ut etiam de Filio procedat sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre.*

Ut veritas hæc clarius appareat, theologicam eamque fortissimam rationem in usum illorum, qui capaciori ingenio præditi sunt, adjungere libet. Observarunt viri eruditi ex phrasi novi Testamenti, vocem *mitti* idem significare ac vocem *procedere*; in hujus rei signum Pater nullibi missus legitur, utpote a nullo procedens: Filius vero missus legitur sed a solo Patre, nequaquam a sancto etiam Spiritu, quippe a solo Patre non a Spiritu sancto procedens. Spiritus denique sanctus a Patre & Filio missus legitur (*Quem ego mittam vobis* (f) *a Patre*) id quod significat, eundem a Patre & Filio procedere: Hinc nulla duarum reliquarum Personarum a Spiritu sancto missa legitur, quia ab illo nulla procedit.

Hæc sunt, quæ credi de Spiritu sancto a nobis debent; pergamus modo (si lubet) ad explicanda alia quatuor capita, scilicet quæ sint dona Spiritus Sancti? qui fructus eorundem? quæ præparationes ad Spiritum sanctum obtinendum idoneæ? qui effectus illius? Dona Spiritus sancti, cum altissima maximeque sublimia sint, itidem explicatu difficillima sunt; differam nihilominus de illis, quantum ad percipiendam convenientem eorum notitiam satis esse videbitur: quo in loco quidquid protulero, ex mente S. Thomæ protulisse me credatis velim. Dividuntur autem dona Spiritus sancti in duas classes; nam alia ad mentem, alia ad voluntatem attinent: ad mentem attinentia sunt donum Sapientiæ, donum Intellectus, donum Consilii, donum Scientiæ: Ad voluntatem spectantia sunt donum Fortitudinis, donum Pietatis, donum Timoris Dei.

Sapientia est donum, per quod anima de rebus, tum Fidei tum naturalis luminis ope cognitis, judicat; at id ex caussis altissimis (nimirum divinis) Ita e. g. castitas, quæ virtus moralis naturalis est, laudabilis atque desiderabilis esse reputatur: Jam si ob id laudabilis ac desiderabilis esse judicatur, quia hominem ad literarum studia aptiorem, innumerarum turbarum immunem, animi quietum facit, erit morale hoc judicium virtuosum quidem at naturale solum. Si deinde castitas ob id desiderabilis judicatur, quia illam Christus observavit: quia mentem ad accipienda lumina divina habiliorem & ad unionem cum Numine paratiorem reddit, judicium hoc a dono Sapientiæ orietur.

Intellectus est donum, per quod mens nostra acuitur, ut sanctæ Fidei mysteria certa quadam cum claritate, subtilitate ac penetratione cognoscamus; quæ penetratio non jam a studiis aut a naturali ingenii acumine, sed ex quadam cognitione mentis, ad objecta divina in illis mysteriis proposita spectante, eorumque arcano gustu proficiscitur.

Scientia est donum, per quod anima de rebus creatis bene judicat ex caussis creatis, at

(c) Joan. 20. (d) Tract. 99. in Joan. (e) Joan. 16. (f) Joan. 15.

at illis ad honorem & gloriam Dei relatis: idque ob gustum, quem sentit, ipsius Dei non ob altissimas & divinas, dono Sapientiæ proprias, caussas. Ita e. g. aliquis martyrii tolerationem laude dignum reputat; quod quia inde noviter ad Fidem conversis animi crescunt: En motivum seu caussam naturalem, at illam ad honorem Dei relatam! Huic dono tres actus tribuuntur, nimirum ut opportunis aptisque argumentis Fidem defendamus: ut res vitandas & amplectendas discernamus: ut sciamus, sic creaturas inter conversari, ut conversatio nostra nulam reprehensionem admittat; ita tamen ut omnia ad Dei gloriam dirigantur.

Consilium est donum, per quod anima sibi consulit seque ad impletionem eorum ipsa dirigit, quæ ex donis Sapientiæ & Scientiæ ad bonorum æternorum adquisitionem & honoris divini amplificationem facto utilia esse cognovit: idque in actionibus tam *de præcepto* quam *de consilio*, sive supererogatorie, ponendis. Hujus doni est, in rebus dubiis atque perplexis insolita ac inexpectata capere consilia, & certas mirabiles atque stupendas vitæ rationes amplecti; uti sanctorum Anachoretarum nonnulli fecerunt, qui in vastas incultasque sylvas sese abdiderunt tigrides inter atque leones habitaturi aut qui pluribus lustris in columnis nunquam inde descendentes vixerunt. Sunt hi impulsus sancti Spiritus, profecti a dono Consilii, quos tamen inconsulto ac temere sequi minime sed de illis (si fieri potest) doctorum ac piorum virorum consilia multum exquirere debemus: Et hæc sunt dona, quæ ad intellectum seu mentem spectant.

Inter dona ad voluntatem spectantia primum sibi locum donum Fortitudinis vendicat, per quod excitamur, ut pro gloria Dei propaganda in gravissima nosmet pericula etiam posthabitis humanæ prudentiæ regulis ingeramus. Sic de nonnullis sanctis Martyribus legitur, quod e lictorum manibus sese eripuerint, ut in medias flammas irent aut in ungues furentium bestiarum sese conjicerent; aliaque similia plura narrantur: Qui certe insoliti impulsus a Spiritu sancto provenisse tum ob effectus eorundem tum ob Ecclesiæ judicium creduntur, at tentari de cetero minime debent. Sed si impulsus isti a Spiritu sancto animam novis & inusitatis modis movente proficiscuntur, ingerit idem ille S. Spiritus animæ quandam securitatem, qua illa certa redditur, se, si in hunc maxime modum agat, Deo voluptati fore & divinam gloriam augendam esse.

Donum Pietatis commovet animam, ut debitos honores primum quidem Deo tanquam Patri amantissimo, deinde Sanctis & iis, quæ ad Sanctos pertinent, rebus (uti sacris reliquiis, imaginibus &c.) exhibeat; dum in hisce exercitiis magnam spiritualem suavitatem percipit, e qua in animabus hoc dono præditis illi devotionis impetus proveniunt, qui in honore Dei ac Sanctorum tum propugnando tum promovendo nescio quid insoliti habere deprehenduntur.

Quod ad donum Timoris spectat, una cum Theologis tres timores, quorum nullus virtutis laude caret, distinguere debetis, scilicet timorem servilem, initialem & filialem. Primus (servilis scilicet) timet malum culpæ ob pænam, qua illud castigatur, ita tamen ut timor pænæ affectum culpæ tollat; nam si hunc non tolleret, & quis diceret: si nulla peccati pæna esset, peccarem; timor esset vitiosus, impius ac detestabilis. Secundus timor (initialis nimirum) timet malum peccati tum ob pænam tum ob injuriam, quæ ex peccato Deo accedit; & hic timor priori melior est. Tertius (filialis scilicet) timet malum peccati unice, quia est offensa Dei Patris amore tantopere digni; & hic timor vere est donum sancti Spiritus. Atque hæc dixisse sufficiat, ut dona Spiritus sancti cognoscatis: quæ omnia animæ in Dei gratia constitutæ per modum habitus possident infusas sibi, ut paratæ sint, quæ ad actiones & facta insolita divinæ gloriæ promovendæ idonea a Spiritu sancto facile citoque moveantur.

Jam fructus Spiritus sancti breviter exponendi veniunt. Horum duodecim sunt, totidemque a S. Paulo memorantur: Quo in loco cum S. Thoma, quem per omnia sequor,

quor, observare debetis, hos fructus non esse perfectiones habituales seu permanentes sed certos animæ motus actuales & transeuntes, qui ex virtutibus supernaturalibus in anima residentibus proveniunt, & ex quorum transeunte exercitio peculiaris supernaturalis voluptas animæ accedit.

Primus fructus est Charitas; neque hoc in loco virtus theologica charitatis denotatur sed actus ejusdem, qui animabus exercentibus illum spirituale gaudium confert plus minusve intensum pro eo, ut Deo concedere placuerit & pro ratione dispositionis, quacum ipsæ hunc actum exercent.

Secundus fructus est Gaudium, consistitque in lætitia quadam animæ interna, quæ longis intervallis omnia naturalia gaudia, utut ex rebus & objectis licitis percipi solita, post se relinquit. Inter alias hujus gaudii caussas S. Paulus firmam quoque consequendæ salutis æternæ spem recenset, quæ spes, dum gaudium illud excitat, cælestium gaudiorum partem aliquam in hac terra prægustare nos facit: Unde & Christus Apostolis suis dixit: *Gaudete* (g) *quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Et S. Paulus ad Romanos scribens ait: *Spe gaudentes* (h) iterumque *Deus autem spei repleat vos omni gaudio*, significans, hunc Gaudii fructum spe memorata niti.

Tertius fructus est Pax, illa scilicet interna pax animæ, quam bona conscientia ab omni gravi peccato libera creat; quæ pax omnem aliam pacem antecellit: Unde Paulus *Pax*, inquit (i) *quæ exuperat omnem sensum*; Tantoque major est voluptas ex hac pace nasci solita, quo purior a culpis etiam venialibus conscientia existit.

Quartus fructus est Patientia, qui tamen non est virtus moralis patientiæ, ad virtutem cardinalem Fortitudinis pertinens; sed actus ejusdem patientiæ, quatenus spirituali cuidam voluptati jungitur, quam animæ justæ in passionibus suis percipiunt: quæ voluptas adeo magna quandoque existit, ut animæ ipsæ doloribus obviam eant; id quod in vitis plurimorum Sanctorum legere est. Hæc patiendi voluptas provenit ex intenso in Deum amore; tantoque magis crescit, quanto vehementior amor est, quantoque acerbiores passiones ipsæ sunt. Iste fructus Spiritus sancti in tot sanctis Martyribus mirabiliter eluxit, qui inter crudelissima tormenta ob amorem in Christum, cujus caussa patiebantur, gaudio miraque lætitia exultarunt.

Quintus fructus est Longanimitas, consistitque in certo quodam animæ sensu, quo illa firmatur ac roboratur, ut nec ærumnarum hujus seculi diuturnitate nec futurorum, quæ exspectat, bonorum dilatione fatigetur sentiens, in his omnibus divinam adimpleri voluntatem. Ex quibus conficitur, hunc actum Longanimitatis fluere ex firma voluntatis ad divinum beneplacitum accomodatione, a qua & afflictionum prolixitudo & præmiorum dilatio suavis atque jucunda efficitur.

Sextus ac septimus fructus sunt Bonitas & Benignitas. Per Bonitatem sincerus voluntatis actus aliis benefaciendi; Per Benignitatem impletio hujus voluntatis, actu beneficium exhibendo, significatur; affertque tum primum tum secundum animæ magnum gaudium: dum scilicet & bonum aliis volumus atque optamus, & dum illud conferimus.

Octavus fructus est Mansuetudo, qui non est virtus mansuetudinis sed in quodam animæ sensu consistit, per quem illa adversus injurias ac contumelias placida & tranquilla efficitur, dum simul occulta quadam voluptate ex eo afficitur, quod se eodem fere modo, quo Redemptorem suum, tractari videt. Unde potius est actus virtutis Mansuetudinis qualificatus a dicta pace & exaltatus a dicta voluptate, quæ memorata Redemptoris consideratione nititur.

Nonus fructus est Fides, quæ non est virtus illa theologica sed enim transiens certitudo quædam firmissima solitamque certitudinem exsuperans, quam animæ justæ itentidem jam circa hoc jam circa aliud Fidei

(g) *Luc.* 10. (h) *Rom.* 12. (i) *Phil.* 4.

dei mysterium percipiunt & in hujus novæ certitudinis perceptione insolito gaudio perfruuntur.

Postremi tres fructus sunt Modestia, Continentia, Castitas; qui itidem non consistunt in memoratis virtutibus moralibus sed in nova quadam qualificatione actuum earundem. Et quemadmodum secundum observationem S. Thomæ hi tres fructus eo pertinent, ut anima (quod ad certas affectiones sensibiles spectat) perfecta reddatur, scilicet per Modestiam in verbis & externis actionibus: per Continentiam in licitarum voluptatum carnalium privatione: per Castitatem denique in cujusvis impuræ voluptatis vitatione; ita anima per fructum Modestiæ in dicendi & agendi concinnitate ac moderatione spiritualem oblectationem capit, qua agente memoratæ Modestiæ virtutis studio magis incenditur: per fructum Continentiæ in voluntaria carnalium voluptatum utut licitarum (cujus generis conjugales sunt) privatione purissimum gaudium sentit, quo virtutis Continentiæ amantior efficitur: per castitatis denique fructum insolita quadam lætitia perfunditur, videns se ab illis molestissimis voluptatibus, quæ hominem infra jumenta deprimunt, immunem. Et in his spiritualibus gaudiis cunctis inest aliqua relatio ad objecta & circumstantias supernaturales, nimirum ut per Modestiæ nostræ bona exempla majorem Deo gloriam conciliemus, vel ut nos per Continentiam ad rerum divinarum contemplationem aptiores reddamus, vel ut nos per Castitatem Numini arctius arctiusque conjungamus. Hæc de fructibus Spiritus sancti dixisse sufficiat.

Dicamus modo de præparationibus animi ad hæc dona & hos fructus percipiendos idoneis: Qua in re quid faciendum nobis sit, suo nos exemplo Maria unaque Apostoli docuerunt, ubi in cænaculum coivere ad Spiritus sancti a Christo promissi adventum se paraturi. Testatur de undecim Apostolis sacer textus, quod *erant omnes perseverantes unanimiter in oratione* (k) *cum mulieribus & Maria Matre Jesu & fratribus ejus*: ac si diceret, illos primum quidem unius animi fuisse: deinde orationi dedisse operam: tertio denique in oratione perseverasse. En triplicem ad obtinendum Spiritum sanctum præparationem, nimirum unanimitatem sive concordiam, orationem, perseverantiam in oratione. Itaque quisquis Spiritum sanctum cum donis & fructibus suis recipere in se possidereque exoptat, cor charitatis vinculo cum Proximo conjunctum, cor unum cum Proximo habeat oportet; Qui tale non habet, is Spiritum sanctum nequaquam expectet: Tale autem non habet, qui vindictæ consilia animo versat: qui ob aliena bona invidia roditur: qui calamitatibus alienis gaudet: qui famæ alienæ facile detrahit Proximo calumnias imponendo ejusque actiones aut revelando aut augendo aut male interpretando: qui involvit, minuit, negat res veras, quæ in Proximi commodum cedere possent: qui Proximum injuste affligit vim ei inferendo aut eum opprimendo aut solutionem debitorum procrastinando: qui delationes factitat & discordias seminat: qui (paucis dicam) in caussa est, ut variis offensionibus atque fastidiis animi dividantur & ruptis concordiæ vinculis corda mutuo odio & reciproca aversione repleantur. Hic certe Spiritum sanctum non recipiet, donec Proximo denuo concilietur & corde sincero atque ex animo in gratiam cum illo redeat: *Nos ergo, quibus Christus pacem relinquit &* ait S. Augustinus (l) *pacem suam nobis dat . . . . ut concordes simus, jungamus invicem corda & cor unum sursum habeamus . . . Sic dignum Spiritu sancto habitaculum efficiemur.* Quisquis igitur Spiritum sanctum sibi vult, pacem, unionem concordiamque cum Proximo corde suo servet.

Secunda ad obtinendum Spiritum sanctum præparatio oratio est, at illa constans atque perpetua: *Erant perseverantes in oratione.* Nomine *Oratio constans*, non longa, non multarum horarum oratio denotatur sed enim oratio repetita, replicata, frequens, fervida, quin exorare pigeat vel Spiri-

(k) *Act. 1.* (l) *Tract. 77. in Joan.*

Spiritum sanctum, ut cordibus nostris illabatur, vel Christum, ut eundem nobis mittat: In eum finem aptissime quadrat ille pulcherrimus hymnus: *Veni Creator Spiritus*, aut egregia illa in Missa solennitatis pentecostalis recitari solita sequentia: *Veni sancte Spiritus & emitte cælitus &c.* Dixi: *Oratio constans*; nam quando Deus promisit, se, si imploratus fuerit, nobis concessurum esse omnes ad salutem nostram necessarias gratias, quas inter gratia quoque Spiritus sancti (quæ ipsa est gratia Dei) numeratur; nequaquam simul promisit, se gratiam supplicibus suis confestim esse daturum. Eapropter insistere nos orationi oportet, certos, fore nos in illo temporis puncto, quod Deus ad nos gratia sua donandos æterno consilio constituit, exaudiendos: Et hac potissimum de caussa fit, quod multi gratias, quas animabus suis petunt, non consequantur; quia, postquam per aliquod temporis spatium votis astra pulsarunt, subin obrepente orationis fastidio deficiunt. Nequaquam sic nos agere sed perseverare in oratione oportet, donec subsidia, gratias & adjumenta spiritualia obtineamus. Hinc voluit Spiritus sanctus (m) ut nos Jacobus Apostolus moneret, quod *multum valet deprecatio justi assidua:* Notate: *assidua*, continuata, non intermissa. Sed de oratione alio in loco, scilicet in sermone XLIX. ex proposito agetur.

Præter memoratas præparationes sunt aliæ, quas nobis Scriptura sacra proponit (scilicet sincera humilitas cordis, pænitentia, castitas) quas omnes si explicare aggrederer, nimium excursura esset oratio: quamobrem ad explanandos effectus Spiritus sancti convertor.

Effectus Spiritus sancti ii maxime sunt, quos Apostoli, ubi pleni sancto Spiritu e cœnaculo egressi sunt, in se ostenderunt; dum confestim eloqui magnalia Dei cœperunt: *Cœperunt loqui* (n) *prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*; uti omnes, qui illos audiverunt, suo testimonio firmavere: *Nos audivimus eos loquentes magnalia Dei.*

(m) *Jac. 5.* (n) *Act. 2.*

Fluit ex hoc effectu alius, consistitque is in ardenti fortique Zelo caussam Dei adversus pericula ac contradictiones quasvis propugnandi. Hinc Apostoli ex timidis & formidolosis, quales se in defensione Christi durante passione exhibuerant, fortes & ad mysteria, sanctitatem & magnitudinem illius divulgandas animosi effecti sunt, prout *Actorum* apostolicorum universa series prodit. Itaque cum hoc sit absque controversia ulla (quippe revelatione divina manifestatum) accepti Spiritus sancti indicium; heu! quam a paucis Spiritus sanctus receptus fuisse deprehenditur. Si sermones de Deo Deique magnalibus indicio sunt inhabitantis Spiritus sancti; certe sermones de mundo, de caducis hujus terræ rebus, de rebus peccaminosis (Apertius dicam) certe sermones obscœni, impudici, mali exempli pleni argumento erunt, longe ab his animabus Spiritum sanctum abesse. Et tamen, O charissimi quales, obsecro! dicite, nec sine lacrymis dicite, quales continuo a Fidelibus sermones audiuntur? Sermones aut damnosi Proximo aut injuriosi Deo aut bonis noxii moribus: Quot nominis divini in vanum assumptiones: quot violationes famæ alienæ, & maxime quot impudicitiæ, quot abominationes, quot (Date veniam, ut libere dicam) quot spurcitiæ jam apertæ, jam tectæ atque ob id nonnunquam perniciosiores, quia menti variarum cogitationum & tacitarum considerationum occasionem præbent, audiuntur? . . . . Et talia nonne tum sacratæ Deo linguæ in dies proferunt tum multi, qui corpus & sanguinem Christi quotidie accipiunt, fœtenti ore effutiunt? Ah! si hi coram adstarent, ego Leonis instar in eos insurgerem diceremque: Nonne manibus, proh miseri! prehenditis scandalum, quod audientibus vos præbetis? Nonne videtis, quod tales sermones, tales verborum ambiguitates, tales (ut putatis) facetias, re autem vera talia scandala ex sacrato ore vestro audivisse vix non meriti alicujus speciem huic infami loquelæ generi conciliet, dum vestro ore prolata audiuntur. Quomodo

modo vir fecularis aut fæmina aut virgo talia dicens, talia verba & ambiguitates proferens horrefcat, dum fimilia a vobis quam frequentiffime audiunt? . . . Quis illis perfuadeat, peccata hæc effe & plerumque peccata tum ob materiam tum ob circumftantias mortalia, dum eadem a vobis proferri audiunt? Scitisne probe, quid objurgati a confeffariis reponant? Hoc fe purgant, quod viros & ecclefiafticos & regulares nofcant, qui eodem fermonis genere utuntur, quin id fibi religioni ducere videantur. Ecce! fic licitum fibi putant: fic pro nihilo ducunt, uti loquela diaboli: uti hoc genere loquelæ fcandalofo, genere loquelæ turpi, genere loquelæ, quod Auditores & admittere brutas complacentias & phantafiis atque imaginibus obfcœnis inhærere & infamibus exardefcere defideriis facit: Et tamen eheu! his fermonibus ceu fale quodam noftrorum temporum converfationes condiuntur, his ceu fpiritu quodam colloquia animantur, his ceu relaxatione quadam hominum coronæ ac cætus recreantur, quin attendatur, adeffe natos innocuos, fæminas honeftas, virgines integras; dum libertas & loquendi licentia, quam fibi linguæ quotidiano Sanguinis dominici hauftu madentes arrogant, vitio auctoritatem conciliat! Et in his perfonis Spiritum fanctum ejusque gratiam inhabitare quis credat? . . . . Sentietis id profecto, miferi! in terribili judicio, quod vos ferali in hora corripiet, quando ille, veftris pectoribus male adeo exceptus, Jesus & peccatorum ab aliis ob turpes fermones veftros patratorum & fcandalorum Proximo præbitorum rationem exactiffimam repetet: fcandalorum, dum alios deteftabili exemplo veftro eo fermonis genere uti docuiftis, quod & folenni caftitatis, quo obftringimini, voto & ordini, in quo confiftitis, miniftrorum altaris & obligationi, qua, ut chriftianitatis lumina fitis, tenemini, maximopere repugnat. Sic in eos (inquam) inveherer, fi qui horum coram adeffent; fed quoniam confido, Auditores mihi effe a peffimorum horum ratione omnino averfos, idcirco opportunius effe duco, exhortari vos, O chariffimi! ut hos loquendi modos in dies magis magisque cum animis veftris averfemini contraque de rebus divinis, de myfteriis auguftiffimæ Religionis noftræ, deque offenfarum Numinis fugiendarum modis differere gaudeatis. Hac certe ratione aptiora indies Spiritus fancti templa efficiemini.

Secundus effectus (ad finem propero) fecundus Spiritus fancti in Apoftolorum animis effectus mira fuit fortitudo, qua Chrifti cauffam atque Religionem ita defenderunt, ut a propofito fine deterreri metu nullo potuerint; id quod univerfa *Actorum* apoftolicorum a S. Luca confcriptorum feries oftendit. Pari fere modo nos, etfi ob canonicas prohibitiones, cum neceffariis doctrinæ fubfidiis inftructi omnes haud fimus, aggredi hæreticos & cum iis pugnare nec poffimus nec debeamus; tamen illos oris licentiofi homines coarguere ac reprehendere poffumus, qui, quod tranalpinum librum aliquem legerint, in materiis Religionis exigua cum pietate verfatos fefe effe oftendere volunt &, ut eximii ingenii effe videantur, varias ineptias five adverfus myfteria ab Ecclefia propofita five contra publicam bonorum Catholicorum pietatem deblaterandi libertatem fibi fumunt. Præterquam quod hos aliosque, qui adverfus aliquam Fidei veritatem loquuntur, denunciare pænis ecclefiafticis teneamur; ipfo infuper vultu prodere debemus, quod eorum fermones improbemus, five corrugando frontem five oculos demittendo five aliis modis oftendendo, nos ejusmodi faftidire fermones, five proponendo, quæ in contrarium catholica Ecclefia docet, immo fi moraliter fieri poteft, deferendo eorum focietatem & impugnando (fi eo fcientia fatis pollemus) falfitates illorum, ne inde alii audientes damnum accipiant. Ingentis certe calamitatis loco reponendum, O mei! quod noftris temporibus perfonæ multæ (quandoque etiam ecclefiafticæ) quæ fe Catholicos effe profitentur: quod (inquam) has fententias pietati, cultui divino, nonnun-

nunquam etiam revelatis veritatibus contrarias proferre audiantur, dum easdem vel deridunt vel varias difficultates, quibus simplicitas fidei in audientibus turbetur, contra objectant. Sed de hoc alio in loco. Vos, O mei! improbate, redarguite & (si potestis) impugnate ista, taliumque hominum usum ac consuetudinem vitate, & (ut paucis omnia dicam) ubi de Fide, de Religione, de lege divina agitur, animos omni humano respectu superiores vobis sumite, ut nec metus nec fiducia creaturæ alicujus vos ad aliquid; quod Deo adversetur, vel faciendum vel dicendum vel sentiendum inducat. Sic grave admodum atque idoneum residentis in anima vestra Spiritus sancti indicium habebitis, Amen.

SERMO XXI.

In verba Symboli: Credo sanctam Ecclesiam catholicam.

Post professionem & explicationem Fidei atque mysteriorum, ad tres divinas Personas attinentium, Symbolum sanctam catholicam Ecclesiam nobis credendam proponit: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam.* Memini me primo sermone meo leviter attigisse necessitatem unius veræ Ecclesiæ, quæ sit competens judex controversiarum, quæ circa credendas veritates (tam quoad libros sacros quam eorundem verum sensum) oboriri possunt. Patet facile omnibus, judicium hoc privato cuique Fideli committi non posse, ne tot Religiones, quot capita, exsistant; id quod non sine lacrymis in sectis hæreticorum cernimus, in quibus unoquoque pro luminis, quod sibi a Deo impertitum esse contendit, ratione de mysteriis Fidei judicante persæpe accidit, ut (non dicam, in eadem civitate sed etiam in eadem familia) articuli omnino contrarii credantur & Religiones sibi mutuo oppositæ teneantur: Ob eam caussam superius demonstravi, judicium hoc alicui congregationi attribui debere: congregationi non mera humana optione formatæ sed a Christo Jesu monstratæ. Hæc autem a Christo monstrata congregatio est Ecclesia sancta; id quod verba a Christo teste S. Matthæo (a) prolata ostendunt, scilicet ut reus frater salutaribus monitis cedere nolens Ecclesiæ denuncietur: *Si eos non audierit, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, quibus verbis Christus significavit, pertinere ad Ecclesiam inappellabile de oborientibus difficultatibus judicium; Unde S. Augustinus (b) libere pronunciavit: *Ego Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Igitur rei cardo in eo vertitur, ut videamus, quænam sit Ecclesia illa, cui credere, cujusque auctoritati concedere debeamus.

Ecclesia hæc, quæ in Evangelio multis parabolis (uti campi, areæ, montis, retis &c.) ostenditur, a S. Paulo autem sponsa Christi, columna & fundamentum veritatis appellatur, nostra maxime est catholica Romana Ecclesia, in cujus gremio infinita Dei misericordia agente & nati & educati sumus. Longum foret, O mei! hoc in loco absurdas & referre & confutare ideas, quas sibi circa istum Fidei articulum nostrorum temporum hæretici finxerunt & pro libitu suo proque variis falsarum opinionum suarum systematibus excogitarunt; quarum idearum confutatio etsi scitu etiam hoc in loco utilis foret, nihilominus rudiorum Fidelium ingeniis minus forsitan quadraret: Dicam tamen pauca, pro eo ut opportunus sese dicendi aditus mihi dabit.

(a) *Matth. 18.* (b) *Lib. contr. Epist. Manich. c. 5.*

Primo itaque per Ecclesiam Christi intelligitur Congregatio Fidelium, quæ a suis pastoribus regitur & sub capitis visibilis, successoris S. Petri (qui est Romanus Pontifex) vicarii Christi præsidio unius Fidei professione conjungitur. Hæc est idea Ecclesiæ catholicæ; nam Ecclesia Christi eadem esse semper debet: quoniam, ex quo cœpit, durare ad seculi finem usque debet secundum promissionem Christi: *Portæ* (c) *inferi non prævalebunt adversus eam*; iterumque (d) *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Jam hæc maxime est nostra catholica Romana Ecclesia: En rei hujus argumentum clarum, evidens & quod (ut sic dicam) manibus palpari potest! Qualis, quæso! in ipso ortu suo fuit Ecclesia, quando e cœnaculo Hierosolymitano plena Spiritus sancti egressa est? Fuit illa congregatio Credentium in Christum sub uno omnium capite S. Petro Apostolo, Christi vicario: Et pro eo ut Credentium crevit numerus, pro eo (inquam) S. Petrus cum reliquis Apostolis pastores creavit atque Episcopos, qui Fideles pascerent semper sub præsidio Petri & cum subordinatione ipsorum pastorum ad Petrum, ceu caput; quamdiu quidem ille in vivis egit. Et quoniam Petrus vivere semper haud potuit Romæque regens sedem illam obiit, successor in ejus locum electus fuit easdem visibilis totius Ecclesiæ capitis prærogativas habens, ab omnibus pastoribus atque Episcopis pro successore Petri & Christi vicario habitus omnesque pastores sibi subordinaros habens: Sic itentidem, sic ab uno Pontifice ad alterum, usque ad Clementem XIV. hodie regnantem res gestæ. Est igitur Ecclesia nostra catholica Romana talis omnino, qualis suo in ortu fuit; cum eandem Fidei unitatem, eadem Sacramenta, eandem Fidelium ad pastores pastorumque ad summum Pontificem subordinationem semper servarit: Ergo hæc, & non sectæ reliquæ, est vera Christi Ecclesia. Num argumentum clarius, apertius aut evidentius quisquam poscat? Ob eam rem S. Augustinus (e) dixit: *Tenet me* præter alia *in Ecclesia, ab ipsa sede Petri Apostoli usque ad præsentem episcopatum, successio Sacerdotum.*

Dixi: *Hæc Ecclesia & non sectæ reliquæ.* Omnes aliæ congregationes esse vera Ecclesia nequeunt: En hujus quoque rei claram evidentemque rationem! Omnes illæ congregationes Ecclesia posteriores sunt; cum omnes conditæ fuerint ab hominibus, qui ab Ecclesia defecerunt seque ab illa separarunt, quia nec credere ea, quæ Ecclesia docet, nec capiti Ecclesiæ subjecti esse voluerunt. Ob eam rem hæ congregationes vera Ecclesia esse nunquam possunt; quæ res sic confirmatur: Vera Ecclesia semper extitisse debet; ergo & prima & cæteris antiquior esse debet; ergo omnes aliæ congregationes conditæ a personis, qui se ab hac Ecclesia sejunxerunt, posteriores sunt hac Ecclesia; ergo istæ vera Ecclesia esse non possunt, quia semper non fuerunt sed tum primum extiterunt, cum fundatores ab Ecclesia descivere id credere & tenere mordicus nolentes, quod Ecclesia credit ac tenet; ergo hæ congregationes Ecclesia posteriores sunt; ergo vera Ecclesia non sunt, quæ (utpote prima) fuisse semper debet. Quid, obsecro! facilius, clarius, fortius, palpabilius esse potest? Hinc maximus ille (f) Ecclesiæ doctor S. Hieronymus monuit: *Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo sed a quodam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos* (Addam ego: Lutheranos, Calvinistas, Zwinglianos, Socinianos) *scito non Ecclesiam Christi sed Antichristi esse synagogam; ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos esse indicant, quos Apostolus prænuntiavit attendentes spiritibus erroris* (g) *& doctrinis dæmoniorum.*

Dicet aliquis, ingenii ruditate atque ignorantia actus: Bene est, Pater! at si, qui ab Ecclesia defecerunt, veritatem secum abstulissent & Ecclesiæ, a qua defecerunt, errorem reliquissent? Hoc, O mi ignare! fieri non potuit, quia prima vera Ecclesia ex promissione Christi errare non potuit, qui Fidem

Tuam

(c) *Matth.* 16. (d) *Matth.* 28. (e) *Lib. cont. Epist. Fund. c.* 4. (f) *Lib. co. tra Luciferian.* (g) 1. *Timoth.* 4.

ſuam eidem his verbis obſtrinxit: *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus*; qui eidem promiſit: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*; qui eidem prænuntiavit, quod a Spiritu ſancto erudienda eſſet: *Docebit vos omnem veritatem*; qui eandem tanquam *columnam & firmamentum veritatis* deprædicari ab Apoſtolo voluit. Hæc itaque Eccleſia errare non potuit; ergo illos errare neceſſe eſt, qui ſe ab illa ſepararunt, ut doctrinas defenderent, quas Eccleſia non defendit ſed repudiat. Quid ad hæc reſpondetis, O mei! num evidentibus adeo argumentis ſolidi quid opponi poteſt?

At dicet alius non tam rudis tamque ignarus ſed nonnihil eruditior & in poſtremorum hæreticorum ſyſtemate verſatior, dicet (inquam) Pater! omnes hæ ſectæ ab Eccleſia noſtra, quæ ex hactenus adductis evidentibus argumentis vera negari non poteſt, diviſæ ac ſeparatæ objicient: ſe, utut nonnullos articulos noſtris contrarios profiteantur, tamen Eccleſiæ incorporatas ob id eſſe; quod unitatem ac trinitatem Dei, myſteria incarnationis, mortis & reſurrectionis Servatoris credant: quos articulos ob eam ipſam rem *fundamentales* appellant. Jam quoniam in his articulis cum Eccleſia noſtra conſentiunt, pertendunt ſe Eccleſiæ catholicæ Romanæ incorporatas eſſe; cum (his articulis exceptis) reliqui adiaphori, hoc eſt arbitrarii, ſint neque neceſſario credi eo debeant, ut quis de corpore Eccleſiæ catholicæ ſit.

Fuit hæc, O mei! fuit hæc ſententia (h) unius e Calviniſtis, ejuſque omnium, qui extiterunt, longe ſagaciſſimi, cui poſtea moderni heretici omnes concinuerunt. Advertit ille, nullo unquam tempore probari poſſe, ſectam Calviniſtarum aut aliam ab Eccleſia noſtra ſejunctam quamlibet eſſe veram Chriſti Eccleſiam: itaque in eam cogitationem devenit, ut illas ſectas omnes cum Eccleſia vera cohærere contenderet; dummodo memoratos articulos unaque univerſalem reſurrectionem, animæ immortalitatem præmiorumque & pænarum æternitatem profiterentur.

Verum hæc ſententia infirma maxime eſt atque chimærica, quippe quæ nec ullo S. Scripturæ teſtimonio nec ulla antiquitatis auctoritate fulciatur, tamque nova ſit, quam novus homo is fuit, qui eandem quaſi ſomnians parturivit. Primo nullum hujus ſententiæ veſtigium ſacris in Codicibus apparet diſſerte volentibus, ut Eccleſia in omnibus, quæ de Fide eſſe docet, abſque reſtrictione, abſque ulla articulorum diſtinctione audiatur: *Si Eccleſiam non audierit.* Hinc cum eorum, quæ de Fide ſunt, declarandorum arbitrium plane penes neminem privatum ſit ſed ſoli Eccleſiæ conveniat; poſito quod Eccleſia aliquem Fidei articulum declaret, is ſtatim creditu neceſſarius evadit, adeo ut qui eundem credere renuit idque exterius prodit, hæreticum ſe & ab Eccleſia alienum faciat; ſive dein circa memoratos articulos erretur ſive non; dummodo definitioni Eccleſiæ reſiſtatur. Hic jam inde a primis temporibus conſtans fuit priſcorum mos, ut ab Eccleſia catholica rejicerentur omnes ii, qui ejuſdem de quibusvis articulis definitionibus (ſive illæ ad memoratos articulos pertinerent ſive non) obtemperare detrectarent. Percipite dictorum confirmationem, Vos inprimis! qui intelligentiores eſtis.

Inter primos, qui ab Eccleſia catholica per S. Victorem Pontificem & Concilium ab eo convocatum ſeparati fuere, extiterunt Aſiatici, dicti *Quartodecimani*; quod Paſcha non niſi ipſa Martii luna quartadecima & non proxime inſequenti Dominica celebrare vellent: Hæc ſecundo ſeculo geſta ſunt; Et tamen memorati *Quartodecimani* de nullo ante recitatorum fundamentalium articulorum erraverunt. Aliud factum occurrit in Concilii Chartaginenſi ſecundo a S. Cypriano doctiſſimo Epiſcopo juxta ac Martyre anno circiter 251. habito: & Antiocheno I. inchoato a S. Fabio Antiochenorum Epiſcopo atque a ſucceſſore ejus S. Demetriano circa annum

Q 3 252.

(h) *Fuit is D. JURIEU.*

252. consummato, in quibus Conciliis ex Ecclesia Novatiani expulsi sunt, qui lapsis in peccatum veniam atque remissionem concedere noluerunt; sed neque hic error ad memoratos fundamentales articulos pertinet. Accedit Concilium Gangrænse anno ferme 326. habitum & ab Ecclesia orientali ac occidentali adoptatum atque ob id a Dionysio Exiguo Canonum collectioni insertum, in quo Concilio *canone 11.* ii, qui *Agapis* interesse ex contemptu nolebant *canone 12.* ii, qui usitatum illis temporibus vestitus modum quemdam, ceteroquin simplicem & honestum, damnabant: *canone 13.* illæ fæminæ, quæ per speciem pietatis virili amictu utebantur: *canone 18.* ii, qui præ stulta devotione diebus dominicis jejunia agebant: denique *canone 19.* ii, qui jejunia ecclesiasticis constitutionibus imperata violabant, ab Ecclesia exclusi fuerunt: quo loco observetis velim, reliquos memorati Concilii canones ejusdem ferme argumenti esse; Et tamen errores hi omnes cum memoratis fundamentalibus articulis non pugnant. Addite Concilium XIII. vel XIV. Chartaginense, cui & S. Augustinus interfuit, circa annum 417. celebratum, quod similiter Græca & Latina Ecclesia admisit, in quo *canone 1.* Ecclesiæ catholicæ communione privati sunt ii, qui Adamum mortalem creatum &, tametsi non peccasset, moriturum fuisse affirmabant; Et tamen hic error ad articulos fundamentales non spectat. His accedit, in aliis Conciliis Africanis numero quindecim, quibus omnibus S. Augustinus adsuit, multos Canones in materia de gratia auxiliante adversus Pelagium & Cælestium conditos fuisse, uti & in Conciliis Arausicanis, quæ de eadem gratia egerunt: in quibus omnibus ab Ecclesia catholica rejecti fuerunt ii, qui de gratia variis modis erraront; Quod ipsum argumentum a memoratis articulis fundamentalibus multum abhorret. Coronidis loco (ne nimium excurrat oratio) Concilium œcumenicum Constantinopolitanum II. anno ferme 553. celebratum adducere juvat, in quo *canone 1.* ii, qui affirmabant animas rationales prius extitisse quam corpora, quibus illæ in pænam delictorum in primævo statu admissorum conjungerentur: *canone 3.* ii, qui dicebant, homines in extrema die rotundos, non erectos (quales nunc sunt) a mortuis surrecturos esse: *canone 6.* ii, qui cælum ac stellas animatas esse contendebant, ab Ecclesia separati fuere; Et tamen errores hi omnes memoratis fundamentalibus articulis non adversantur. Patet ex his satis, antiquam Ecclesiæ catholicæ a Spiritu sancto doctæ consuetudinem fuisse, ejicere e gremio suo illos, qui non solum sæpius memoratos articulos fundamentales sed etiam quodvis aliud definitum Fidei caput oppugnarent.

An, O mei! modernorum Protestantium sententia vanitatis ac futilitatis convinci evidentius potest: qui, quod, sectas suas veram esse Ecclesiam, probari a se unquam posse desperassent, ad eam cogitationem descenderunt, ut se quoque de Ecclesiæ corpore esse contenderent; eoquod solos memoratos articulos crederent, tametsi alios impugnarent? Nunquid ex memoratis a me certissimis factis evidenter apparet, toti retrò antiquitati ignotam fuisse chimæricam hanc Ecclesiæ ideam, quam superiori primum seculo citatus a me Minister Calvinista e fætido cerebro suo eduxit; semperque pro certo habitum fuisse, quemvis, membrum Ecclesiæ esse volentem, omnes omnino ab Ecclesia definitos Fidei articulos tenere debere? Quod si aliter esset, sequeretur, omnia retro secula vera Ecclesiæ catholicæ notione caruisse & immani errore doctores sanctos omnes ipsamque Ecclesiam deceptam fuisse; id quod nemo certe affirmarit nisi ii, qui chimæricam hanc ideam & excogitavit & sectantur.

Nos contra novimus, omnes etiam quinque priorum seculorum Viros sanctos, quos ipsi hæretici venerantur, eo, ut quis verus Fidelis sit, exegisse, ut is ab Ecclesia Romana catholica penderet ejusque communione frueretur. S. Irenæus (i) antiquissimus Episcopus, Doctor ac Martyr, de Ecclesia Romana loquens, ait; *Ad hanc enim Ecclesiam propter*

(i) *Libr. 3. contra hæres. c. 3.*

propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire, hoc est: eos, qui undique sunt Fideles. Idipsum æque cum primo vetustus Episcopus, Doctor ac Martyr S. Cyprianus (k) tum aliis multis suorum operum locis tum in illo maxime inculcat, in quo ait: *Super illum unum* (Petrum) *ædificat Ecclesiam suam* (Christus) *& illi pascendas mandat oves suas; & quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem parem potestatem tribuat* (scilicet constituendi Ecclesias, instituendi Episcopos, scribendi libros canonicos) *tamen, ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. . . . Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & cathedra una monstretur.* Et in *epistola 55.* Sedem Romanam vocat *Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est.* Et docuit exemplo suo sanctus hic Vir Ecclesiam Romanam, ut talem, revereri; dum durante gravi illa de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati fuerant, controversia cum S. Stephano Pontifice habita nunquam in animum induxit, ut se a Sede Romana separaret. S. Cypriano consentit S. Optatus doctissimus juxta ac antiquissimus Milevitanorum Episcopus (l) qui, de Ecclesia Romana dicens, ait: *In qua una Cathedra unitas ab omnibus servatur . . . Ut jam schismaticus esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.* Iisdem ferme verbis posteriorum temporum scriptores omnes tum Græci tum Latini sese exprimunt, quorum omnium testimonia secundum temporum seriem citabo, ut, cui libuerit, is eadem perlegere possit: Græci sunt, S. Hippolitus Martyr & Episcopus in *Oratione de consummatione mundi*: Origenes *Homilia 5. in Exodum & Homilia 17. in Lucam*: Eusebius Cæsareensis *in libro 2. Historiarum, cap. 13.* S. Athanasius in *Epistola ad Felicem*: S. Basilius magnus in *Proemio de judicio Dei*: S. Cyrillus Hirosolymitanus in *Cathechesi 11.* S. Ephraem Syrus in *Panoplia*, itemque in libro *de variis Tormentis inferni*: S. Gregorius Nazianzenus in *Oratione 7. & 26.* S. Epiphanius senior in *Hæresi 51.* S. Joannes Chrysostomus in *Oratione 5. adversus Judæos & Homilia 3?. in Matthæum & Homilia 87. in Joannem*: S. Cyrillus Alexandrinus in *Libro 10. in Joannem c. 12.* S. Isidorus Pelusiota in *Libro I. epistola 142. & Libro II. epistola 99*: Theodoretus in *Caput 1. Epistolæ ad Galatas*: S. Basilius Seleuciensis in *Sermone 1. in Danielem & Sermone 4. in Davidem*: Concilium generale Calcedonense, cui 630. Patres interfuerant, *in Actione 3.* Et hi omnes ad unum 451. usque floruerunt. Jam ad Patres Latinos transeamus, quos inter (quorum quidem opera habemus) vetustissimus est Tertullianus in *Libro de Præscriptionibus cap. 22.* S. Cyprianus ante memoratus in *Epistol. 40. 69. 70. 71.* S. Julius I. Papa in *Epistola ad Orientales*: S. Hilarius in *Psalmum 131*: S. Ambrosius in *Caput 24. Lucæ* & in *Vita Satyri fratris*: S. Optatus denuo hic laudandus in *Libro contra Donatistas*: Prudentius in *Hymno de S. Laurentio*: S. Hieronymus in *Caput II. Epistolæ ad Galatas & Libro I. contra Jovinianum cap. 14.* & *Libro 1. contra Pelag. c. 4.* & *Epistola ad Damasum*: S. Augustinus in *Tractatu 56. & 124. in Joannem & Libro II. de Baptismo cap. 1*: S. Innocentius I. Papa in *Epistola ad Victricium*: S. Maximus Taurinensis in *Homilia 3. in Natali Apostolorum*: S. Petrus Chrysologus in *Sermone 107. & 154.* S. Leo magnus in *Sermone* 3. *in Anniversarium suæ assumptionis*: S. Gregorius Magnus in *Libro I. epist. 24. & Libro III. epist. 33.*: Et hi omnes ad annum 630. usque floruerunt. Hos autem reliqui omnes tum Græcæ tum Latinæ Ecclesiæ Scriptores sequuntur; qui, cum omnes Petrum & Successores ejus Caput Ecclesiæ esse affirment, certe a me dicta confirmant: scilicet non aliam esse Ecclesiam Christi, quam catholicam Romanam.

Ob eam caussam ipsa sola *catholica* (hoc est) universalis dicitur; quia non est regio, in qua suos illa operarios non habeat, qui inter continua vitæ discrimina disseminare veritates catholicas ovesque errabundas ad ovile

(k) *Libr. de Unit. Eccl.* (l) *Libr. 2. contra Parmenianum.*

ovile Christi reducere conantur. Qui quidem *catholicæ* titulus Ecclesiæ ab ipsa adeo fundatione convenit; quoniam Christus Apostolos prædicatum mittens eisdem injunxit, ut omnes gentes docerent: *Euntes docete omnes gentes* (m) *Prædicate Evangelium omni creaturæ* (n) & S. Lucas (o) ait: *Oportebat prædicari in nomine ipsius* (Christi) . . . *per omnes gentes:* & JEsus Apostolos suos ad extremas usque mundi oras misit: *Eritis mihi testes . . . usque ad ultimum terræ.* Jam hæc catholicitatis prærogativa cui alii congregationi, præterquam Ecclesiæ nostræ Romanæ, convenit? Ita Patres sancti omnes testantur. Audivistis paulo ante S. Irenæum vetustissimum scriptorem affirmantem necesse esse, ut quivis Fidelis ad Ecclesiam Romanam conveniat: ita ut verba illius hic repetere opus haud sit: Audite jam alios Scriptoras ecclesiasticos ex ordine temporum. Tertullianus (p) ait: *Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est: Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli* (Petrus & Paulus) *cum sanguine suo profuderunt.* Cyprianus (q) *Ecclesiam Romanam radicem esse ac matricem Ecclesiæ catholicæ* affirmat: Et Antoniano (r) scribens ait: *Scripsisti etiam, ut exemplum earundem literarum ad Cornelium transmitterem, ut sciret, te secum, id est: cum Ecclesia catholica communicare.* S. Cyrillus Hierosolymitanus (s) monet: *Neque id tantum quæras simpliciter, ubi sit Ecclesia sed ubi catholica Ecclesia; Hoc enim nomen proprium est sanctæ hujus & Matris omnium nostrum.* Sed ut ne longior sim, ceteris omnibus omissis audite, quæ Augustinus (t) dicit: *Tenenda est nobis christiana Religio & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ catholica est & catholica nominatur non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis: Velint, nolint etiam ipsi hæretici & schismatum alumni, quando non cum suis sed cum extraneis loquuntur, Ecclesiam nihil aliud, quam catholicam, vocant; non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur. . . .* Et alio in loco (u) ait: *Ipsum catholicæ nomen, quod non sine caussa inter tam multas hæreses ipsa ipsa Ecclesia sola obtinuit, ut, cum omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere.* Ecce! perspicuum vobis feci, O mei! solam sanctam nostram Romanam Ecclesiam esse Ecclesiam catholicam, in quam credimus: Quapropter continuas infinitæ bonitati DEI grates agamus, quod nasci nos atque educari in illius gremio benigne concesserit: quod insigne beneficium, & debitis gratiarum actionibus compensare nunquam possumus, & tum demum (pro dignitate) cognoscemus, cum in paradiso æterna filieitatis hujus Fidei præmia recipiemus.

Ex iis, quæ hucusque dixi, omnibus colligitur, catholicam Ecclesiam visibilem & omnibus intrare volentibus manifestam esse; nam, cum Christus obstinatos deferri Ecclesiæ jubeat: *Dic Ecclesiæ;* eam visibilem atque notam esse: cum Ecclesia loquatur & ex Christi præcepto audiri debeat: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus;* eandem visibilem ac manifestam esse oportet. Atque ob id Christus Ecclesiam civitati supra montem positæ, quæ abscondi ab oculis humanis nequit, comparavit: *Non potest civitas abscondi* (x) *supra montem posita.* Hinc apposite S. Augustinus (y) *Nonne aperta est Ecclesia? nonne tenuit omnes gentes? . . . Ecce mons implens universam faciem terræ! Ecce civitas, de qua dictum est: Non potest civitas abscondi supra montem posita!*

Objiciet aliquis: Si Ecclesia creditur: *Credo sanctam Ecclesiam*, quomodo videtur? Non creduntur, quæ videntur; sed enim quæ non videntur. Huic repono: Ecclesia (uti SS. Patres & hos inter S. Gregorius Nazianzenus observant) est Compositum quoddam, constans ex corpore & anima. Corpus per hierarchiam ecclesiasticam & Fidelium ad pastores, pastorum ad caput visibile (pontificem scilicet Romanum) subordina-

(m) *Matth. 28.* (n) *Marc. 16.* (o) *Cap. 24.* (p) *Libr. de Præscript. c. 36.* (q) *Epist. 16. ad Cornel.* (r) *Epist. 53.* (s) *Catech. 18.* (t) *Libr. de vera Relig. c. 7. n. 12.* (u) *Libr. contr. Ep. Fund. c. 4.* (x) *Matth. 5.* (y) *Tract. 1. in Epist. S. Joan.*

dinationem, per externam cultus divini professionem, per Sacramentorum administrationem, per unanimem earundem veritatum confessionem (semper cum membrorum omnium ad caput, Romanum Pontificem, subordinatione) constituitur: Et hoc corpus, quatenus visibile est, non creditur sed videtur; atque hoc modo Ecclesia visibilis est. Anima vero Ecclesiæ in sanctitate multorum ex membris illius, in donis gratiæ & Spiritus sancti, quæ in Justis viventibus resident (brevibus) in supernaturalibus atque infusis perfectionibus, quibus Ecclesia sanctificatur, consistit: Et hæc, quippe sub oculos non cadentia, creduntur; de quibus sequenti sermone agemus. Igitur corpus Ecclesiæ, quod pars materialis est, videtur, non creditur: anima vero, quæ pars est formalis, creditur, non videtur. Et hoc credimus, quando dicimus: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam.* Jam sanctitatem hanc in Ecclesia reperiri, cras intelligetis.

SERMO XXII.

De Sanctitate Ecclesiæ catholicæ, & de gravi injuria, quam Catholici male viventes multoque magis Personæ ecclesiasticæ mali exempli Religioni sanctæ inferunt.

CUm quatuor characteres, quibus vera Christi Ecclesia a reliquis Sectis omnibus distinguitur, ii maxime sint, qui in Symbolo Constantinopolitano in Missa recitari solito memorantur, scilicet quod sit *Una*, *Sancta*, *Catholica*, *Apostolica*, quæ prædicata de nulla alia congregatione, præterquam de Ecclesia Romano-catholica, affirmari ex vero queunt; cumque illius unitatem, catholicitatem & apostolicitatem satis sufficienterque exposuerim (nimirum quod perfectam servet unitatem Fidei: quod catholica sit seu universalis, quia per orbem universum ministros suos Fidem eandem & profitentes & propagare conantes habet: quod sit apostolica suamque originem ab Apostolis trahat; id quod series Capitum visibilium, quæ S. Petro servata tum Fidelium cunctorum tum reliquorum Pastorum ad hæc Capita subordinatione identidem successerunt, prodit) jam istud restat, ut de charactere sanctitatis, qui in Ecclesia juxta cum reliquis resplendet, immo reliquos complectitur atque confirmat, dicam.

Veram Christi Ecclesiam sanctam esse debere, infertur ex Capite illius sanctissimo, quod est Christus JEsus teste S. Paulo (a) *Christus caput est Ecclesiæ*, qui, tametsi Ecclesiæ Vicarium suum (uti S Petrum & post hunc successores ejus) tanquam Capita visibilia reliquerit; nihilominus non cessat esse Caput, cui (ut sequitur) corpus, quod est Ecclesia, pariter sanctum debetur. Idipsum præterea ex passionibus a Christo toleratis infertur, quippe quæ eo spectabant, ut Ecclesia sancta esset: Hinc S. Paulus citato loco libere pronunciavit, quod Christus *seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.*

Jam hæc veræ nostræ Christi Ecclesiæ sanctitas in tribus potissimum elucet atque videtur: primo in sanctitate legum; secundo in sanctitate morum; tertio in miraculis, quibus ipsis priorum duorum articulorum sanctitas manifestatur. Quod ad primum caput (scilicet sanctitatem legum) pertinet; omnia præcepta Ecclesiæ ad cultum DEI, ad carnis macerationem, ad pietatem in eos, quibus debetur, tendunt. Consulantur publicati ab Ecclesia Canones, quibus illa multas actiones ob solam mali speciem vel ob cohærens peccati periculum prohibuit. Relucet præterea sanctitas hæc ex obligationibus, quas Ecclesia cum statu clericali conjunxit, quibus ille splendidior atque ædificantior redditur: uti & jam ex Consiliorum evangelicorum, Operum misericordiæ & Virtutum

P. Canisiuti Catechisia.

(a) *Ephes.* 5.

tutum promotionem, quam Ecclesia cordi habet; cum nullas unquam doctrinas proposuerit nisi eas, quas Christus, quas Apostoli, quas SS. Patres, quibus magnum honorem habet, proposuerunt.

Colligamus ex his, (ad Ministros Sacramentorum & doctrinæ moralis Studiosos mea se convertit oratio) colligamus, inquam, O mei! quantum splendori hujus sanctitatis (scilicet quæ in doctrina pura ac sancta posita est) officiant scriptores illi, qui in suis Theologiis moralibus sententias doctrinam moralem evangelicam relaxantes sparserunt ac spargunt: sententias, quibus juris tum divini tum ecclesiastici obligationes extenuant variis distinctionibus, explicationibus, interpretationibus atque excusationibus curantes, ut licitas faciant actiones, quas Patres omni tempore damnarunt & Ecclesia semper improbavit; quare fit, ut hæretici, præcipue ii, qui certis veteres satisque expurgatas doctrinas affectantibus sectis dediti sunt, Catholicis exprobrent: irrepsisse in Ecclesiam Romanam axiomata priscis illis omnino contraria; doceri ex quibusdam male intellectis principiis (uti sunt: *Melior conditio possidentis*; *Odia restringenda*; *Uti jure suo*, aliaque similia) doceri, inquam, licitas esse actiones ejusmodi, quas tum doctrina purissima tum solidissima ratio tum auctoritas gravissima damnat; quoniam illæ & a vero deflectunt maxime & ad offensionem DEI violationemque vel castitatis vel justitiæ vel charitatis proxime accedunt. Respondemus illis equidem, & merito: Aliud est, Ecclesiam tales doctrinas proponere; iterum aliud: Quosdam de Ecclesia eas proponere. Fuerunt illæ equidem propositæ & proponuntur ab aliquibus, qui sunt de Ecclesia, neutiquam vero ab Ecclesia, quæ illas etiam reprobat ac damnat; id quod innumeræ propositiones damnatæ addita insuper excommunicationis pœna in illos, qui eas vel docent vel opere exequuntur, declarant. Quæ etiamsi ita sint; nunquid tamen, O mei! inconveniens oppido est, proponi ab Ecclesiæ filiis doctrinas, quas Ecclesia ut falsas, scandalosas, seducentes & pietati inimicas condemnavit? Nunquid propudiosum, legi quotidie tot alias doctrinas damnatis proximas, quæ posthabitis gravissimis argumentis, quibus a vero alienissimæ monstrantur, & disseminantur & opere complentur? Nonne honestius esset, doctrinas illas de nimio rigore, quam de nimia laxitate damnari? Immo vero honestius id fore judicaverim; cum Christus etiam dicat: *Quam angusta porta* (b) *& arcta via est, quæ ducit ad vitam.* Unde istud (damnari de nimio rigore) malum quidem esset, at non tam ignominiosum; cum contra, de nimia laxitate damnari, semper intolerabile esse videatur.

Sed de sanctitate morum agamus. Extitit hæc morum sanctitas semper in Ecclesia catholica Romana; cujus rei firmissimum argumentum canonizatio tot Sanctorum Sanctarumque successive facta præbet. Canonizatio ista (siquidem nescitis) tum demum fit, postquam in vitam mortuorum ac virtutes exactissima cum diligentia inquisitum est, deque gestis eorum severissimæ discussiones institutæ, adeo ut nemo prudens ac sapiens dubitandi locum habeat, quin illi tales sint, quales eos Ecclesia declarat. Canonizatio hæc extitit, exsistit atque ad finem temporum usque exsistet, cum plurimi semper sint, qui in Sanctorum album adscribantur; protrahitur autem illa in tantum, in quantum exquisitissima Ecclesiæ, multum temporis sibi ad hujusmodi examinationes & processus postulantis, diligentia moram adscriptioni eorum ponit. Apparet præterea hæc Ecclesiæ sanctitas in vita illibata, quam tot præclari Viri ecclesiastici, tot Personæ claustrales severis Institutis addictæ, tot Virgines Deo in austerissimæ disciplinæ monasteriis sacratæ, tot laicæ utriusque sexus, exempli optimi vereque catholicæ, Personæ ducunt.

Neque hoc in loco scandala mihi quisquam objectet, quæ per vices data (etiam ab aliquibus memoratorum statuum) audiuntur. Sint data, per me licet; Quodnam inde damnum accedere sanctitati Ecclesiæ

(b) *Matth.* 7.

clesiæ & ceteris eorumdem ordinum viris probis poterit? Quid nocuit Angelorum cohortibus, quod tertia pars duce Lucifero in Deum rebellarit? Nihil profecto. Quid nocuit collegio apostolico, quod ex illis solummodo duodecim viris, utut Christi Jesu magisterio utentibus, tres in gravia scelera prolapsi sint, Petrus negando & perjurando: Judas tradendo: Thomas ad incredulitatem se obfirmando? Nihil profecto. Quid nocuit sanctis Fidei Confessoribus, quod multi eorum etiam post exantlata plura tormenta misere a Fide defecerint? Nihil profecto. Et quid, sanctitati ac probitati tot Virorum ecclesiasticorum: quid pænitentiæ tot Personarum claustralium: quid intemeratæ tot Virginum pudicitiæ: quid tot Laicorum pietati, quid (inquam) nocere poterunt scandala ab aliquibus horum ordinum data? Nihil profecto. Debet equidem quisque funestos hujusmodi casus recogitans aut videns in humilitatem se deprimere: debet humanam miserari inconstantiam; at amittere bonam de reliquis conceptam existimationem, at credere nullo modo debet, his casibus Ecclesiæ sanctitatem obscurari, quæ ob privatorum aliquot lapsus splendorem suum non perdit; cum tot alios virtutum christianarum luminibus coruscantes filios sinu gerat suo.

Itaque ad tertium caput (nimirum ad miracula, quibus gravissimum sanctitatis Ecclesiæ argumentum continetur) pergat oratio mea. Quo in loco ad multorum institutionem monere me vos secundum Theologorum omnium axioma oportet, verum miraculum ab alio, præterquam Deo solo, effici non posse; & tametsi miracula utplurimum per invocationem Mariæ aut alterius Sancti aut per sacras eorum reliquias fiant; tamen neque Maria neque Sancti operantur miracula, sed Deus solus ad glorificandam Virginem illam sacratissimam aut Sanctum honorandum atque ob eorum intercessionem operatur. Hinc, quanquam Maria aut Sancti sint caussæ morales, quæ per suum interventum Deum ad miraculi patrationem movent; miraculum tamen effective & principaliter a Deo solo patratur. Certum hoc & communi consensu a Doctis omnibus receptum, quorum argumenta, quoniam, si compendio exponuntur, captui illiteratorum accomodari nequeunt, hic in medium afferre nec loci nec temporis ratio permittit. Scire itaque sufficiat, verorum miraculorum auctorem unicum Deum esse, eo utplurimum Sanctorum a nobis invocatorum intercessione permotum; qua de re sermone secundo diximus.

In eodem sermone monuimus, quod, cum fieri nullo modo possit, ut Deus falsitatem aliquam sua auctoritate confirmet, pariter impossibile sit, ut Deus ad falsitatem comprobandam miraculum faciat. Hinc si Deus ad rem aliquam confirmandam miraculum operatur, res illa vera esse necessario debet: Secus falsitatem confirmaret Deus, quod secundum Fidei oraculum a S. Paulo editum fieri nulla ratione potest: *Impossibile est* (c) *mentiri Deum.* Quapropter si Deus in confirmationem probitatis & sanctitatis alicujus personæ miraculum operatur, certo id argumento est, illam personam Deo acceptam sanctamque esse.

His pro certissimis in antecessum positis, credatis, O mei! nolim, me omnia miracula a Deo in Ecclesia Romana ad eorum, quos illa nobis, ut Sanctos, colendos proponit, sanctitatem comprobandam effecta relaturum esse; nam istud facere si velim, non plures solum sermones sed ne plura quidem volumina sufficiant. Satis est ad propositum argumentum, monuisse vos, in nostra catholica Romana Ecclesia ad sanctitatem filiorum ejus confirmandam vera indies miracula patrari, quæ nemo prudens revocare in dubium possit; atque ex hoc concludatis velim, Ecclesiam illam in multis suorum membrorum sanctam Deoque amicam esse. Dixi: *Vera miracula*; neque enim in hoc loco de illis miraculis dico, quæ per invocationem Sanctorum patrata identidem narrantur; sed enim de iis dico, quæ per merita personarum, (quas post mortem Sanctis Ecclesia annumerat) adhucdum viventium

(c) *Hebr. 6.*

tium aut etiam per invocationem earundem jam fatis functarum patrata rigorosissimorum processuum ope colliguntur. Hæc sunt miracula illa, de quibus nemo prudens, nemo sapiens dubitare potest. Si nimirum summæ & exquisitissimæ diligentiæ, quacum illa per rigorosissimos (ut dixi) processus deducuntur, rationem habeat. Nam si miracula hoc modo deducta ponere in dubio liceat, non erit deinceps res aut actio ulla, quæ credi prudenter in hoc seculo potest; cum major diligentia atque accuratio, quam qua memorata miracula deducuntur, cogitari nequeat.

Præterea neminem in Sanctorum numero Ecclesia reponit, quin vera miracula, per ejus intercessionem vel in vita vel maxime post mortem a Deo patrata, reperiat: Neque uno miraculo (quamvis vel hoc solum sufficeret) contenta est, sed plura exigit, ut plura habeat certa sanctitatis ejus documenta. Jam cum exploratum sit, in Ecclesia Romana per certa temporum spatia canonizari Sanctos, ob quorum merita Deus vera miracula operatus est atque operatur; certum quoque sit, esse in Ecclesia Romana personas vere sanctas, ob quas illa *Sancta* nominatur.

His addo: Frequentia miraculorum in congregatione aliqua est manifesto argumento, illam congregationem Deo acceptam esse; Nam si Deus in aliqua congregatione miracula in ejusdem gratiam atque honorem frequenter operatur, non relinquitur locus dubitandi, quin Deus illam congregationem amet, & quin illa congregatio Deo cara atque accepta sit. Jam (ut alia miracula, quæ quotannis in orbe catholico fiunt &, ut talia, ab Episcopis juris formulis longe maxime authenticis excipiuntur, omittam) unum adduxisse satis duco, illud nimirum sanguinis S. Januarii, quod Deus singulis annis in celeberrima civitate Neapoli ante oculos omnium eo confluentium operatur: miraculum, quod ipsi docti hæretici negare jam non audent. Igitur si Deo complacet, miracula operari in Ecclesia catholica, signum manifestum est, quod ipsa sit Sponsa a Jesu adoptata: quod sit sancta: quod in ipsa sola salus sit æterna, uti diluvio universali terrarum orbem inundante in sola Arca, (quæ figura est Ecclesiæ) fuit: & quod falsarum doctrinarum diluvio necessario submergendus sit, qui se in Ecclesiæ arcam non receperit.

Dicetis: Cum Ecclesia catholica sancta sit & ex corpore morali cunctorum Fidelium consistat, omnis Fidelis, qui Sanctus ac justus non est, ad Ecclesiam non pertinebit. Quæstioni huic reponens (advertite animos) dico, Ecclesiam hujus seculi vocari Ecclesiam militantem; quia cum hostibus animarum nostrarum depugnat: Ecclesiam vero seculi futuri triumphantem dici; quia victoriarum in hac vita reportatarum Triumphis æternum gaudet. Binæ hæ Ecclesiæ non sunt duæ distinctæ Ecclesiæ sed eadem Ecclesia sub eodem Capite Jesu Christo, quæ tamen duos habet status, primum vitæ viatricis: militantis: obnoxiæ miseriis, lapsibus, peccato; alterum vitæ gloriosæ, puræ, sanctæ, luminosæ: Est Ecclesia similis bellíduci arcem oppugnanti, qui, quamdiu obsessorem agit, in continuis laboribus, inter mille vulnerum, dolorum immo & mortis discrimina versatur; at si obsidioni superer it arcemque feliciter expugnarit, eandem gloriosus, a belli periculis securus atque triumphans ingreditur. Talis ferme est Ecclesia, scilicet congregatio Fidelium in hoc mundo militantium & Paradisi arcem expugnantium: Quamdiu in hac terra morantur, doloribus, periculis & inimicorum, arcis hujus cœlestis expugnationem impedientium, telis patent: hinc peccatis immo morti (a qua Deus nos omnes liberet) immo morti subjacent sempiternæ. Quod si hanc evaserint: si vulnera per peccatum accepta debita pœnitentia consanarint: si periculis omnibus superstites fuerint atque hac ratione paradisum feliciter acquisiverint; tum de statu certantium ac militantium ad statum in sempiterna secula triumphantium transeunt: cum tamen nos iidem ipsi simus, qui hic in terris certamus, illic in cœlis triumphamus: Atque ob eam rem Ecclesia, quamdiu militat, secundum

Patrum

Patrum cunctorum sententiam ex peccatoribus & justis, ex reprobis & prædestinatis mixtim componitur: qualem illam Christus in parabolis de ea datis descripsit, parabolis nimirum areæ, quæ frumentum bonum & paleas flammis dignas continet; retis, quæ pisces bonos juxta ac malos concludit; campi, in quo & fruges & zizania, quæ comburantur, nascuntur. Solum inter Patres Augustinum (d) adduxisse sufficiat: *Homo sum de Ecclesia Christi; palea, si malus: granum, si bonus.* Et alibi de malis loquens: (e) *Sunt tamen sicut paleæ in frumentis: istos enim esse in domo* (nimirum ob acceptum baptisma) *negare non possumus, dicente Apostolo: In eadem domo esse vasa in honorem & alia in contumeliam.* Et alio in loco, in quo allatum a me sensum areæ, retis & arcæ Noachicæ confirmat, dicit (f) *Veniant in mentem .... & area continens paleas & frumentum: & retia, in quibus inclusi sunt pisces boni & mali: & arca Noe, in qua & munda & immunda erant animalia; & videbis Ecclesiam interim hoc tempore usque ad ultimum judicii tempus non solum continere sanctos Laicos & sanctos ministros, sed insuper ... homines in carnis voluptate gaudentes ... superbos ... curiosos ... Hæc autem tria genera vitiorum* (*id est: voluptas carnis, superbia & curiositas*) *omnia peccata concludunt, quæ omnia genera peccatorum nunc bonis & sanctis mixta esse in Ecclesia videmus.* Hinc quando Apostolus & post hunc Augustinus affirmat, Christum pro Ecclesia sua mortuum esse, ut eam immaculatam, rugæ & maculæ omnis expertem constitueret; istud non de Ecclesia militante in terris sed de illa in cælis glorificanda ac triumphatura accipi debet: *Ubicunque commemoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed quæ præparatur, ut sit; quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias & infirmitates membrorum suorum* (g) *habet, unde quotidie dicat: Dimitte nobis debita nostra.*

Ex hucusque a me dictis colligamus, O mei! quantam injuriam & Christo & Ecclesiæ illi inferant Catholicorum, qui perdite vivunt & Infidelium potius quam Catholicorum mores sectantur: qui totos annos fluere sinunt, quin ad sacratissima Sacramenta accedant: qui leges & divinas & ecclesiasticas proterve violant: qui tota die nomen Dei, Christi, Evangelii, Mariæ & Sanctorum ore impio versant, ut iisdem ad quodvis juramentum abutantur: qui adulteriis thalamos alienos fœdant: qui concubinis utuntur, mercedem alienam retinent (verbo) qui vitam Epicuræam, omni voluptatum genere refertam ducunt. Hi, hi sunt, qui ex effato S. Pauli hæreticos & reliquos infideles sanctitati Ecclesiæ nostræ detrahere faciunt. Audite zelantem Apostolum (h) *Qui alium doces, teipsum non doces; qui prædicas, non furandum, furaris; qui dicis, non mæchandum, mæcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis; qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras; Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes.*

Audite, O mei! audite, quibus phrasibus Christi & Ecclesiæ sanctitatem Infideles (qui extra Ecclesiam sunt) ob laxam Catholicorum vitam infament: Audite (inquam) uti audiit gravis ille & eloquens Sacerdos ac medio fere seculo V. elegantissimus Scriptor Salvianus (i) *Cujus ergo criminis rei sint Christiani, ex hoc uno intelligi potest, quia Dei nomen infamant; Et cum Salvator noster ad nos quotidie clamet:* Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est; *nos ita vivimus e contrario, ut filii hominum videant opera nostra mala & blasphement Patrem nostrum, qui in cælis est. Quæ cum ita sint, magna videlicet prærogativa de nomine christianitatis blandiri possumus, qui ita agimus ac vivimus, ut hoc ipsum, quod christianus populus esse dicimur, opprobrium Christi esse videamur. Nunquid de Chunis* (Hunis) *dici potest: Ecce quales sunt, qui Christiani esse dicuntur? Ecce quæ faciunt, qui sunt Christi cultores? Nunquid propter Maurorum efferos mores lex sacrosancta culpatur? Nunquid Scytharum aut Gepidarum inhumanissimi* ritus

(d) *Lib. 3. contra Lit. Petiliani c. 12.* (e) *Lib. 7. de baptismo. c. 51.* (f) *In Psalm. 8.*
(g) *Lib. 2. Retract. c. 18.* (h) *Rom. 2.* (i) *Lib. 4. de Gubern. Dei.*

ritus in maledictum atque in blasphemiam nomen Domini Salvatoris inducunt? Nunquid dici de ullis istorum potest: Ubi est lex catholica, quam credunt? . . . Evangelia legunt, & impudici sunt: Apostolos audiunt, & inebriantur: Christum sequuntur, & rapiunt: vitam improbam agunt, & probam legem habere se dicunt. Nunquid hæc de ulla istarum gentium dici queunt? Non utique; nam hæc non profitentur. At *de nobis omnia ista dicuntur; in nobis Christus patitur opprobrium; in nobis patitur lex sancta maledictum; de nobis enim dicunt: Ecce quales sunt, qui Christum colunt: Falsum plane est illud, quod ajunt, se bona discere: falsum, quod jactant, se sanctæ legis præcepta retinere. Si enim bona discerent, boni essent: Talis profecto Secta, quales sectatores . . . Apparet itaque & Prophetas, quos habent, impuritatem docere: Apostolos, quos legunt, nefaria sensisse: & Evangelia, quibus imbuuntur, hæc, quæ ipsi faciunt, prædicare: Postremo a Christianis sancta fierent, si Christus sancta docuisset*; nam quomodo bonus esse potuit magister, cuius discipulos tam dissolutos esse videmus: *Ex ipso Christiani sunt; ipsum audiunt; ipsum legunt; promptum est omnibus, Christi intelligere doctrinam. Vide, quid Christiani agant, & evidenter de ipso Christo sciri potest, quid doceat.*

Ecce, O mei! qualem scilicet honorem Christo, Ecclesiæ & sanctis eorum legibus apud illos, qui extra Ecclesiam sunt, afferant Christiani & Catholici vitam dissolutam ac profligatam publice agentes: Infamant Christum, Ecclesiam, legem sacrosanctam seeorumque fidem atque auctoritatem convellunt; qua re, heu! quantam in oculis Dei contrahunt culpam: culpam, quæ longe difficillime remittetur: *Ex quo intelligi potest, quod nullum penitus majoris piaculi crimen est, quam blasphemandi caussam gentibus dare.* Ita concludit Salvianus dictaque sequentibus confirmat: Videte Davidem adulterii, quod hostibus Religionis suæ etiam per spurium, quem susceperat, filium innotuit, labe inquinatum; qui, cum de tanto scelere a Nathano redargueretur, toto corde pœnitens flagitii quidem sui veniam accepit, sed quod hostibus Religionis suæ blasphemandi occasionem præbuisset, audire debuit: filiolum sibi natum citra ullam veniæ spem morte rapiendum fore: *Dominus quoque transtulit peccatum* (k) *tuum: Non morieris. Veruntamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Hoc vaticinio audito Rex David in suum se cubile recipiens, purpura & diademate depositis, sacco squalido indutus vitam parvuli multis lacrymis jejuniisque petebat: at frustra, Deo ut parvulus moreretur, omnino volente: *Quia blasphemare fecerat inimicos Domini, sic rogans & obsecrans obtinere non potuit*, ait Salvianus. Ah! quantæ calamitates Catholicos hujus ejusdem farinæ manent! . . . Dicet aliquis: Ergone nullum illis remedium superat? Superat utique, nimirum ut toto corde pœniteant vitæque suæ rationem publice immutent, ut sit, unde ob mores eorum probos bonumque exemplum spirantes Christus, Ecclesia & Religio catholica collaudetur. Secus si fecerint, paveant atque contremiscant.



(k) 2. *Reg.* 12.

SER-

SERMO XXIII.

In verba Symboli: SANCTORUM COMMUNIONEM.

MUlta cum ratione articulo de Ecclesia sancta catholica Symbolum articulum de Sanctorum communione subjungit: *Sanctorum communionem.* Nam hic articulus (uti erudite Catechismus Tridentini Concilii observat) præcedentis quoddam quasi complementum est eumque clarius explicat; quandoquidem Ecclesia, quæ ab uno solo spiritu regitur, & in Fidei unitate mutuaque membrorum charitate consistit, omnibus illis, quos corpore suo (scilicet congregatione sua) complectitur, optat desideratque, ut bona sua eisdem, quantum ad id capaces sunt, communia sint.

Itaque per Sanctorum communionem credimus, bona Ecclesiæ omnibus in Ecclesia aggregatis communia esse, scilicet quod ea omnes pro sua capacitate participent. Hinc omnium Sacramentorum, quæ unionis hujus præcipua quasi vincula sunt: omnium meritorum: omnium orationum & piarum actionum, quæ in Ecclesia fiunt: & maxime omnium sacrificiorum, quæ in singulos dies ingenti numero celebrantur, quivis Catholicorum (pro eo ut capax est) particeps fit.

Declarat hoc apertissima comparatione in variis suarum epistolarum locis Paulus Apostolus, uti in *Epistola ad Romanos, cap. 12.* iterum *ad Ephesios, cap. 4.* præcipue autem in *prima ad Corinthios, cap. 12.* in qua ait: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi; & omnes in uno spiritu potati sumus; nam & corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore; num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore; num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit: Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii. Sed multo magis, quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt: & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra nullius egent; sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi* (scilicet Ecclesia) *& membra de membro* (scilicet Capite) *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes habent gratiam curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur? Æmulamini autem charismata meliora.* Hucusque verba Apostoli.

Præstantissima hac similitudine a Spiritu sancto, qui calamum Apostoli rexit, vobi proposita videtis (puto) articulum de Sanctorum communione per membrorum in eodem

dem corpore communionem explicatum. In corpore membra omnia de eodem spiritu vivunt: omnia tum sibi tum reliquis membris serviunt: omnia mutuo sibi succurrunt: omnia se mutuo adjuvant: uno gaudente omnia gaudent: uno patiente omnia una patiuntur, adeo ut & illis per gaudium omne bonum, per commiserationem malum omne commune reddatur. Ita quoque in mystico corpore Ecclesiæ fit: Omnes de uno spiritu, per baptisma perque cetera Sacramenta, maxime per Eucharistiam (quæ unionis & conjunctionis Fidelium signum apertissimum est) accepto, vivimus: omnes sanctorum Sacramentorum fructus, communes orationes & merita privati cujusque participamus: omnes pro nobis invicem exoramus: omnes per misericordiæ tum corporalis tum spiritalis opera mutuo nos juvamus. Neque unitati huic atque membrorum consociationi vel varietas vel inæqualitas officit; quoniam Caput & membra Capitis (Aures, Oculi, Lingua, Odoratus) scilicet Pontifices, Prælati, Pastores, omnis denique hierarchia ecclesiastica ad minorum membrorum illustrationem, institutionem atque custodiam attendunt: minora dein membra ad majorum defensionem, conservationem ac firmationem obedientia, subjectione & precibus suis conferunt; quoniam superiora membra inferiorum emendationi prospiciunt: inferiora superioribus inserviendo laborant: omnia autem (ut paucis dicam) fidem, spem, charitatem, religionem, Dei gratiam toti servare corpori quasi ex conspirato nituntur. Et quamvis in hoc ipso variis modis elaborent, omnia tamen eundem scopum sibi propositum habent, scilicet ut Ecclesia vitam gratiæ vivat, quo postea ad vitam gloriæ sempiternæ vivendam & de statu militantis ad statum triumphantis in æternum transire possit; uti Paulus concludit, Ephesiis scribens: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ecce, O mei! ex sensu omnium SS Patrum explanatum articulum de Sanctorum communione.

Non est dubium, quin hactenus a me dicta iis, qui se singulari Dei beneficio summoque suo emolumento in gremio catholicæ Romanæ Ecclesiæ positos vident, ingentem lætitiam allatura sint; verum aliam quoque veritatem proponere vobis cogor, quam si perceperitis, metu ac pavore animos vestros afficiendos esse existimo. Quænam membra, O mei! in partem memoratorum bonorum & thesaurorum spiritualium Ecclesiæ communium venire putatis? Anne promiscue omnia: Ah nequaquam! Horum bonorum & meritorum omnium partem viva solum (hoc est: gratia Dei fruentia) membra accipient: Mortua vero (hoc est: culpæ mortalis rea & gratiæ divinæ exsortia) membra memoratis meritis, quamdiu in eo statu permanent, privantur (Dixi, attendite! *Meritis*) idque eo fere modo (ut similitudine S. Pauli utar) quo manus malo apopletico tentata nec sanata corpori adhæret quidem; at nullum vitalem influxum recipit & sensus & motus & omnis alterius boni, quod membra viventia recipiunt, expers. Ita secundum Scripturas sacras & omnium sanctorum Patrum doctrinam Catechismus Concilii Tridentini (a) dogmatice monet: *At vero tot tantisque muneribus & bonis divinitus collatis illi fruuntur, qui in charitate vitam christianam degunt, justique & chari Deo sunt. Membra vero mortua, nimirum homines sceleribus obstricti & a Dei gratia alienati, hoc quidem bono non privantur, ut hujus corporis membra esse desinant; sed cum sint mortua, fructum spiritualem, qui ad justos & pios homines pervenit, non percipiunt.* At hæc ipsa consideratio nonne, O mei! conferre plurimum debet, ut peccator redire ad statum gratiæ quamprimum cogitet; si scilicet sibi cum animo suo dicat: Non sum particeps alicujus meriti Ecclesiæ catholicæ! ad me non pervenit ex tot meritorum, quæ in Ecclesia quotidie effunduntur, thesauris lucrum spiritale ullum! . . Et quare istud? Quia conscientiam a peccati mortalis labe non purgo: Et cum ceteri a Deo uti filii habeantur, ego pro capitali

(a) *Part. 1. c. 10. n. 26.*

tali hoste reputor! Hæc (inquam) consideratio nonne stimulare quam vehementissime omnes debet, ut per bonam Confessionem sese a peccatis mortalibus quamprimum liberent.

Dixi: peccatores meritorum & communium, quæ in Ecclesia a justis comparantur, lucrorum participes haud fieri: qua tamen assertione nequaquam volo, eos nullum inde emolumentum accipere posse; immo aliquem inde fructum ad peccatores *per modum impetrationis* (cujus vim tum justorum tum ipsorum peccatorum orationes ad obtinenda conversionis adjumenta habere queunt) redire posse statuo; quod ut ne ambigue sed clare intelligatis, quam maxime attentas aures mihi præbeatis rogo. Est de Fide, personarum justarum opera bona atque orationes in Dei conspectu meriti rationem habere sive meritorias esse; quia ab animabus fiunt, quæ Deo charæ sunt & gratiam sanctificantem, omnis meriti coram Deo fontem atque principium, habent: Est itidem de Fide, personarum non-justarum actiones bonas atque orationes nullam meriti rationem in Dei conspectu habere, quippe quæ gratia sanctificante, omnis (quod dixi) meriti principio ac radice, carent. Ex his concludet aliquis: Ergo peccatorem æque juverit nihil boni facere nihilque orare, quam orare bonumque facere, si faciendo nihil promeretur. Huic ex doctrina Theologorum omnium cum S. Thoma (Attendite denuo, obsecro!) respondeo: Aliud est asserere, peccatorem promereri non posse; iterum aliud est asserere, peccatorem impetrare non posse; Mereri apud Deum peccatorem non posse, de Fide est, quippe cum exosus Deo sit; id quod mille locis S. Scripturæ firmat: Impetrare vero apud Deum peccatorem non posse, blasphemum est; cum ille per bona opera & preces suas impetrare omnino possit. Duplicis hujus rei ratio, a S. Thoma allegata, hæc est: Mereri nititur justitia; hinc qui apud aliquem meretur, habet jus obtinendi præmium commeritum: Ob eam rem S. Paulus ajebat: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus* (b) *in illa die justus Judex.* Impetrare vero nullo operantis aut precantis jure, sed sola concedentis aut donantis misericordia nititur, adeo, ut quamvis ille nihil concedere velit, tamen jus nullum lædat; dum contra qui merenti concedere detrectat, jus merentis lædit: Atque ob hanc rationem preces & actiones bonæ peccatoris, quamvis meritoriæ non sint, tamen esse impetratoriæ possunt; quia meritum (uti dixi) justitia: impetratio vero sola Dei misericordia nititur; unde si peccatorem Deus quasi ex merito supplicantis non exaudit, potest tamen eum ob suam infinitam misericordiam exaudire. Atque ob eam rem bonum ac consultum est, ut etiam peccatores orent & ad bona incumbant opera, quo sibi divinæ gratiæ auxilia parent: *Quamvis oratio peccatoris non sit meritoria*, ait S. Thomas (c) *potest tamen esse impetrativa; quia meritum innititur justitiæ, sed impetratio gratiæ & misericordiæ.* Idipsum O mei! servata proportione de communibus Ecclesiæ orationibus & operibus bonis respectu peccatorum intelligatis velim, qui (quippe Dei gratia privati) quamvis merita participare nequeant, tamen & impetrare & ob aliorum orationes bona per has impetrata participare possunt: Apposite in hanc rem S. Augustinus (d) pronunciavit: *Cum merita nostra nos gravant, ne diligamur a Deo, relevari nos apud eum illorum meritis possumus, quos diligit.* Et loco citato Catechismus Concilii Tridentini: *Tametsi, cum & peccatores in Ecclesia sint, ad amissam gratiam vitamque recuperandam ab illis adjuvantur, qui spiritu vivunt*, qui ipsi conversionis gratiam illis impetrare possunt.

Hucusque de communione, quæ in Ecclesia militante ac viatrice nos Fideles inter intercedit, dixi; restat, ut de communione, quam cum Ecclesia beata ac triumphante habemus, differam. Nostis (Neque enim ignorare potestis, quippe sermone præterito a me moniti) non esse duas distinctas Ecclesias sed enim Ecclesiam unam in duos divisam status; quoniam & Sancti in cælis & nos,

(b) 2. *Thimoth.* 4. (c) 22. *Quæst.* 83. *art.* 16. (d) *Quæst.* 149. *in Exod.*

nos, in terris peregrinantes, unum idemque Caput, scilicet Christum, habemus cujus Vicarius (quod ad nos spectat) summus Pontifex est; cum Sancti in cœlis nullo vicario Christi indigeant, utpote Christo Deo-homine personaliter fruentes. Atque hoc in loco, O suavissimi! quam ampla solatii materia animis sese objicit nostris; cum sciamus, nos etiam cum Sanctis Ecclesiæ triumphantis (quæ Paradisus est) communionem habere: cum sciamus, hos merita sua nobiscum communicare, quippe quæ Deo in nostrum auxilium offerunt: cum sciamus, hos intercessionem atque advocationem suam ob zelum, quo salutem nostram cupiunt, longe benevolentissimum nobis præbere: cum sciamus, ad hos nostris in necessitatibus atque angustiis perfugere nos absque ullo repulsæ ferendæ metu posse; dummodo ejusmodi res ab eis petamus, quæ saluti nostræ non adversantur. Nam quis dubium habeat, ait S. Thomas, quin petere alteri bona actus sit charitatis erga Proximum: Et quis ambigat, quin Sanctorum, quam in terris habuerunt, charitas, postquam in cœlum intrarunt, perfectior effecta sit? Hinc non superest dubitandi locus, quin Sancti, cum in terris ad ferendum nobis auxilium quam promtissimi fuerint, ad juvandos nos, si quidem in cœlis a nobis invocantur, quam paratissimi sint: ac memorata eos inter & nos intercedens communio firmo pede stet; in nobis versus eos quidem communio obsequiorum, fiduciæ, orationum: in illis versus nos vero communio applicationis meritorum suorum & suarum apud Deum supplicationum: *Cum oratio* (e) *pro aliis facta ex charitate proveniat; quanto Sancti, qui sunt in patria, sunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari possunt.* His addere libet, quæ Hieronymus pronunciavit (f) *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, quando pro se adhuc debent esse solliciti, pro aliis orant; quanto magis post coronas, victorias & triumphos?*

Immo persæpe Sancti, ne quidem invocati a nobis, nostram apud Deum caussam agunt; cujus rei argumentum ex Fide certum *Liber II. Machabæorum* nobis subministrat: in hoc legimus, Judam Macchabæum II. cum in eo esset, ut copias suas adversus formidabilem Nicanoris exercitum duceret, quo majores animos suis adderet, habitam a se visionem narrasse: *Erat autem visus hujusmodi: Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus & eloquio decorum, & qui a puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem orare pro omni populo Judæorum: Post hoc apparuisse & alium virum ætate & gloria mirabilem & magni decoris habitudine circa illum; respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo & universa sancta civitate Jeremias propheta Dei: extendisse autem Jeremiam dexteram & dedisse* (sibi) *Judæ gladium aureum dicentem: Accipe sanctum gladium, munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel* (g). Hac Judæ narratione magnopere animati & horum amborum Sanctorum intercessione sublevati milites hostes internecione ceciderunt.

Non est dubium, O mei! neque Oniam (quantum ex verbis sacris colligere licet) neque Jeremiam a Juda Macchabæo in auxilium vocatos fuisse; & tamen Sancti isti huic Duci rebusque ejus bellicis tantopere studuerunt. Non est dubium, duas illas beatas animas tum temporis nondum in cœlis sed in limbo Patrum (uti sermone XVI. exposui) substitisse; & tamen intercessio eorum tam utilis ac fructuosa populo Israelitico fuit, ut illam præclarissimam victoriam reportarit. Itaque videte communionem, quam Sancti nobiscum in hoc exilio positis habent: Exorant communem Deum nostrum pro nobis etiamsi a nobis non invocentur. Jam cogitate, quid postquam cœlum ingressi & a nobis humiliter constanterque invocati fuerint, pro perfecta, quam illi in Proximum habent, charitate & pro communione, quam nos cum illis habemus, facturi sint?

Et si Sancti tanto studio curant, ut beneficia non immediate spiritualia (quale, a me memora-

(e) 2. 2. *Quæst.* 83. *art.* 10. (f) *Libr. contr. Vigilant.* (g) 2. *Macch.* 15.

memoratum, eſt) nobis impetrent; cogitate, quanto majori cum diligentia illi nobis de beneficiis ad animam & cultum Dei proxime ſpectantibus proſpecturi ſint? Beneficia temporalia perſæpe ſaluti noſtræ officiunt, atque ob id Sancti illa pro nobis non petunt; aſt Dei gratiam & ejusdem ad reſipiſcendum, ad ſuperandas tentationes, ad deſerendum peccatum aliaque ſpiritualia negotia opem (quoniam hæc omnia Dei & animarum noſtrarum emolumentum proxime ſpectant) impetrare nobis ſumma cum voluptate ſtudent: præcipue ſi a nobis invocati atque exorati fuerint. Et tamen tot Fideles inter (qui ad Sanctos confugiunt, ut illi partes eorum apud Deum ſuſcipiant) quot ſunt, O mei! qui beneficia ſpiritualia ſibi optant? Pauciſſimi profecto, quandoque ne unus quidem. Hic cauſſæ ſuæ judiciariæ victoriam, ille ſobolem: hic felicem negotii exitum, ille mali ſui curationem: hic dignitatem, ille opimam meſſem aut lautam vindemiam: hic ſalvum navis adventum, ille has nuptias: iſte amiſſæ ſanitatis recuperationem (paucis) unus hoc, alter aliud, omnes beneficia temporalia depoſcunt. Sunt hæc ejus generis beneficia, pro quibus obtinendis ad Sanctos confugere laudabile quidem eſt, ſed quæ Sancti a Deo quandoque aut omnino non petunt nobis, quia ea petentium ſaluti nocitura fore in Eſſentia divina prævident: aut, ſi etiam petunt, non tam lubenter petunt, quantum beneficia alterius generis peterent. Quam pauci ſunt in vulgo Catholicorum, qui ſanctos Protectores ſuos de bonis gratiæ magna contentione orant? Quam pauci ardenter petunt, ut obtineant gratiam amicitias illas & perſonarum alterius ſexus ſervitutem quibus in mille peccata trahuntur, abrumpendi: gratiam a peccato illo, in quod tam ſæpe labuntur, ſe liberandi: gratiam negotiationi illi, in qua mille injuſtitias committunt, ſe ſubducendi: gratiam averſum, quem erga Proximum tanto temporis ſpatio gerunt, animum exuendi: gratiam ab illis laſciviis, ob quas ſe ſacrilegiis innumeris obſtringunt, conſcientiam purgandi: gratiam denique illas ſcelerum, quibus in ſtatu inimicorum Numinis retinentur, maculas detergendi? De his rebus quam pauci preces fundunt, de quibus tamen ah! quanta cum voluptate Sancti Deum pro nobis ſollicitarent? Quotusquisque, O mei! Sanctos precatur, ut ſibi gratiam obtineant comprimendi affectionem illam inordinatam, reſiſtendi illi inſolenti tentationi, acquirendi virtutem illam, vivendi animo ab hujus fallaciſſimi mundi rebus alienato, implendi officia ſtatus ſui, vivendi (Paucis dicam) ut Catholicum decet? Equidem Juſti hæc orant; aſt peccatores, niſi ſumma ad id neceſſitate adigantur, quam pauci heu! quam pauci iſta petunt. Et tamen hæc ſunt, quæ Sancti nobis optant, quæ ſumma cum voluptate nobis parant: præprimis ſi eum in finem a nobis ſincere invocentur. Utamur itaque, O mei! utamur hac ſancta communione, quam jam nunc cum Beatis, in cælo poſitis, habemus: & eorum nobis opem cum fiducia in omni quidem neceſſitate ſed maxime in ſpiritualibus neceſſitatibus imploremus, ne unquam Dei gratiam amittamus aut miſere perditam ſtatim nulla interpoſita mora denuo recuperemus.

Quod ſi tanta nos lætitia cumulare debet, quod etiam cum Civibus cæleſtibus communionem habeamus; quanto magis exhilarare nos debet, quod cum ipſa Sanctorum Regina communicemus, cum Maria omnium longe ſanctiſſima, benigniſſima, miſericordiſſima, benevolentiſſima, amantiſſima, potentiſſima? Ita eſt, O mei! per communionem Sanctorum etiam cum Maria communicamus, idque ſine ullo dubio; cum ipſa ſit membrum Eccleſiæ triumphantis principale ſub ſummo Capite Chriſto Filio ejus. Hæc communio continuis ſeſe factis prodit; ex parte Mariæ quidem per cujusvis generis beneficia, quæ a Filio tanquam Mater nobis impetrat: ex parte noſtra vero per cultum, quem Mariæ omnis Catholicus defert, adeo ut vix ullus filiorum Eccleſiæ catholicæ reperiatur, qui ſe Mariæ devotum non profiteatur ſuamque in eam reverentiam quotidia-

tidiano testimonio non confirmet: Essetque signum oppido sinistrum, si quis Mariam aut nunquam cogitaret aut raro ejusdem patrocinium imploraret. Sed quoniam Auditores meos inter quenquam, tam a recto tramite aversum, esse haud crediderim; immo potius vos magnæ huic misericordiæ Reginæ veræque Judicis vestri æterni Genitrici addictos esse existimo; hinc ad vos animandos aggredi juvat, ut Mariam indies magis ac magis complectamini, colatis, ametis eamque cordibus vestris impressam penitus atque insculptam servetis; Unde ad eam tanquam Matrem misericordissimam in omnibus omnino, maxime in spiritualibus & ad animæ salutem spectantibus, necessitatibus vestris confugiatis, certum habentes, vos faciliorem, amantiorem, efficaciorem apud Deum intercessionem nullam habere posse. In hunc finem S. Anselmi celeberrimi Cantuariensis Episcopi orationem unam, ex multis longe pulcherrimis, quas Vir hic sanctus ad Reginam omnium Sanctorum direxit, hoc loco prolixe ponere decrevi; Est autem hæc: *O beatissima & sanctissima semper Virgo Maria! ecce, adsto mærens ante faciem pietatis tuæ & confundor nimis pro abominationibus peccatorum meorum. Ne a me quatriduano mortuo, intolerabili fætore jam pleno, faciem tuam avertas! Tu nosti, misericordissima Regina! quod ad hoc nata es, ut per te nasceretur Jesus verus Deus & homo, de cujus pietate non despero, teque talem haberet Matrem, quæ pro peccatoribus interveniens perfectam obtineres eis salutem. Propterea, clementissima Regina & Domina! ne contemnas me, sed memor fragilitatis humanæ annue, ne desperans fugiam sed exspectem consolationem tuam, quam tunc evenire probabo, si ea, quæ sunt in me, incendia criminum & iniquitatum paulatim in me deficere tua virtute atque imbre intercessionum tuarum extingui in corde meo ac corpore persensero. Habet orbis Apostolos, Patriarchas, Prophetas, Martyres, Confessores, Virgines bonos & optimos Adjutores, quos ego supplex orare concupisco; Tu vero, Domina! omnibus iis adjutoribus melior & excelsior es, quia istis omnibus Domina es; & quod possunt omnes isti tecum, tu sola potes sine illis omnibus. Quare hoc potes? Quia Mater es Salvatoris nostri, Sponsa Dei, Regina cæli & terræ. Te ergo requiro, ad te confugio, &, ut me per omnia adjuves, suppliciter peto: Te tacente nullus orabit, nullus juvabit: Te orante omnes orabunt, omnes juvabunt. Millies centena hominum millia, Regina piissima! ad te clamant, & omnes salvantur: Et ego clamabo ad te & non auxiliabor? Forsitan non; quia illis omnibus sum pejor & pessimus. Quid inde? Propterea non tacebo. Clamans igitur vociferor ad te: Egregia Virgo & piissima Domina! parce mihi & exaudi me: Exaudi miserum & solare mærentem, recollige errantem, refove desperantem: Sana in me, quæ conspicis, vulnera per tua sancta medicamina, tollensque a me sordida indumenta viridia & splendida porrige vestimenta, quibus me renovatum repræsentes filio tuo Domino nostro Jesu Christo: Esto mihi contra diabolum turris fortitudinis, murus inexpugnabilis, brachium defensionis; illum contra me sævientem suscipe; &, ne me viribus imbecillem sua astutia confodiat, tu invincibiliter repugna: Ille callidus est & fraudulentus, & non metuit pugnare contra fortes, sed majores vires infert tentationis contra validos quam contra infirmos. Tu tamen, cælestis auxiliatrix! quæ nosti dolositates ejus; sic comminue robur ejus, ut me nulla ipsius callida suggestio decipiat tentando, sed cum nititur decipere, ipse confusus ex tua virtute superatus discedat, & ego misellus tua defensione protectus a tua Filiique tui laude nunquam quiescam. Fac, o felix Domina & omni laude dignissima! ut ego famulus tuus, qui in tota longævitate dierum meorum miserabiliter per abrupta peccatorum corrui, nunc in extremis positus diebus agam pœnitentiam pro peccatis meis: Obtine apud clementissimum Filium tuum, ut ultra non regnet iniquitas in me sed virtus Divinitatis. Virtutum & orationum copia me justificet, mundet & muniat, & per semitas justitiæ deducendo ad bonum perseverantiæ perducat & provehat. In extremis quoque vitæ positum nulla me hebetet oblivio, linguæ officium nullius passionis vitium impe-*

impediat, expletoque dierum meorum numero atque perfecto in me Ecclesiæ sancto ministerio merear suscipi ab angelo lucis & liberari ab angelo mortis, ac perferri ante tribunal piissimi Judicis, ubi per te, Domina! percipiam quietem pacis vitæ æternæ, Amen.

SERMO XXIV.

De Communione Sanctorum Purgatorii.

Cogitabitis forsitan, O mei! Sanctorum communionem solum ad Ecclesiam militantem ac triumphantem pertinere; at perperam id cogitatis, si aliam militantem Ecclesiam, præterquam eam, quæ in hac vita est, nullam esse putatis. Igitur cum alia insuper Ecclesia sit, quæ quamvis absque salutis perdendæ periculo atque ab interitu secura militet; tamen inter atrocissimos cruciatus militat: (Monitos vos velim quoniam vereor, ne cogitationibus vestris erretis) quod in altero seculo præter triumphantem Ecclesiam alia sit Ecclesia purgans: nimirum Purgatorium, in quo animæ justæ hac vita, quin pro admissis (utut quoad culpam remissis) aut etiam venialibus nondum remissis peccatis satisfecerint, defunctæ detinentur, jam nunc, ut suo tempore Ecclesiæ triumphanti jungantur, destinatæ. Ex quibus sequitur, eas adhuc ad Ecclesiam militantem aliquo modo pertinere; ob id S. Thomas (a) ait: *Quantum ad aliquid sunt in statu viæ.* Dixi: *Aliquo modo*; nam si ad Ecclesiam militantem *absolute* attinerent, ecclesiasticæ ac pontificiæ jurisdictioni subjacerent; id quod a vero abhorret; nam quanquam Pontifices concedant Indulgentias, quibus juvari illæ & minui earum pœnæ possunt, tamen hoc non per modum absolutionis jurisdictionalis sed per modum suffragii seu oblationis divinæ justitiæ oblatæ fit: cui justitiæ liberum est hanc oblationem vel admittere vel rejicere. Dixi itaque, animas purgantes aliquo modo ad Ecclesiam militantem pertinere, quatenus bona nostra mutuo inter nos communicamus, illæ quidem orationibus suis, sin minus aliter per interventum Angelorum suorum tutelarium, dona a Deo nobis impetrando: nos vero offerendo pro illis sacrificia, orationes & eleemosynas, ut a pœnis suis leventur aut liberentur. Itaque hodierno sermone de communione, quam cum hac purgante Ecclesia habemus, agere statuo.

Et quoniam animos vestros quam vehementissime commovere desidero, ut cum benedictis & patientibus animabus illis suffragiis vestris communicetis, liceat mihi; O charissimi! vobis, quales sint Purgatorii pœnæ, modo (quo fieri a me potest) optimo ostendere. Est Purgatorium, uti Patres & Ecclesia nixa verbis S. Pauli (qui de defunctis, justis quidem sed tamen debitis, divinæ justitiæ persolvendis adhucdum gravatis, loquens eos salvandos, sed per ignem, affirmat: *Ipse autem salvus erit* (b) *sic tamen quasi per ignem*) docent, est, inquam, Purgatorium tormentum ignis: Ita Origenes (c) vetustus & in iis, quæ bene scripsit, maximæ auctoritatis Scriptor, S. Cyprianus (d) Lactantius Firmianus (e) S. Gregorius Nyssenus (f) Aurelius Prudentius (g) multique alii clarissime affirmant. Instar omnium Augustinus sit, aiens (h) *Si quis forte agrum animæ suæ non excoluerit . . . post hanc vitam habebit vel ignem purgationis vel pœnam æternam.* Sufficiat igitur dixisse: Purgatorium esse tormentum ignis, at ignis a divina justitia accensi, qui ignem nostrum elementarem vi sua multum antecellit; ob eam rem idem S. Augustinus affirmat: Ignem hunc anima-

(a) *Suppl. q. 71. art. 2. ad 3.* (b) *1. Corinth. 3.* (c) *Homil. 12. in Jerem.* (d) *Epist. 52. ad Antonian.* (e) *Lib. 7. Institut.* (f) *De Resurrect.* (g) *In Hamartigenia.* (h) *Lib. 2. in Gen. si contra Manich. c. 20. In Psalm. 37.*

bus purgantibus graviorem accidere cunctis hujus vitae cruciatibus: *Et quia dicitur* a S. Paulo *salvus erit, contemnitur ille ignis. Ita plane: Quamvis salvi per ignem; gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita.* Subditque: *Nostis, quanta hic passi sunt mali, & pati possunt; tamen tanta potuerunt pati & boni. Quid enim quisque maleficus, latro, adulter, sceleratus pertulit legibus, quod non pertulit Martyr in confessione Christi? Ita ergo, quæ hic sunt mala, multo faciliora sunt. Gravior est ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita.*

Itaque cum animae purgantes adeo horribili igne quasi demersæ jaceant, cujus veram ideam mentibus nostris in hac vita positi concipere nequimus, nisi eum tormentis nostris conjunctim sumptis comparemus & nihilominus his cunctis atrociorem esse credamus: num conveniens esse putatis, cum eas suffragiis, orationibus, eleemosynis ac sacrificiis nostris adjuvare possimus, id a nobis intermitti?

Et tamen hæc pœna ignis, utut atrocissima, levis immo quam levissima est, si alii pœnæ componatur, quam misellæ illæ animæ sustinent. Quamnam hanc esse putatis? Est dilatio gloriæ, beatitudinis, visionis ac fruitionis divinæ, qua animæ purgantes multo vehementius quam igne uruntur. Ah charissimi! si neque ego neque alius quisquam memoratam pœnam ignis exponere vobis pro dignitate valemus; pariter certum habeatis velim, neque me neque alium quenquam mortalium dolorem illum atrocissimum, quem animabus hæc dilatio affert, ostendere vobis posse. Nunquid forsitan, O mei! ambitiosorum & gloriæ (cum Amano illo cuncta pro nihilo reputante, sin minus coli atque observari sese a Mardochæo videret) appetentium omnium angores: nunquid omnium (cum Amnone ob Thamaris amorem febri correpto) amantium curas universas cum animis vestris cogitabitis? At hæc omnia vapores e graveolenti palude rejecti & scintillæ amoris indigni, suæ utilitati servientis, detestabilis sunt. Nunquid Jacobi in expectanda Rachele sollicitudines: nunquid Josephi anxia Benjaminum & charum genitorem amplectendi studia: nunquid Annæ de filio suo Tobia denuo videndo curas (Quæ omnia verbis significantissimis in sacro Codice exprimuntur) vobiscum computabitis? At hæc omnia dignam doloris ideam dare vobis haud poteruut, quem miseræ illæ animæ ex desiderio se cum Deo uniendi & dura illius æternum complectendi exspectatione percipiunt. Dolor ex privatione boni alicujus, in hac terra votis ardentibus expetiti, oriri solitus ab amore gignitur, quo in illud bonum ferimur: bonum utplurimum nobis perniciosum, certe caducum, finitum, fluxum, quod post sui consecutionem & aliquantilli temporis fruitionem utplurimum sui fastidia creat ac nauseam movet; At dolor, quem ex privatione Dei sanctæ illæ animæ sentiunt, provenit a vera, sincera & altissima charitate, quæ sola est vera amicitia supernaturalis: provenit ex mora consequendi bonum infinitum, quale Deus est, qui semel possessus indies magis ac magis placet atque delectat, & tota æternitate possidentem se beatificare non cessat. Hinc dicendum omnino: hanc privationem tanto vehementius torquere animas, quanto charitas terreno amore omni major est, quantumque Dei consecutio terrenis bonis omnibus præstat. Jam cum inter duos hos amores, inter duas has privationes, inter duo hæc bona discrimen ingens atque infinitum intersit; computet, qui potest: comprehendat, qui potest: exponat qui potest vim doloris, quem ex hoc capite miseræ illæ animæ patiuntur.

Et quanquam hæc omnia ex Fide certo sciamus: quot nihilominus Christianos inter existunt, qui dies, menses, annos sic fluere sinunt, ut hisce animabus subvenire modis quibus possent, nihil plane curent; nam quis est, qui, si nulla alia re, saltem orationibus Deo oblatis adjuvare eas non possit? Sed plura etiam dicam: Quot sunt, qui inter mille oblectationes, ludos, delectamenta persæpe peccaminosa vivunt, in emendis omnis generis volu-

voluptatibus nulli sumptui parcentes & nescio qua immani cum duritia atque inhumanitate, intereadum animæ propinquorum pœnis memoratis conflictantur, eam pecuniam prodigentes, quæ modice sive in eleemosynas sive in Missarum stipendia erogata pœnas eorum aut levare aut tollere omnino posset.

Inhumanitas ista ad promociam populorum Chanaan accedit. Adorabant hi inter alia idola simulacrum Melchon, cui teneros filios suos immolare consueverant; quod etiam Israelitas apostatas, dum in terra Chanaan fuerunt, fecisse David Rex conqueritur: *Immolaverunt filios & filias suas dæmoniis . . . quos sacrificaverunt* (i) *sculptilibus Chanaan.* Jam modum percipite, quo scelesti Chananæi in horrendo hoc sacrificio usi sunt: Erat idolum conflatum ex ære, intus concavum, ita compactum, ut armarii instar & aperiri & claudi potuerit: Instante sacrificii hora circa simulacrum ignis permagnus accendebatur, donec illud totum candefiebat: Posthæc aperto retrorsum simulacri dorso natos vorax alvus excipiebat, quos prius redactos in cinerem quam mortuos dixeritis. Sed ut ne parentes miserorum clamoribus, quos apertum idoli os emittere potuisset, commoverentur, inhumani sacrificuli stratagema quoddam excogitarunt & eodem, quo misellæ victimæ idoli alvo includebantur, puncto signum dari canentium multitudini curaverunt, ut instrumentis musicis suavem juxta ac strepentem harmoniam, quæ stridorem miserorum excederet, cierent; atque hac ratione & parentibus ejulatus natorum audiendi facultatem & natis omnem auxilii rationem sustulerunt. Ita doctissimus Tostatus (k) Abulensis Episcopus: *Ut voces puerorum morientium non audirentur, in tympanis & aliis musicis instrumentis magnas voces reddebant.* Hoc exemplo ad vivum expressa eorum, quos paulo ante objurgavi, Fidelium inhumanitas mihi esse videtur: Relinquunt illi inclusas Purgatorio parentum, fratrum, propinquorum, amicorum suorum animas &, ac si memoriam eorum delere e cordibus suis satagerent, inter oblectationes, lusus, convivia, in theatris, in odeis interque cantica (atque utinam non inter mille peccata) vitam trahunt; intereadum amici, dum propinqui anima vociferari non cessat: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei* (l) *quia manus Domini tetigit me.* Ast illi aures suas ad horum clamorem obturantes, multoque magis ad conscientiæ commonentis, ut obligationes & legata charitati suæ concredita præstent, latratum obsurdescentes in omissionibus suis, inque voluptatibus vitæ dies ducunt. Unde de tali misera anima confirmatur id, quod de civitate Hierusalem Jeremias (m) pronunciavit: *Plorans ploravit in nocte & lacryma ejus in maxillis ejus: Non est, qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.*

Hucusque eorum, qui animabus purgantibus subvenire negligunt, inhumanitatem vobis ostendi; jam id restat, ut eorundem tum ingratitudinem portentosam tum atrocem injustitiam exponam. Ingratitudinem eorum; nunquid enim bona, quæ variis modis dilapidant, a propinguis suis acceperunt, ab his mille curis & laboribus & omnifaria diligentia eum in finem corrasa, ut hæredes pro ratione status sui haberent, unde viverent: filiæ autem, unde congruas nuptias nanciscerentur (paucis) unde posteri absque multis angustiis vitam aut ex sufficienti aut etiam ex honesto agere possent securi periculorum, quæ paupertas post se trahere solet. Et ingrati isti, cum aliquam facultatum sibi relictarum partem in benefactorum suorum sublevationem impendere deberent, easdem mille inter oblectationes atque inter mille peccata universas prodigunt atque effundunt, immemores eorum, a quibus tantis laboribus partas opes acceperunt. Profecto portentosam ingratitudinem!

Attendite, quæ dicturus sum: Et subin argumentabimur. Cum Alexander mortem instare sibi cerneret, testante *Libro I. Macchabæorum* regna a se acquisita nobilibus amicis suis atque sociis divisit: *Decidit in lectum &*

(i) *Psalm.* 105. (k) *In Levit. c.* 18. *quæst.* 8. (l) *Job. c.* 19. (m) *Thren. c.* 1.

& cognovit (n) *quia moreretur, & vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a juventute, & divisit illis regnum suum . . . & mortuus est.* Cogitabitis, O mei! & merito, hos tanto beneficio generose adeo affectos primum quidem id curavisse, ut insigni exequiarum pompa cadaver defuncti tumulo conderetur: deinde certatim sat egisse, ut tanti viri memoriam varia mausolæa servarent victorias illius longe præstantissimas insculptas habentia, quo hac ratione, dum mundus staret, omnes cognoscerent, Alexandrum intra breve duodecim annorum quibus regnavit, spatium fuisse populorum debellatorem, domitorem regnorum, terrorem exercituum. Nunquid hæc cogitatis? At percipite rem insolitam, de qua historicus gravissimus (o) Aelianus testatur: Statim ut Alexander e vivis migravit, Nobiles illi de provinciis sibi ab Alexandro relictis contendere inter se cœperunt, tamque atrox inter eos controversia orta est, ut, dare humo cadaver Regis insignis benefactoris sui obliti, triginta dierum spatio illud inhumatum reliquerint; donec tandem illud Ptolomæus perquisivit & Alexandriam Ægypti civitatem deportari jussit: *Dumque illi, qui circa eum erant, de regno inter se contenderent, sepulturæ expers fuit; Verum ille triginta diebus inhumatus relictus est: donec tandem Ptolomæus, si credere par est, corpus requisivit & studiose in urbem Alexandri, quæ in Ægypto est, deportavit.* Quid vos ad ista, O mei! .... Quid vobis de tam portentosa ingratitudine videtur? Proh! tanti benefactoris usque adeo oblivisci, ut triginta dies corpus ejus inhumatum jaceat: id quod ne pauperrimis (ut idem Historicus addit) accidere solet, cum, natura ipsa instigante condere humo mortuum omnes curent: *Cujus* (sepulturæ) *etiam pauperrimi natura communi postulante, ut eum, qui non amplius vivit, abscondamus, compotes fiunt.* Et tamen id, quod ne egentissimis quidem negatur, hoc Regi benefactori summo a clientibus suis negatum fuit. Ad hanc tantam hæredum Regis Macedonis ingratitudinem stupere vos omnes mihi videmini; Verum an huic ingratitudini comparari ingratitudo hæredum defuncti alicujus Catholici poterit, eidem in Purgatorio succurrere omittentium? Aliud est cadaver alicujus personæ; iterum aliud anima ejusdem: Aliud est sinere abire in putredinem cadaver inhumatum; iterum aliud, animam in flammis purgantibus deserere. Quod si tantum vobis horrorem hæredum Alexandri ingratitudo incussit, quod cadaveri ejus honorem sepulturæ negarint; quanto magis commovere vos debet, si hæredes testatorum & benefactorum suorum animas adjuvare prætermittunt. Et si anterior illa ingratitudo portentosa haberi debet, hæc posterior certe execrabilis, & homine multoque magis Catholico indigna judicanda est.

Idque eo magis, quod ingratitudo hæc persæpe quoddam infamis furti & rapinæ tyrannicæ genus conjunctum habeat; nam quid est furtum (si S. Thomæ & Theologorum omnium definitionem sequimur) nisi *ablatio occulta* (p) *rei alienæ invito Domino.* Additur vox: *Occulta*, ut furtum a rapina distinguatur, quæ inspectante rei domino fit; unde S. Thomas subdit: *Rapina autem* (præter ablationem rei) *quandam violentiam & coactionem importat . . . & vergit in quandam personæ ignominiam seu injuriam.* Sciendum præterea, pro uno eodemque reputari, si quis furetur rem alienam, & si eam nolente Domino retineat, quando restituere illam potest: *Detinere*, ait loco citato S. Thomas, *id quod alteri debetur, eandem rationem habet ac acceptio injusta.* Jam si testator aliquis in mandatis relinquit, ut tot Missæ celebrentur: ut illæ pecuniæ in eleemosynam erogentur: ut illa vasa argentea Ecclesiæ, monasterio aut alii pio loco tradantur. (Et quæ sunt similia legata, merito *Pia* appellata) quid, quæso facit ille? Nonne sibi suæque animæ servat portionem ex bonis, quæ sua sunt & quæ in animæ suæ auxilium impendi vult. Quod si hæredes legata hæc non præstant: si imperatas Missas celebrari usque negligunt: si illas eleemosynas non dispensant (brevibus) si pia jussa non exequun-

(n) 1. *Macch.* 1. (o) *Lib.* 12. *Hist. c.* 64. (p) 2. 2. *Quæst.* 66. *a.* 3.

quuntur, cum exequi tamen illas possent, nisi tantam pecuniarum vim lusibus, oblectamentis & rebus haud necessariis prodigi consecrarent: quid amabo! faciunt? Quid? Ah! Retinent rem alienam contra justam domini voluntatem. Ergo furtum patrant & adversus eos patrant, a quibus residua hæreditate donati fuerunt: Furtum faciunt, at furtum a rapinæ crimine haud alienum; nam furantur scientibus, quod legata illa non præstentur: id quod idem est, ac si hæredes in oculis eorum furarentur. Et tali modo cum animabus illis agere, nonne infame latrocinium & rapina tyrannica sit? Ex his autem consequitur, quod miseræ illæ animæ, quæ per suorum legatorum executionem quam celerrime liberandæ essent, in illa atrocissima fornace remanere cogantur: Et quare istud? Quia sua, quia quæ sibi servarunt, obtinere non possunt; qua re fit, ut illæ suorum suffragiorum sibi servatorum effectibus carere debeant. Ita S. Thomas (q) *Quantum ad efficaciam suffragiorum, quæ ex opere operato vel ex opere operante exequentis, non consequitur fructum, antequam suffragia fiant.* Nonne posthæc, O suavissimi! animas illas sic defraudatas exclamare cum Jobo (r) posse, vobis videtur: *Quare persequimini me . . . & carnibus meis saturamini?* Quare, O ingrati, latrones, raptores! me persequimini & carnibus meis (hoc est: facultatibus meis, quas mihi servavi) saturamini? Nonne hoc ipsum, O mei! animabus illis singularis & sævissimi tormenti instar esse putatis?

Fingite, propinquorum aliquem bene instructo navigio versus Orientem tendenti se comittentem in piratas incidere, a quibus, navi post acrem pugnam capta, una cum reliquis itineris sociis Algerium in vincula ac servitutem trahatur: Cogitate eundem, cum & ipse amori suorum confidere, & suos solus tanti infortunii nuntius ad ejus redemptionem modis efficacissimis curandam commovere satis deberet; cogitate (inquam) eundem nihilominus, ut libertatem sibi certius pararet, manibus catenarum duro pondere gravatis scribere propinquis tabulam solennis donationis bonorum suorum omnium, sola sibi duorum mille ducatorum summa, quippe quam in lytrum Barbari postularent, servata. Conturbari, O suavissimi! hac mea positione mihi videmini: ac si fieri posset, ut affines christiani liberationem miseri hujus absque prævia tali donatione parum curarent. Attamen rem ita esse date. Jam aliud subjungo: Fingite, propinquos illos donatione hac lætanter accepta, cum statim de propinqui sui dimissione agere cum hostibus deberent, voluptati operam dare incipere, non donatas solum facultates sed & illam, quam pro sui sollicita redemptione miser sibi servarat, mille aureorum summam abligurientes... Pater! ita occlamantes audire vos mihi videor, talia cogitare haud fas: quomodo ista ab hominibus ratione præditis (ut de Christianis taceamus) fieri possunt? Sed permittite, obsecro! etiam hanc positionem vero consentaneam esse, & rogantis, ut vobis caussæ hujus judicium sumatis, precibus annuite! Quo, quæso! supplicio propinquos hos sævæ adeo ingratitudinis reos, latrones, infames raptores ac tyrannos mactaretis? Oh! respondere mihi videmini, quid juvat cogitare supplicia in punitionem delicti, quod patrari vix posse videtur? Ast concedite, rem (ut a me narrata est) esse, libereque dicendi copiam mihi facite! Nos, nos ista maxime tangunt. Qui istud? Aperiatur testamentum illud: Quis id scripsit? Pater meus: Maritus meus: Uxor mea: Frater meus: Patruus meus... Legatur ulterius: Constituo hæredem mearum facultatum omnium filium meum, maritum meum, nepotem meum. . . Hinc illi relinquo prædia mea in hoc, illo loco, has ædes . . illa credita liquidata . . . illas numeratas pecunias . . . una cum rebus mobilibus cunctis & residua rationum mearum parte omni. Pergatur: Reservans animæ meæ, ut illis creditoribus statim solvatur; ut statim tot Missarum sacrificia fiant; dein ut quotannis hæc . . . summa pauperibus erogetur; ut hac . . . dote quotannis duæ puellæ in matrimonium locentur; ut sun-

(q) *Suppl. quæst. 71. a. 6. ad 4.* (r) *Cap. 19.*

fundetur facellum, in quo decem annorum fpatio quotidie Miffa celebretur. . . . . At legatur & dies, qua teftamentum exaratum fuit: Unde venit? Quo anno, quo menfe fcriptum eft? Ah: utinam, O Deus! hæc non interrogaffem. Venit e Purgatorio; Quid, e Purgatorio? Ita, e Purgatorio: Scriptum eft ante annos octo. Veneruntne in poffeffionem bonorum fibi relictorum hæredes memorati? Venerunt omnino. Feceruntne fatis prædictis obligationibus in utilitatem & liberationem animæ teftatoris? Nondum fecerunt fatis: aut faltem aliquot fluxere anni, quin fecerint fatis: aut reftat magna, quæ fuppleatur, pars. Ah! Pofthæc, O mei! quemnam magis deplorandum effe putatis, ftatumne miferi mancipii illius in urbe Algeria, an vero hujus infelicis animæ? Nonne hic lacrymis dignior? Quid fervitutis Algericæ incommoda ad Purgatorii pœnas? . . . Credebatis, quæ pofui, impoffibilia effe; negabatis fieri poffe, ut ifta fierent: Et hoc, quod majoris fævitiæ, quod lacrymis dignius eft, heu! quot hæredum faciunt! Noverunt iftud probe confeffarii. . . Intelligitisne, me jure crudelis hujus latrocinii judices vos feciffe? . . . . Quod fi dignum fupplicium in propinquos mancipium, de quo dixi, negligentes non inveniftis; num in eos reperiri ullum poterit, qui, opes fibi relictas mille modis difperdentes, miferas benefactorum fuorum animas in illis atrociffimis cruciatibus relinquunt, quæ ob injuftiffimam hæredum etiam ea, quæ hæ in fui redemptionem fibi fervarant, devorantium tyrannidem requiem fibi invenire non poffunt? Dicet aliquis: Præftari legata non poffunt. Immo & ego novi, præftari illa non poffe, fi animo per omnia indulgetur: fi lauta fuppellex inftruitur: fi palatia ampla conduntur, fi fplendida convivia celebrantur: fi pompa ingens agitur: fi longi famulantium greges poft tergum trahuntur: fi innumeri fonipedes aluntur: fi muneribus, fi ludendo pecuniæ profunduntur (paucis) fi, ut ne peius quid dicam, fi omnifarius luxus, cui nec Cræfi divitiæ fufficerent, affectatur. In hunc modum fi vivitur, novi & ego, præftari legata non poffe; quandoquidem fubftantia omnis vix illi immoderatæ quamlibet pravam animi affectionem exfaturandi interque æquales fe præ aliis oftentandi, cupiditati fufficit. Aft num hac excufatione inferni fupplicia per infidelitatem, injuftitiam & tyrannidem adverfus defunctos commerita vitari a miferis vitari poffe putatis? Nequaquam id. Sed quicunque fe hac in re fontem cognoverit, primum quidem bona & doloris plena Confeffione animum emundet: deinde vero, ut fe obligationibus fuis implendis idoneum reddat (fi non habet, unde eas impleat) omnes fuperfluas & (fi hoc non fufficit) omnes convenientes & (fi neque hoc fuffecerit) omnes etiam neceffarias expenfas circumcidat; idque fecundum regulas a Theologorum turba univerfa illis præfcriptas, qui aliis quidquam debent, præprimis creditoribus in gravi neceffitate conftitutis, quales effe animas purgantes, (noftras eorum omnium, quæ nobis in fui auxilium reliquerunt, creditrices) nemo dubitaverit: de quibus regulis, ubi de feptimo decalogi præcepto agemus, fuo loco dicturi fumus; Et quisquis hac in re, quod fui officii eft, non fecerit, ab ira Dei exterminandum fe credat; Quod fi Spiritus fanctus Apoftolo Jacobo (s) dictavit: *Judicium fine mifericordia illi, qui non fecit mifericordiam*, quanto feverius judicium fibi expectet, *neque mifericordiam neque juftitiam fecit.*

Coronidis loco fcifcitari ex vobis juvat, utrum miferas illas animas tam fævæ oblivioni abs hæredibus datas id plurimum dolere, minus credatis, quod ipfæmet adhuc in vita pia illa opera non fecerint, quæ poft mortem fuam facienda aliis commiferunt? Quis hoc dubitet. Sapiamus itaque omnes alieno (ut ajunt) damno & pia illa opera, quæ poft mortem noftram facienda aliis committere cogitamus, in vita adhuc conftituti ipfi faciamus: At ftudeamus, ut illa in ftatu gratiæ a nobis fint, nam fi in ftatu peccati mortalis fierent, omnem vim fatisfactionis amit-

(s) *cap.* 2.

amitterent, quod meritum satisfactionis sola gratia nitatur; unde in statu culpæ mortalis facta solam vim impetrationis haberent, prout vobis sermone præterito exposui. Et sciatis velim, opera pia, si a nobis gratia Dei fruentibus in hac vita fiunt, multo majoris pretii esse, quam si fieri illa post mortem nostram curamus; quia tunc illis major voluntatis affectus accedit, qui quo intensior est, eo majus est meritum satisfactionis, secundum regulam Theologorum cum S. Thoma dicentium: *In satisfactione magis attenditur affectus offerentis quam quantitas oblationis.* Et addit doctissimus Vincentius Bellovacensis (t) unam diem hujus vitæ piis operibus pro suorum peccatorum expiatione in gratia exactam æquare annum integrum in Purgatorio, ob memoratam majoris affectus & propensioris voluntatis, quacum agimus, rationem: *Pœna, qua poterat se expedire homo spatio unius diei, protenditur in Purgatorio spatio unius anni.* Itaque cum tantum emolumenti nobis accedat, si id, quod post mortem faciendum pro nobis aliis demandare volumus, id (inquam) ipsi divinæ gratiæ compotes in vita facimus; nonne summæ insaniæ fuerit, hoc utilitatis genus neglexisse? Concludamus igitur, sequentes monitum Spiritus sancti dicentis: *Fili! si habes, bene fac tecum & Deo dignas oblationes offer* (u) *Memor esto, quia mors non tardat, & testamentum inferorum* (pro altera vita) cogita, hoc est: Tu facias, quod aliis faciendum relinquis: *quia demonstratum est tibi; testamentum enim hujus mundi morte morietur*, hoc est: subjacet periculo neglectionis.

(t) *Spec. moral.* (u) *Eccli. 14.*

SERMO XXV.

In verba Symboli: Remissionem peccatorum.

Post communionem Sanctorum Symbolum *Remissionem peccatorum* profitetur. Credimus hoc articulo, esse in Ecclesia catholica dimittendi peccata potestatem; Et quoniam duo sunt genera peccatorum, unum originale alterum actuale seu personale: hinc profitemur, esse in Ecclesia potestatem dimittendi peccata duplicis hujus generis. Peccatum originale per Sacramenutm Baptismi, peccatum actuale seu personale per Sacramentum pœnitentiæ remittitur. De peccato originali, quod per Baptismum dimittitur, cum de hoc Sacramento paulo post absolutam Symboli explicationem tractandum mihi sit, hoc loco monuisse me satis esto, quod in Symbolo credamus, esse in Ecclesia originalis peccati per sanctum Baptisma remittendi potestatem: Unde in Symbolo Nicæno dicitur: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Confitemur præterea potestatem dimittendi actualia peccata per Sacramentum Pœnitentiæ, cujus potestatis exercitium nec fieri valide nec effectus illius valide percipi sine Baptismo potest; cum & potestas conferendi remissionem & habilitas eandem recipiendi Baptismo nitatur, prout suo loco explicabo.

Intelligitis, O mei! hanc dimittendi peccata potestatem a nullo alio, quam Deo omnipotente aut Jesu Christo Deo-homine, provenire posse; nam cum ipse per peccata offendatur, evidens est, quod illa dimittere eorumque suo nomine dimittendorum potestatem alteri, cui placuerit, facere ipsius solius sit. Quemadmodum ad nullum alium,

nisi solum creditorem, debiti condonatio pertinet: ita quoque ad Deum solum, qui ob injuriam sibi per peccatum illatam creditor est, illius remittendi auctoritas ac potestas spectat.

Ex his sequitur, Sacerdotes & Ministros Sacramentorum, quibus peccatorum remissio confertur, meros esse ministros seu instrumenta potentiæ Dei, qui eosdem assumere & dare eis facultatem atque auctoritatem dignatur producendi magnum illum effectum, qualis est facere, ut anima de statu peccati ad statum gratiæ transeat & ex injusta justa reddatur: Effectum, quem post SS. Augustinum & Thomam Theologi omnes ipsa mundi creatione majorem esse deputant, uti sermone sexto exposui: *Quod Augustini sententia confirmatur*, ait Catechismus Concilii Tridentini (a) *Majus opus existimandum est, aliquem ex impio pium facere, quam cælum & terram ex nihilo creare.*

Hinc mirum minime, tantam potestatem ante Christi adventum nulli unquam homini nec in Ecclesia legis naturalis nec in Ecclesia legis scriptæ concessam fuisse: Et quanquam tot sancti Patriarchæ ac Prophetæ donis & luminibus Dei pleni extiterint, tamen ulli eorum hanc potestatem collatam fuisse in sacris Scripturis haud legimus; quippe quæ servabatur Ecclesiæ Christi Dei-hominis, qui Caput est Ecclesiæ, ab eo (cum sanctissima ejus humanitas instrumentum sit divinitatis in personæ unitate conjunctum) in præelectos ministros diffundenda. Hinc non immerito & ob hanc ipsam rationem S. Marcus Evangelista refert, quod, cum Christus, antequam paralyticum sanaret, eidem dixisset: *Fili! dimittuntur tibi peccata tua* (b) hoc audito Scribæ & Pharisæi legis Doctores sibi cum animis suis dixerint: *Quid hic sic loquitur? Blasphemat: Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Quod cognoscens Christus cordium inspector leniterque eos increpans subjunxit: *Ut sciatis, quia Filius hominis* (ita se ipsum cognominabat) *habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, surge, tolle grabatum tuum & vade in domum tuam*, id quod infirmus continuo præstitit. Ita quoque, cum Magdalenæ dixisset: *Remittuntur tibi peccata tua* (c) hæc, qui aderant, audientes, intra se dixerunt: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Ex quibus omnibus clarum fit, ad illa usque tempora dimittendi peccata potestatem in terris auditam non fuisse. Hanc autem potestatem postea Christus Petro ejusque successoribus celebratissimis illis verbis promisit, ut eadem ab ipso Petro iterum aliis conferretur: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis* (d) *& quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Immo eandem potestatem omnibus simul Apostolis Christus pollicitus est, aiens: *Dico vobis* (e) *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Re ipsa vero potestatem hanc ipsis post resurrectionem suam augustis illis verbis contulit: *Accipite Spiritum sanctum; Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*; Quæ verba, ex Traditione divina, legitimis Apostolorum successoribus & sacerdotibus valide ordinatis etiamnum applicata censentur: quibus deinde a legitimo Episcopo subditi absolvendi assignentur, in quos potestatem illam actu exerceant, prout aliis in locis dicetur.

Ex hac Christi circa remissionem peccatorum institutione Confessionis sacramentalis, si peragi potest (uti tum monui tum monebo) necessitas manifesto apparet; nam cum Christus pronunciarit remittenda esse in cœlis peccata, quæ apostoli remissuri essent: & retinenda (nimirum non remittenda) esse, quæ ipsi retenturi essent, liquido ostenditur, exponenda & explicanda esse peccata ministro, qui illa dimittere vel retinere debet; nam qua ratione minister sciat, quæ peccata dimittenda vel retinenda sint, si illa a pœnitente non manifestantur? Igitur aut dicendum, cujusdam luminis prophetici ope peccata a ministro distincte cognosci debere; id quod nec verum est (uti ex-

(a) *Part. 1. c. 11. n. 7.* (b) *Marc. 2.* (c) *Luc. 7.* (d) *Matth. 16.* (e) *Loc. cit.*

experientia demonstrat) nec asseri sine blasphemia potest: aut confitendum, peccata Pœnitentiæ ministro manifestari debere.

Neque ob id cogitetis velim, esse peccata, quæ remitti non possint: prout veterum hæreticorum nonnulli blaspheme asseruerunt. Nequaquam istud; cum Christus nullum peccatum reservarit, quod auctoritate ecclesiastica dimitti nequeat, uti adducta a me S. Scripturæ Testimonia declarant; nam illa verba: *Quodcunque, Quæcunque, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, ejus generis sunt, quæ omnino nullam reservationem clare significant sed enim omnia delicta comprehendunt. Igitur vox: *Retinueritis* solum ad casus ab Ecclesia & Ecclesiæ Prælatis certis de caussis reservatos vel potissimum ad dispositionem pœnitentum pertinet, qui, quod debitas dispositiones animi (de quibus suo loco agetur) non prodant, persæpe commerentur, ut eis Absolutio & remissio peccatorum differatur aut etiam, si animos obfirmant &, quod deberent, deserere indociles detrectant, omnino negetur.

Atque hoc in loco liceat mihi, O charissimi! nonnulla interponere, quæ a proposito haud omnino abhorrent. Injustas igitur querelas ii pœnitentes fundunt, qui ut severos, duros atque imprudentes incusant quosdam Confessarios, qui, cum officium suum, pro eo ut par est, facere velint, coactos se vident, ut pœnitentibus Absolutionem & remissionem differant aut respective negent; quoniam illi ad hanc recipiendam haud parati sunt. Indispositos autem seu imparatos eos dico, qui postquam longum temporis spatium ab ultima Confessione fluere siverunt & præterea multis negotiis periculosis distringuntur, atque ob id multis varii generis peccatis lethalibus obstricti sunt, quam brevissimo aut nullo examine præmisso sese Pœnitentiæ ministro offerunt dicturi, quæ ipsis in mentem suapte venerunt, peccata, non sine præsentissimo periculo maximam peccatorum partem prætermittendi & hac ratione Confessionem haud integram atque ob gravem debiti examinis omissionem dimidiatam faciendi: Quod comperiens doctus ac sapiens Confessarius, cum persuadere sibi nequeat, se examen tam longo (fors unius aut plurium annorum) spatio conveniens jam modo instituere posse, pœnitentem tempori opportuniori servat, monens eundem interim, ut in culpas suas accuratius inquirat eamque diligentiam adhibeat, quam in permagni momenti negotio adhiberet: qualem adhibendam esse Theologi uno ore affirmant. Et qui sic agit, anne rigoris, duritiei, imprudentiæ argui dignus?

Indispositos eos dico, qui in proxima peccati mortalis occasione voluntaria vivunt, quam (si vellent) deserere etsi nonnihil ægre possent & quam deserturos se alias polliciti sunt, quin tamen promissis suis steterint. His talibus si Confessarius dicat: Fili! prius huic occasioni (quæ in se peccatum mortale jam est) renuncia & tunc veniens absolveris: Ista si dicat, num dure, num severe ac imprudenter agere dicetur? . . . . Immo aliter agere res est ab Ecclesia effato Innocentii XI. sanctæ memoriæ improbata damnataque.

Indispositos eos dico, qui alicujus peccati mortalis consuetudine obstringuntur; sive dein falso aut quovis momento jurare: sive ex venereis, quæ vident vel sibi cum animis fingunt, objectis multoque magis ex peccatis carnis aut ex obscænis, quos assiduo serunt, sermonibus delectationem frequentissime capere: sive parva & continua furta patrare: sive commercia literarum, amicitias, conversationesque fovere: sive personis alterius sexus assiduo ancillari & nescio quæ alia facere assueti sint, in quibus crebro delectationes, desideria fors etiam actus graviter peccaminosos admittunt & de quibus se absque ulla emendatione accusant. Unde prudenti doctoque confessario alia via non relinquitur, nisi ut Absolutionem differendo doloris eorum ac propositi periculum faciat. Et hoc severitati, duritiæ, imprudentiæ consentaneum sit? Cum aliter agere Confessarius ex præcepto Ecclesiæ nec debeat nec possit: Ecclesiæ, quæ vult, ut in hunc ma-

xime modum cum talibus pœnitentibus agatur, & quæ memorati Innocentii XI. oraculo sententias contrárias reprobavit.

Indispositos eos dico, qui in ipsa Confessione nullo de injuriis Deo illatis dolore commoveri se ostendunt & quanquam nec toties relapsi sint, nec occasionibus proximis teneantur, nec examen vitiosum præmiserint; tamen & intimo de injuriis Deo factis dolore & seria peccatorum suorum detestatione & firmo amplius non peccandi proposito carere se produnt; dum peccata sua adeo indifferenter, adeo festive eoque vultu confitentur, ut fabulam aut historiam potius narrare, quàm ad pedes Christi scelera sua exponere videantur. Et quanquam pius ac sapiens Confessarius omni arte omnique studio utatur, ut hos pœnitentes ad concipiendum serium dolorem firmumque propositum inducat; tamen in vanum cecidisse omnia sentit neque persuadere sibi potest, eos rite dispositos esse. Hinc post debitas serias admonitiones tempus sibi sumit & Absolutionem procrastinat, ne forte sacrilegium faciat. Et hæc agendi ratio severitatis, duritiæ, inconsiderantiæ postuletur; cum tamen ita fieri Theologi omnes velint? . . . Num, quæso! imprudentiæ insimulatur Medicus, qui, ut infirmum melius sanet, eum de omnibus excessibus interrogat? . . . Num imprudentiæ arguitur Advocatus, qui, ut clientis caussam melius defendat, exactam rerum quarumvis notitiam sibi petit? . . . Neutiquam istud: Immo laudantur, prædicantur magnique penduntur. Solus Confessarius, qui nullo proposito lucro (Medici & Advocati suas taxas habent) ex sola charitate ea, quæ muneris sui sunt, facit, ut morbum Proximi longe periculosissimum curet: ut caussam Proximi longe gravissimam bene cadere faciat, solus (inquam) hic pro duro, pro inconsideranti, pro severo habetur. Proh cæcitatem! Proh exiguam salutis æternæ curam!

Obloquentem aliquem audire mihi videor: Pater! alios Confessarios, qui Confessionem meam exceperunt, non tam difficiles inveni: Audiverunt illi, quæ exposui, patienter & absque tot interrogationibus aut quæstiunculis, postquam finieram, me monuerunt, ut veniam a Deo exposcerem, impositaque pœnitentia absolutum dimiserunt in pace... Tu dicis: illos te dimisisse in pace.. Et ego tibi dico intrepidus: illos te dimisisse in bellum, immo dimisisse gravius vulneratum, quam eras veniens ad illos; quia dimiserunt cum novo sacrilegio ad priora peccata adjecto. Hoc ego intrepide affirmo, si e numero hucusque memoratorum pœnitentum es. Habeas tibi, abiisse te, quin multa peccata indicaveris, quæ tibi vel culpabilis ignorantia vel discussionis negligentia occultavit. Abiisti absque remissionis effectu; quia sine debito dolore certoque proposito Confessionem peregisti: posito, quod eorum e genere sis, quos paulo ante indicavi. Atque ea, quæ hoc loco affirmo, quadraginta annorum, quibus sacrum Confessarii munus exerceo, usu atque experientia edoctus affirmo. Qua de re, O mei! non solum novi Confessarii, in quem incidistis, severitatem atque inconsiderantiam non incusate; sed etiam Deo grates ex animo agite, quod vos incidere in ejusmodi Confessarium fecerit, qui memorata diligentia atque accuratione utatur suisque interrogationibus faciat, ut multa peccata a vobis nunquam exposita detegatis & præteritarum Confessionum vestrarum ex doloris defectu invaliditatem manibus (ut sic dicam) palpetis: aut qui Absolutionem vobis impertire detrectet, nisi prius illam occasionem deseratis: illa debita solvatis: ab illis vos peccatis corrigatis; cum id facturos vos sæpius promiseritis; nec tamen feceritis.

Quid, quæso! facere soletis, si vestrorum debitorum aliquis, qui solvendo par, post repetitas pollicitationes solutionem non fecerit: Quid quæso! facere soletis? Nunquid ab eo pignus debito æquale aut cautionem certam merito postulatis: Secus carcerem ei intentatis; Nunquid? . . . Jam si homo erga hominem jure sic agit, scilicet ut post ejus deprehensam infidelitatem promissis ejusdem fidem haud amplius adhibeat, sed certi

ti

ti quid sibi exigat; nonne eodem modo Vicarius Christi erga eum, qui Christi debitor est & qui, quæ impleturum se promisit atque adjuvante Dei gratia (si serio voluisset) facile impleturus fuisset, non implendo datam Christo fidem sæpius fefellit, gerere sese debebit. Vos jure fidem negatis ei, qui in negotio temporali promissis suis sæpius defuit: Et Minister Christi vobis in negotio reliquorum omnium maximo (quale est negotium animæ & profanatio Sacramenti) data promissa fallentibus habeat fidem? . . . Jam quod pignus, quam cautionem Confessarius accipiat, nisi Absolutionem differat, donec certa emendationis indicia habeat. Itaque non duritiæ, non severitatis, non imprudentiæ arguite Confessarium, qui officium suum facit; sed eorum potius Confessariorum, qui aliter se gerunt, tum suas ipsorum tum vestras animas prodentes, ignorantiam & negligentiam (ut non dicam) indignitatem dolete . . .

Est itaque in Ecclesia peccatorum actualium seu personalium remissio, sed solum pro pœnitentibus bene dispositis. *Hæc est*, ait Fulgentius doctrina & sanctitate præstantissimus Episcopus (f) *Hæc est inter Deum & hominem conditio, id est inter præcipientem Dominum servumque poscentem. Si, quod dico, custodieris, dabo, quod poscis; Ego tibi præcipio conversionem; tu poscis a me salutem: Si parueris præcepto, potieris beneficio. Sed necesse est, ut sincere peccator ingemiscat, non ut quidam, qui pro iniquitatibus quidem suis in oratione gemunt, nec tamen ab iniqua operatione discedunt: Accusant humiliter in conspectu Dei peccata, quibus tenentur oppressi, & eadem peccata, quæ humilitate sermonis accusant, corde perverso contumaciter cumulant: Indulgentiam, quam lacrymosis gemitibus poscunt, ipsi sibi pravis operibus adimunt: Medelam postulant a medico, & in perniciem suam subrogant adjutorium morbo; ac sic inaniter quærunt placare judicem, quem factis iniquis magis irritant ad furorem. Tales nunquam diluunt gemendo peccatum, quia non desinunt peccare post gemitum.*

Quod autem in hac Fidei, circa remissionem quorumvis peccatorum in pœnitentibus bene dispositis, veritate distincte considerari atque admirari debet, est infinita & ingens bonitas ac misericordia Dei nostri optimi, qui Jesu Christi meritis infinitis motus voluit, ut in animarum nostrarum salutem remedium adeo necessarium in Ecclesia esset, ex quo infinita ejus bonitas ac misericordia (ut dixi) mire elucescit. Atque ut hanc bonitatem modo, quo fieri potest, optimo comprehendatis, mecum observetis velim, in omni populo ac natione & ex omnium regnorum sanctionibus crimen læsæ-majestatis sive scelus, in personam vitamque Regis attentatum, delictum capitale & veniæ omnis sua natura expers esse nec ab ullo, nisi solo Rege ipso, condonari posse; quod veniæ beneficium delinquentibus, præprimis gregariis & plebeiis subditis aut rarissimo aut nunquam obtigit. Quod si tali subdito Rex vitæ veniam vel una sola vice faceret, nonne hoc a mortalibus inter humanæ misericordiæ prodigia numeraretur; multoque magis, si perfido huic subdito Rex secundo tertiove ignosceret? Oh! dicetis, nequaquam fieri hoc a Regibus terræ consuevit; cum decisum sit: subdito vitæ Regis suæ insidianti & imperium perfide affectanti, absque ulla venia pereundum esse; prout usus & experientia quam maxime comprobat.

Ah! dicendo non sum, O mei! quantam eloquentiæ vim dari mihi jam nunc optem, ut vobis infinitam Dei nostri maximi bonitatem, misericordiam, clementiam (quantum fieri potest) quam minime inconcinne ostendam. Solus Deus est unicus, verus, essentialis omnium creaturarum suarum Monarcha; quia est verus Deus, creator, conservator, principium & finis earundem; in cujus comparatione omnes reliqui monarchæ nihilum sunt: Ipse solus habet jus necessarium, quo privare se non potest, ad id, ut super omnia diligatur & agnoscatur, ut ipsi præ omnibus aliis serviatur atque obediatur: Ipse solus præcipitare in infernum, ipse solus

(f) *Lib. 1. de Remiss. pecc. c. 11.*

lus hanc rerum universitatem, uti eam e nihilo eduxit, ita uno momento redigere in nihilum potest: Ipsius solius Esse atque imperium culpa mortalis (ut alibi diximus) invadit: Ipsi soli nos omnes, qui ejus subditi essentialiter sumus, obligationibus re ipsa inexpiabilibus obstringimur, adeo ut, etiamsi in illius servitio, obedientia, amore nos ipsos destrueremus, tamen partem obligationum nostrarum minimam impleremus. Et tamen, O misericordiam! O bonitatem! Et tamen ipse solus lege perpetua sanxit: non ut ille, qui majestatem suam offenderet, statim æternum pereat, prout quam maxime commereretur; sed ut is ingratus, perfidus, brutus homo (si divinam majestatem offendisse ex animo charitate actus doluerit & in posterum haud amplius offendere certo statuerit) ab æterno & excelso Monarcha suo peccatorum suorum veniam accipiat (at levia hæc sunt) pristinæque adeo amicitiæ ejus gradum recuperet. Ita in mille S. Scripturæ locis sacrosancto oraculo Dominus sanxit. O Deum! O Monarcham! O bonitatem! O charitatem, clementiam, misericordiam! solo Deo vere dignam! Magna hæc sunt, O charissimi! ast majora restant. Quid majora? Immo vero majora. Hanc incomprehendendæ misericordiæ legem non prima, non secunda, non tertia, qua perfidiosus subditus esse thronumque divinum aggressurus esset, vice (id quod tamen oppido stupendum foret) circumscripsit; sed eandem nullo certo numero, etiam nulla temporum aut lapsuum reservatione definitam promulgavit: *Si revertamini & quiescatis, salvi eritis.* Ita per Isaiam (g) Dominus. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea & fecerit justitiam & judicium, vita vivet & non morietur: Omnium iniquitatum, quas operatus est, non recordabor.* Ita per Ezechielem (h) Dominus; & paulo post ait: *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam: ipse animam suam vivificabit.* Nonne hoc est, remittere peccatum nulla limitatione, sive ad tempora sive ad numerum peccatorum, servata. Quid ad hæc vos, O mei! Quid de stupenda hac æterni Monarchæ nostri, solius & summi Dei nostri bonitate sentitis? . . . Fieri posse quidem, at nequaquam re vera fieri creditur, ut monarcha terrenus perduelli, imperium rapere volenti, vitæ gratiam faciat: Et nos ex Fide certo scimus, infinitum Monarcham nostrum Deumque æternum quodvis, in suam infinitam majestatem admissum, scelus quovis tempore condonare paratum esse, dummodo perduellis ex animo doleat. Ah Deus meus! credimus hoc atque confitemur, quia tu dixisti, & Ecclesia falli nescia nobis credendum proponit. Quod si istud non esset, quis tantam misericordiam suo animo persuadere posset? . . . . . Certe nemo in animum inducere potuisset, Deum infinitæ majestatis, potentiæ ac beneficentiæ creatorem culpas mortales nobis, mancipiis suis tantisque beneficiis a se affectis, dimittere promptum esse: culpas (inquam) mortales, quibus eundem ex parte nostra suo Esse essentiali finis ultimi privare audemus.

His addite, & magis magisque stupescite: Quid demum exigit Dominus, ut optatissima peccatorum remissione reum impertiat; nam ineffabilis misericordiæ semper foret, etsi Deus pro obtinenda hac remissione, ad salutem æternam longe maxime necessaria, gravia postularet: etsi austera multorum annorum jejunia, etsi quotidianas longasque corporis diverberationes, etsi partis bonorum nostrorum maximæ in eleemosynas erogationem, etsi molestas ad celeberrima Sanctuaria peregrinationes, etsi multorum annorum humicubationes aliasque satisfactiones pœnales exigeret, quibus caro corpusque, rebelle, in cujus gratiam peccata mortalia utplurimum comittuntur, per longa temporum spatia maceraretur: Etsi (inquam) pro concedenda memorata remissione omnia hæc postularet, nunquid nihilominus magnæ bonitatis ac misericordiæ deputari deberet, quod Dominus dignatus esset remedia, utut dura, placandæ iræ suæ admittere? Ita profecto! Eo fere modo, quo

a nobis

(g) *Cap. 30.* (h) *Cap. 18.*

a nobis fortunatissimus crederetur perduellis subditus, cui post furcas mortesque atrocissimas delictis in monarcham patratis commeritas sors daretur, vitam quovis alio pretio redimendi inque pristinam cum Rege amicitiam redeundi. Et cum talis terrestris Monarchæ bonitas ac misericordia ob id solum semper admiratione digna haberetur, quod remissionis, etsi ardue gravique pretio obtinendæ, tamen locum concedat; quanto magis imperceptibilis reputari deberet misericordia Dei ob id solum, quod nobis vilissimis vermibus satisfactionem & remissionem, utut gravi pretio, parare concederet.

Et tamen, nostis vos quoque, O mei! quid Deus postulet? O Deus, vere Deus infinitæ bonitatis! Postulat solummodo serium de læsa majestate sua dolorem: postulat seriam admissorum peccatorum detestationem: postulat firmum amplius non peccandi propositum & levissimam illam peccata ministro suo aperiendi incommoditatem. Hoc pretio remissionem peccatorum, hoc pristinæ amicitiæ gratiam Deus vendit, injungens insuper ministro suo, ut non solum inviolatum silentium ipso vitæ discrimine neglecto servet sed etiam secundum notitias in Confessione acceptas nihil agat; Unde sic gerere sese Confessarius debet, ac si illas non audivisset. Num minora, O mei! num minora Deus a nobis, vilissimis creaturis suis, graviter læsus exigere posset? O bonitatem! O dulcedinem! O charitatem Dei nostri maximi! Num exigere, quæso! ille minora posset, si nostri etiam indigeret? Edicite! . . . Jam quantum ex hoc Dei bonitas resplendet, quod tam pauca ab iis exigat, qui ab ipso omnibus modis pendent?

Nihilominus plura adhuc sunt, quæ dicam. Dicetis: Plurane dici possunt? Immo, attendite animos! His tam levibus conditionibus contentus est Dominus, ut peccatorum remissionem concedat, quamvis sciverit & infinita scientia sua agente præviderit, hac ipsa conditionum levitate, hac ipsa obtinendæ veniæ facilitate quamplurimos abusuros & ob eandem in peccata mortalia immodice ruituros esse; cum contra, si cuivis mortaliter peccanti terribilem mortis sententiam damnationemque sempiternam subeundam decrevisset. aut pauci aut nullus ad peccatum mortale patrandum animum adjecturi essent. Hanc suam prævisionem, hunc descriptæ hucusque bonitatis ac benignitatis suæ infinitæ abusum, abs humana nequitia faciendum, verbis libri Ecclesiastis (i) a Spiritu sancto dictatis Dominus prodidit: *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.* Unde videtur, quod hæc ipsa ratio (scilicet quo injurias majestati suæ inferendas præpediret) commovere Dominum debuisset, ut peccata vel omnino non vel saltem non facile, sed gravissimis maximeque arduis conditionibus dimitteret. Et tamen Dominus neglecto (ut sic dicam) immensæ majestatis suæ honore remissionem concedere eamque & indefinite quoad vices, gravitatem ac numerum peccatorum & conditionibus tam facilibus concedere voluit. Proh infinitæ charitatis, benignitatis, clementiæ & misericordiæ Deum! Ego te Domine! collaudo ac benedicens non cesso totoque corde exopto, ut Christiani omnes insigne adeo beneficium agnoscant, quo omnes universim immortales de illo tibi gratias reddant, uti Cathechismus Concilii Tridentini (k) monet: *Immortales gratias Deo agere.*

His omnibus non obstantibus sunt permulti Catholicorum, qui in implendis levissimis his multorum peccatorum suorum veniam consequendi conditionibus diabolo agente nescio quid difficultatis detegentes annos integros ducunt, quin confiteantur &, dum augente indies formidinem diabolo exonerandæ conscientiæ rationem magis magisque difficilem sibi reddunt, æternæ damnationis aleam subeunt; quia obtinendæ veniæ magis magisque indignos se faciunt. Ah! horum siquis hic adstaret, non aliam in eum quam suavem illam reprehensionem adhiberem multis vestrum fortassis notam, quam Naamo servi adhibuerunt. Hic Elisæum Prophetam convenerat, ut a lepra mundaretur; Propheta eidem renunciare

(i) cap. 8. (k) part. 1. art. 11. n. 11.

ciare servum suum jussit: Iret & septies in Jordane se ablueret, sic sanitatem carni redituram. Excandescens ad ista Naaman, tum quod minus honoris sibi ab Elisæo habitum fuisse crederet tum etiam quod indicatum remedium nimis incommodum esse judicaret, iter relegere acres iras animo versans cœpit. At illum amanter compellantes servi, Pater! dixerunt, *si rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras* (1) *quanto magis quia nunc dixit tibi: lavare & mundaberis:* cui consilio parens Naaman sanatus fuit. Hoc ipsum (inquam) misero tali, diabolico metu & phantasiis suis decepto, dicerem: Pater! Fili! Frater! Amice! si Deus, ut animam tuam a peccatis per remissionem mundet, rem difficilem, arduam, molestam, diuturnam a te exigeret; certe eam, facere, ut ne æternum perires, deberes: *Si rem grandem dixisset tibi, certe facere debueras.* Et nunc, O charum Caput! quia tam pauca postulat (scilicet ut de peccatis tuis ex animo doleas culpasque tuas, ut, quæ retinendæ quæve remittendæ sint, sciatur, manifestes homini æque, ac tu ipse es, fragili, obligato insuper, ne illas unquam vel directe vel indirecte prodat) renuis, detrectas . . . Num leviora exigi possunt? *Quanto magis, quia dicit tibi: Confitere & mundaberis.* Itaque ejicite ex animis vestris omnem humanum respectum, pudorem ac metum omnem: seligite vobis ministrum doctum, pium, prudentem: cessate offendere Deum tam bonum, tam misericordem, tam patientem tantoque vos tempore sustinentem, & *Remissionem peccatorum* in sancto ejus nomine obtinete.

(1) *4. Reg. 5.*

SERMO XXVI.

In Verba Symboli: Credo carnis resurrectionem.

PErgimus confiteri in Symbolo universalem mortuorum omnium resurrectionem in finalis judicii die omnipotenti Numinis virtute efficiendam: *Carnis resurrectionem.* Ac primum quidem virtute divina mortuos ad vitam revocari non solum posse sed & facillime posse, melius cognosci haud potest quam ex opere creationis; Nam cum Deus sua virtute hanc rerum universitatem totam e nihilo eduxerit: longe facilius esse videtur, partes alicujus compositi iterum in unum cogere, quam easdem e nihilo procreare. Scimus præterea ex certa SS. Scripturarum fide, multos tum in veteri tum in novo Testamento ab inferis resuscitatos fuisse: in veteri ab Elia & Elisæo (a) Prophetis multo celeberrimis, in novo a (b) Christo & post ejusdem ascensionem ad cælos ab Apostolis vi sacratissimi ejus nominis: quod ut quis longe apertissime cognoscat, sacrorum Evangeliorum & Actorum apostolicorum libros inspexisse sufficerit. Scimus insuper, multos alios variorum Sanctorum tum viventium tum vita defunctorum precibus a mortuis revocatos fuisse: idque indubitato; cum testem talium suscitationum Ecclesiam habeamus, quæ post accuratissima desuper instituta examina easdem tanquam documenta eorum sanctitatis, ob quam publicam Fidelium venerationem mererentur, promulgavit. Itaque cum verissimum sit, multos mortuos privatim ad vitam excitatos fuisse, quæ difficultas obstare omnipotenti Dei virtuti poterit, quo minus

(a) *3. Reg. 17. & 4. Reg. c. 4.* (b) *Matth. 9. Luc. 7. Joan. 11. Act. 9.*

nus omnes universim mortuos redire ab inferis faciat?

Hanc Fidei veritatem Ecclesia (in quocunque illa statu spectetur) semper professa est: & temporibus a nostra memoria quam remotissimis (uti erant tempora legis naturalis) inter alias revelatas veritates, quas perpetua Traditio firmavit, universalis mortuorum resurrectio pro certo credita fuit. Rei hujus testis ex omnibus, qui citari possunt, vetustissimus est Jobus, qui secundum chronologorum & interpretum doctissimorum computationem iis fere temporibus vixit, quibus Israeliticus populus in Ægypto morabatur, non ipse quidem Israelita sed Idumæus; at Fidelis & veræ Religionis elementis imbutus, immo permagnus legis naturalis Sanctus. Hic talis ac tantus vir in libro sacro, qui ejus nomen in fronte præfert & secundum probatissimam opinionem Moysen auctorem habet, memoratam veritatem in hæc verba profertur: *Scio enim, quod redemptor meus vivit & in novissimo die de terra surrecturus sum & in carne mea videbo Deum salvatorem meum; quem visurus sum ipse* (c) *& non alius, & oculi mei conspecturi sunt.* In novo deinde Testamento quamplurima occurrunt, quæ allegari possent, testimonia: Duo solum citasse sufficiat, primum ex Evangelio *S. Matthæi*, in cujus *Capite XXII.* disputatio a Christo cum Sadducæis habita narratur, quæ tota ad hanc viritatem spectat: secundum ex *Epistola I.* S. Paul. *ad Corinthios*, in cujus *Capite XV.* memorata veritas ab Apostolo fuse demonstratur. Igitur nobis omnibus, O charissimi! in extrema mundi die a morte resurgendum est.

Verum hoc loco cum Catechismo Concilii Tridentini (d) bene observanda sunt verba, quibus articulus hic in Symbolo exprimitur. Dicitur: *Carnis resurrectionem*, ut intelligamus, in morte hominis solum corpus solamque carnem interire, animam immortalem manere: *Nam docere voluerunt Apostoli, quod necessario ponendum est, animam esse immortalem; quare ne quis forte eam simul cum corpore interiisse, utrumque vero in vitam revocari existimaret (cum animam plurimis sacrarum Literarum locis immortalem esse plane constet) ob eam rem carnis tantum suscitandæ mentio in articulo facta est.* Itaque cum disertis verbis corporis resurrectionem confiteamur, una simul tacite atque implicite animæ immortalitatem profitemur; de qua (ut innumera SS. Scripturarum loca a memorato Catechismo adducta silentio prætermittam) hoc unum dixisse satis sit: Haud alium esse SS. Scripturarum scopum quam salutem animæ æternam, quippe ad quam illæ ex toto diriguntur.

Nihilominus ut magnæ veritati huic, quam nostris temporibus Libertini ore audacissimo inter se mutuo impugnant, extrinsecum robur addam: rationibus philosophicis, quæ eandem veritatem ope luminis naturalis claram reddunt, omissis, non injucundum vobis fore existimo, si patefecero: immortalitatem animæ inter eas veritates connumerari debere, quas non solum Ecclesia catholica & ii, qui finale judicium infernum ac Paradisum profitentur, credunt; sed omnes etiam philosophorum gentilium Sectæ & docti Pagani omnes confessi sunt, quos ad hanc veritatem profitendam non Scripturarum auctoritas, non Patrum (quippe quos illi non noverant) testimonia, sed sola naturalis rationis vis commovit. Tullius ille celeberrimus philosophus juxta atque orator (e) ait: *Permanere animos arbitramur consensu omnium nationum.* Seneca insignis itidem philosophus (f) profitetur: *Cum de animorum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum . . . utor hac persuasione publica.* En! ut celebratissimi hi duo Gentiles, veritatem de animorum immortalitate a mundo universo credi, asserunt. Sed nationes illustrissimas vetustissimasque in medium adducamus; De natione Chaldaica ipsisque Indis Pausanias (g) commemorat: *Chaldæos & Indorum magos prodidisse novi, animas hominum esse immortales.* Inter Indos, refert Philostratus (h) Brachmannos doctrinæ & magisterii laude insignes Apollonio de hoc argumento sciscitanti respondisse:

(c) *Job. 19.* (d) *Part. 1. art. 12. n. 2.* (e) *Libr. 1. Tuscul. quæst.* (f) *Epist. 117.*
(g) *Libr. 4. Messen.* (h) *De Vita Apollon. l. 3. c. 1.*

Tenere se id, quod a Pythagora didicissent, qui (ut paulo post videbimus) animam immortalem esse contendit: *Ad quos Jarcas princeps inter eos idipsum inquit, quod nobis Pythagoras, nos vero Ægyptiis tradidimus*: Ex quo testimonio liquet, nationem quoque Ægyptiacam idem tenuisse, in qua vir longe maxime admirabilis Mercurius Trismegistus, loquens de humana natura a Deo producta, sic ait: *Et idem* (Deus) *ex utraque natura immortali & mortali unam faciebat naturam hominis, eundem partim immortalem partim mortalem faciens.* Et in Asclepio ait: *O Asclepi! omnis anima humana immortalis.* De natione Græca, quæ ævo suo scientiarum humanarum omnium mater ac parens extitit, unum Platonis viri plane singularis testimonium (i) sufficiat, affirmantis, hanc de immortalitate animæ veritatem ab omnibus, ceu legem patriam, admissam fuisse: *Revera unumquemque nostrum, secundum animam, immortalem esse, ut lex patria continet.* Et alibi ait: *Mysteria hæc de immortalitate animæ adamantinis rationibus probata sunt.* Quod ad veteres Sapientes Latinæ gentis attinet, de Phærecide, qui sectam Pythagoricam condidit & magister Pythagoræ extitit, Tullius ait (k) *Phærecidis opinionem de animorum æternitate discipulus ejus Pythagoras maxime confirmavit.* Quod si de veteribus Poetis, quos Theologorum instar Gentilitas habuit, quique ob id homines divini appellati fuere, loqui velimus, illi una omnes voce immortalitatem animæ, teste memorato Platone, asseruerunt: *Tradunt præterea Pindarus & cæteri, quicunque Poetarum divini sunt homines, animam immortalem esse*: Ita a Platone citatus Socrates. Verum ne nimis longe a proposito digrediar, percipite, quid Tullius tum ratione ipsa tum aliorum auctoritate convictus brevibus denuo dicat: *Nec me solum ratio & disputatio impulit, ut ita crederem, sed nobilitas etiam summorum Philosophorum & auctoritas: Audieram Pythagoram Pythagoræosque, incolas pæne nostros, qui essent Italici Philosophi quondam nominati, nunquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus: Demonstrabantur mihi præterea, quæ Socrates supremo vitæ die de immoralitate animorum disseruisset, is qui esset sapientissimus oraculo Apollinis judicatus. Quid multa? Sic mihi persuasi: sic sentio. Cum tanta sit celeritas, tanta memoria præteritorum futurorumque providentia, tot artes, tot inventa; non posse eam naturam, quæ eas res continet, esse mortalem. Divino igitur instinctu loquuti sunt, dicentes: famam de immortalitate animorum esse vetustissimam, auctoritate priscorum seculorum confirmatam, a Patibus per continuam successionem, quemadmodum notitiam Dei, traditam.* Quid dici, O mei! ultra poterit, ut pateat, universum Sapientum numerum de animæ immortalitate consensisse. Date veniam, Charissimi! quod de proposito argumento nonnihil digressus sim: Non id temere sed consilio a me factum; primum quidem ut vestræ de gravissima veritate hac fidei arcem ceu quadam spinosa sepi circumdarem, cum negari nequeat, tentationes eandem infestare solitas hisce notitiis longius arceri: deinde vero ut Libertinorum nostri ævi, quorum supra mentionem feci, petulantiam ignorantiamque confutarem, qui, si (non dicam sanctissimis Ecclesiæ Patribus) sed vel uni memoratorum Philosophorum comparentur, idem sunt ac pulices elephanto compositi; & qui ob id solum, ut absque ullo conscientiæ stimulo turpibus brutisque voluptatibus sese immergere possint, omnibus modis animo suo persuadere conantur: se animam mortalem jumentorum & porcorum instar habere, quos cum vivendo referant, etiam moriendo referre optant. At intelligent miseri isti, animam suam immortalem esse: quando eandem flammis infernalibus, quam diu Deus erit, citra ullum remedium exuri persentiscent.

Igitur anima, quæ durare semper debet (Attendite! Est hæc prima conveniens resurrectionis universalis ratio) cum sit pars principalis seu formalis naturam humanam componens, naturali quadam propensione in corpus (ceu consortem suum) fertur, adeo ut statu quasi violento uteretur, si corpori

(i) *Lib. 10. de Legib. & Lib. 12. de Republ.*

(k) *Lib. 1. Tuscul. quæst.*

pori suo denuo unienda nunquam esset: Hinc conveniens est, eam corpori tandem de novo uniri. Ita S. Thomas eorum repudians opinionem, qui similem inclinationem corpori quoque in cineres resoluto inesse volunt; cujus rei hanc disparitatem assignat: *Anima separata a corpore manet in eadem natura* (l) *quam habebat, cum esset corpori unita; quod de corpore non contingit*, quippe quod in varias vermium, terræ & similium rerum naturas abit. Igitur quemadmodum anima corpori unita naturalem illam in consortem suum (scilicet corpus) propensionem habuit, ita eandem separata a corpore servat: atque ob eam rem nescio quam violentiam pateretur, si eidem consorti suo nunquam amplius jungeretur. Hoc perpetuitatis animæ argumento Christus ipse in disputatione, quam de resurrectione cum Sadducæis habuit, usus est; quod inconveniens sit, animam a consorte suo, humanam naturam componente, æternum sejungi.

Secunda resurrectionis ratio perfecta integraque hominis felicitate nititur, quam Christus Jesus eidem per benedictæ passionis suæ merita acquisivit: quippe qui beatitudinem sempiternamque felicitatem non soli animæ sed corpori quoque passionibus suis promeruit, neque unam solam hominis partem beare sed totum hominem felicem reddere voluit; quod cum fieri sine corporis resurrectione non queat, oppido dicendum: illud e cineribus suscitari debere. Hoc ipsum argumentum Paulus ad Corinthios scribens adduxit: *Si in* (pro) *hac vita tantum in Christo sperantes sumus* (m) *miserabiliores sumus omnibus hominibus*; ac si diceret: Cum nos corpus hoc nostrum continere in officio: cum illud rebus longe gratissimis, ut nos legi divinæ fideles servemus, privare: cum illud ad varias, tum a Dei providentia immittendas tum ab improborum hominum nequitia inferendas ærumnas (paucis) ad tormenta, vexationes, martyria mortesque sævissimas paratum habere debeamus; si non est sors & conditio melior, qua illud in futuro seculo potiatur, ecce! miserum hoc corpus longe infelicissimum est præ tot aliis hominibus, qui corporibus suis obsecundant, qui ea mire fovent, pascunt & cujusvis generis voluptatibus (Dei etiam lege neglecta) demergunt. Hinc Tertullianus (n) vetustissimus & acutissimus scriptor ait: *Quam indignum Deo, dimidium hominem redigere in salutem? . . . Diabolus validior in hominis injuriam intelligitur totum eum elidens: Deus infirmior renunciabitur non totum eum relevans?*

Ex hoc tertia resurrectionis universalis ratio fluit, quæ divina justitia nititur. Nunquid corpus in constituendo hominem non solum sodalis est animæ sed etiam instrumentum & (ut sic dicam) minister operationum animæ, sive illæ bonæ sive malæ sint? Hoc perpetuus usus experientiaque confirmat. Jam si homo in ambabus sui partibus Deum aut colit aut offendit; nonne oportet, ut idem in ambabus sui partibus aut remuneretur aut castigetur? Ratiocinium hoc facile, naturale, evidens: At quomodo pars corporea hominis modo convenienti remunerari vel castigari poterit, nisi resurgat? Improborum corpora quomodo commeritas luent pœnas, quin resurgant; quandoquidem in hac vita omnibus deliciis affluxerunt? Proborum corpora quomodo miseriarum ob amorem Numinis & legis divinæ obedientiam toleratarum præmia accipient, quin resurgant; quandoquidem in hac vita perpetuis malis, angustiis, macerationibus doloribusque subjacuerunt? Igitur ut & corpora improborum supplicia condigna & corpora proborum condigna accipiant præmia, necesse est omnes resurgere. Ita S. Ambrosius (o) solita eloquentia utens: *Et hæc est series & caussa justitiæ, ut quoniam corporis animique communis est actus, quia quæ animus cogitavit, corpus effecit, utrumque . . . aut pœnæ dedatur aut gloriæ reservetur. Nam propemodum absurdum videtur, ut cum animi legem lex carnis impugnet & mens plerumque, quod odit, hoc faciat* (*quando inhabitans in homine peccatum carnis operatur*) *animus subdatur injuriæ* (id est, pœnæ) *alienæ, reus culpæ; caro quiete potia-*

(l) *Suppl. q. 80. art. 9. ad 2.* (m) 1. *Corinth. 15.* (n) *Libr. de Resurrect. carn. c. 12.*
(o) *Lib. 2. de Fide Resurrect. n. 88.*

potiatur, auctor ærumnæ: & solus atteratur, qui non solus erravit, aut solus gloriam referat, qui non solus gratiæ militavit.

Itaque, O suavissimi! si quando corpus vestrum insolescere incipit & immoderatis motibus suis ad vetitas voluptates, quibus quinque ejus sensibus fiat satis, pertrahere vos tentat, comprimete illud, subjugate, negate, quæ petit. Custodite oculos vestros ab objectis castitati exitiosis. Custodite aures vestras a cantionibus affectus minus puros cientibus, a sermonibus obscœnis pudicitiam pestis in modum corrumpentibus, a detractionibus justitiæ inimicis, a murmurationibus charitatem perimentibus. Custodite gustum ab intemperantiis vini ac gulositate præcepta Ecclesiæ & sobrietatis christianæ leges violante. Custodite odoratum ab oblectationibus, quas palam dicere non ausim. Custodite tactum a mollitie tot lasciviarum excitatrice: Paucis; Continete in officio corpus vestrum communem innumerorum peccatorum auctorem, capitalem animæ vestræ hostem alios duos (mundum & diabolum) socios sibi habentem, propudioso *carnis* nomine compellari solitum. Dicite eidem, vos omnia in ejus æternam utilitatem facere, ut in resurrectione universali ipsum quoque partem sempiternæ gloriæ (quam sequentibus sermonibus exponemus) accipiat. Animate illud, ut omnia incommoda, infortunia, morbos, dolores & similes (quibus divina Providentia illud corripiet) res lubenter sustineat, quo & ipsum in universali resurrectione in æternorum corporibus, legi rationis & divinæ & ecclesiasticæ morem gerentibus, præparatorum bonorum partem venire mereatur. Quod si resistat, pœnas eidem æternas corporibus, memoratarum legum jugum excutientibus, destinatas minando intentate; nam corpus individuus animæ comes æternum esse debet, scilicet sive felix æternum sive æternum infelix.

Omnes itaque, O mei! *resurgemus:* Ita ex Fide cum S. Paulo (p) profitemur: Omnes resurgemus, probi juxta ac improbi: Omnium nostrum hoc ipsissimum corpus resurget, quamcunque dissipationem ossa illius atque exuviæ perpessæ fuerint: Ita Patres ex Fide omnes docent; solum Augustinum audiamus (q) *In quemlibet pulverem cineremque solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamlibet aliorum corporum substantiam vel in ipsa elementa vertatur, in quorumque animalium* (uti tot Martyrum corpora) *etiam hominum* (anthropophagorum) *cibum cedat carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitus, ut homo fieret viveret cresceret, animavit.*

Attamen non credatis velim, corpus vitia sua sive naturalia sive post nativitatem contracta, quæ illud moriens secum tulit, in resurrectione relaturum esse. Nequaquam: *Nec illud est consequens* (pergit idem S. Augustinus) *ut ideo diversa sit statura reviviscentium singulorum, quia fuerat diversa viventium, aut macri cum eadem macie aut pingues cum eadem pinguedine reviviscant. Sed si hoc est in consilio creatoris, ut effigies sua cujusque proprietas & discernibilis similitudo servetur; in cæteris autem corporis bonis æqualia cuncta reddantur: ita modificabitur illa in unoquoque materies, ut nec aliquid ex ea pereat &, quod alicui defuerit, ille suppleat, qui etiam de nihilo potuit, quod voluit, operari.*

Et hæc corporum integritas, teste laudato magno Doctore, etiam in damnatis erit; nam cunctis eorum membris tormenta debentur: Unde eisdem membra sive a carnificibus in delictorum pœnam rescissa sive aliis modis amissa, non quidem ad felicitatem sed ad majorem miseriam, reddentur: *Quod de improbis quoque verissime dicitur* (r) *etsi illorum culpa membra amputata fuerint; nam quo plura membra habebunt, tanto acerbiori dolorum cruciatu conficientur: quare illa membrorum restitutio non ad eorum felicitatem sed calamitatem ac miseriam est redundatura.* Id quod S. Thomas naturali ratione confirmat (s) *In damnatis non erit aliquid, quod sensum doloris in eis impediat; sed ægritudo* (infirmitas membri alicujus) *impedit sensum doloris, in quantum per eam debilitantur organa sentiendi:* &

(p) 1. *Corinth.* 15. (q) *Enchir. c.* 88. (r) *S. August. Lib.* 22. *de Civit. Dei c.* 20.
(s) *Supp. quæst.* 88. *art.* 1.

& similiter defectus membri impediret, ne esset universalis dolor in corpore; Ergo sine istis defectibus damnati resurgent.

Jam, O charissimi! cum animis vestris diversissimos illos seseque inter maxime contrarios sensus reputate, quibuscum tum justæ Electorum tum reprobæ Damnatorum animæ corpora sua resumpturæ sunt. Primum reprobos spectemus & consideremus affectus, quibuscum animæ damnatæ corpora sua recipere cogentur: Quemadmodum animæ beatæ ingenti cum gaudio, amore, jubilo, oblectatione in sua corpora rediturae sunt; ita e contrario animæ damnatæ inexplicabili cum odio, aversione, resistentia atque mærore eisdem unientur; nam suspicient illæ corpora sua ceu præcipuos æternæ damnationis suæ ministros, quorum incompositis motibus ut ipsæ miseræ facerent satis, in infernum præcipites abjerunt, quin dolendi vel tempus vel voluntatem habuerint. Et hi tristitiæ atque odii motus nunquam cessabunt sed enim tamdiu durabunt, quamdiu infernus erit; at hic erit, quamdiu Deus erit.

Atque ut pœnam hanc, (scilicet quid sit, corpori tam exoso atque horribili inesse perpetuo debere) aliquo modo capiatis, id cum animis vestris perpendite, quod Mezentius Christianorum sævissimus hostis excogitavit, ut eos diutius graviusque excarnificaret atque ad negandam Christi fidem permoveret: Jussit efferus hic vir, corpus personæ, quam subdere martyrio cogitabat, cadaveri humano eum in modum conjungi ac colligari, ut vultus vultui, nares naribus, os ori, membra singula singulis membis responderent, ut sic ligatis inter se arctissime corporibus vivum corpus partim fœtore partim horrore partim sanie, certe inedia, lente atque paulatim conficeretur. Nunquid, O mei! hoc martyrii genus longe crudelissimum esse putatis? . . . Aut quis fastidium, aversionem, nauseam alicujus vivi, cui hoc mortis genere perimi obtigit, cogitet? Ast persuasum vobis omnino habeatis velim, O mei! horrorem, nauseam, dolorem eorum, quot quot tormento huic (alioquin per gratiæ, quæ omnia vincit, auxilium extenuato) subjecti fuerunt, plane nihil esse, si horrori atque aversioni componatur, quacum anima damnata maledicto corpori suo denuo jungenda est (corpori, quod fœtore, turpitudine, execrabilitate sua omnia totius mundi cadavera multum superat) atque ita jungenda est, ut illud in æternum amplius desertura haud sit? Hinc præter odium, quo Deum persequitur: præter odium, quo in Beatos fertur: præter odium, quo in dæmones tormentorum suorum ministros sævit: præter odium, quo reliquos damnatos execratur: præter odium, quod erga se ipsam alit: immani insuper odio in ipsum corpus suum tabescet, in corpus suum (inquam) quod tanquam sempiternæ miseriæ suæ caussam atque fermentum in æternum suspiciet . . . Ah! si infelici carni nostræ obsequi volentes cogitaremus, quod, si ei vetita postulata negamus, illam ad æternæ felicitatis fruitionem præparemus: contra, si eidem obsecundamus, tum animam nostram tum carnem damnationi æternæ objiciamus & periculo, ut eadem caro a nobis odio rodente quidem at non corrodente æternum prosequatur: si hæc cogitaremus, quanto facilius Dei adjuvante gratia improbæ carnis nostræ tentationes vinceremus. Facite istud in posterum, O suavissimi!

Sed ad animas Beatorum convertamur: Atque istæ, dicendo non sum, quanta cum lætitia quantoque cum jubilo corpora sua denuo amplexuræ sint, quippe quæ, ceu instrumenta quædam, ad æternam animarum salutem suam operam contulerunt (Corporum dotes gloriosas sequenti sermone exponam) Suspicient Martyres sancti corpora sua ceu suæ in Deum charitatis trophæa, cujus ob amorem se suppliciis, equuleis mortibusque atrocissimis prompto animo objecerunt: Suspicient illi acceptorum vulnerum cicatrices super aurum & lapides pretiosos radiaturas; quemadmodum etiam vulnerum in corpore Christi extantium cicatrices solem splendore superabunt: *Extabunt*, ait S. Augustinus (t) *in eorundem membrorum articulis*

(t) *Lib. 22. de Civit. Dei c. 20.*

ticulis gladii cicatrices refulgentes super omne aurum & lapidem pretiosum, velut & cicatrices vulnerum Christi. Suspicient animæ, quæ innocenter vixerunt, corpora sua tanquam fideles socios & vigiles suæ salutis custodes: dum illa quinque sensuum suorum severam mortificationem pertulerunt: dum vigiliis nocturnis, jejuniis aliisque macerationibus, sine quibus vita innocens ægre ducitur, se subdiderunt: Suspicient animæ Pœnitentum corpora sua primo quidem veluti suæ saluti insidiantia, ut in peccaminosas voluptates prona ruerent; postea vero veluti pœnas male actorum luere ultro volentia per justas illas vindictas, quas de ipsis (corporibus) animæ sumpserunt domando illa, frœnando, macerando & in debitorum, quæ eorum caussa in conspectu divinæ justitiæ contraxerant, dissolutionem etiam licita negando: Omnes denique Electi non sine gaudio a nobis in hac vita haud capiendo teneris amplexibus stringent corpora sua ab illis in æternum non amplius separandi sed cum illis beatitudine, quamdiu Deus erit, duratura fruituri. Qualis autem ac quanta corporum Beatorum gloria futura sit, suo tempore dicetur: nunc ex oraculo S. Pauli didicisse sufficiat, illa proportione servata variisque gradibus a Jesu Christo ad modum sui sacratissimi Corporis reformanda esse: *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* (u) Oh gloriam! Oh felicitatem! Oh beatitudinem æternam!

Restat alia brevis consideratio, quam nobis circa hoc mysterium & ea, quæ hucusque dixi, S. Paulus suggerit: nimirum ne plus justo de morte amicorum nostrorum & eorum, quos charos habemus, doleamus cogitantes & sperantes, nos gratissimo, suavissimo, lætissimo eorum consortio aliquando fruituros esse, ab ipsis in æternum amplius non separandos: consortio eorum primum quidem spiritali, statim ut animæ nostræ & animæ eorum in Paradiso sibi occurrent; consortio dein corporali, quod in extrema judicii die inchoandum tota æternitate durabit, quando in regno cœlorum cum corpore simul ac anima erimus. Hinc Apostolus scripsit: *Nolumus vos ignorare de dormientibus* (x) *ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent*; quoniam *si credimus, quod Jesus mortuus est, & resurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo*: *Itaque consolamini invicem in verbis istis.* Hoc ipsum & mihi & vobis, O charissimi! Iterum dico: Ecce! Moritur ille charus propinquus, amicus ille longe gratissimus: Hoc casu cor dimidium eripi nobis videtur: diffluimus lacrymis: vulnere insanabili confodimur; At cur ista (De eo dolore dico, quem non sordidum lucrum sed veræ, christianæ, honestæ amicitiæ amor parit) cur ista? . . . Non id volo, ut non doleatis; immo ut dolorem vestrum modicis lacrymis exoneretis, permitto: at hoc veto, nimium ut affligamini *sicut ii, qui spem non habent.* Nec Ecclesiasticus (y) in tali casu vetat: *Fili! in mortuum produc lacrymas . . . & fac luctum secundum meritum ejus* . . , at uno alterove die, *uno die vel duobus.* Et post hæc consentit Apostolo, dicens: *Ne dederis in tristitiam cor tuum, sed repelle eam a te & memento novissimorum*, inter quæ resurrectionis quoque universalis dies numeratur. Plangamus itaque modice, permitto; sed consolemur nos spe firma, fore, ut brevi eos, quos amisimus, denuo videamus (Dixi: brevi; nam fugit vita hujus mundi) & sic videamus, ut ab eorum consortio, quippe unito cum consortio Christi Jesu, nunquam amplius avellendi simus. Itaque in hujusmodi casibus *consolamini invicem in verbis istis.*

SER-

(u) *Philipp.* 3. (x) 1. *Thessal.* 4. (y) *Eccli.* c. 38.

SERMO XXVII.

In ultima Symboli verba: VITAM ÆTERNAM. Agitur de Beatitudine corporis.

POst resurrectionem universalem in Symbolo vitam æternam postremo loco profitemur: *Et vitam æternam*, idque multum opportune; cum universalem mortuorum resurrectionem totius hominis (quoad ambas, e quibus constat, partes) æterna vel felicitas vel infelicitas consequatur. Igitur hoc postremo articulo alia post hanc vita, eaque æternum duratura, creditur: Et quemadmodum tum beata Electorum tum infortunatissima Damnatorum vita, quæ ipsa mortis nomine dignior, durare æternum debet; ita hoc articulo ambarum æternarum vitarum harum tantopere inter se contrariarum professio continetur. Peregrinamur itaque, O mei! in hac vita, ad unam harum duarum æternarum vitarum ferali mortis in hora perventuri; Ita est, O suavissimi! Peregrinamur. Jam vero nostis omnes, eum, qui ex urbe Veneta in Orientem navigio suo pervenire vult, nequaquam in Occidentem vela vertere; quemadmodum is, qui in Occidentem ire cogitat, nequaquam in Orientem vela dat: Et eum, qui aliter faciat, magnæ nos insaniæ postularemus diceremusque, nunquam in Oriente appulsurum eum, qui versus Occidentem cursum dirigit; nec in Occidentem perventurum, qui versus Orientem iter tendit Quod si de itinerantibus cunctis tale ferri judicium debet, idem ferri de iis omnibus, qui in æternitatem tendunt, dicique debebit: nunquam ad beatæ æternitatis metam perventurum, qui ad infelicem æternitatem iter facit; nec ad infortunatæ æternitatis terminum perventurum, qui beatæ æternitatis viam graditur. Jam vero si vita hæc præsens duorum horum itinerum, tam inter se diversorum, tempus est & actiones nostræ quidam quasi passus sunt, quibus itineramur: videamus paulisper, O mei! quodnam iter nostra vivendi ratione aggressi simus. Via, quæ ad beatam æternitatem ducit, est observantia Legis Divinæ ecclesiasticæque: est observantia officiorum cujusvis statui convenientium. Via, qua ad infernum & æternitatem infelicem itur, est vita pro libitu ducta: est malorum appetituum expletio: est animi in quasvis voluptates (nullo memoratarum legem respectu habito) effusio. Jam, O mei! quam harum viarum hactenus ivimus, quod iter tetendimus? Cogitate, omne iter suum habere terminum: Cogitate, ad terminum non perveniri nisi viis ad eum ducentibus; atque de nobis id ipsum quoque, quod de itinerantibus monuimus, futurum nec nos ad terminum aliis viis, quam quæ ad eum ducunt, perventuros esse. Quod si autem Fidei caput manet, viam ad æternitatem beatam esse observantiam memoratarum legum, nunquam sine illa ad felicitatis sempiternæ portum appellemus: Et si verum est, viam ad infortunatam æternitatem hanc esse, si pravis animi affectionibus obsequimur: si cujusvis generis voluptates sectamur: si vitam quasi continuo in divinæ inimicitiæ statu agimus: certe hac via incedentes ad infortunatæ æternitatis terminum citra ullum remedium perveniemus; cum a ratione alienum sit, ut in nobis falsum fiat ratiocinium tam justum, tam sponte fluens, scilicet: quod itineris terminus non obtineatur, si via contraria itur: & quod contraria via non solum ad metam non ducat, sed ab illo etiam abducat. Igitur ut quivis suis, in hoc negotio omnium summo, rebus tempore consulat; quoniam articulus, ad quem explanandum aggressus sum, ita postulare videtur, ante oculos vestros utrumque hunc terminum, nimirum Regnum cœlorum & In-

Infernum damnatorum, ponere conabor: Atque ut iſtud ordinate ac concinne fiat, regnum cælorum in gaudia corporis & in gaudia animi dividam, hodiernoque ſermone de felicitate corporis dicam; cum ad capeſſendum vel mutandum iter nulla res extimulare vehementius ſoleat, quam exacta notitia bonorum aut malorum, quæ in itineris termino nos conſequentur & inevitabiliter conſequentur, quin eorundem vitandorum copia aut facultas ulla futura ſit.

Et quoniam die heſterno dotes corporis glorificati exponere omiſi, ut de iis hodie dicerem; idcirco a beatitudine corporis (acceſſoria illa quidem, at tamen maxima oppidoque omnibus Chriſtiánorum laboribus ac ſtudiis digna) exordium ducam, conſequenti ſermone de beatitudine animæ (eſſentiali illa) acturus.

Priusquam autem corporum beatorum felicitatem per partes exponere aggediar, date veniam, ut conſiderationem a S. Auguſtino olim allatam interponam, ex qua de Beatorum felicitate generatim ſtatuatis. *Bona cogitate & conſiderate, Fratres!* ait, *quæ dat Deus peccatoribus* (ſuis in hoc mundo inimicis) *& hinc intelligite, quid ſervet* in vita altera *ſervis ſuis: Peccatoribus* offendentibus & *blaſphemantibus eum quotidie dat cælum & terram* (cœli defluvium terræque fæcunditatem) *dat fontes, fructus, ſalutem, filios, copias, ubertatem; hæc omnia bona non dat niſi Deus.* Jam *qui talia peccatoribus* (Addam ego: qui talia Mahometanis, Chinenſibus aliisque nomini ſuo inimicis gentibus omni terrenæ felicitatis genere affluentibus) *dat, quid eum putas ſervare fidelibus ſuis? Hocne de illo ſentiendum eſt, quia talia malis dat, nihil ſervet bonis?* Neutiquam: *Immo vero ſervat non terram ſed cælum.* Verum poſt generalem hanc momenti graviſſimi conſiderationem ad dotes corporum beatorum particulatim explanandas tranſeamus.

Quamprimum corpora, in unionem cum beatis animabus ab inferis ſuſcitata, cum ipſis animabus conjuncta fuerint; ſtatim ab animabus corporalis beatitudo in eadem effundetur. Quemadmodum autem gloria animæ (uti Fides docet) in omnibus haud æqualis ſed gradibus gratiæ & charitatis, quibuscum anima Paradiſum ingreſſa eſt, congruens erit: ita & gloria corporis inæqualis erit. At ſicut animæ beatæ quoad eſſentiam gloriæ, quæ in viſione & fruitione Dei poſita eſt, ſibi invicem æquales & Solum quoad gradus minoris majorisve cognitionis divinæ inter ſe inæquales erunt: ita etiam nonnullæ dotes in corporibus beatificatis quoad ſubſtantiam æquales, quoad gradum inæquales erunt. Veritatem hanc Paulus indicavit, quando dixit: *Alia eſt claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum; ſtella enim a ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum* (a).

Dotes corporibus beatificatis omnibus communes quatuor ſunt, Impaſſibilitas, Claritas, Agilitas, Subtilitas. Exordium a prima ducamus: Impaſſibilitas dos eſt, cujus ope corpora beata impaſſibilia redduntur, ita ut jam a nulla amplus re lædi aut offendi ullo modo poſſint: Hinc non morbos, non dolores, non aliud incommodum ullum ſive ab extrinſeca ſive ab intrinſeca cauſſa effici ſolitum amplius ſentient. Sic Fides nos docet. Ob eam rem S. Joannes, hoc ſpiritu prævidens, in Apocalypſi (b) pronunciavit: *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra; quia prima abierunt.* Et Paulus (c) de corporibus beatis dicit: *Surget in incorruptione.* Vocatur autem dos hæc Impaſſibilitatis potius quam immortalitatis aut incorruptibilitatis nomine a Theologis; quia immortalitas (ut bene notat Catechiſmus Concilii Tridentini) etiam damnatorum corporibus convenit, quippe qui mortem anxie nimis quæſituri ſed non inventuri ſunt, prout de illis S. Joannes (d) affirmat: *Quærent... mortem, & mors fugiet ab eis:* Simili modo incorruptibilitas quoque corporum damnatorum certa manet, quippe quæ non obſtantibus tormentis, quibus tota æternitate ſubjacebunt, omnibus agente mira divinæ juſtitiæ virtute nunquam

(a) 1. *Corinth.* 15. (b) *Cap.* 21. (c) 1. *Corinth.* 15. (d) *Apoc.* 9.

quam corruptionem subitura sunt. Hinc de solis beatis corporibus Impassibilitas vere asseritur; cum e contrario damnatorum corpora cujusvis generis tormentis, doloribus atque molestiis obnoxia futura sint: Unde vivent miseri illi; at eo unice, ut incredibiles cruciatus sustineant. Atque ob id S. Austinus (e) damnatorum vitam mortem vivam potius quam vitam appellandam esse existimat; cum vera vita dici nequeat, nisi ea, in qua feliciter vivitur, nequaquam ea, quæ solis cruciatibus servatur: *Non est enim vera vita, nisi ubi feliciter vivitur: nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non sinitur (ut ita dicam) mors ipsa non moritur, & ubi dolor perpetuus non interimit sed affligit, ipsa corruptio non finitur.* Igitur corpora beata plane impassibilia erunt.

Altera corporum beatorum dos est claritas, qua solis ad instar teste Christo ipso splendescent: *Tunc justi fulgebunt* (f) *sicut sol in regno Patris eorum:* Cujus rei ut vobis exemplum, utut minus dignum, proponam; revocate in memoriam, quid Mosi & populo Israelitico acciderit, quando magnus hic Legislator post habitum cum Deo sermonem de monte descendit. Prætulit is in fronte tantam lucis ac splendoris vim, ut teste S. Scriptura intueri in (g) eum populus nequiverit. Quemadmodum nos solem aspicere volentes, nimio radiorum ejus fulgore lumina perstringente, aliorsum convertere vultus cogimur, ne oculorum usum amittamus: ita nec potuerunt *intendere Filii Israel* (ut S. Paulus affirmat) *in faciem Mosis propter gloriam vultus ejus* (h), quæ tamen transitoria fuit, *quæ evacuatur.* Jam cogitate, quantam lucis vim corpora illa beata in cruciatuum a se toleratorum præmium evibratura sint? Et si breve cum Deo habitum colloquium tantum vultui Mosis splendorem attulit; quantam, quæso! corporibus beatis lucem a Deo per æternam conversationem suam conferendam esse putatis? Erit autem in hac dote inæqualitas pro inæqualitate meritorum; id quod superius vario solis, lunæ, stellarumque fulgore monuit Paulus concludens: *Sic & resurrectio mortuorum.* Refertur ad hanc dotem a Sanctis Patribus mutua, quam Beati habituri sunt, affectuum & sensuum cordis cognitio; quæ cognitio cognitioni, quam in hoc seculo de se quisque habet, similis immo multo clarior erit: cum affectiones & præjudicia, quæ nobis in hoc seculo dominantur, persæpe non permittant, ut, qua revera indole simus, discernamus: ibi vero in patria cor, ab omni præjudicio immune, cunctis perspicuum ac visibile futurum sit: Ita S. Gregorius (i) *Ipsa eorum claritas vicissim sibi in alternis cordibus patet, & cum uniuscujusque vultus attenditur, simul & conscientia penetratur. . . Ibi nempe uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus.* O felicitatem!

Tertia dos est Agilitas consistitque in eo, ut corpus, ubicunque anima voluerit, puncto temporis sit; quin mora ulla interponatur. Hinc in immensis illis Paradisi spatiis Beatus etiam corpore-tenus ibi, ubi anima voluerit, uno temporis articulo erit. Dos hæc in Beatis omnibus æqualis est, eamque significavit Paulus, quando de resurrectione loquens dixit: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute* (k) Hanc corporis beati dotem, ut nos animo concipere faceret S. Augustinus (l) in hæc verba locutus est: *Neque vero incredibile est, operationem Dei omnipotentissimam præstare posse animis perfecte beatis, ut . . . corpora, ubi volunt, ponant &, quo volunt, agant situ motuque facillimo. An vero si hoc Angeli faciant & qualibet animalia terrestria rapiant unde libet, constituantque ubi libet: aut eos sine labore non posse, aut onera sentire credendum est? Cur ergo Sanctorum perfectos & beatos divino munere spiritus sine ulla difficultate posse ferre, quo voluerint, corpora sua non credamus? . . . . Et cum, aliis gestantibus, onerosior sit sanus & validus quam exilis & morbidus; ipse tamen ad suum corpus movendum atque portandum agilior est, cum in bona valetudine plus habet molis quam cum in peste & fame minimum roboris.* Tan-

(e) *Enchirid. c. 42.* (f) *Matth. 13.* (g) *Exod. 34.* (h) *2. Corinth. 3.*
(i) *Moral. l. 18. c. 27.* (k) *1. Corinth. 15.* (l) *De Civit. Dei l. 13. c. 18.*

tum valet in habendis etiam corporibus, quamvis adhuc corruptibilibus atque mortalibus, non quantitatis pondus sed temperationis modus. Et quis verbis explicet, quantum distet inter præsentem (quam dicimus) sanitatem & immortalitatem futuram? Jam huic S. Doctoris argumento quanta vis accedit, si agilitatem cogitamus, quacum dæmones operantur paucissimis momentis res terrestres ex uno in alium locum transferentes; cujus rei testimonium ranæ in palatio Pharaonis protinus congregatæ præbent? Jam si in extraneis corporibus Spiritus hostis Dei ex virtute naturali, justo Numinis judicio sibi relicta, tantum valuit; nonne multo majora in corpore suo jam beatificato poterit Spiritus sanctificatus, qualis est anima justi beati? Puncto igitur temporis per immensum illud regnum, ubicunque voluerimus, feremur, concludente in hæc verba S. Augustino (m) *Certe, ubi volet spiritus, ibi protinus erit & corpus.*

Quarta corporis beatificati dos est Subtilitas, quæ faciet, ut corpus ab imperio animæ omnino pendeat ejusque nutibus pareat. Hinc corpus non egebit sustentaculo, quippe nullo gravatum pondere: nec erit corpus extraneum ullum, quod corpori beatificato aditum, quocunque illud penetrare voluerit, occludere possit. Ob id observat S. Thomas, hanc sublilitatis dotem a virtute penetrandi denominari: *Nomen subtilitatis* (n) *a virtute penetrandi est assumptum.* Hinc S. Paulus corpus beatum *corpus spiritale* (o) vocat, non spiritum; nam manet corpus, sed corpus spiritualizatum. In eandemmet sententiam (p) S. Augustinus concludit: *Resurgent igitur Sanctorum corpora sine ullo vitio sine ulla deformitate sine ulla corruptione, onere, difficultate: in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit.* Etiam hæc dos in omnibus æqualis erit.

Post has dotes omnes observare nos cum S. Thoma oportet, in Beatis nec infantiam nec senectutem fore, sed omnes in ætate florida ac perfecta apparituros, qualescunque prius, dum in hoc mundo egerunt, fuerint. Ita ex sententia SS. Patrum S. Thomas citans primo testimonium S. Pauli dicentis: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram* (q) *ætatis plenitudinis Christi.* (scilicet omnes in ætate Christi, quæ fuit annorum circiter triginta trium, futuros) subin vero hanc afferens rationem: *Homo resurget absque omni defectu humanæ naturæ; quia sicut Deus humanam naturam absque defectu instituit, ita sine defectu reparabit. Deficit autem humana natura dupliciter: uno modo, quia nondum ultimam perfectionem est consecuta; alio modo, quia jam ab ultima perfectione recessit: Et primo modo deficit in pueris; secundo modo deficit in senibus. Et ideo in utrisque reducetur humana natura per resurrectionem ad statum ultimæ perfectionis, qui est in juvenili ætate, ad quam terminatur motus augmenti & a qua incipit motus decrecrementi* (r)

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, omnibus pulchritudo corporum beatorum, quæ numeris omnibus perfecta futura sunt, a nobis colligi debet: Et quemadmodum hæ corporis perfectiones ex beatitudine essentiali animæ beatæ fluunt; cum hanc variis gradibus discriminari certum sit, idcirco quoque certum est, etiam corporum pulchritudinem variis gradibus distingui. Jam cum nulla sit beatior aut sublimior anima quam anima Christi, & post hanc anima Mariæ; cogitate vobiscum, O mei! quanta venustas in his duobus beatissimis corporibus gloriæ suæ possessione jam fruentibus (prout de primo ipsa Fides, de altero Traditio ecclesiastica secura & certa docet) reluceat? .... Interim, O mei! si quando dæmon & pravæ affectiones nostræ nos, in objecta infirmitatem nostram formositate sua seducentia incidentes, ad vetitas complacentias admittendas inducere tentant, statim mentem in purissimam & innocentissimam Jesu ac Mariæ pulchritudinem intendamus, oculosque a creatis, terrenis, fluxis, inconstantibus & ex quovis levi incommodo marcescentibus formis avertentes, cum animis nostris dicamus: Quid sunt pulchritudines istæ, si pulchri-

(m) *Lib. 22. de Civit. Dei. cap. 29.* (n) *Suppl. quæst. 82. art. 1.* (o) *1. Corinth. 15.* (p) *Enchirid c. 41.* (q) *Ephes. 4.* (r) *S. Thom. Suppl. quæst. 81. art. 1.*

pulchritudini Jesu & Mariæ componantur? Sunt scintilla ignis terreni soli collata, multoque minus quid: Sunt venenum, quod inficere conscientiam tentat: Sunt latrones, qui spoliare me Dei gratia volunt: Sunt incitamenta, quæ flammam restinctu difficilem accendere in animo parant: Sunt prædones, qui exuere me bonis temporalibus, qui tollere mentis tranquillitatem, qui necare animam, qui optatissimam sortem Jesu & Mariæ pulchritudine fruendi mihi in perpetuum rapere student. Hisce christianis, solidis verisque cogitationibus oculos, mentem, affectum avertamus & ad Christum atque Mariam convertamus.

Cogitabitis forsitan, O mei! me de corporis nostri in regno cælorum beatitudine, quæ dici possunt, omnia dixisse Fallimini: Restant adhuc, quæ dictis addam. Nam non corpus solum quoad suam (ut sic dicam) substantiam sed etiam quinque illius sensus beari debent: Verum cum hæc quinque sensuum beatificatio fieri nequeat, quin illi suum quivis exercitium habeant; ob id S. Thomas hoc argumentum ex proposito tractans affirmat, quinque corporis sensus habituros, quo exerceantur. Hoc ratione solida ac metaphysica, quæ tamen Fide nititur, probat dicens: Evidens est, potentiam actui conjunctam perfectiorem esse, quam non conjunctam; Ita exempli gratia oculus, qui actu videt, est perfectior oculo, qui solam habet potentiam videndi & actu non videt: Ita gustus, qui actu gustat, est perfectior gustu, qui solam habet potentiam gustandi. At, cum in beatitudine sensus corporis summam perfectionem habere debeant, sequitur, eosdem semper actui suo conjunctos esse debere: Visus, ut semper videat: Auditus, ut semper audiat: Odoratus, ut semper odoret: Gustus, ut semper gustet: Tactus, ut semper sentiat. *Potentia conjuncta actui est perfectior, quam non conjuncta: Sed natura humana erit in Beatis in maxima perfectione; ergo ibi erunt omnes sensus in suo actu* (s) Idque alia æque valida ratione confirmat: Certum est, in damnatis sensus corporis perpetuum exercitium habituros ad objecta omnino exosa & cruciantia; nam cum per exercitium sensuum suorum illi peccarint, jure fit, ut eorundem molestissimo exercitio puniantur: Igitur & in justis sensus corporis per exercitium beari ac delectari debent, si id in hac vita per mortificatum eorundem exercitium promeruerunt: *Corpus præmiabitur vel punietur propter merita vel demerita animæ; Ergo & omnes sensus præmiabuntur in beatis, & punientur in malis secundum delectationem & dolorem vel tristitiam, quæ in operatione sensus consistunt.* (t)

Dicet aliquis: Equidem intelligo, visui exercitium longe suavissimum fore; nam videbit cœlorum, syderum planetarumque venustissimam speciem: videbit mansiones regni illius spatiosissimi, Civitatis Dei (Hoc dixisse sufficiat, cum Civitas illa dicendo exprimi satis non possit) quam quasi adumbrando in Apocalypsi S. Joannes (u) descripsit: videbit corporum beatorum, videbit Mariæ & Christi amœnissimas formas, in quarum omnium comparatione mundi sublunaris pulchritudo universa rudis lapillus, templo Salomonis collatus, multoque minus quid dici debet. Intelligo præterea, auditum suavissimis beatarum turmarum melodiis atque carminibus in laudem Dei optimi maximi canendis demulcendum esse, quippe de quibus Rex Psaltes pluribus in locis & laudatus S Joannes in Apocalypsi sua memorat. Intelligo denique, odoratum fragrantissimis odoribus, quos glorificata exhalabunt corpora, & suffimentis in vastissimo illo regno undique spirantibus reficiendum esse: Ast gustus & tactus quale exercitium habituri sint, non dispicio. Talia interroganti repono: Neque me scire, ad quæ præcise objecta duorum sensuum horum actus terminandi sint; de cætero cum allata a S. Doctore ratio revinci nequeat & necessitatem exercitii atque actus sensuum plane comprobet, quippe sine quo sensus plenam perfectionem non haberent: ob id cum memorato angelico Doctore dico: quod gustus actum suum habiturus non sit, in quantum

 est

(s) *S. Thom. Suppl. quæst. 84. art. 4.* (t) *Loc. cit.* (u) *cap. 21.*

est sensitivus alimenti, sed enim in quantum est judicativus saporum secundum humiditatem quandam, qua lingua humectabitur (uti in hac vita a saliva humectatur) quæ omni sapori æquivalebit: *Ibi erit gustus in actu* (x) *per immutationem linguæ ab aliqua humiditate adjuncta.* Neque est, quod huic asserto cum ratione opponatur; nam si testante sacra Scriptura Manna, quod Dominus populo Israelitico, populo duræ cervicis pluit, omne delectamentum in se habuit; nunquid forsitan nolet Deus, ut in Beatis gustus, quem ob sui amorem hi in hac vita tantopere mortificarunt, suum exercitium idque oppido delectabile habeat? Similiter, quod ad tactum spectat, cum eodem angelico Doctore dico: quod corpora glorificata, cum Impassibilitas omnem mutationem aut alterationem naturalem excludat, tantum alterationis spiritualis capacia futura sint, hoc est: quod qualitates tangibiles spirituali mentis perceptione distinguere poterint, prout Adamo in statu innocentiæ accidisset, quem nec lædere gladius nec urere ignis poterat, quamvis horum sensum habuisset: *In corporibus gloriosis* (y) *a quibus Impassibilitas excludit naturalem immutationem, erit immutatio a qualitatibus tangibilibus spiritualis tantum; sicut etiam in corpore Adæ fuit, quod nec ignis urere, nec gladius scindere potuisset; & tamen horum sensum* (mentis penetratione) *habuisset.*

Jam posthæc, O mei! edicite, si in gloria cœlesti haud aliæ res forent, quam quas hucusque descripsi (scilicet quod corpus modis, quibus dixi, impassibile, splendidissimum, maxime agile ac subtile accepturi: quod regnum multo amœnissimum, quale est regnum Dei ab ipso charis amicis suis servatum, possessuri: quod incomparandarum pulchritudinum aspectu fruituri: quod melodias & carmina imperceptibilia audituri: quod fragrantissimos odores hausturi: quod Paradisi sapores gustaturi: quod qualitates suavissimas sensuri: quod sincerissima, jucundissima blandissimaque innumerabilium Sanctorum, Mariæ ac Christi consuetudine usuri: & quod his omnibus in æternum fruituri simus:) si, inquam; hæc sola forent; nunquid hic tantus felicitatum, voluptatum ac deliciarum, quarum ne vestigium quidem in his terris habemus, cumulus omnia studia nostra ac curas omnes & amarorum quorumlibet in hac brevi ac misera vita occurrentium tolerantiam mereretur? Heus! quam anxio studio amissam requirimus sanitatem: quantis molestiis honores, dignitates aut lucra, quandoque brutas etiam voluptates venamur? . . . Et in rebus tam magnis, quas memoravi, consequendis nihil commovemur, nihil sentimus, plane plumbei sumus. Milites Holofernis Juditha visa sibi invicem dixerunt: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habet, ut non pro his merito pugnare contra eos debeamus.* O sensus hominibus bello exercitis, hominibus idololatris dignos: indignos vero mente fideli! At si isti, ut formarum corruptilium, lutearum, putrescentium & voluptatis, quam cum bestiis communem habemus, potirentur, omnem molestiam omniaque belli discrimina sibi certe subeunda esse putarunt; quanto majori cum ratione ea, quæ milites isti sibi, nos nobis cum animis nostris dicere debemus, ut æternas deliciarum, voluptatum, delectamentorum & gaudiorum inexplicabilium sedes corpori nostro obtineamus: *Quis contemnat &c.* Conemur itaque omnes in illas sedes pervenire; quandoquidem in hac vita corpori nostro tantopere studemus, persæpe etiam, ut eidem obtineamus, quo in infernum præceps detrudatur: Conemur (inquam) corpus nostrum beatum efficere. Verum ea, quæ hactenus dixi, umbra solum sunt magnæ illius picturæ, quæ de beatitudine animæ (essentiali illa) depingenda restat; quandoquidem hujus ipsius mera consequentia quædam & appendix est ea beatitudo, quam hucusque descripsi.

SER-

(x) *S. Thomas loc. cit.* (y) *Loc. cit.*

SERMO XXVIII.

In eadem Symboli verba: Credo vitam æternam. Agitur de beatitudine animæ.

Quod si me semper, O mei! necessariis ad Fidei veritates explicandas subsidiis nudum atque spoliatum arbitratus sum; tum certe hodie adigi me sentio, ut requisitis ad mentium beatarum felicitatem exponendam dotibus cunctis me plane destitutum esse profitear. Sentio me (inquam) ad ingenuam hanc confessionem sermoni meo præmittendam verbis S. Pauli, quæ de Fide sunt, adigi; quibus ille gentium Doctor testatur, quod *oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum* (a) Quod si in hæc verba Paulus loquitur, qui speciali gratiæ ominno eximiæ privilegio ad visionem Dei & beatitudinis cælestis gustationem, utut transitoriam, elevatus fuit (prout ex illius verbis in alio loco occurrentibus Theologi omnes concludunt) quid, quæso! afferre ego in medium potero, cui non solum fontem hunc divinum degustare, sed vel seriis devotisque meditationibus attingere numquam licuit. Quid igitur faciam, ut, quod ad propositum sit, vobis exponam nec errem? Dicam, quia mecum statuerim: Doctorem Ecclesiæ in primis sanctum, illuminatum, eruditum, sublimem sequar S. Augustinum: Hujus vestigia, hujus sententias, quas variis præclarorum suorum operum locis perscriptas reliquit, tenendo efficere conabor, ut inexplicabilem animarum beatarum felicitatem quodam modo cognoscatis, quo omnes verum illius possidendæ desiderium concipiamus, omnique contentione eandem obtinere satagamus.

Beatitudo a Theologis omnibus cum Boetio definitur: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*; id quod ante ipsos S. Augustinus (b) asseruit: *Beatitudo bonorum omnium summa & cumulus.* Igitur si anima in beatitudine omnia bona possidere debet, nullum erit bonum, quod non possidebit: nec habebit amplius rei alicujus desiderium; cum desiderium haberi non possit, nisi ejus rei, quæ appetentem deficit. At in beatitudine nullum bonum deficiet; ergo nullum desiderium habere anima beata poterit. Neque fieri aliter potest teste (c) S. Augustino. Nam cum *beatitudo* sit *fruitio Dei*; *Deus autem* sit *omnis boni bonum:* sit *bonum simplex*: immo *ipsum bonum, quo cuncta sunt bona*; necessario sequitur: quod, ubi Deus possidetur, ubi perfecta fruitio illius obtinet, ibi nullum rei alterius desiderium exsistere possit. Jam *si nos*, subdit idem S. Doctor (d) *delectant bona ista, quæ appellantur bona*, cum tamen re ipsa non sint (*Omnia enim mutabilia non sunt per se bona*) *qualis erit contemplatio incommutabilis boni, æterni, semper eodem modo manentis: Quandoquidem ista, quæ dicuntur, bona nullo pacto nos delectarent, nisi essent bona: nec alio pacto essent bona, nisi ab illo essent, qui simpliciter bonus est.* Validissimam hanc Augustini considerationem per capita repetamus. Non desideratur nisi bonum, sive dein tale sit sive tantum videatur; hinc ubi illud adeptum fuerit, gaudium de sui possessione affert: Certum deinde est, bonum, quo delectamur, esse bonum tantum participatum, non primum bonum nec boni omnis originem. Jam si nos tantopere delectat bonum a primo bono, quod boni omnis fons & principium est, participatum; quantum ipsius primi boni, quod sua ex essentia bonum est, consecutio, fruitio, possessio delectabit? Quis est, qui non videat, quod ubi hoc bonum (quod omnium existentium, possibilium ac cogitabilium bonorum bonum est)

(a) 1. Corinth. 2. (b) *Enarr. in Psalm.* 2. n. 11. (c) *Enarr. in Psalm.* 26. (d) *Loc. cit.*

est) semel obtinetur, jam nullum aliud bonum desiderandum restet; quoniam ipsa bonorum omnium plenitudo ac scaturigo possidetur. Jam hic est mentium beatarum status: *Bonorum omnium summa & cumulus.*

Volens posthæc S. Augustinus ea, quæ anima beata possidet, singillatim exponere commoveri se ac perturbari fatetur, quippe sentiens imponi sibi necessitatem de ejusmodi rebus disserendi, quæ supra mortalium intelligentiam altissime posita sunt. Atque ob id profitetur: *Facilius tibi potest dici, quid ibi non erit* (e) *quam quod ibi erit.* Hinc ego quoque, O mei! vestigia hujus sancti Doctoris premens dicam: ibi non esse peccatum, nec miseriam, nec dolorem, nec tristitiam, nec afflictionem, nec laborem, nec molestiam, nec anxietatem, nec ærumnam, nec aliud incommodum ullum: *ibi non erunt.* Dicam: ibi non esse famelicos, qui satientur: non sitibundos, qui refocillentur: non pauperes, qui adjuventur: non mæstos, qui recreentur: non errantes, qui corrigantur: non nudos, qui vestiantur: *Ibi non erunt.* Concluditque S. Doctor: *Quia ergo cessabunt simul miseriæ, cessabunt opera misericordiæ* in illis sedibus (quamvis Sancti eadem versus nos intercessionibus suis misericordiæ plenis exerceant) Verbo: non erit ibi aliquod mali genus; quia ibi *bonorum omnium summa & cumulus* erit.

Verum cum adverteret Augustinus, hac negativa notitia auditores suos haud esse contentos (prout & mihi in vobis accidere video) ob id S. Doctor quæstionem, quam auditores ejus primoribus labris versare videbantur & vos quoque versare videmini, ipse sibi movit: *Quid ergo ibi agent* animæ beatæ? Repono cum memorato S. Augustino: *Nonne jam dixi* (f) *facilius me dicere, quid ibi non erit, quam quod ibi erit. Tamen*, pergit, *aliquod non impudenter dicam; quia de Scripturis dico, quæ ibi erit actio nostra. Tota actio nostra* (Ne subrideatis, O mei! nam, quæ Augustinus affert, e libro Apocalypseos mutuatus est) *actio nostra Amen & Halleluja erit.* Quid ad hæc vos, O suavissimi? *Quid dicitis, Fratres! Nolite carnali cogitatione contristari; quia si forte aliquis vestrum steterit, & dixerit quotidie* Amen *&* Halleluja, *tædio marcescet & in ipsis vocibus dormitabit & tacere jam volet; & propterea putet sibi aspernabilem vitam & non desiderabilem, dicentes vobis metipsis:* Amen *&* Halleluja *semper dicturi sumus; quis durabit?* En! ut ea, quæ ad hæc forsitam objecturi eratis, sibi ipse objicere S. Doctor præoccupat; Sed & responsum illius accipite: *Dicam ergo, si potero, quantum potero; Non sonis transeuntibus dicemus* Amen *&* Halleluja. *Quid est enim* Amen? *Quid* Halleluja? *Amen*, EST VERUM: *Halleluja*, LAUDATE DEUM. *Quia ergo Deus & veritas incommutabilis sine detrimento sine augmento & semper permanens .... tunc alio ineffabiliter affectu dicemus* Verum est; *Et cum hoc dicemus*, Amen *utique dicemus sed insatiabili satietate; quia enim non deerit aliquid, ideo satietas: quia vero illud, quod non deerit, semper delectabit, ideo quædam (si dici potest) insatiabilis satietas erit. Quam ergo insatiabiliter satiaberis veritate, tam insatiabili veritate dices* Amen. ... *Quia itaque sine aliquo fastidio & cum perpetua delectatione videbimus verum & certissima evidentia contuebimur, amore ipsius veritatis accensi & inhærentes ei, dulci ac casto amplexu eodemque incorporeo, tali etiam voce laudabimus eum & dicemus* Halleluja. *Exultantes enim se ad parilem laudem flagrantissima charitate invicem & in Deum, omnes cives illius civitatis dicent* Halleluja, *quia dicent* Amen.

Hæc est, O mei! non minus ingeniosa quam vera meditatio S. Augustini, qua nobis sempiternam beatorum in Paradiso Animarum occupationem exponit; quæ (uti dixi) in eo consistet, ut mente dicant: *Verum est* & *Laudate Deum*; nam cum intellectus in Veritate infinita (quæ Deus est) defigatur: idque per lumen gloriæ, quod est vigor quidam a Deo in intellectus beatos omnes effusus; in quantum eundem per secula seculorum contemplantur, veritates nunquam exhauriendas in eo detegunt; quæ veritates omnes cum non minus certæ quam evidentes

tes

(e) *Serm. 362. n. 28.* (f) *Loc. cit.*

tes futuræ ſint, ob id dicere cogentur: *Verum eſt*; ergo *Amen*. Et quoniam ex hac viſione imperceptibile quoddam gaudium ac voluptas æterna ad affectum & voluntatem redundabit, ideo dicere cogentur: *Laudate Deum*: ergo *Halleluja*. O mentium beatarum felicitatem! Semper divinas veritates cum evidentia cognoſcere & de iisdem ſemper cum amore, qualem hic in terris experiundo percipere haud licet, gaudere!

Quo autem e fonte ad beatas Electorum animas perpetuum iſtud *Amen* atque *Halleluja*, quod illas teſte Auguſtino inſatiabiliter ſatiat, derivetur, prodit S. Joannes Apoſtolus in prima ſua epiſtola (g) quam pariter S. Auguſtinus interpretatus eſt. *Scimus* ait, *cum apparuerit, ſimiles ei erimus; quia videbimus eum, ſicuti eſt*, Poſt quæ S. Auguſtinus infert: *In tantum ergo videbimus, in quantum ſimiles ei erimus . . . inde igitur videbimus, unde ſimiles erimus.*

Ut vim deductionis hujus Auguſtinianæ comprehendatis, exponere vobis maximi & fideiiſſimi, quem poſt S. Fulgentium magnus hic Eccleſiæ Doctor habuit, diſcipuli ſcilicet S. Thomæ doctrinam neceſſe eſſe videtur. Advertite quæſo! animos, & quantum potero, quam clariſſime eandem vobis ob oculos ponam. Videmus, homines (præterquam quod homines ceteris hominibus ſimiles ſint) diverſis inſuper qualitatibus ornari: Ita non omnes Theologi aut Jurisperiti aut Medici aut Architecti ſunt &c. Unde hoc? Quia non omnes memoratarum ſcientiarum aut artium ſpecies ſeu ideas mente comprehendunt. Hinc Theologus dicitur, qui ideas theologicas poſſidet: Jurisconſultus, qui legum ideas ac notitiam habet: Medicus, qui medicinæ ſpecies animo comprehendit: Architectus, qui regulas architectonices callet: Peritus denique hujus aut illius artis, qui earum artium elementa ac præcepta novit. Ob eam rem iſti non homines ſolum dicuntur; ſed homines theologi, homines jurisconſulti, homines architecti &c. Ex his intelligitis, O chariſſimi! quod ideæ, quas hi ſibi acquiſiverunt, eos tales in hac ſcientia vel arte faciant: & quod ii, qui memoratis ideis deſtituuntur, tales non ſint. Requiruntur ergo, ut quis talis vel talis ſit, tales vel tales notitiæ procedentes ex ideis vel (ut alii dicunt) ex ſpeciebus talis vel talis facultatis in animo collectis. Igitur Animæ quoque beatæ, ut beatæ ſint & veritatum divinarum abyſſum cognoſcant, habebunt ideas altiſſimarum harum veritatum non quidem aliunde acquiſitas, ſed certe a Deo ſolo mentibus earum infuſas. Jam qualibus intellectum animarum beatarum ideis fœcundari putatis, ex quibus deinde altiſſimæ illæ & ſuaviſſimæ notitiæ oriantur? Non per aliam ideam aut ſpeciem intelligunt & mentaliter vident illæ, quam per ipſam Eſſentiam divinam, quæ ſe intellectui animæ beatæ immediate unit; cum teſte S. Thoma fieri non poſſit, ut ſit alia ſpecies aut idea creata potens adæquate repræſentare Eſſentiam Dei ab animabus beatis clare cognitam: *Non poteſt aliqua forma* (h) *creata eſſe ſimilitudo repræſentans videnti Dei eſſentiam*; id quod memoratus S. Doctor inexpugnabilibus argumentis confirmat, inter alia dicens: Videretur equidem in illa forma ſeu idea creata ſimilitudo Eſſentiæ divinæ ſemper inadæquate repræſentata, non Eſſentia Dei in ſe; id quod tamen Scripturæ affirmant teſtante Paulo (i) *Videbimus facie ad faciem*, & jam laudato S. Joanne (k) *Videbimus ſicuti eſt*. Hinc S. Thomas denuo concludit: *Unde dicere, Deum per ſimilitudinem videri, eſt dicere, divinam Eſſentiam non videri; quod eſt erroneum. Dicendum ergo, quod ad videndum Dei Eſſentiam . . . requiritur lumen gloriæ . . . Non autem per aliquam ſimilitudinem creatam videri poteſt Eſſentia divina.* Hinc manet, quod ipſa Eſſentia divina ſe intellectui beato, tanquam idea, uniat; quod ipſum idem S. Doctor alio in loco (l) docet: *Divina Eſſentia, cum ſit actus purus, poterit eſſe forma, qua intellectus intelligit; & ſic erit unio beatificans . . . In patria id ipſum per formam, quæ eſt Eſſentia ſua, videbimus & conjungemur ei quaſi noto.* Unde ait: quod, ſi mens bea-

(g) *cap.* 3. (h) *Part.* 1. *q.* 12. *art.* 2.
(l) *Suppl. q.* 92. *art.* 1.
(i) 1. *Corinth.* 13. (k) 1. *Epiſt. c.* 3.

beata, quæ Deum videt, aliquam Dei ideam a se formatam concipit, hæc non sit Deus sed aliquis effectus Dei: *Quicunque videntium Deum aliquid mente concipit, hoc non est Deus sed aliquis divinorum effectuum.* Tam firmiter sanctus hic Doctor tenet, in patria cœlesti non intelligi nec mentaliter videri Deum nisi per ipsam illius Essentiam intellectui nostro intime unitam.

Jam post expositam summi hujus Theologi doctrinam ad ea, quæ superius dicta sunt, revertamur: scilicet quod aliquis architectus sit talis ob ideam architecturæ, quam mente comprehensam habet: Theologus sit talis ob ideam Theologiæ: geometra sit talis ob ideam geometriæ. Hinc etiam mens animæ beatæ ob ideam ipsius Essentiæ divinæ sibi intime conjunctam divina dicenda est: Atque ita animæ beatæ in visione Dei divinæ redduntur. Et ecce! illud S. Joannis: *Similes ei erimus:* Quare? *Quia videbimus eum, sicuti est*; cum non per aliam ideam quam per ideam ipsissimæ Essentiæ illius nobis unitæ visuri simus. En! quoque vim ac robur deductionis Augustinianæ illustratum: *In tantum ergo videbimus, in quantum similes ei erimus;* cum in mente nostra aliam ideam habituri non simus quam ipsam Dei Essentiam; & sic *inde videbimus, unde similes erimus*, similes ei effecti; quia in nobis ipsam illius Essentiam habituri sumus unitam nobis, tanquam ideam ad cognoscendum eum.

Neque ob id cogitetis, pergit Augustinus, hanc similitudinem nos ei æquales facturam esse: Nequaquam; Nam solus ei æqualis est ille, qui ei similis; quia æqualis, scilicet Verbum: *Unicus similis nascendo, nos similes videndo; nos enim similes, non æquales; ille, quia æqualis, ideo similis* (m).

Ex his omnibus melius intelligetis, quæ superius de *Amen* seu *Verum est* diximus, & quod anima beata nunquam satianda sit dicendo: *Verum est*; nam cum in intellectu suo pro idea Essentiam divinam habitura sit, Essentiam: quæ evidentes veritates omnium revelatorum mysteriorum, omnium divinorum Attributorum, omnium rerum, quæ exsistunt, exsistent & existere numero infinito possunt, in se complectitur; habebit in perpetuum caussam mentaliter dicendi: *Amen, Amen*; sive quod idem, *Verum est, Verum est.* Immo in hujus ideæ, quæ est Essentia divina, majori minorive penetratione consistit varius gloriæ essentialis gradus, quam animæ beatæ vario meritorum, quibuscum in Paradisum intrant, gradui respondentem habituræ sunt.

Et quoniam cognitionem amor boni cogniti sequitur: quanto majus est bonum cognitum, tanto jugior est amor erga illud. Hinc cum bonum cognitum in visione Dei sit bonum infinitum (quod est ipse Deus) & quidem sit sine velamento, cum omni evidentia atque in se cognitum: ob id anima beata, quandoquidem amoris actu infiniti capax non est, certe omni, quo maxime poterit, amore & insatiabili quadam cum satietate illud amabit: uti Augustinus monuit. Ex hoc ipso autem nascetur in voluntate gaudium ejusmodi, quod in hac vita positi nec mente concipere nec verbis explicare valemus; nam cum gaudium ex boni amati possessione oriri soleat eoque magis crescat, quo majus est bonum possessum & quo major est boni possessi haud amplius amittendi securitas: quandoquidem anima beata summum bonorum omnium, immo solum atque unicum bonum essentiale a se amatum possidet; & quidem possessione omnium, quæ fingi a nobis possunt, intima atque cum perfecta illud amplius non perdendi securitate: cogitet, qui potest, quam ingens alicujus animæ beatæ gaudium futurum sit; quæ ob hanc maxime caussam beata esse a S. Augustino agnoscitur: *Eo bono fruendo quisque beatus est, propter quod cetera vult habere; cum illud jam non propter aliud sed propter se ipsum diligatur.* Sic e. g. qui divitias propter honorem amat, non tam de divitiis gaudet quam de honore; cum divitias propter honorem, honorem autem propter honorem amet. Jam quemadmodum anima beata Deum non propter aliud

(m) *Enarr. in Psalm.* 49.

aliud quid ſed propter Deum ipſum amat; ita in illius poſſeſſione abſolutiſſimo gaudio perfruitur: *Et ideo finis ibi dicitur; quia jam, quo excurrat & quo referatur, non invenitur: Ibi requies appetendi: Ibi fruendi ſecuritas: ibi tranquilliſſimum gaudium optimæ voluntatis* (n).

Itaque cum gaudium animæ beatæ ab æterna poſſeſſione ejus boni, quod deſiderandum extra ſe nihil relinquit quippe deſiderabilia cuncta in ſe continens, oriatur: ob id Theologi S. Thomæ aſſeclæ inferunt, animas beatas ab actuali amore & laude Dei nunquam ceſſaturas eſſe; nam cum in Paradiſo nullus errori ulli & (quod ſequitur) nullus ulli voluntatis actui minus recto locus futurus ſit: conſequens eſt, animas beatas concipere haud poſſe, quod res bona ſit ceſſare ab amore Dei; quandoquidem hic amor præcipue in illo ſtatu actus plane ſuaviſſimus & jucundiſſimus eſt: Quemadmodum autem intellectus concipere non poterit, ſatius eſſe ceſſare a tali amore quam eundem continuare; ita nec voluntas, quæ ductum intellectus ſequitur, ab illo amore ceſſabit. Hinc videbunt ſeſe animæ beatæ dulciſſima quadam neceſſitate eo compelli, ut Deum ſemper ament ac collaudent, quin ab hac juſtiſſima ac ſuaviſſima laude & amore unquam ceſſent. Ob eam rem S. Auguſtinus (o) ait: *Securi ergo ſimus: Nos non ſatiabit laus Dei, amor Dei. Si deficies ab amore, deficies a laude: Si autem amor ſempiternus erit, quia inſatiabilis pulchritudo erit; noli timere, ne non poſſis ſemper laudare, quem ſemper poteris amare.* Et alio in loco (p) ait: *Negotium noſtrum* ibi ſuperis in ſedibus *quod erit*? *Laudare Deum, amare & laudare, laudare in amore & laudibus.* O vitam feliciſſimam vereque beatam!

Dum hæc diſſero, tacite obloquentem aliquem audire mihi videor: Voluntas Beatorum ceſſare ab amore Dei non poteſt, quia tam hanc ceſſationem boni judicare quam reipſa ceſſare vitioſum eſſet; quoniam nulla rationabilis ceſſandi cauſſa exiſtit, quandoquidem actus hic eſt longe ſuaviſſimus & jucundiſſimus: Igitur voluntas, cum ab amando ceſſare non poſſit, non jam libera erit. At hanc quoque objectionem tacite ab auditoribus ſuis ſibi factam intercepit S. Auguſtinus reſpondens: *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt: magis quippe erit liberum, a delectatione peccandi uſque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. . . Nam utique peccando nec pietatem nec felicitatem tenuimus. . . Certe Deus ipſe nunquid, quia peccare non poteſt, ideo liberum arbritrium habere negandus eſt? Erit ergo illius civitatis & una in omnibus & inſeparabilis in ſingulis voluntas libera & ab omni malo liberata & impleta omni bono, fruens indeficienter univerſorum æternitate gaudiorum* (q).

At hæc gloriæ diverſitas (dicet aliquis) quam in ſe mutuo animæ beatæ videbunt, quomodo fieri poteſt, ut non in eo, qui minore claritate præditus, cupiditatem excitet majorem habendi, quam in altero deprehendet? Quisquis ſic cogitat, vera perfectæ charitatis idea carere ſe oppido oſtendit. Nunquid audiſtis, ait S. Auguſtinus (r) Deum in patria teſte Paulo (s) omnia in omnibus futurum eſſe, & Deum teſte S. Joanne (t) charitatem per eſſentiam eſſe. Jam hic *Deus erit omnia in omnibus, ut, quoniam Deus charitas eſt, per charitatem fiat, ut quod habent ſinguli, commune ſit omnibus: Sic enim quisque etiam ipſe habet, cum amat in altero, quod ipſe non habet. Non erit itaque invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis.*

Hinc animæ beatæ perfectiſſima pace & quiete nunquam interturbanda fruentur. Conſideretis hoc in loco, O mei! velim, pacem & quietem etiam in hac præſenti vita omnium humanarum actionum ſcopum ac metam eſſe: Et quamvis hæc quies a plurimis in iis non quæratur, in quibus inveniri poteſt (puta, in peccatis quæratur) tamen etiam illi, qui peccatum quærunt, peccatum ob id quærunt, quod in hoc pacem & quietem ſibi inventuros ſe eſſe credant.

(n) *S. Auguſt. Epiſt. 118. n. 13.* (o) *Enarr. in Pſalm. 83.* (p) *Enarr. in Pſalm. 147.* (q) *Lib. 22. de Civit. Dei c. 29. n. 3.* (r) *Tract. 67. in Joan.* (s) *1. Corinth. 15.* (t) *1. Epiſt. 4.*

dant. Rei hujus ratio evidens est: Motus durat, donec ad terminum pervenitur; hoc adepto motus cessat. Jam vita nostra continuus quidam motus est, qui non cessat, donec terminum suum teneat. Et quoniam improbi terminum quærunt, qui pacem afferre nequit; ob id quietem nunquam inveniunt: Justi contra, dum terminum verum, qui pacem & quietem parit, quærunt, eandem etiam inveniunt. Terminus iste in hac vita est gloria Dei, in qua sola quies vera ac pax in his terris invenitur, sed pax nondum numeris perfecta omnibus; quoniam adhuc continuo certandum. Hinc, dum Justi gratiam Dei habent, habent principium ac semen pacis perfectæ; nam, cum *gratia* sit *semen gloriæ*, sequitur: veram pacem ac omnibus modis absolutam quietem non nisi in gloria esse. Ob eam rem regnum illud cœleste sæpe in Scripturis *Jerusalem* (quod interpretatur *Visio pacis*) immo etiam *Pax* vocatur: *Posuit fines tuos Pacem* (u) Et Ecclesia ipsa, a Spiritu sancto docta, dum Paradisum defunctis precatur, nil nisi pacem eis optat: *Requiescant in pace.* Est igitur cœlum pax (ut cum S. Augustino loquar & levis hic sermo meus totus sublimibus illius sancti Doctoris sensibus acceptus referatur) immo ibi tota pax: *Posuit fines tuos pacem. Aurum tuum pax; argentum tuum pax; prædia tua pax; vita tua pax; Deus tuus pax; quidquid desideras, pax tibi erit. Quia hic aurum quod est, non potest tibi esse argentum; quod vinum est, non potest tibi esse panis; quod tibi lux est, non potest esse potus: Deus tuus totum tibi erit. . . Angustias non ibi patieris cum eo, cum quo totum possides. Totum habebis, totum & ille habebit; quia tu & ille unum eritis, quod & unum totum ille habebit, qui vos possidet. Finis cælestis Jerusalem, pax. Posuit fines tuos* (x) *pacem.* Ah beatissimam ac felicissimam Hierusalem cœlestem! Vere *gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei!* Quis vestrum est, O mei! qui sibi ingredi in hanc civitatem non optet? Quis est, qui post perceptam utramque & corporis & animæ beatitudinem, earum consequendarum desiderio non inflammetur? Nemo (credo) vere credentium: nemo fidelis existet, qui non dicat: Vellem & ego intrare illuc; vellem & ego forte hac beatissima uti. At num hoc, O mei! sufficiet: Num sufficiet dixisse: Utinam! Vellem! . . . Neutiquam hoc sufficit. Dicendum nobis: Volo plane; & hoc dicendum Dei adjuvante gratia cum firmo certoque proposito, ac subin id faciendum nobis, quod Christus se interroganti, quid pro vita æterna habenda facere deberet, reposuit: *Si vis* (Notate, non dixit: *Si velles*) *ad vitam ingredi* (y) *serva mandata.* Primum ergo animo stabili ac obfirmato dicite: *Volo*, fiatque verum, velle vos: *Si vis.* Et si vere volueritis, ecce! remedium a Christo Domino ac Rege gloriæ cœlestis præscriptum, *Serva mandata.* Haud est via alia; nam, ut cum S. Augustino, cujus verbis hujus orationis meæ & initium & continuationis seriem feci, concludam, *Nemo potest idoneus fieri futuræ vitæ, qui non se ad illam modo exerceat* (z). In illa vita quid agitur? Utique audistis: Laudatur, amatur Deus. Et in hac vita quodnam est unicum amoris divini signum? Prodidit id Christus: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Hæc amoris in Deum signum, servatio mandatorum ejus: Hæc via, quæ ad terminum memoratum ducit. Ut autem ab hac via non deflectamus, aliud in patria cœlesti usitatum exercitium requiritur, quod est laus Dei: scilicet oratio, eaque bene peracta, quam idem Servator maxime commendavit, adeo ut ab illa nunquam desistendum esse monuerit: *Oportet semper orare & nunquam deficere* (aa) Ecce! Hi sunt modi, quibus idonei vitæ futuræ efficimur; primo scilicet Amor Dei observationi sanctæ legis ejus conjunctus; quæ ipsa lex Proximum quoque diligere nos jubet: deinde Laus Dei & Oratio pro obtinendis gratiæ subsidiis, quibus adjuti legem Dei servemus; nam *nemo potest idoneus fieri futuræ vitæ, qui non se ad illam modo exerceat.*

SER-

(u) *Psalm. 147.* (x) *Enarr. in Psalm. 36.* (y) *Matth. 19.* (z) *S. Aug. Enarr. in Psalm. 148.* (aa) *Luc. 18.*

SERMO XXIX.

In eadem Symboli verba : CREDO VITAM ÆTERNAM. Agitur de vita infelici Damnatorum.

MIrabimini forsitan, O dilectissimi! quod æternitatem felicitatis animarum beatarum obiter tantum ac quasi transeundo attigerim. Non casu sed multo consilio istud a me factum; cum Symboli explicationem trigesimo sermone absolvere decreverim, in quo unice de æternitate tum felicitatis supernæ tum miseriæ infernalis differam. Igitur postquam felicitatem ab animabus beatis, hac vita defunctis, percipiendam pro virili parte explanavi; restat ut exponam, quid post extremum mundi diem animæ non beatæ experturæ sint: ut hac ratione articulum de vita futura, quæ ingressu vel Paradisi vel inferni terminanda est, ea (qua par est) sermonis prolixitate expositam habeatis. Dixi: *Post extremum mundi diem.* Non quod ante illum aut animabus justis locus intermedius (puta Purgatorium, de quo Sermone XXIV. in Ecclesia militante differui) nullus futurus sit; aut quod animæ ex toto puræ non confestim in Paradisum admittantur; aut quod animæ in statu peccati mortalis decedentes non statim in infernum præcipites abeant: sed enim quod (cum de iis, quæ post extremum diem futura sint, nimirum de vita æterna sive fortunata sive infortunata animarum corporibus suis denuo conjunctarum mihi dicendum sit) perfecta hæc corporis atque animæ vel infelicitas vel felicitas primum illam summam mundi diem, in qua nova illa conjunctio fieri debet, secutura sit.

Igitur post perceptam formidandam sententiam: *Discedite a me, maledicti!* ii damnatorum, qui in illa suprema mundi die mortui sunt, in infernum ibunt: ii vero, qui ibi prius fuerunt, illuc redibunt, omnes maledicta sua corpora trahentes & in illo carcere, dum Deus exsistet, cruciandi. Interim a pœnis corporum damnatorum considerationem nostram ordiri juvat: Erunt corpora illa perosa Deo, quia innumerarum offensionum Numinis sui instrumenta fuerunt, adversus quæ ille justam ac debitam vindictam exercere parat. Sed priusquam ad ipsam pœnæ sensus considerationem aggrediar; permittite, ut aliquid, de quo perbene scitis, multum illud proposito argumento consentaneum memorem. Jobum recogitetis velim, virum semper justum & acceptum Deo; primum quidem mortalium omnium longe beatissimum, bona valetudine, sano corpore, liberis, omni bonorum temporalium copia præditum, a Deo ipso (tanquam justum & simplicem & timentem Deum) prædicatum: at a diabolo ob hoc ipsum parvi æstimatum, quod omnibus temporalibus bonis beatus esset. Quapropter diabolum confutare volens Deus permisit eidem, ut virum hunc in memoratis bonis cunctis affligeret, sola sanitate servata. Hac permissione accepta quid non experiri Jobum hostis pessimus fecit? Fecit, ut Sabæi omnia, eaque plurima armenta illi custodibus occisis raperent: Fecit, ut cadentia de cœlo fulmina innumeras pecudes una cum pastoribus flamma voraci absumerent: Fecit, ut paulo post Chaldæi greges camelorum invaderent eorumque custodes trucidarent. Vix hæc gesta erant, cum intrans alius nuntius Jobo retulit: filiis septem & filiabus tribus vescentibus in domo fratris primogeniti repente ventum tam vehementem irruisse & quatuor angulos domus adeo valide concussisse, ut illa concidens omnes ruinis suis sepelierit: Hinc Vir ille maximus uno quasi temporis puncto iis, quæ habuit, omnibus spo-

ſpoliatum videre ſe debuit. Verum patientia, qua temporales caſus Job pertulit, confuſus diabolus petiit a Deo facultatem eundem etiam in corpore ſuo affligendi: qua accepta (Ita tamen ut vitam ei non adimeret) ſtatim Viri ſanctiſſimi corpus tam gravi infirmitate oppreſſit, ut ille a vertice capitis ad pedum talos usque quoddam quaſi continuatum vulnus eſſet maximisque doloribus ureretur. Hinc viſitatum eum advenientes tres amici & horribile adeo ſpectaculum oculis uſurpantes teſte S. Scriptura ita obſtupuerunt, ut contra eundem in ſterquilinio porrectum nec lecto aut manſione alia utentem ſeptem diebus & ſeptem noctibus in terra ſederint, quin verbum ore protulerint præ dolorum, quos Jobus ſenſit, acerbitate obmuteſcentes: *Videbant enim dolorem eſſe vehementem* (a) Atque hac ratione Vir ſanctiſſimus ab omnibus contemptus, ab omnibus malam exiſtimationem referens omnibus faſtiditus jacuit. Noſtisne, O mei! quem in finem permiſerit Deus, ut diabolus juſtum hunc tam acerbis plagis afficeret. Docet id duobus in locis S. Scriptura: Cauſſa hæc fuit, ut mundo abſolutum invictæ patientiæ exemplum relinqueretur; id quod de ſe ipſe Jobus Spiritu afflatus ſancto dixit: *Exemplum ſum coram eis* (b) & ſcriptor libri Tobiæ confirmat, dicens permiſiſſe Deum, ut oculorum uſum Tobias amitteret: *Ut poſteris exemplum daretur patientiæ ejus, ſicut & ſancti Job* (c)

Jam ſic argumentari juvat. Si Deus eo ſolum, ut perfectum patientiæ exemplum haberetur, Jobi (innocentis, recti, amici dilectiſſimi) corpus acerbe adeo affligere diabolo permiſit; quis, quæſo! cogitare poterit, quanta eidem diabolo Dominus in damnatorum (capitalium maximeque inviſorum hoſtium ſuorum) corpora permiſerit, ut in ipſis juſtitiæ ſuæ documenta det? Omnes afflictiones adverſus Jobum permiſſæ re ipſa (quod ad Deum ſpectat) ſagittæ quædam amoris erant, decreveratque Dominus, eas non ſolum in hac vita (omnia, quibus Vir ſanctus privatus fuerat, duplicando) ſed in regno quoque cœleſti excelſis gloriæ gradibus præmiare: At contra pœnæ corporum damnatorum totidem quaſi tela erunt odii divini. Atque ob eam cauſſam quis tormentorum, quibus miſeræ illæ animæ ſubdentur, atrocitatem animo pro dignitate concipiet? Scimus ex Fide, Deum, ſiquando aliquod ſuorum Attributorum manifeſtare cogitat, id ſtupendis plane modis præſtare ſolere. Obſervate, O mei! ſolum Attributum Miſericordiæ: Hæc Deum, ut Filium ſuum unigenitum in Fratrem, in Redemptorem nobis daret: hunc deinde induxit, ut ſe cibum adeo noſtrum faceret. Jam cum ſibi Dominus reſervarit Juſtitiam ſuam infernali in carcere manifeſtare, quis, amabo! pœnas infelicibus illis corporibus præparatas mente comprehendat?

Prima corporum damnatorum pœna erit pœna ignis; prout nos Fides per os Chriſti docet, in Evangelio *S. Marci* (d) in uno eodemque ſermone tertium affirmantis, eſſe in inferno ignem inextinguibilem: *Ire in gehennam in ignem inextinguibilem . . . ubi vermis non moritur & ignis non extinguitur . . . mitti in gehennam ignis inextinguibilis* (Prætereo alia loca varia, in quibus idipſum Servator aſſeruit) Hinc S. Auguſtinus ad triplicem hanc Chriſti in uno capite juxta ac ſermone aſſertionem attendens ait: *Non eum piguit, uno loco eadem verba ter dicere* (e) *Quem non terreat iſta repetitio & illius pœnæ comminatio tam vehemens ore divino?* Neque in novo ſolum Teſtamento veritatem hanc revelatam mortalibus fuiſſe credatis, pergit S. Auguſtinus, ſed in veteri etiam Teſtamento creditam fuiſſe tenete; id quod tum Prophetæ ferme omnes tum diſtincte Iſaias & Jeremias prodiderunt: Unum *Eccleſiaſtici* (f) locum percipite iisdem verbis, quibus Chriſtus uſus eſt, perſcriptum: *Vindicta carnis impii, ignis & vermis.* Itaque ex Fide certum manet, corpora damnatorum igne crucianda fore; at igne per omnia membra, per omnes muſculos, per ima viſcera ſerpente; at igne, qui per Dei virtutem omnipotentiſſimam (Ut phraſim S. Auguſtini

(a) *Job. 2.* (b) *Job. 17.* (c) *Tob. 2.* (d) *cap. 9.* (e) *Lib. 21. de Civit. Dei. cap. 9. n. 1.* (f) *cap. 7.*

gustini interponam) vim habebit urendi sine consumptione corpora illa infelicissima. Unde ardebunt illa, quin absumantur: & immanibus semper urentur doloribus, quin moriantur: *Inustione sine consumptione; in dolore sine morte per miraculum omnipotentissimi Creatoris; cui hoc esse impossibile qui negat, ignorat, a quo fit, quidquid in naturis omnibus miratur* (g)

Neque induci vos a diabolo permittite, ut credatis: Esse infernali in carcere ignem quidem, de quo Christus adeo disertis verbis affirmavit; at operationem ignis (scilicet ut urat, ut ardeant corpora illa) ibi non esse æternam. Nequaquam sic sentite, ait S. Augustinus (h) *Nonnulli seipsos seducunt dicentes . . . quod ipse ignis æternus sit; combustio vero eorum, hoc est operatio ignis, non sit in eos æterna: cum & hoc prævidens Dominus, tanquam Dominus, sententiam suam concluserit*: Sic ibunt illi in combustionem æternam.

Erit ergo in inferno ignis, isque urens, quin comburat: *Ignis inferni*, ait S. Joannes Chrysostomus (i) *quos semel apprehendit, perpetuo comburit nec unquam desistit; ideo inextinguibilis dicitur . . . Id vero quam sit horrendum, nullo unquam potest sermone declarari.* Nihilominus, ut sanctus hic Vir rei adeo tremendæ imaginem utut pertenuem nobis daret, in hæc verba prosequitur: *A minimorum rerum experimento tenuem magnarum possumus capere conjecturam: Si quando fueris in balneo nimium effervescente, tunc de gehenna ignis cogita: Et si quando acriori febre arseris, ad flammam illam mentem traducito; Nam si balneum & febris nos adeo cruciant & conturbant, cum in fluvium illum ignis inciderimus, quo animo futuri sumus?* Ita profecto; Cogita, O mollis ac delicate! qui omnifariis commoditatibus corpus tuum etiam cum læsione justitiæ demulces &, dum in hyeme igni propius te admoves, cruraque ille tua apprehendere occupat, confestim recedis, cogita (inquam) cum illa ignis voragine totus demergeris, *quo animo futurus sis?* Cogita, O libidinose! qui cor tuum vetitis amoribus jugiter pascis &, ut corpus tuum in carnales voluptates ingurgites, vale Sacramentis dixisti, quid in illis flammis medullas ossium exedentibus facturus sis: Cogita, *quo animo futurus sis?* Cogita, O fœmina corporis tui, ut videntibus te idolum abominationis fias, superstitiosa ac nimia cultrix! quæ calli dolores non sustines, quæ pulicis ictu aut linteaminum in lecto plicatura offenderis, cogita, quid factura sis, cum voraci illo igne undique cincta ac penetrata scandalorum tuorum & injusti amoris, amasiorum tuorum uxoribus rapti, pœnas dabis: cogita, *quo animo futura sis?* Cogitate denique, O peccatores! vos omnes, qui tot tantisque injuriis Deum afficitis, quo corpori vestro obsequamini: *cum in illum fluvium ignis incideritis, quo animo futuri sitis?*

Ignis hic erit tormentum generale omnium damnatorum, totiusque corporis & (quod sequitur) omnium sensuum corporis: Erit ignis in oculis, in auribus, in naribus, in ore, in cunctis visceribus & quavis minima corporis parte. Neque tamen cogitetis, ob hoc quinque corporis damnati sensibus jam nullas speciales pœnas fore, fluentes ex objectis sensui cuivis propriis; nam quemadmodum corpora beata, præter gloriam totius corporis, etiam beatitudinem quinque sensuum ipsi actui circa objecta jucundissima conjunctam in prœmium, quod eosdem sensus ex amore Dei mortificarunt, habitura sunt: ita ratio postulare omnino videtur, ut quinque sensus corporis damnati, cum ministri iniquitatum fuerint, speciales suas pœnas habeant; id quod fieri non potest nisi per actum ipsum circa objecta molestissima: cum lex a Deo in libro *Sapientiæ* (k) firmata hæc sit: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

Oculi videbunt dæmoniorum larvas, easque multo horribiliores illis, quas dæmones, si quando Deo permittente alicui in hac vita videndos se præbent, in aereis corporibus formare consueverunt: Et quamvis ignis ibi non reluceat, sed densissimis jungatur tenebris; tamen non impediet, quin damnati con-damnatorum horrendos vultus ac corpora, larvasque diabolicas videant: *Neminem*

(g) *Lib. 21. de Civit. Dei c. 4.* (h) *Lib. de Fide & Oper. n. 25.* (i) *ad Theod. laps.* (k) *cap. 11.*

minem videbimus, ait S. Joannes Chrysostomus (l) *præter cruciatuum consortes & immanem solitudinem: quis narraverit terrores a tenebris illis injectos? . . . Quemadmodum ignis ille non consumit, ita neque lucet.* Et S. Bernardus (m) *Videbunt horribiles dæmonum facies, tenebras palpabiles.* S. Gregorius M. vero testatur (n) *Quamvis illic ignis ad consolationem non luceat, tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucet; nam sequaces quosque suos secum in tormento visuri sunt, quorum amore deliquerunt.* Doctrinam hanc sancti Doctores isti a S. Scriptura mutuati sunt, de damnatis dicente: *Vadent & venient super eum horribiles* larvæ: *omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus: devorabit eum ignis.* (o)

Aures inconditis clamoribus & ingenti desperatissimorum ejulatu obtundentur: Ita S. Scriptura (p *Sonitus terroris semper in auribus ejus.* Et Isaias reprobatis calamitates eorum exprobrans atque cum felicitate Electorum comparans ait: *Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis; & vos clamabitis præ dolore cordis & præ contritione spiritus ululabitis* (q)

Odoratus sordibus & fœtore intolerabili perpetuum cruciabitur. Ita laudatus Propheta: *Et erit pro suavi odore fœtor* (r) Hinc S. Bernardus loco citato ait: *Erit fœtor intolerabilis* non minus ab illis inferis flammis, quam corporibus quovis tetro cadavere fœtentioribus excitandus.

Gustus quantis, eheu! amaritudinibus & quam fastiditis saporibus torquebitur? Accedet perpetua ac canina fames, quæ damnatos cruciabit: & sitis rabida, qua exurentur. Ita idem Isaias (s) *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis; ecce servi mei bibent, & vos sitietis.* Sufficiant, quæ de potu damnatis porrigendo sacri Codices testantur: *Fel draconum vinum eorum & venenum aspidum insanabile.* (t)

Tactus denique igne illo continuo excruciabitur, in quo & internos & externos dolores quosvis persentiscet. Hinc S. Joannes Chrysostomus (u) *Perturbationem itaque nobis immissam, resolutionem, stuporem illud solum tempus declarare potest; Multa quippe illic variaque tormenta: cruciatuumque procella ingens undique immittetur in animam.*

Jam pergit idem S. Doctor, attendamus ad ea, quæ in hoc seculo evenire videmus: Si quis vinculis tenebrisque æternis cum homicidis mandatur toto reliquo vitæ spatio carceris incommodis ac squallore cruciandus; nonne is hoc solum supplicii genus morte ipsa gravius esse judicabit? Heu! toto vitæ tempore coerceri vinculis alligatum saxo, æternas pati tenebras & jugi carceris fœtore necari! *Si enim cum quis hic in carcerem injectus fœtorem solum, & jacere in tenebris, & in vinculis esse cum homicidis quavis morte dicit gravius* (x) cogitate, quid sit, igne adeo ac flammis cum reprobis peccatoribus cunctis torqueri: *Si enim tenebræ tantum affligunt animos nostros tantumque perturbant, quid erit, quando jam & cum tenebris dolores & tormenta combustionis* & malorum omnium ingens procella irruerit?

Excipit hic Chrysostomum Augustinus (y) dicens: Si tantum tremis, O christiane, quando calumniis ab alio impetitus dandum te custodiæ esse formidas; quare tu temet, male vivendo, igni æterno objicis? *Cogita, quomodo tremas (si tibi aliquis calumniatur) ne mittaris in carcerem; & tu ipse contra te male vivis, ut mittaris in ignem? Contremiscis, conturbaris, pallescis . . & dicis: Concutior, mittor in carcerem: Timetur carcer, & non timetur gehennæ exustio.* Dignum hoc oppido, dignum consideratione! *Ex his*, prosequitur, *quæ in hoc tempore homines timent, conjiciant, quæ timere debeant. Timent enim carcerem, & non timent gehennam: Timent quæstionarios tortores, & non timent infernales angelos: Timent cruciatum temporalem, & non timent pœnas ignis æterni: Postremo timent ad modicum mori, & non timent in æternum mori.* Timeantur igitur, O mei! timean-

(l) *ad Theod. lapf. lib. 1. n. 9.* (m) *Serm. 42. de Diverf. n. 6.* (n) *In Job. Lib. 9. n. 101.* (o) *Job. 20.* (p) *Job. 15.* (q) *Isai. 65.* (r) *Isai. 3.* (s) *Isai. 65.* (t) *Deuter. 32.* (u) *ad Theod. lapf. l. 1. c. 9.* (x) *S. Jo. Chryfoft. Hom. 1. in cap. 1. ad Hebr.* (y) *Serm. 161. de Verb. Apoft. n. 4.*

meantur tormenta inferni; sed magis, Christo monente, timeatur Deus, qui nos gratia sua destitutos eisdem subjicere potest: *Timete eum, qui potest & animam & corpus mittere in gehennam* (z). Et cum Deum ob tormenta, quæ in inferno corpus sustinere debebit, timere debeamus; multo magis id ipsum fieri a nobis debet ob supplicia, quæ ibi anima damnata tolerabit; nam hoc certum habeatis, O mei! velim, omnes cruciatus corporis quam levissimos esse, si cruciatibus animæ componantur: Illi etenim accidentales tantum sunt; hi autem pœnam essentialem constituunt; quam ut vobis nonnihil exponere valeam, robur mihi ac spiritum dari a Christo oro atque opto.

Ex eo, quod anima nostra in hoc seculo a sensibus magnopere pendet, fit, ut pœnis spiritualibus minus quam corporalibus moveamur; cum tamen ipsa ratio persuadeat, levem animæ pœnam gravi corporis pœna multo graviorem esse debere; idque ob Subjectum patiens, quod est spirituale & quod (ut sequitur) ob suam perceptionem dolorem longe vehementius sentit quam corpus; nam omnis cruciatus corporis ab animæ perceptione oritur: quod ipsum si cognoscere velitis, excarnificate (quantum libuerit) corpus vivum, at attonitum & malo apoplectico stupefactum, per quod anima a perceptione impeditur: Illud corpus certe nihil sentiet. Ex quo conficitur, ipsos corporis dolores pro ratione perceptionis animæ aut parum aut nullo modo affligere.

Animæ damnatorum jam nunc ignis tormento subjacent: Certum hoc ex Fide. Quomodo autem istud fiat, quis capiet, ait S. Augustinus (a a) Fides docet, tam dæmones quam animas damnatas igne torqueri: *Ite in ignem æternum* (bb) *qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Igitur *Unus utrisque ignis erit sicut Veritas dicit.* At quomodo eos torquebit? Reponit Augustinus: *Cur non dicamus, quamvis miris tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi? Si enim spiritus* (animæ) *hominum, etiam ipsi profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris & tunc poterunt corporum suorum vinculis alligari: Adhærebunt ergo dæmones, licet incorporei, ignibus cruciandi . . . sed, ut dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo accipientes ex ignibus pœnam. . . Quin & iste alius modus, quo corporibus adhæret spiritus & animalia fiunt, omnino mirus est nec comprehendi ab homine potest; Et hoc, ipse homo est.* Sustinent ergo jam nunc & animæ damnatæ & sustinebunt damnandæ ignis pœnam modis omnipotenti Deo cognitis (quos dicendo explicare non possumus) sentientque inde majus tormentum, quam corpora inde sensura sunt, quando summa mundi die animabus suis conjungentur. Atque hoc tormentum animam quoad suam (ut sic dicam) substantiam atque Esse in perpetuum cruciabit.

Torquebitur autem illa præterea a potentiis suis, Intellectu, Memoria, Voluntate. Intellectus quidem pœnarum a damnato æternum tolerandarum gravitatem cognoscens &, quam ille harum loco parare sibi potuisset, felicitatem expendens tristissimam hanc & pœnæ promeritæ & immensæ fortunæ neglectæ cogitationem animæ incessanter proponet, qua illa plus, quam credi potest, torquebitur. Cogitate, quanto animi dolore afficiendi essemus, si, cum florentissimi regni alicujus habenas capessere potuissemus, ea occasione prætermissa in obscurum migrare carcerem compelleremur, nunquam inde exituri sed enim madore ac fame ibi conficiendi: Et si hujus neglectæ felicitatis cogitatio nos ita occupatos haberet, ut illa expelli e mente nullo modo posset; quam vehementi ægritudine exedendos nos fore putatis? Sic tamen res damnatorum sunt, quorum intellectui perditæ gloriæ & amissæ in æternum visionis divinæ cogitatio indelebilis hæret tantamque pœnam affert, ut ei comparari alia nulla possit: *Perire a regno Dei*, ait S. Augustinus (cc) *exulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, a tam magna multitudine dulcedinis Dei . . . tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta, quæ novimus, comparari.*

(z) *Matth. 10.* (aa) *Lib. 21. de Civit. Dei. c. 9. n. 2. & c. 10. n. 1.* (bb) *Matth. 25.* (cc) *Enchirid. n. 29.*

Hinc cognoſcet anima damnata, ſibi omnem Dei obtinendi viam rationemque æternum præcluſam eſſe; Et hæc eſt, O mei! pœna illa, quæ infernum vere infernum eſſe facit & pœna *eſſentialis* appellatur; quæ damnatis tanto gravior accidit, quanto minus comprehendi in hac vita poteſt: & idcirco ab iis, qui modicæ fidei ſunt aut qui, etiamſi credant, gratia Dei deficiunt, parum aut nihili æſtimatur; cum tamen pœnarum omnium ſumma ac maxima ſit. Verum ut pœnam hanc non quidem pro dignitate ſed enim pro captu mentis noſtræ æſtimare diſcamus, ponenda a nobis res tam certa, quam certe Deus exiſtit: ſcilicet, quod Deus ſolus ſit noſtrarum inclinationum centrum, quæ non niſi in ipſo ſolo acquieſcere unquam poſſunt; nam cum ipſe ſolus ſit verus ultimus finis, neceſſario conſequitur, usque dum hic obtineatur, veram quietem inveniri nunquam poſſe. Hinc fit, ut naturalia etiam Entia, quando a centro ſuo abſunt, in ſtatu violento ſint: Tanta nimirum eſt inclinatio, ob id *innata* dicta, qua res quælibet ad centrum ſuum ſeu finem ſuum, cujus cauſſa condita fuit, fertur. Jam cogitate, quam vehementem pœnam ſenſura ſit anima, quæ certa ratione cognoſcit, ſe non ſolum abeſſe a ſuo centro ſed quam longiſſime abeſſe, immo eſſe ſe in ſtatu memorato ſuo centro directe contrario: anima, quæ certiſſimum ac perſuaſiſſimum habet, ſibi jam nullam centri ſui obtinendi copiam ullo unquam tempore fore? . . . Sed cum argumentum hoc, utut robuſtiſſimum, nimis ſubtile atque abſtractum eſſe videatur, edicite, heus! quantum avarus, ambitioſus, laſcivus crucientur, ſi quando uno temporis articulo facultatibus honoribusque cunctis & vili illa tantopere adamata creatura privatos ſe vident? Scimus ex factis hiſtoricis, quod, ſicubi ſtudium atque inclinatio in has res nimium increverit, alii præ doloris magnitudine in morbum incidant: alii præ nimia mentis ægritudine moriantur aut uſum rationis amittant aut violentas ſibimetipſis manus inferant. Quare iſtud? quia ſe iis rebus ſpoliatos vident, in quarum fruitione ultimum finem ſuum conſtituerunt; nam manet certiſſimum Theologorum axioma illud Fide ipſa ſuffultum: nimirum quod quivis mortaliter peccans ponat ultimum finem ſuum in voluptate, quam quærit; atque ob id ipſum maxime peccat, quia (quantum in ſe eſt) Deo characterem ultimi finis rapit: Et qui in ſtatu peccati mortalis eſt, finem ſuum ultimum in voluptatibus ſuis habitualiter repoſitum habet. Jam ſic argumentari lubet: Si privatio ultimi finis falſi, chimærici, pernicioſi tantam afflictionem conjunctam habet, ut morbus mortemque afferat, ut homines ad inſaniam, ad ſui interfectionem adigat: quos, amabo! dolores amiſſio Dei veri finis ultimi, ut talis, evidenter cogniti pariet? Iniquis illis, finem ſuum in creatura conſtituentibus, ſuperat ſpes aut illius obtinendi aut inveniendæ alterius rei, in quo illum ſibi ſtatuant. Aſt damnati fine ſuo ultimo exciderunt, & æternum exciderunt omni ſpe illius recuperandi, omni facultate alterius voluptatis, in qua finem ſuum ſtatuant, unquam habendæ ſublata. O privationem! O inexplicabile pœnæ genus! Omni mentis vi atque inclinatione ad centrum ſuum rapi, omnique ſimul vehementia repelli, ne invenire illud ullo unquam tempore liceat! Gravem profecto pœnam, animo ſuo hanc ſemper cogitationem clare, quam clariſſime propoſitam habere: Perdidi Deum, unaque beatitudinem; quin vel redeundi ad illum vel hac perfruendi facultas unquam futura ſit! Heu vexatricem cogitationem! Heu cogitationem crudelem, at jugem atque continuam!

Intellectui ſeſe junget Memoria, & ipſa pro ſua parte animam damnatam cruciatura; dum eidem voluptates ex offenſis divini Numinis perceptas, ob quas maxime illa horrendas inferni pœnas ſuſtinet æternumque ſuſtinebit, ob oculos continuo ponet: *Ad pœnam ſuam*, ait S. Gregorius M. *ſervatur ei* (dd) *& cognitio & memoria.* Hæc, hæc eſt mæſtiſſima operum peccaminoſorum menti damnatorum indelebiliter inhæ-

(dd) *Homil. 40. n. 8.*

inhærentium socia; Neque, quantum etiam illi conantur, poteruut amarissimam hanc male actorum recordationem effugere: *Opera tenebrarum*, ait S. Bernardus (ee) *sequuntur illos, nec est quo se abscondant ab illis. Hic est vermis, qui non moritur*, a Propheta memoratus, *memoria præteritorum . . . In æternum enim necesse est cruciet, quod perperam te gessisse in æternum memineris; Experiri hoc, erit fateri veritatem vocis illius: Arguam te* (ff) *& statuam contra faciem tuam.* Hinc anima damnata, conscientia patratas iniquitates (solam damnationis caussam) referente ac exprobrante, ululabit atque infremet non habitura, quo accusatorem hunc molestissimum peccata admissa distincte atque ordinatim exponentem obmutescere faciat: *Et statuet eam contra faciem suam.* Immo ut miseris major afflictio accedat, eisdem Memoria illicitas, quibus fruiti sunt, voluptates eum in finem objiciet, ut in harum comparatione tormenta graviora evadant.

Memini me legisse in Suetonio, Neronem illud hominis portentum & vitiorum omnium colluviem, ut gulositatem suam foveret magis, liquorem exquisitissimum confici jussisse, quo sitim restinqueret: cumque eundem suo nomine insignem reddere vellet, *Decoctam Neronis* appellasse. Accidit posthæc, ut dejectus a solio imperiali & ad statum oppido infelicem redactus, cum die quodam per vastos agros vagabundus erraret, siti ardentissima ureretur, quin aqua, qua se recrearet, in promptu esset. Prospiciens autem de longe tuguriolum eo iter tetendit experturus, si parum aquæ ibi reperiret, incidensque in villanum egentem sitim, qua cruciabatur, exposuit, qui: En! inquit, potum quem præstare tibi possum, lacunam aquæ putrescentis digito commonstrans. Ad quæ Nero non tam hominem quam bestiam mugitu referens, memor liquoris delicatissimi, quo usus fuerat: *Hæc est*, ait, *Decocta Neronis*? & ne præ siti interiret, large hausit. Jam, O mei! jam in inferno Nero est: Nonne putatis, eundem in illis atrocissimis flammis *Decoctæ* suæ recordari? Et si quando post finalem resurrectionem etiam corpore-tenus ibi erit, nonne eundem in illa rabida, qua torrebitur, siti & inter insuavissimas potiones, quas ei dæmones subministrabunt, *Decoctæ Neronis* memorem futurum esse, ut majus supplicium sentiat, putatis? Ita profecto est, O mei! Ita & erit de omnibus damnatis; cum Memoria impressas atque infixas penitus habitura sit præteritas a Deo vetitas voluptates; quæ cum pœnis contrariis & congruis castigandæ sint, cogitate, quantis doloribus damnati ex hoc vel illo tormento ac cruciatu afficiendi sint, vivam maledictarum voluptatum memoriam retinentes? *Quia enim multa invenit ad culpam* (gg) ait S. Gregorius M. *novis inventionibus cruciatur in pœna.*

Hinc Voluntas quoque, tertius ac intimus tortor, multifariis & molestissimis odiis animam damnatam rodet: Odio in se ipsam; quod, ut immoderatis cupiditatibus suis obsequeretur, semet in miseriæ tam horribilis quam ineluctabilis statum redegerit: Odio in amicos & amicas scelerum complices: Odio in eos, qui non monuerunt aut correxerunt; cum tamen facere id debuissent: Odio in dæmones sævissimos pœnarum administros: Odio in Beatos, cui devorans invidia de gloria, quam illi possident, succedet: Odio denique, O Deus! Odio in Deum ipsum, justum æternumque vindicem injuriarum acceptarum, de quibus illa pœnitere neglexit. Jam cogitate, quanto mœrore Voluntas, quæ (præterquam quod ab immoderatis affectionibus cunctis, quarum quævis modis omnibus eam cruciat, differatur ac discerpatur) tot insuper tamque acribus odiis corrumpitur, quin erumpere in res exosas possit, immo & ab iisdem ipsis pati cogatur, quanto (inquam) mœrore Voluntas talis corripienda sit? Non est, O suavissimi! non est mens humana, quæ hoc genus supplicii capere possit: *Quid enim iniquis voluntatibus*, ait S. Bernardus (hh) *tam contrarium & adversum, quam semper co-*

 nari

(ee) *Lib. 5. de Consid. c. 12.* (ff) *Psalm. 49.* (gg) *Lib. 15. in Job. c. 20. n. 22.*
(hh) *Lib. 5. de Consid. c. 12.*

nari & impingere semper in frustra? .. Quid tam pœnale, quam semper velle, quod nunquam erit? . .. In æternum non obtinebit, quod vult, &, quod non vult, in æternum nihilominus sustinebit.

En! Habetis rudem atque impolitam pœnarum animæ damnatæ imaginem; nam de æternitate tum pœnæ damnatarum tum felicitatis beatarum animarum sequenti sermone agere decrevi. Ponamus modo, O mei! memoratas a me & corporis & animæ pœnas omnes solo decem mille annorum spatio duraturas esse: Nunquid convertere curas nostras omnes eo deberemus, ut easdem effugeremus? Sed quid aliud ad eas declinandas requiritur, quam ut a peccatis mortalibus abstineamus? ... Edicite, num aliud quid Deus exigit, quam ut ne se mortaliter offendatis? An minus, quæso! an minus exigere potest? Si insignis benefactor hoc solum a vobis peteret, ut ne se graviter offendatis, nunquid in hac petitione stupesceretis? Et petitionem, de qua in mortali benefactore stupesceretis, in Deo Benefactore nihil curatis .... eam æternæ vestræ salutis caussa faciente, ne in damnationem æternam incurratis! O corda humana! O animos cæcos! .... Itaque ut vos contineam, ne Deum offendatis, cum S. Bernardo finiam: *Vivens igitur* (ii) *in infernum descende: percurre mentalibus oculis tormentorum officinas: fuge scelera & vitia, pro quibus scelerati homines & vitiosi perierunt: habe odio iniquitatem & dilige legem Domini & in tam formidolosis nundinis fac, sarcinam tuam, odium peccati. Amen.*

(ii) *Serm. 42. de Diverf. n. 6.*



SERMO XXX.

In eadem Symboli verba: CREDO VITAM ÆTERNAM. De Bivio duplicis æternitatis felicis & infelicis.

EXplicationem Symboli ultimumque illius articulum non sine maximo, quo fieri a me potest, fructu finiturus dicere ad vos de duplici æternitate (fortunata animarum, quæ salvantur: infortunata animarum, quæ damnantur) in hunc postremum sermonem distuli. Faxint Superi, me ope eorum adjutum de proposito argumento eum in modum disserere, ut æternitas mentibus vestris insculpta alteque impressa remaneat. Hac re certe fiet, ut laborum, quos in hujus exigui Operis (qualecunque demum illud est) compositione devoravi, metam obtineam; quæ haud alia est, quam ut damnationem æternam effugiatis & salutem sempiternam adipiscamini.

Ac primo quidem (Ut verum fatear) ea me cogitatio multum commovit, dicendum mihi de æternitate esse: Sed perturbatum oppido recreavit Augustinus (a) quem percurrens in hæc verba incidi: *Quidquid vis, dicis de æternitate: Ideo, quidquid vis, dicis; quia, quidquid dixeris minus dicis: Sed ideo necesse est aliquid dicas, ut sit, unde cogites, quod non potest dici.* Igitur æternitas, secundum suam essentiam accepta, definitur a Theologis simultanea ac stabilis perfectaque vitæ interminabilis duratio: *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul ac perfecta possessio*, atque ob id a S. Augustino *Vita Dei* appellatur; quoniam æternitas de aliis rebus, præterquam de Deo solo, verificari non potest; nam consistit æternitas in vita, quæ sicut nec finem acceptura est ita nec initium habuit, sed semper fuit; idque necessario. Nam, qui non est, esse incipere nequit, quin ei ab alio detur: jam si Deus semper non fuisset; cum non sit, qui Esse ei

(a) *Enarr. in Psalm. 60.*

et dedisset, profecto neque ipse neque res alia unquam fuisset. Itaque si nos & res cæteræ, quæ existunt, omnes Esse habemus, quod a Deo profectum confitemur; & Deus Esse accipere ab alio non potuit (nam tunc jam ipse non esset Deus, sed enim ille, a quo Esse accepisset) necessario inferendum a nobis est: Deum necessario semper extitisse *ab æterno*, quin unquam esse inceperit; atque ob id illum essentialiter planeque æternum (hoc est sine principio, sine fine) esse.

Ex manifesto hoc evidentique ratiocinio statim colligitis, O mei! æternitatem, secundum hanc infinitam durationis extensionem, de Deo solo posse verificari; namque æternitas præter durationem infinitam (scilicet tam quod principium non habeat: id quod Theologi *a parte ante* vocant, tam quod finem habitura non sit: id quod Theologi *a parte post* dicunt) præter durationem infinitam, inquam, necessario etiam independentiam ab omni re postulat; ex quo comprobatur, quod, qui eo modo essentialiter æternus est, quo æternus est Deus, a re nulla in suo Esse pendeat, quamvis ab ipso res aliæ omnes pendeant. Interponere hæc volui, ne (si quis adesset philosophorum metaphysicorum) mihi objiciat: Entia permanentia etiam ex scholæ Thomisticæ placito cum Deo *ab æterno* exsistere potuisse; cui etsi (admissa hac hypothesi) quoad durationem æqualia, tamen quoad independentiam inæqualia essent; nam a Deo usque adeo *ab æterno* Esse suum accepissent eo fere modo, uti acute observat S. Augustinus (b) quo, si pes quidam in pulvere *ab æterno* fuisset, vestigium ab illo impressum pedi coæternum quidem fuisset, sed tamen a pede pependisset: *Si pes ex æternitate semper fuisset in pulvere, semper ei subesset vestigium, quod tamen vestigium nemo dubitaret a calcante factum, nec alterum altero prius esset, quamvis alterum ab altero factum esset: sic & mundus si semper fuisset semper existente, qui fecit; & tamen creatus fuisset.* Hæc iis dicta sunto, qui ingenio tantum valent, ut memorata objicere sciant. Pergamus igitur & confiteamur, res omnes realiter esse incepisse, neque esse rem ullam dicto modo æternam, scilicet sine principio.

Igitur cum æternitas in Gloria juxta ac Damnatione obtinere debeat, conficitur, illam accipi *a parte post* debere: scilicet quod finem solum habitura non sit. Et præterquam quod animæ immortalitas argumentis philosophicis comprobetur, multo majori insuper cum certitudine eandem Fides profitetur, innumeris tum veteris tum novi Testamenti locis sulfulta. E veteri sunt: *Justi autem in perpetuum vivent* (c) *In æternum exultabunt* (d) *Fulgebunt in perpetuas æternitates* (e) *Ibit homo in domum æternitatis suæ* (f) *Hæreditas eorum in æternum erit* (g) Et quæ sunt alia mille loca de vita beata: Audiamus modo aliquot testimonia de vita infelici: *Tenebræ & palpatio facta sunt super speluncam usque in æternum* (h) *Ignem succendisti in furore meo, usque in æternum ardebit* (i) *Dabo vos in opprobrium sempiternum & in ignominiam æternam* (k) *Perditus eris in æternum* (l) *Qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; alii in vitam æternam: alii in opprobrium, ut videant semper* (m) Et ut reliqua prætercam, auscultemus Jobo roganti, ne iret *ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine, ubi umbra mortis & nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat* (n) Novum dein Testamentum tam multa immortalitatis animæ habet testimonia, ut dici queat, quovis fere capite illa occurrere.

Itaque non interibimus unquam, O suavissimi, sed, utcunque mori debeamus, anima nunquam morietur; cum immortalis sit (ut Sermone XXVI. monui) & corpus in extrema mundi die suscitatum e cinere animæ conjungendum sit, ut nunquam amplius separentur; prout in eodem Sermone XXVI. demonstravi: Durabimus ergo in æternum, & dum Deus Deus erit. At quam diversa quamque inter se contraria erit hominum post hanc vitam sors, quin post extremum diem status medius futurus sit) nam in illa

Z 3 die

(b) *Lib. 10. de Civit. Dei c. 31.* (c) *Sapient. 5.* (d) *Psalm. 5.* (e) *Daniel. 12.* (f) *Eccle. 12.* (g) *Psalm. 36.* (h) *Isaiæ 32.* (i) *Jerem. 17.* (k) *Jerem. 23.* (l) *Deuter. 28.* (m) *Daniel. 12.* (n) *Job. 10.*

die Purgatorium cessabit quam diversa (inquam) quamque contraria! Erit horum aut sors beatissima claræ cognitioni & fruitioni Dei & reliquis deliciis sanctis, quas Sermone XXVII. & XXVIII. exposui, conjuncta: aut sors pessima imcomprehensibilium pœnarum, quas præterito maxime sermone descripsi: At erit (quod cetera omnia superat) sors æterna, sors nunquam, nunquam, nunquam finienda. Atque hæc duorum istorum statuum æternitas beatis juxta ac damnatis animabus necessaria est; nam si æternitas hæc non esset, animæ beatæ jam non felices, nec animæ damnatæ jam infelices essent; nam felicitas, utut maxima, tamen si finem accipere aliquando debet, facit, ut eadem fruens anima fruitionis suæ terminum exspectet; eaque ratione stabilem quietem illam, quæ ad beatitudinem requiritur, tollit: Et contra infelicitas, utut summa, quæ finienda est, tollit desperationem, qua damnatio potissimum completur atque perficitur.

Jam ut quodammodo intelligatis, quid sit æternitas, quid sit *Finiri-nunquam*, fingite mundi hujus maximi ingentem ambitum milio refertum esse & hujus unum unicum granum quovis millesimo anno ab avicula auferri: Expendite quot milliones & milliones annorum fluxuri essent, donec ille propemodum infinitus granorum numerus auferretur in auras & hac ratione mundi immensa spatia omni memorato milio vacua redderentur? Quis est tam peritus arithmetices, ut memoratos annorum milliones (nam essent quasi infiniti granorum milliones) computare possit, si unum solum granum quovis anno millesimo auferendum esset? Nunquid hæc annorum series erit menti humanæ non dinumerabilis? Ita profecto: Et tamen certissimum manet, hanc milii massam (quippe finitam) tandem aliquando post secula & secula, post milliones & milliones annorum ac seculorum evacuandam fore. Jam vero si hanc sententiam in damnatos Deus pronunciaret, infernus jam non tanti horroris tantæque desperationis locus esset; Dicerent enim infelices illi: Accipient aliquando finem pœnæ. Verumenimvero certissimum atque exploratum manet, memoratos milliones seculorum fugituros & mundum universum dicto milio vacuandum esse, quin miseri illi suppliciorum suorum finem habituri sint: immo tunc pati de novo incipient; nam ubi nullus finis, ibi nova semper initia. Sic in contrarium de Beatis seatiatis velim; Etenim si felicitas eorum post memoratos milliones & milliones seculorum finienda esset, certe beatitudo eorum tanta esse desineret; nam dicerent: Finietur felicitas nostra, & quamvis per innumerabilium seculorum spatia protrahenda sit, tamen finietur: Atque hac cogitatione quies illis & omnimoda pax, quæ perfectæ beatitudini propria est, eriperetur. Hinc quemadmodum æternitas seu To *Finiri-nunquam* in Beatis perpetuæ possessionis securitatem & gaudium omnimodum parit: ita Damnatis continuam desperationem affert, qua devorantur, quin unquam consumantur. O æternitas, O æternitas!

Sed ut hoc *Æternum*, hoc *Semper*, hoc *Nunquam* altius mentibus vestris imprimam atque insculpam, jam aliud quid ponamus. Estis, O auditores mei! qui hic adestis (quantum spero ac opto) sani bonaque valetudine: satis bene assidetis: multa commoditate utimini; Fingite modo Angelorum aliquem e cœlo descendere missum a Deo, ejusque nomine & justa jussione vobis denunciare: Nemini fas esto toto illo millionum & milionum seculorum spatio, quæ fugitura sunt, usque dum tanta vis milii, quanta implendo toto orbi par, modo ante a me dicto ab avicula evacuata fuerit, toto (inquam) hoc spatio nemini fas esto exire de templo aut movere se de loco aut corporis situm mutare. Heu! quale hoc nuncium foret, etsi illud peccatis nostris oppido meruissemus: peccatis, quibus pœnæ infernalis, quæ multo gravior est, reos nos fecimus. Heu! Manere in Ecclesia debere, quin movere nos de sede, de subsellio: quin extendere brachia, consistere in pedes, aut circumferre

caput:

caput: quin ullo movere nos modo liceat! ... Et hoc tamdiu, donec mundus milio confertus exinaniatur ab avicula, unum solum granum millesimo quovis anno ablatura! O cruciatum! O pœnam! O tormentum! At estis sani, at bene & commode sedetis: Simus sani &c. Ast tanto temporis & seculorum menti humanæ innumerabilium spatio situm corporis mutare non posse! Ast sic per infinita propemodum annorum millia manere! Deus meus! Qualis hæc pœna. . . . Sed subsistite paulisper & mentes vestras ad dicenda attendite: Quanto gravior pœna hæc foret, si toto hoc quasi infinito seculorum decursu omnes insuper ac continuos dolores cholicos, iliacos, nephriticos, podagricos, arthriticos, calculi & reliqua mala a morbis, quos quotidie videmus, effici solita cuncta tolerare deberetis? Heu! quæ ac quanta pœna hæc foret . . . Et tamen, (O æternitas inferni! si te mortales nossent) Et tamen hos ac reliquos atque etiam ignis dolores damnati sentiunt, qui hos omnes pro nihilo reputaturi essent, si pœnarum ingens æternitas cum illa immensa millionum & millionum seculorum diuturnitate commutaretur; nam tum certum haberent, finem demum adfore: cum jam supplicia illorum nunquam, nunquam, nunquam finienda sint. O æternitas! O æternitas, si te mortales nossent!

Pergamus in coepta hypothesi: Edicite, O mei! quid non offerretis, ut a priori illa pœna (scilicet toto illo innumerorum seculorum intervallo non exeundi de Ecclesia nec corporis situm mutandi) vos redimeretis: immo quid non offerretis, ut ne omni illo immenso temporis spatio acerbissimos, quos commemoravi, dolores illos perpeti cogeremini? Edicite! Quid non eligeretis, ut pristinæ vos libertati redderetis & atrocissimos illos dolores omnes evitaretis? . . . Ego quidem sic existimo: vos vobiscum reputaturos esse, quidquid in hoc seculo possidetis, id omne in recuperanda libertate ac dolorum vacatione obtinenda bene collocatum iri; & libenti animo vos cuncta dimissuros arbitror, dummodo dictarum pœnarum omnium immunitatem consequi vobis daretur, quæ, utut haud æternum, attamen imperceptibili temporis spatio, duraturæ essent.

Prosequamur nostram hypothesin, appositam illam oppido. Ponite Angelum hunc post denunciatam, tam diuturni in Ecclesia arresti & immobilitatis in eadem, pœnam similiter Dei nomine edicere: Quisquis subtrahere se huic pœnæ cupit, has illasve actiones bonas facito; e. g. Viri, dum vivent, nunquam amplius in faciem fæminæ: fæminæ in faciem viri posthac deliberato non aspiciunto; Omnes semel per hebdomadam in pane & aqua jejunanto; Omnes a proæreticis rerum peccaminosarum desideriis ac complacentiis abstinento: Quicunque hæc non servarint, ii memoratas pœnas per dictos seculorum milliones incurrendi periculum subeunto. Jam ad vos convertor, O mei! atque ex vobis quæro: primum quidem, utrum conditiones has pro dicta pœna declinanda propositas acciperetis ac probaretis? deinde utrum post acceptas conditiones, ultro vos comminatam ab Angelo pœnam incurrendi periculo objiceretis? . . . Quid ad ista reponitis? . . . Pater! respondere mihi videmini, quis tam amens sit ac stupidus, ut pro declinanda tam horribili pœna adductas conditiones accipere nolit: De periculo vero ob neglectas conditiones eandemmet pœnam incurrendi; quis tam insanus sit, ut illas conditiones, cum periculo in pœnam tam horribilem incidendi, servare detrectet?

Jam missa hypothesi hac omni ad ea, quæ de Fide sunt, revertamur, O mei! Non Angelus a Deo missus sed enim Deus ipse, non pœnam (ut per tot seculorum milliones, qui tamen finem accepturi essent, immobiles maneamus) sed profecto pœnam (ut tota, quanta est, æternitate ac sine fine inferni ignita voragine demersi jaceamus) denunciat. Hanc incomprehendendam pœnam Deus omnibus mandatorum suorum violatoribus denunciat; eandem autem declinare volentibus hanc conditionem proponit, ut

ut legem suam fideliter observent. Denunciat nimirum & proponit res ejusmodi, quæ omnes adjuvante sua divina gratia, (quam petentibus daturum se promisit) facile complentur: quæ omnes cum ratione consentiunt: quæ omnes e decoro sunt: quæ omnes honestos nos viros faciunt: quarum violatio violatores brutis similes reddit. Denunciat pariter idem Deus: eum, qui has non observat, præsentissimum periculum incurrere eundi in infernum, nunquam inde, nunquam exiturum. Certe mundus hic milio vacuaretur, si quovis millessimo anno granum unicum ab avicula asportaretur: At hoc etiam vacuato, quisquis in inferno est, manere ibi debebit; immo ibi esse semper incipiet, quia ibi æternum & semper esse debet, quin unquam exiturus sit. Et tamen, O Deus! & tamen reperire est permultos Fidelium, qui propositam de Numinis lege observanda conditionem infringentes in præsentissimo infernales pœnas incurrendi periculo continuo versantur; & nihilominus hilariter ac jucunde agunt, ac si Deus tremendam illam pœnam non denunciasset: ac si ipsi in continuo eandem incurrendi periculo haud essent. Proh dignam lacrymis cæcitatem! Habent quotidie ante oculos variæ mortis improvisæ genera: vident quotidie tot & tot hominum paucarum horarum aut dierum spatio vehementibus morbis vivorum e numero rapi. Hæc vident (inquam) & tamen, utut peccatorum mortalium rei, nihil curant, nihil recogitant; cum tamen inferni in faucibus hæreant. Ah! novi, novi eos fatua longioris vitæ & habendi ad pœnitendum temporis spe decipi atque ad peccata continuanda seduci; Sed percipite, quid æternitatis cogitatione exterritus S. Joannes Chrysostomus moneat (o)

Necesse est, ut moriamur & resurgamus omnino & judicemur ac puniamur: Immo *hoc* postremum, *id est puniri, non omnino necesse* est, *si voluerimus; Mortis enim nostræ, resurrectionis atque judicii nos non sumus domini sed Dominus noster: Ad dandam autem pœnam an non nos sumus Domini? Hoc enim est ex possibilibus, &, si voluerimus, impossibile istud faciemus; nam licet innumera deliquerimus, possibile tamen est, ut reparemur, quando adhuc hic sumus. Reparemus igitur nos ipsos: Et senex quidem recogitet, quod parvo post tempore hinc emigraturus sit . . . recogitet, quod possit in brevi hoc tempore hoc totum abluere. Adolescens expendat, quam incerta mors, & quod sæpe adolescentes ante senes mortui sunt . . . Unde Sapiens admonet:* Ne moreris converti ad Dominum; *Periculum enim & metus est in differendo, salus vero certa atque secura, si nulla sit dilatio. Neque dicas: Erit aliquando tempus, quando converti licebit: Verba enim hæc Deum valde exasperent. Curnam, cum ipse infinita tibi secula promisit, tu in præsenti vita laborare non vis, quæ parva & momentanea est; sed sic marcidus ac dissolutus agis, quasi hac breviorem aliquam quandam inquiras?* Quid! *Nonne illæ quotidianæ comessationes, illæ mensæ, nonne illa scorta, nonne theatra illa, nonne divitiæ illæ id testantur? Quamdiu, quasi sint, illa amas? Quamdiu habes inexplebilem malitiæ concupiscentiam? Cogita bene, quoties scortatus es, toties condemnasti te ipsum; peccatum enim ita se habet, ut mox atque patratum fuerit*, divinus *sententiam ferat Judex. Siste* igitur *gradum, verte te in diversum: confitere Deo gratiam, quod non in mediis peccatis te abstulit . . . Multi . . . subito perierunt & ad manifestum judicium abierunt. Time, ne & tu patiaris, inexcusabilis! Sed,* dices, *multis iniquis dedit Deus privilegium, ut in ultima senecta confiterentur. Quid igitur? Nunquid & tibi dabit? Fortasse dabit, inquis: Cur dicis, Fortasse? contigit aliquoties. Cogita, quod de anima deliberas; proinde etiam de contrario cogita & dic: Quid autem, si non det? . . . Si autem semper cessas, ob hoc sæpe non accipies.* Certe *in bellum egressurus non dicis: Non est opus, ut de rebus meis disponam, fortassis redibo; neque de nuptiis deliberans dicis: Accipiam uxorem pauperem; multi enim & sic præter spem ditati sunt; neque domum extruens: Subjiciam fundamenta putrida; multæ enim & sic consistere domus. De anima autem agens, apprehendis putrida dicens: Fortassis; Et sæpe evenit; Et contigit aliquando;*

(o) *Homil. 22. in 2. Epist. ad Corinth.*

do; teque incertis tradis. Hic est fermo S. Joannis Chrysostomi, quo manifestum redditur, eos, qui talia dicunt, nec curare animam suam nec pœnarum, quibus se miseri objiciunt, æternitatem comprehendere.

Et quamvis Viri hujus sancti magnique doctoris ratiocinatio aliis observationibus nequaquam indigeat, cum per se manifesta sit; tamen vosmetipsos veritatis hujus judices compello. Nunquid diceretis, patrem cordi habere natum, quem pro quovis animi impetu abripi se permittens submersionis periculo offerret? Nunquid diceretis, maritum amare uxorem, quam ægrotantem medicamentis fovere, esurientemve cibare negligeret? Nunquid diceretis, litis victoriam cordi esse ei, qui neque necessaria documenta exquirit: nec jurisperitorum consilia petit: nec quæ ad litem bene instituendam de jure requiruntur, agere vult? Neutiquam profecto. Contra libere diceretis: hunc genitorem videre filium suum submersum velle; hunc maritum uxoris mortem nihil curare; hunc clientem cadere caussa sua velle. Jam, edicite, num aliter mortalium plurimi & fors multi vestrum, Auditores charissimi! quod ad animas vestras & salutem æternam spectat, agitis? Edicite! Nunquid animas vestras pro qualibet peccaminosa voluptate damnationis periculo objicitis? Nunquid easdem peccatorum mortalium ulceribus ex toto confitas ac languescentes per pœnitentiam seriamque & doloris plenam Confessionem consanare negligitis? Nunquid, cum judicium Dei quovis momento vobis, quippe quovis momento morti obnoxiis, immineat; tamen caussam vestram apud inappellabile illud ac severissimum tribunal bene instituere nihil curatis, in præsentissimo versantes discrimine cadendi caussa illa maxima, in qua de æternitate, de τὸ *Nunquam amplius* deque eo agitur, ut semper, quamdiu Deus existet, summa vel felicitate fruamini vel miseriam omnium maximam sentiatis? . . . Quid hoc aliud, quam perpetuam e paradiso proscriptionem sibi quasi ex proposito parare? Quid hoc aliud, quam de industria infernum emere? Proh *cogitate, quod de anima deliberatis*: quod de animabus vestris, de vobis totis deque eo agatur, ut aut beati tota æternitate aut tota æternitate miseri sitis: *Cogitate, quod de anima deliberatis.*

Immo (Repetam cum S. Joanne Chrysostomo) cogitate, Deum toties, quoties mortaliter peccavistis, in flagranti aut priusquam Confessionem peregissetis, tollere vos e vivis & præcipitare in infernum potuisse: quod cum factum non sit, quemadmodum infinitam illius erga vos misericordiam commendat, ita majorem vobis metum incutere debet, ne (sin minus confestim resipiscatis) talem ille in vos adhibere misericordiam cesset tempusque pœnitentiæ neget; unde vos infernalibus flammis corripiamini: *Confitere Deo gratiam, quod non in mediis peccatis te abstulit: multi subito perierunt; time, ne & tu hoc patiare, inexcusabilis!*

Atque ut inæstimabile hoc beneficium cognoscatis ac confestim reverti ad Dominum in eumque vos statum, in quo & pœnas æternas devitare & æternam consequi beatitudinem possitis, mox restituere decernatis; fingite, quæso! Deum per absolutam suam potentiam damnatorum aliquem a pœnis inferni liberare & huic eum seculo reddere, ut in statu viatoris rebus suis prospicere possit, sive vita sancta Paradisum sibi promeriturum sive vita mala pœnæ infernalis incurrendæ periculum de novo subiturum. Putatisne, O mei! hunc singulari adeo privilegio donatum ad pristina rediturum scelera, an vero vitam christiano vere dignam ducturum esse? Stupetis, ut video, in hac mea interrogatione: Hem! reponitis, quis dubitet, quin homo tam miro modo liberatus sancte acturus sit, ut ne unquam in illam æternam calamitatem recidat. Bene dicitis, vobisque & ego assentior: Sed interrogare ulterius lubet. Quidnam majoris beneficii loco reponitis: an liberare aliquem ex inferno eo jam præcipitatum; an impedire, ne aliquis inferno dignus in infernum eat? Quodnam majus beneficium: an permittere, ut quis in vincula detur & datus eisdem ex-

solvatur; an vero imperdire, ne quis, vinculis oppido dignus, in illa omnino non conjiciatur? . . . Et si qui, postquam in custodiam missus est, ea liberatur, sic vivere debet, ut illam amplius non promereatur; Nunquid etiam is, qui eandem promeruit & in eam summo beneficio missus non est, sic emendare se in melius debebit, ut commeritorum vinculorum labem abstergat.

Et ecce! sic admodum se res nostræ habent: Quisquis mortaliter peccavit, toties æternas inferni pœnas commeruit, quoties peccavit; At Deus ob infinitam suam misericordiam illum non condemnavit, pro eo ut juste condemnare potuisset. Et hic talis misericordissime liberatus planeque admirabilis misericordiæ (quod in infernum detrusus haud sit) particeps factus non confestim expiare pœnitendo reatus debeat, quibus damnationem sibi accivit? Deberet ille, ab inferno liberatus & huic seculo redditus, sic vivere, ut illuc nunquam rediret; & is, qui per summam misericordiam ab inferno servatus est, non sic vivere debeat, ut istius pœnæ reus haud amplius fiat? Esset dignus execratione ille ab inferno liberatus, si eam vivendi rationem denuo capesseret, qua novo damnationis periculo se exponeret; & dignus abominatione non sit servatus ab inferno, si sic vitam agit, ut se inferno indies magis dignum reddat. Ah auditores dilectissimi! *Confiteamur Deo, quod non in mediis peccatis nos abstulerit.* Nam multi sine pœnitentia e vivis sublati & æternum damnati sunt: *Multi enim subito perierunt.* Itaque de tanto beneficio agamus grates, laudemus & sine fine benedicamus Dominum, idem decernentes, quod de Gedeone populus Israeliticus decrevit.

Hoc quid fuerit, coronidis loco aperiam: Vexabatur itentidem per annorum septem spatia a Madianitarum regibus populus Israelis & in eas redigebatur angustias, ut habitare in speluncis ac cavernis terræ cogeretur, ne rebus suis (uti sæpius evenerat) omnibus spoliaretur. Commotus tandem misericordia Dominus ducem elegit Gedeonem, qui populum Judæorum ab Madianitarum excursionibus liberaret. Id quod adversus hostes vir ille maximus variis stratagematis præstitit, adeo ut isti Israelem vexare amplius ausi non sint. Videns igitur populus se ab hostium vexationibus & continuis periculis liberatum esse, communi consensu Gedeonem adiit, dicens: *Dominare tu nostri* (p) *quia liberasti nos de manu Madian.* O mei! Sunt tituli indispensabiles, quibus adigimur, ut Deum pro Domino agnoscamus; nam ab ipso & creati, & redempti sumus & plurima dona accepimus: At si hæc omnia non essent; an non hoc ipsum (quod nos toties, quoties mortaliter peccavimus, ab æternitate inferni liberavit) ad hanc agnitionem quam vehementissime commovere debet? Ita profecto, O Deus meus! Ita: primum de tam magna misericordia, quam in nos quidem, contra in multos alios non adhibuisti, immensas tibi grates agimus: scilicet quod nos non præcipitaveris in infernum impœnitentes & nos a tanto nostri ipsorum interitu benignissime servaveris: Sumus subditi tui; idque necessario, quia a te creati: Sed & nostra sponte subditi tui esse volumus, ut incomprehendendo huic beneficio respondeamus deque eo nos gratos præbeamus: *Dominare*; Ita *dominare tu nostri, quia liberasti nos de manu inferni.* Quare si quisquam est hos auditores meos inter, qui culpa mortali gravatam conscientiam habet atque ob id infernalibus pœnis dignus est, tua, O Deus meus! gratia effice, ut statim ex animo doleat: ut quamprimum per contritionis plenam Confessionem se tibi reconciliatum eat & magnum sibi collatum beneficium mente recogitet; scilicet quod adhuc pœnitendi tempus habeat, nec jam infernali in carcere ardeat. Hinc etiam ipse statim corde contrito dicat: *Dominare tu mei, quia liberasti me de manu inferni*, nec differat, quia (uti a Chrysostomo audivistis) *periculum est in differendo; salus autem, si nulla sit dilatio.*

PARS

(p) *Jud. 6. v. 6.*

PARS SECUNDA
DE
SACRAMENTIS.

Post Symboli explicationem Catechismus Concilii Tridentini quam convenientissime ad Sacramentorum interpretationem progreditur; nam cum in Symbolo mysteria, quæ credenda sunt, præcipue mysterium redemptionis humanæ explanetur, & hujus redemptionis valor ac fructus per Sacramenta animabus nostris applicetur (Etenim per Sacramenta gratia sanctificans vel confertur vel augetur, qua sola ceu remedio indispensabili salus æterna, scopus redemptionis, obtinetur) ob id rerum ordo atque convenientia postulabat, ut Symboli explicationem explicatio Sacramentorum exciperet.

SERMO XXXI.

Explicantur ea omnia, quæ ad Sacramenta in Genere pertinent.

NE miremini, O mei! si primum id ago, ut, quid Ecclesia voce *Sacramentum* velit, intelligatis; nam, ut S. Augustinus (a) monet, *liberis verbis loquuntur Philosophi nec in rebus ad intelligendum difficilimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt: Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.*

Vox *Sacramentum* vetustissima est semperque in honore habita fuit etiam ante adventum Christi; quippe qua & a Gentilibus semper actio aut symbolum aliquod respectu rei alicujus sacræ significatum fuit, uti in Varrone (b) in Cicerone (c) in Vegetio (d) aliisque scriptoribus videre est. Hac eadem voce pariter Scriptura sacra ad rem aliquam sacram, arcanam, occultam, & quandoque etiam malam, dummodo occultam, denotandam utitur; prout ex Apocalypsi (e) liquet, in qua habita a Joanne meretricis & bestiæ eam vehentis visio *Sacramentum* appellatur. Verum ut reliquas vocis hujus significationes omnes prætermittam, per verbum *Sacramentum* Ecclesia, quam post SS. Augustinum & Thomam Theologi omnes sequuntur, intendit significare rem sensibilem, gratiæ qua anima sanctificatur, indicem: Hinc S. Augustinus: *Signa, cum ad res divinas pertinent, Sacramentum* (f) *appellantur*, & de Cornelio centurione, qui utut justificatus Baptismum accepit, loquens: *Non ideo Sacramentum contempsit, quod gratiam Dei jam acceperit; sed multo certior baptizatus est, ut etiam ipsa sancta signacula,* quo-

(a) *Lib. 10. de Civit Dei. c. 23.* (b) *Libr. 8. de ling. Lat.* (c) *Libr. 11. de Officiis* (d) *Libr. 11. de re milit.* (e) *cap. 17.* (f) *S. August. Epist. 137. & exposit. inchoata. Epist. ad Roman.*

quorum res (scilicet gratia) *jam in ipso præcesserat, percipere non moraretur.* Et S. Thomas (g) ait: *Sacramentum est signum rei sacræ, in quantum sanctificat animam.* Sic e. g. in Baptismo aqua signum sensibile est, quæ modo præscripto adhibita lotionem animæ a peccatis (quæ lotio per gratiam efficitur) significat.

Et quoniam nobis de Sacramentis novæ legis sermo est (Nam Sacramenta quædam, ex quo primus mortalium peccavit, semper fuerunt) ob id cum S. Thoma observare debemus, quod nostra Sacramenta tria significant: rem præteritam, scilicet Passionem Christi: rem præsentem, scilicet Gratiam, si digne suscipiuntur: rem futuram, scilicet Gloriam: *Sacramentum est signum rememorativum ejus, quod præcessit, scilicet Passionis Christi; & demonstrativum ejus, quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet Gratiæ; & prognosticum, id est prænunciativum futuræ Gloriæ* (h)

Sacramenta sunt signa (uti diximus) gratiam, quæ nobis in digno eorum usu confertur, indicantia; at signa non jam naturalia aut necessaria gratiæ, sed ex Dei beneplacito instituta: quod ut intelligatis, cum S. Thoma (qui suam de his doctrinam a S. Augustino sibi accepit) observare debetis, esse signa, quæ naturaliter aliquid significant: Ita fumus ignem, vestigium bovis pulveri impressum bovem repræsentant; & hæc signa a S. Augustino (i) vocantur *signa naturalia, quæ sine voluntate atque ullo appetitu significandi, præter se, aliquid aliud ex se cognosci faciunt.* Sunt præterea alia signa, quæ eatenus significant, quatenus alterius beneplacitum determinavit, ut hoc vel illud significent. Sic e. g. talis classici canendi modus significat, eundum in certamen: alius modus, pedem referendum: iterum alius, quietem capiendam esse &c. Et hæc signa a S. Augustino appellantur *signa data, quæ sibi quæque viventia invicem dant ad demonstrandos, quantum possunt, motus animi sui vel sensa aut intellecta qualibet:* Uti si amicorum itinerantium societas in id condiceret, ut hastile recta in aerem elevatum significet, paululum subsistendum esse; aut in terram transverse actum prandii tempus, aliaque denotet: S. Augustino consentit S. Thomas. Jam Sacramenta sunt signa data, nimirum instituta ex beneplacito Christi; nam cum signa gratiæ sint, uti monui: gratia autem a nullo, nisi ab ipso qua Deo conferri possit; hinc nulla res est, quæ signum gratiæ naturaliter esse queat. Ob id oportuit a Christo ejusmodi res institui, ad quarum usum gratia ab ipso concederetur.

Ex hoc apparet, Sacramenta esse signa non solum speculativa (scilicet re vera ad cognoscendam gratiam ducentia) sed esse signa practica & operantia id, quod significant; nam præterquam quod gratiam, quæ a Deo (ut caussa principali) infunditur, nobis manifestent, eandem etiam efficiunt seu caussant tanquam instrumenta omnipotentiæ Dei, quibus ille ad gratiam nobis infundendam utitur. Hinc S. Augustinus (k) de Sacramentis nostris loquens & eadem cum Sacramentis veteris Testamenti comparans, *Sacramenta non eadem*, ait, *quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem: Sacramenta novi Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.*

Convenientissimum fuit, Sacramenta a Christo in rebus sub sensus cadentibus institui; cujus rei egregiam hanc caussam S. Thomas (l) affert: *Sapientia divina unicuique rei providet secundum suum modum. . . Est autem homini connaturale, ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium: Signum autem est, per quod aliquis pervenit in cognitionem alterius. Unde cum res sacræ, quæ per Sacramenta significantur, sint quædam spiritualia & intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur; consequens est, ut per aliquas res sensibiles significatio Sacramenti impleatur.*

Res sensibiles, ex quibus Sacramenta consistunt, sunt tum res seu actiones sensibiles quæ adhibentur, tum verba quæ in Sacramentorum administratione proferuntur. Res seu actio sensibilis vocatur *Materia:* Verba, quæ proferuntur, vocantur *Forma.* In bapti-

(g) 3. Part. qu. 60. art. 2. (h) 3. Part. qu. 60. art. 3. (i) Libr. 2. de Doctr. christ. c. 1.
(k) In Psalm. 73. (l) 3. Part. qu. 60. art. 4.

baptiſmo e. g. aqua naturalis eſt materia remota: actio lavandi illa corpus eſt materia proxima. Verba prolata: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*, ſunt forma. Et ſic in reliquis Sacramentis omnibus, prout ſuo loco videbimus. Materia dividitur in *remotam* & *proximam:* Remota materia eſt res, quæ adhibetur, e. g. aqua in baptiſmo; proxima materia eſt uſus ipſe rei e. g. ablutio, ſcilicet actio, qua corpus baptizandi lavatur.

Nefas eſt, alias materias aut alia verba ſeu formas, quam ab Eccleſia præſcriptas, adhibere. Omnis hac in re advertenter facta mutatio peccati noxam habet: Et ſi mutatio ſubſtantialis foret, ſcilicet materiæ (uti ſi in baptiſmo loco aquæ vinum ſumeretur) aut formæ, adeo ut ſenſus verborum corrumperetur; præterquam quod talis mutatio graviter peccaminoſa eſt, inſuper Sacramentum irritum atque invalidum facit. Atque ob id attendi oppido debet, ut Sacramenta modis ab Eccleſia conſtitutis adminiſtrentur. Sed neque materiis aut formis probabilibus uti licet, ſed ſolæ ab Eccleſia determinatæ adhibendæ ſunt: Unde Innocentius XI. contrariam doctrinam in ſequenti propoſitione condemnavit: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore &c.*

Quo loco ſciendum, Jeſum Chriſtum omnium Sacramentorum noſtrorum inſtitutorem fuiſſe, uti Concilium (m) Tridentinum dogmatice definivit: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta . . . . anathema ſit.* Obſervandum tamen, nonnullorum Sacramentorum (uti Baptiſmi, & Euchariſtiæ) materiam ac formam (ſcilicet rem, quæ adhiberi: & verba, quæ proferri debent) Chriſtum ipſum determinaſſe; aliorum deinde Sacramentorum materiam ac formam Apoſtolis & Eccleſiæ determinandam reliquiſſe, dummodo materia & forma eorundem eſſent ſignum ſenſibile, ſignificans gratiam conferendam: id quod monebo, ubi de quovis Sacramento ſermo ſpecialis erit.

Sacramenta a Chriſto inſtituta ſeptem numero ſunt, nec plura nec pauciora; id quod denuo laudatum Concilium (n) dogmatice definivit: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis . . . eſſe plura vel pauciora, quam ſeptem (videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem & Matrimonium* Fidelium) *aut etiam, horum ſeptem aliquod non eſſe vere ac proprie Sacramentum, anathema ſit.*

Ex hoc ipſo Sacramentorum tum dignitas tum vis atque efficacia derivatur. Dignitas Sacramentorum fluit ab auctore & inſtitutore eorundem, qui fuit Jeſus Chriſtus Deus-homo: Notandum quod, tametſi omnia Sacramenta coli ac æſtimari ſummopere debeant, horum nihilominus aliud alio dignius ſit; ob eam rem idem Concilium (o) dogmatice definivit: *Si quis dixerit, hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit.* Et quis eſt, qui Euchariſtiam pro Sacramento omnium excellentiſſimo non habeat; quippe quæ non ſolum vim producendi gratiam, ſed ipſum gratiæ auctorem continet. Unde laudatum Concilium (p) ait, *in ea excellens ac ſingulare reperiri, quod reliqua Sacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis auctor, ante uſum, eſt.* Vis deinde & efficacia Sacramentorum ex eo apparet, quod gratiam, quam ſignificant, contineant & eandem utentibus cunctis, in quibus impedimentum non eſt, conferant. Hinc, uti ab Auguſtino didiciſtis, *Sacramenta novi Teſtamenti dant ſalutem; Sacramenta veteris Teſtamenti* tantum *promiſerunt Salvatorem:* Et alibi (q) ait: *Sacramentorum vis inerrabiliter valet plurimum.* Et S. Thomas affirmat: *Ex multis Sanctorum auctoritatibus certum habeatur, Sacramenta novæ legis non ſolum ſignificare ſed cauſare gratiam.* Et iterum (r) *Per Sacramenta novæ legis homo Chriſto incorporatur.* Hinc ſæpius citatum Concilium (s) ſequentem Fidei canonem condidit: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam* non

(m) *Seſſ. 7 can. 1.* (n) *Loc. cit.* (o) *Loc. cit. c. 3.* (p) *Seſſ. 13. c. 3.*
(q) *Lib. 19. contra Fauſt. c. 11.* (r) *3. p. qu. 62. a. 1.* (s) *Seſſ. 7. can. 6.*

Cum multo verissimum sit, per omnia Sacramenta gratiam digne suscipientibus dari; notandum, duo Sacramenta (scilicet Baptismum & Pœnitentiam) a Christo instituta fuisse, ut peccatorem justum reddant: Hinc duo hæc Sacramenta conferunt gratiam, quæ animam ream primitus justificat ac sanctificat; quam gratiam Theologi *primam gratiam* vocant. Reliqua deinde quinque Sacramenta eo instituta sunt, ut primæ gratiæ incrementum afferant: Et hæc Sacramenta sibi volunt, ut anima in gratiæ statu jam sit; atque ob id hæc gratia a Theologis *gratia secunda* appellatur. Hinc priora duo Sacramenta *Sacramenta mortuorum*, scilicet mortuorum gratiæ: posteriora quinque *Sacramenta vivorum*, nimirum animarum per gratiam viventium, nominari solent. Contingere tamen per accidens potest, quenquam ad horum quinque Sacramentorum aliqud suscipiendum accedentem, dum se in gratia Dei esse credit (quoniam, quam potuit, diligentiam adhibuit) tamen reipsa in gratia Dei non esse: In hoc casu, ait S. Thomas, quem reliqui Theologi sequuntur, Sacramentum illud vivorum *per accidens* primam & animæ sanctificatricem gratiam collaturum est; quia non reperit voluntarium obstaculum: quod solum, secundum laudati Concilii doctrinam, gratiæ effectum impedit. Sic econtra contingere potest, ut duo Sacramenta mortuorum *per accidens* gratiam secundam causent, si suscipiens cum perfecta contritione accedit; quandoquidem contritioni perfectæ Deus gratiam suam promisit. *Quis est in peccato mortali, cujus affectum & conscientiam non habet* (*Forte enim primo non fuit sufficienter contritus*) *sed devote & reverenter accedens consequitur per hoc Sacramentum* (Eucharistiæ) *gratiam charitatis, quæ contritionem perficit & remissionem peccati.* Sic & de reliquis Sacramentis sentiendum.

Alius insuper effectus a nonnullis Sacramentis (Baptismo nimirum, Confirmatione & Ordine) in anima producitur, scilicet *Character*, qui est signum seu nota animæ impressa ac indelebilis, & qui ob id ipsum facit, ut memorata Sacramenta iterari haud liceat. De hoc Charactere inter alios Patres sanctos disertis verbis S. Basilius, *Homil. 13. de Exhort. ad Baptism.* S Cyrillus Hierosolymitans, *in præfat. ad Catech.* & *Catech. 17.* S. Augustinus in pluribus locis, *in Epist. 98. ad Bonif. Episc. in Epist. 158. ad Bonif. comitem, in Libr. 6. de Baptism. c. 1. in Libr. 1. contra Crescent. c. 30. in Serm. ad Cæsar. Eccles. plebem, in Libr. 2. contra epist. Parm. c. 13.* & *in Libr. 2. contra litteras Petil. c.* 4. meminerunt. Unde Concilium Tridentinum sequentem Fidei canonem condidit: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis (Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine) non imprimi Characterem in anima, hoc est: signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.*

Memoratorum septem Sacramentorum alia necessaria sunt necessitate absoluta seu (ut dicunt) *necessitate medii* simul ac *necessitate præcepti*; alia dein solum *necessitate præcepti*; alia denique unicuique in particulari necessaria nullo modo sunt: Quod ut intelligatis, primum quid sit *necessitas medii*, quid *necessitas præcepti*, ostendendum. Necessitas medii in eo consistit, quod res aliqua adhiberi adeo certe ac plane debeat, ut, si non adhibeatur, salus obtineri æterna non possit, tametsi rei illius usus haud ex malitia omittatur: Tali modo Baptismus omnibus necessarius est, quippe sine quo (vel recepto ab infantibus vel desiderato ab adultis) nulla salus: Tali modo Pœnitentia post Baptismum in peccatum mortale lapsis necessaria, quippe sine quo Sacramento (vel suscepto, si fieri potest vel saltem, si fieri non potest, vera cum contritione desiderato) nulla eis salus. Inter reliqua quinque Sacramenta, alia necessaria sunt necessitate præcepti (quæ necessitas edito desuper præcepto nititur) respectu adultorum & cujusvis horum in particulari: Hæc sunt Confirmatio, Eucharistia (de qua suo loco dicetur) Extrema-Unctio. Reliqua duo, nimirum Ordo & Matrimonium, Ecclesiæ generatim necessa-

cessaria sunt: primum quidem ad consecrandos ministros, necessarios, secundum vero ad populum fidelem in militante Ecclesia propagandum; nullo modo tamen cuivis Fidelium privatim necessaria sunt. Unde quam sæpissime laudatum Concilium sequenti canone statuit: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria sed superflua, & sine eis aut eorum voto per solam Fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.*

Qui Sacramenta characterem imprimentia indigne suscipit committens sacrilegium, si postea dolet ac confitetur, accipit gratiam Sacramenti male suscepti: quippe quod se in suo effectu, qui est character, virtualiter conservavit; id quod de iis Sacramentis dici non potest, quæ in nullo suorum effectuum remanent; nam non remanent in gratia, quam non contulerunt utpote indigne suscepta: non in charactere, quem non imprimunt. Non est ergo, cur dicatur: ea, sublato per seriam pœnitentiam obstaculo, gratiam postliminio producere. Hinc S. Thomas (u) *Quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, & consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata: impeditur autem quandoque per fictionem; unde oportet, quod, remota ea per pœnitentiam, Baptismus statim consequitur suum effectum.*

Restat, ut de Ministris Sacramentorum generatim dicam; nam de Ministris Sacramentorum in particulari agetur, ubi de quovis singillatim Sacramento sermo occurret. Habemus canonem Fidei a Concilio Tridentino definitum: Non omnes Christianos quorumvis Sacramentorum Ministros esse, sed illos solum, qui in hunc finem ab Ecclesia consecrati vel destinati sunt: *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo & in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* Et fuit hæc semper concors SS. Patrum sententia nixa Scripturis sacris, uti ex *Actibus Apostolorum* & ex variis *Epistolarum S. Pauli* locis colligere, atque in libris vetustissimorum Patrum ac Scriptorum videre est: quos inter S. Ignatius Episcopus & Martyr, primi seculi Scriptor, in suis genuinis *Epistolis ad Magnesianos, Trallianos, Philadelphis, Smirnæos, Polycarpum*: Tertullianus, Scriptor secundi seculi, in libro *de Præscriptionibus hæreticorum, cap 41.* S. Cyprianus Episcopus & Martyr, Scriptor tertii seculi, in *Epistolis 34. 35. & 52.* itemque in libro *de lapsis* consulantur; quibus reliqui omnes adsentiuntur.

Ad valorem dein Sacramenti nec fidem nec pietatem Ministri necessariam esse (dummodo is characterem, hoc est: potestatem habeat faciendi illud Sacramentum, & rebus debitis utatur) veritas est, quæ juxta cum priore communi Patrum Traditione nititur: Patrum olim in duobus antiquis Conciliis congregatorum, videlicet *Arelatensi I. can. 8.* & *Nicæno generali I. can. 8.* & *9.* Rei hujus rationem affert S. Thomas (x) dicens: *Potestas ministrandi Sacramenta pertinet ad spiritualem characterem, qui indelebilis est; & ideo per hoc, quod aliquis ab Ecclesia suspenditur vel excommunicatur vel etiam degradatur, non amittit potestatem conferendi Sacramentum sed licentiam utendi hac potestate: Et ideo Sacramentum quidem confert, sed tamen peccat conferendo; & similiter ille, qui ab eo accipit Sacramentum & sic non percipit rem* (gratiam) *Sacramenti, nisi forte per ignorantiam excusetur.* Quid igitur ad valorem Sacramenti requiritur? Requiritur potestas, seu character in Ministro in iis Sacramentis, quæ hunc sibi postulant: materia: forma: intentio faciendi id, quod facit Ecclesia. Hæc omnia ad validitatem Sacramenti exiguntur.

De intentione Ministri interrogabit aliquis in quæstionibus theologicis exercitatus, qualis illa esse debeat? Respondeo, intentionem Ministri hanc ipsam paulo ante memoratam esse debere, videlicet faciendi id, quod facit Ecclesiæ: Ita Concilium Tridentinum (y) dogmatice pronunciavit: *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi,*

(u) *3. part. qu. 69. a. 10.* (x) *3. Part. qu. 64. a. 9.* (y) *Sess. 7. can. 11.*

di; quod facit Ecclesia; anathema sit. Jam cum sit intentio Ecclesiæ conficiendi Sacramentum, talis esse & ministri intentio debet. Hinc *in praxi* neutiquam admittenda opinio contraria affirmantium: ministrum, dummodo exterius serie agat & externas requisitas actiones omnes faciat, etsi intentionem contrariam non conficiendi Sacramentum habeat, tamen Sacramentum conficere; Nam, aiunt, habet intentionem faciendi actiones externas ab Ecclesia præscriptas. Sed hæc assertio abhorrere a vero videtur; nam objectum intentionis ministri, quam Ecclesia exigit, non sunt actiones externæ serio factæ, sed hujus intentionis objectum est confectio Sacramenti & non sola materialis actionum externarum patratio; nam minister, dum Sacramentum conficit, est minister Christi & minister humanus, qui cum intellectu ac voluntate operatur. Præterea Christus vult, ut Sacramentum conficiatur, & non solum ut ritus externi adhibeantur cum voluntate contraria non conficiendi Sacramentum. Igitur intentio seu voluntas conficiendi Sacramentum intercedere debet: Hæc deinde voluntas triplex est; *habitualis*, quæ in facilitate rem aliquam ex consuetudine seu habitu sine ulla reflexione vel recordatione faciendi consistit; *actualis*, quando actu cogitamus & attendimus velle nos facere id, quod facimus; *virtualis*, quæ post factam intentionem actualem, nullo vel contrario actu vel notabili temporis intervallo interruptam, perseverat: unde operamur ex impulsu intentionis actualis remanentis in determinatione voluntatis. Intentio habitualis non sufficit; nam actio, quæ cum hac intentione fit, a nullo actu voluntatis procedit: id quod ex omnibus actionibus, quas ex mera assuetudine vel habitu sine ulla consideratione facimus, apparet. Intentio actualis optima est & in actione tanti momenti, qualis est confectio Sacramenti, omnino procuranda; at non est necessaria: cum Intentio virtualis sufficiat, quippe quæ actionem sufficienter voluntariam efficit.

Ut autem minister non *valide* solum sed etiam *licite* conficiat & ministret Sacramenta, in statu gratiæ esse debet; secus peccat mortaliter admittens sacrilegium contra virtutem religionis postulantis, ut res tam sacræ, ac sunt Sacramenta, a personis justis & non inimicis Deo conficiantur atque administrentur. Hinc S. Augustinus (z) ait: *Ministros tanti judicis justos oportet esse, per quos baptizatur; Ego autem dico & omnes dicimus, quia justos oportet esse tanti judicis ministros.* Et S. Thomas (aa) *Non est dubium, quin mali, exhibentes se ministros Dei & Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum, peccent; & quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei & contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet Sacramenta secundum se ipsa incontaminabilia sunt) consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.* De hoc suo loco sermo recurret.

Ex hoc conficitur, quod administrationem alicujus Sacramenti a ministro, qui culpæ mortalis reus dignoscitur, petere absque necessitate non liceat. Dixi: *Absque necessitate*; Nam, si necessitas adsit & haberi alius nequeat, licet; quia quivis habet jus necessitatibus suis spiritalibus prospiciendi, & ob id non cooperatur indignæ administrationi ejus, cui facultas est se a peccatis si nulla alia via, certe actu perfectæ contritionis mundandi. Debet itaque minister peccati mortalis utut occulti sibi conscius, priusquam Sacramentum aliquod conficiat aut dispenset, ad minimum elicere actum perfectæ contritionis junctum firmo proposito mox confitendi, ut hac ratione dignum se faciat Christi & Ecclesiæ ministrum (Excipite hoc loco Sacramentum Eucharistiæ, quod præviam Confessionem sibi vult; uti suo loco dicetur) Idem de ministris altaris ministerio suo publice ac solenniter fungentibus tenete, prout (bb) S. Thomas cum reliquis Theologis cunctis monet: *Lex præcipit, ut homo juste ea, quæ sunt justa, exequatur; & ideo quicunque homo, quod sibi competit ex Ordine, facit indigne, quod justum est,* in-

(z) *Tract. 5. in Joan.* (aa) *3. Part. qu. 64. a. 6.* (bb) *In Tract. dist. 28. q. 1. a. 3.*

injuste exequitur & contra præceptum legis facit ac per hoc mortaliter peccat. Quicunque autem cum peccato mortali aliquod sacrum Officium pertractat, non est dubium, quin indigne illud faciat: unde patet, quod mortaliter peccat.

Quod ad ceremonias & ritus in Sacramentorum administratione ab Ecclesia præscriptos attinet, nemini privato fas est eosdem omittere, & qui hac in re notabiliter immorigerum se præbet, mortaliter peccat. Etiam hoc Concilium Tridentinum (cc) canone Fidei definivit: *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ ritus in solenni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni aut sine peccato a ministris pro libitu omitti aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.*

Per ea, quæ hactenus a me dicta sunt, O suavissimi! animos nostros ad præclaros gratitudinis erga charissimum Salvatorem nostrum Jesum Christum sensus excitare debemus: Christum, qui, tot salutis auxilia benedicta sua Passione nobis comparasse non contentus, ejusdem Passionis suæ efficaciam ac vim concludere Sacramentis voluit, ut devoto eorum usu divinam suam gratiam vel amissam recuperaremus vel inhabitantem in nobis augeremus; idque multo magis præstandum a nobis, si, quam facilis sit Sacramentorum usus, cogitaverimus: quam rem S. Augustinus in pluribus suorum operum locis annotavit: *Nec . . . operatione gravi onerati sumus* (dd) *sed quædam pauca pro multis eademque factu facillima . . . ipse Dominus & apostolica tradidit disciplina.* Et alibi, in comparatione veterum Sacramentorum pergens, ait (ee) *Alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Et iterum (ff) *Dominum nostrum Jesum Christum levi nos jugo subdidisse*, affirmat, *& sarcinæ levi: unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facilimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit.* Quod si Dominus pro obtinenda gratia justificante instituisset Sacramenta, copiosas eleemosynas aut multa severaque jejunia aut longas multasque preces aut alias graves corporis macerationes sibi postulantia; vel tunc his omnibus pro obtinenda ejus gratia, sine qua nulla salus, se subjicere necessarium foret. Sed nequaquam sic Dominus egit; nihil ille petit, quam quæ a me dicta & in hac secunda parte dicenda sunt, ut ne agendorum magnitudo ac gravitas ab Sacramentis summa nostra cum utilitate frequentandis nos absterreret. Igitur ingentem hanc in nos charitatem gratis animis agnoscamus & de illa sæpe gratias Domino ex totis præcordiis agamus nostramque gratitudinem ipso opere manifestemus, Sacramenta pie frequentando, pro eo ut a sapientibus conscientiæ arbitris nobis permittetur. Ne unquam ingratissimis illis nos jungamus, qui menses atque adeo annos præterire sinunt, quin illa suscipiant; quo fatali signo animæ in damnationem ruituræ sese maxime prodere solent.

(cc) *Sess. 7. can. 13.* (dd) *Lib. 3. de Doctr. christ. c. 9.* (ee) *Lib. 19. contra Faust. c. 13.* (ff) *Epist. 34. ad Januar.*

SERMO XXXII.

De Sacramento Baptismi.

POstquam, O mei! de Sacramentis generatim dixi, cum Catechismo Tridentini Concilii de iisdem singillatim, & primum quidem de sancto Baptismo, qui reliquorum Sacramentorum quædam (ut sic dicam) janua est, agere pergo: Vox *Baptismus*, e Græca lingua desumpta, significat *lotionem* seu *ablutionem*. Sacramento huic

multæ in veteri Testamento figuræ præcesserunt, etiam ab ipsa mundi creatione: in qua dicitur (a) quod Spiritus Dei super aquas ferebatur; Ita Tertullianus (b) Præterea aquarum diluvium temporibus Noe teste Petro Apostolo (c) quem multi Patres sequuntur: item transitus populi Israelitici per mare rubrum, testibus SS. Cypriano (d) & Hieronymo (e) item aquæ Jordanis Naamanum sanantes teste S. Ambrosio (f) multaque alia Sacramentum hoc præfiguraverunt.

Christum Baptismi institutorem esse nullus, etiam hæreticorum, dubitat; De tempore vero, quo Christus hoc Sacramentum instituit, non una est omnium sententia: Alii Patrum Christum hoc Sacramentum instituisse affirmant, quando ob suam humilitatem ipse in Jordanem a Joanne Baptista Baptismum pœnitentiæ recepturus descendit (g) Et hæc est communior ac pervulgatior opinio; Etenim tunc reliquæ duæ personæ divinæ sensibus etiam humanis percipiendas se dederunt, Pater quidem per vocem sensibilem, qua dixit: *Hic est Filius meus dilectus;* Spiritus sanctus vero in specie columbæ supra Christum in aere pendentis apparens. Alii Patrum & gravissimorum Doctorum contendunt, Christum instituisse Baptismi Sacramentum, quando Nicodemo dixit: Nisi quis ex aqua & Spiritu sancto renatus fuerit, non poterit intrare in regnum Dei; Tum namque Apostoli Baptismo a Christo instituto baptizare inceperunt, uti S. Joannes (h) narrat; qua re discipuli Joannis Baptistæ offensi fuerunt: id quod (si Apostoli Baptismo Baptistæ baptizassent) adeo factum non fuisset, ut potius inde gloriati fuissent. Nihilominus lex ad Baptismum nostrum, scilicet a Christo institutum, obligans stringere non nisi post resurrectionem Christi & sufficientem Evangelii promulgationem (nimirum post diem Pentecostes) cæpit, quippe qua Apostoli pleni Spiritu sancto, divino plane impetu acti, ad Evangelii publicationem aggressi sunt.

Cum Christus dixerit, necesse esse, ut gratiæ per aquam renascamur; en specifice determinatam materiam remotam hujus Sacramenti & (quod sequitur) etiam proximam, scilicet usum aquæ, qui, personam baptizandi ipsa lavando aut abluendo, fit: Et quoniam per vocem *aqua* nil aliud intelligitur quam aqua naturalis, ob id hæc sola est materia valida Sacramenti, sive dulcis sive marina sit. Dixi: *valida*; nam ut etiam *licite* adhibeatur, benedicta esse debet (quod in solenni benedictione fontis baptismalis fit) nisi necessitas aliud jusserit; Nam in casu necessitatis aqua dulcis, si præsto sit: sin minus, aqua marina; cum & ipsa sit aqua naturalis: aqua balneorum sulphureorum aut alia mineralis: aqua lixivia &, his omnibus deficientibus, aqua decoctionis herbarum & aliarum rerum (dummodo non tantam succi vim res elixæ reliquerint, ut jam species aquæ non remaneat) adhiberi potest. Artificiales vero aquæ (uti aquæ e rosis, e cedris aut aliis rebus arte chymica extractæ) non sunt idonea materia, multoque minus cerevisia aut vinum aut alius liquor. Ita Concilium Tridentinum (i) dogmatice definivit: *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque adeo verba illa D. N. Jesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, ad metaphoram detorserit, anathema sit.* Unde si quis responsum Stephani II. pontificis Romani *cap. 2.* datum *ad Monachos Britannici monasterii* objiceret: *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizarit, nulla ei exinde culpa adscribitur, infantes sic permanere in Baptismo,* huic respondeo primo: Textus hujus constructionem vitiosam esse, legendumque: *Nulla si adscribitur culpa, si infantes sic permaneant in Baptismo,* atque ideo subjungitur: *Nam ei præsens adfuit aqua, ille Presbyter excommunicetur & pænitentiæ submittatur; quia contra canonicam sententiam agere præsumpsit.* Hinc a vero alienum est, Stephanum tale Baptisma pro valido habuisse; non enim de valore hujus Baptismi, quippe cujus nullitas

(a) *Genes. 1.* (b) *Libr. de Baptismo, c. 8.* (c) *1. Petr. 3.* (d) *Epist. 76.* (e) *Epist. 83.*
(f) *Libr. 4 in Luc.* (g) *Matth. 3.* (h) *Cap. 3. & 4.* (i) *Sess. 7. can. 2.*

tas ignota esse nemini potuit, sed de culpa tali modo baptizantis deque pœna eidem insligenda consultus fuit: Reposuitque, quod tali modo baptizans, si qua adfuit, memoratæ pœnæ subdatur: si autem aqua non adfuit, & ille ex simplicitate, aliud quid præsto non habens, vino usus sit, pietati ejus (utut stolidæ) misericordia adhibeatur. Respondeo secundo: hanc Stephani responsionem oppido dubiam atque incertissimam esse; quippe, quæ authenticis monumentis destituatur.

Jam ut de modis aquam baptizando applicandi dicam, vetustissimus fuit modus *immersionis*, quo baptizandus ter aquæ immergebatur; sed post aliquot secula communior obtinuit *ablutionis* modus, quo aqua in caput baptizandi effunditur; quanquam Baptismus etiam per modum *aspersionis* conferri possit, dum baptizandus aqua aspergitur; quod tamen fieri non debet. Curandum, ut aqua cutem baptizandi Immediate seu proxime tangat, & aquæ quantitas tam sufficiens adhibeatur, ut lavatus dici possit, quo hac ratione actio cum verbis consentiat significantibus: *Ego te lavo.* Dixi: aquam in caput baptizandi effundendam esse, quod omnium sensuum sedes est; Nihilominus si metus esset, ne inde grave baptizando damnum accedat, sufficit, illam in humeros aut pectus, immo etiam in quodvis aliud membrum, pedem, brachium &c. effundi. Dixi: si aliter fieri non potest & si de vita baptizandi timetur (uti quandoque in partu accidit) effundatur aqua in tale membrum; sed postea, si fœtus ex utero prodierit ac vivat, majoris securitatis gratia sub conditione denuo baptizetur. Audiamus de hac re SS. Thomam & Carolum Borromæum; Prior ait: *Expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad Baptismum, nisi mors immineat; si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente; quia in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit sicut in capite. Videtur quibusdam, quod propter dubium, quacunque alia corporis parte abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo* (k) Et S. Carolus Borromæus (l) monet: *Si fœtus ex utero matris, quæ in partu periculose laborat, vel manu vel pede vel alia aliqua parte extans ob necessitatem in ea ipsa parte ab obstetrice baptizatus est; cum superstes erit, sub conditione baptizetur adhibitis ceteris Baptismi ceremoniis. Si vero in capite, quod primum ex utero prodit, baptizatus est forma rite servata, quando supervixerit, ad Ecclesiam deferatur: cui tantum reliquæ cerimoniæ adhibeantur, quæ ad solennitatem Baptismi attinent.*

Cum quodvis Sacramentum ex materia & forma (scilicet ex usu alicujus rei sub sensus cadentis & ex prolatione verborum) constet; postquam de materia & ejus usu in Baptismo intellexistis, restat ut videatis, quæ verba seu qualis forma applicari debeat? Hanc Christus ipse docuit dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Hinc verba, dum aqua affunditur, proferenda hæc sunt: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen.* Vox *Nomine* denotat unitatem essentiæ & virtutis divinæ, reliquæ Trinitatem realem distinctarum Personarum divinarum significant. Notandum, particulam copulativam *Et* interponi dicique debere *Et Filii Et Spiritus sancti*, ut realis Personarum distinctio indicetur; nam hæretici Sabelliani, qui in Deo non tres Personas, sed solum tres titulos seu tria nomina in una sola essentia esse profitebantur, dicebant: *In nomine Patris, Filii, Spiritus sancti,* Hinc attendendum, ut particula copulativa *Et* interseratur.

Sunt nonnulli, qui tenent, temporibus Apostolorum per specialem dispensationem eos in solo nomine Christi baptizasse: *In nomine D. N. Jesu Christi.* At hoc *in nomine Jesu Christi* nil aliud quam baptismum Christi denotasse, & Apostolos æque ac nos verba Trinitatis protulisse, vero consentiens est eruiturque ex *Actis Apostolorum cap. 19.* in quo narratur, quod Paulo Ephesi Fidelium

(k) *3 p. qu. 68. art. 11.* (l) *Instr. de Baptismi administr.*

lium quosdam, an Spiritum ſanctum accepiſſent, interrogante illi repoſuerint: neſcire ſe, quid ſit Spiritus ſanctus; quod miratus Paulus ſubdidit: *In quo ergo Baptizati eſtis?* Et reſpondentibus illis: *In Joannis Baptiſmate* (qui fuit Baptiſmus pœnitentiæ, nequaquam Baptiſmus noſter) confeſtim juſſit, ut illi inſtituti Fidei elementis noſtro Baptiſmo abluerentur. Ex hoc quis eſt, qui non intelligat, hanc Pauli interrogationem ad eos, qui neſcire ſe de Spiritu ſancto dicebant, directam: In quo nimirum baptizati eſſent, clare oſtendere, etiam in Baptiſmo, quem Apoſtoli conferebant, Spiritus ſancti mentionem factam & verba, quibus nos utimur, prolata fuiſſe; Secus ſermo Pauli ad rem propoſitam minime quadraſſet. Sic illud: *In nomine Chriſti*, accipiunt S. Cyprianus *Epiſt. 63.* S. Baſilius M. *Libr. de Spiritu ſancto, cap. 12.* S. Auguſtinus *Libr 2. contra Maximinum Arian. cap. 27.* aliique.

Debet etiam Miniſtri actio proferri, dicendo: *Ego te baptizo in nomine &c.* & verborum pronunciationi aquæ effuſio conjungi, ut materiæ cum forma unio comprobetur: Et quamvis pronomen *Ego* pro valore Sacramenti non requiratur, tamen ſine gravis peccati noxa non omittitur: Hinc ſi unus affunderet aquam, alter verba proferret, non conficeretur Sacramentum; quia verba (ut liquet) falſa eſſent. Poſſunt equidem gravi neceſſitate interveniente plures (nimirum duo aut tres) ſimul baptizari, ſed tunc dicendum: *Ego vos baptizo*; neque per hoc forma mutatur, quia verbum *Vos* (ut ait S. Thomas) idem ſibi vult ac *te & te & te* (m) At irritus eſſet Baptiſmus, ſi duo aut plures unam ſolam perſonam baptizarent dicentes: *Nos te baptizamus*; nam teſte S. Thoma his verbis exprimitur intentio, quod plures ad conficiendum Sacramentum conveniant: quod naturæ ſacri miniſterii adverſatur; Etenim in illo operatur homo tanquam vices Chriſti gerens, & quemadmodum Chriſtus unus eſt, ita unus eſſe debet Miniſter Chriſtum repræſentans: Hinc iſta intentio excludit Sacramentum. Quod ſi quivis horum duorum aut trium baptizantium ſolita verba proferret: *Ego te baptizo &c.* tunc is Sacramentum conficeret, qui prior verba illa prænunciaret: Unde reliqui, ut rebaptizantes, ſeveris coerceri pœnis deberent. Si denique omnes ſimul verba finirent, pariter ſevere in eos animadvertendum eſſet, atque conficeretur unum ſolum Sacramentum; cum quilibet eorum (quantum in ſe eſt) baptizaret, & Chriſtus, qui interius baptizat, per hos duos vel tres unum ſolum Sacramentum conferret. Ita S. Thomas. Ex quibus apparet, omnes hos baptizandi modos ſacrilegos & illicitos eſſe, quamvis nonnulli eorum valide adhibeantur. Atque (ut paucis dicam) ſemper nefas quavis demum ratione mutare vel modum vel verba conſueta: quæ ſi ita immutarentur, ut jam non idem ſenſus exiret, Sacramentum nullum & invalidum eſſet; prout ſuperiori ſermone monui.

Cum per hujus ſermonis decurſum mentionem de Joannis præcurſoris Baptiſmo injecerimus, monitos vos velim: hunc Baptiſmum fuiſſe lotionem corporalem, quæ in ſignum pœnitentiæ recipiebatur; de reliquo nullam contuliſſe gratiam, uti Baptiſmus noſter confert. Dogma hoc eſt Fidei ab Concilio Tridentino definitum: *Si quis dixerit, Baptiſmum Joannis habere eandem vim cum Baptiſmo Chriſti, anathema ſit.* Eandem ſententiam tenent Patres cuncti nixam verbis ipſius S. Joannis diſerte pronunciantis: ſe quidem baptizare in aqua, venturum vero poſt ſe eum, qui in Spiritu ſancto baptizaturus eſſet. Duos ſolum SS. Patrum citemus, S. Hieronymum dicentem (n) *Si autem Joannes, ut confeſſus eſt ipſe, non baptizavit in Spiritu, conſequenter neque peccata dimiſit; quia nulli hominum ſine Spiritu ſancto peccata dimitttuntur.* Et S. Auguſtinum (o) *Si Baptiſmo Joannis peccata dimittebantur, quid amplius præſtare potuit Baptiſmus Chriſti eis, quos Apoſtolus Paulus poſt Baptiſmum Joannis Chriſti Baptiſmo voluit baptizari?*

 Prius-

(m) 3. p. qu. 69. a. 5.

(n) *Dial. contra Luciſer.*

(o) *Libr. 5. de Bapt. contra Donatiſt. c. 10.*

Priusquam de Baptiſmi neceſſitate, quæ ad omnes univerſim mortales pertinet, dicam; neceſſe eſt monere, triplicem eſſe Baptiſmum, videlicet Baptiſmum *fluminis:* Baptiſmum *flaminis*, Baptiſmum *ſanguinis*. Baptiſmus fluminis (qui ſolus eſt Sacramentum noſtrum) definitur ablutio exterior corporis verbis, ſcilicet formæ a Chriſto præſcriptæ & ab Eccleſia propoſitæ, unita: *Baptiſmus*, ait S. Thomas, *eſt ablutio corporis ſub præſcripta verborum forma*. Baptiſmus flaminis conſiſtit in perfecto dolore ſeu contritione de peccatis admiſſis aut in actu perfectæ charitatis erga Deum: quibus cum efficax omnibus præceptis divinis obediendi propoſitum comprehendatur, ſimul etiam ſuſcipiendi (ut primum licuerit) Baptiſmi voluntas continetur. Baptiſmus ſanguinis martyrium eſt Chriſti & Fidei ejus cauſſa toleratum. His præmiſſis (ut de Baptiſmo fluminis, ſcilicet de Sacramento, dicam) hic poſt Evangelii promulgationem omnibus Adami poſteris neceſſitate medii (Hæc quid ſit, ſuperiori ſermone expoſui) neceſſarius eſt; Sic Concilium Tridentinum definivit: *Si quis dixerit* (p) *Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt: non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.* Qua tamen in re hoc diſcriminis intercedit, quod infantes, ſi ſine Baptiſmo decedunt, non ſalventur: in adultis vero, ſi Baptiſmum fluminis accipere non poſſunt, defectus hic per Baptiſmum flaminis multoque magis per Baptiſmum ſanguinis ſuppleri poſſit. Primam hujus propoſitionis meæ partem, quam Catholici omnes tuentur, Chriſtus docuit dicens: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto* (q) *non poteſt introire in regnum Dei.* Igitur ſi infantes Baptiſmum non recipiunt, cum ſupplere defectum hunc deſiderio illius non poſſint, ſequitur, quod ſalutem conſequi non poſſint. Nihilominus ſi pro Fide Chriſti occiderentur, Baptiſmus fluminis ſanguinis Baptiſmo ſuppleretur: Hinc videmus, infantes ab Herode ex odio in Chriſtum trucidatos ab Eccleſia inter ſanctos Martyres numerari ac coli. Præterea infantes, utut a catholicis parentibus natos, baptizandos eſſe, conſtans ac perpetua eſt Eccleſiæ & Patrum ſententia, nixa verbis Chriſti. Origenem, ſcriptorem longe antiquiſſimum & doctiſſimum, audiiſſe ſufficiat (r) *Eccleſia ab Apoſtolis Traditionem ſuſcepit, etiam parvulis Baptiſmum dare.* Hinc Concilium Tridentinum dogma ſequens condidit: *Si quis dixerit, parvulos, eoquod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo inter Fideles computandos non eſſe, ac propterea cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos: aut præſtare, omitti eorum Baptiſma quam eos, non actu proprio credentes, baptizari in ſola fide Eccleſiæ, anathema ſit.* Secunda pars propoſitionis meæ (nimirum Baptiſmum fluminis Baptiſmo flaminis, qui in perfecta contritione ſeu charitate conſiſtit, in adultis ſuppleri poſſe) juxta cum priori perpetua fuit Eccleſiæ & Patrum ſententia, nixa Scripturis ſanctis; in cujus pluribus locis cordi vere contrito Deumque amanti venia peccatorum promittitur, maxime in illo loco (s) *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Inter Patres vero, ut ne omnes laudem, duos produxiſſe ſufficiat, videlicet S. Ambroſium (t) de Valentiniano ante Baptiſmi ſuſceptionem morte defuncto & adhucdum catechumeno in hæc verba dicentem: *Quod ſi Martyres ſuo abluuntur ſanguine; & hunc ſua pietas abluit & voluntas.* Et Auguſtinum (u) *Invenio, non tantum paſſionem pro nomine Chriſti id, quod ex Baptiſmo deerat, poſſe ſupplere, ſed etiam fidem converſionemque cordis; ſi forte ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt.* Idem in multis aliis locis memoratus Auguſtinus & Patres reliqui tuentur. Tertiam denique propoſitionis meæ partem (ſcilicet Baptiſmo ſanguinis fluminis Baptiſmum ſuppleri) Eccleſia ſancta & Patres perpetuo docuerunt. Percepiſtis jam verba duorum eximiorum Doctorum, quos citavi; unde ſufficiet Auguſtinum de novo audiiſſe, Evangelii quoque textus id ipſum con-

(p) *Seſſ. 7. can. 5.* (q) *Joan. 3.* (r) *Libr. 5. in cap. 6. Epiſt. ad Rom. de Bapt.* (s) *Pſalm. 50.* (t) *Orat. de obitu Valentin.* (u) *Libr. 4. de Bapt. contra Donatiſtas, c. 22.*

confirmantes allegantem (x) *Quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis; Quis enim dixit: Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum, alia sententia istos facit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: & alio loco: Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

Et hoc in loco prius, quam sermonem meum prosequar, cohibere me nequeo, quin ad absolutam & insupplebilem Baptismi in infantibus necessitatem attendens nonnullorum parentum negligentiam coarguam, qui ob humanum respectum, aut ut Patrinos exspectent, aut usque dum propinquos congregaverint, aut ob alias res natæ a se proli plurium hebdomadum spatio Baptismum procrastinant. An nescimus, quot periculis vita infantum obnoxia sit; tum quod ipsi mala sua interiora exponere nequeant, tum quod exterius res mille accidere possint, quibus vita priventur. Si de ampla hæreditate eis in tuto collocanda ageretur, profecto ne unius quidem diei mora interponeretur; & dum de eo agitur, ut vita æterna eis cautior sit, integrarum hebdomadum moræ nectuntur. Nunquid quoddam spiritualis ferociæ & inhumanitatis genus erit, nihil curare, ut illis gloria æterna (quantum fieri potest) certa ac secura sit, & ut illi paradisi ac visionis divinæ in omnem æternitatem amittendæ periculis subducantur? Ob eam rem gravissimi Theologi affirmant, mortali omissionis culpa charitati soboli debitæ contraria se eos obstringere, qui sine justa & rationabili caussa Baptismum infantibus in octavum diem differunt, obligantque illos, ut (quam fieri potest) celerrime baptizari infantes curent. Audite antiquissimum & doctissimum Martyrem atque Episcopum S. Cyprianum (y) profitentem: neque se neque Concilii Patres persuadere sibi potuisse, ut Fidi Episcopi opinionem probarent contendentis, infantes non nisi secundo aut tertio post nativitatem suam die sacro fonte tingendos esse: *Quantum vero ad caussam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem, quo nati sunt, constitutos baptizari non oportere .... longe aliud in Concilio nostro omnibus visum est; in hoc enim, quod tu putabas esse faciendum, nemo consentit, sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam ... Et idcirco, Frater charissime! hæc fuit in Concilio nostro sententia: A Baptismo atque a gratia Dei, qui omnibus misericors & benignus & pius est, neminem per nos debere prohiberi: quod cum circa universos observandum sit atque retinendum, magis circa infantes ipsos recens natos observandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra & de divina misericordia plus merentur; quod in primo statim nativitatis suæ ortu plorantes ac flentes nihil aliud faciunt, quam deprecantur.* Quid jam de memorata cunctatione sanctus hic Vir statuisset? Curate igitur, O parentes! ut infantes, quamprimum fieri potuerit, undis salutaribus abluantur, ne eos tanti damni (quanta est amissio paradisi) periculo exponatis.

Jam de Ministro Baptismi. Quod si solum valorem Sacramenti spectemus, quivis Baptismi Minister esse potest; dummodo præscripta materia ac forma utatur cum intentione faciendi id, quod facit Ecclesia: Immo in casu necessitatis licet cuivis demum, Baptismum sine ulla solennitate conferre; si nulla alia magis idonea persona adsit. Hinc S. Thomas (z) quem Catechismus Concilii Tridentini sequitur, ait: In casu necessitatis (Et si Baptismi administrandi ratio ac modus scitur) fæminas viris, viros clericis, clericos sacerdotibus cedere debere. Ex hoc manifestum fit, quam conveniens sit (si necessitatis Baptismi ratio habetur) ut Fideles omnes materiam ac formam hujus Sacramenti sciant; præcipue vero hæc scire obstetrices strictissime obligantur, quippe quibus persæpe Baptismi administrandi necessitas imponitur, ne prodiens in lucem partus

(x) *Libr. 13. de Civit. Dei, c. 7.* (y) *Epist. 59. ad Fidum.* (z) *3. p. qu. 66. a. 4.*

partus pereat: Atque ob id illæ aliquibus diœcesibus ad obstetricia munia exercenda non admittuntur, nisi prius a parochis de administratione hujus Sacramenti interrogatæ fuerint & scientiæ requisitæ testimonia habeant. Ordinarius autem Baptismi solennis (scilicet ejus, qui in Ecclesia ritu præscripto ministratur) Minister est Sacerdos, qui si parochus una est jurisdictionem ipse habet: si non est, habere licentiam a parocho debet, in cujus Ecclesia functionem peragit: quæ functio fieri in Ecclesiis parochialibus consuevit, pro eo ut multa concilia provincialia sanxerunt & consuetudo firmavit. Hinc parochus quoque ipse prius certum se facere debet, an baptizandus e sua parochia sit: & si non est, remittere eundem ad proprium parochum debet. Alius solennis Baptismi Minister est Diaconus; sed requiritur, ut ei hoc negotium ab Episcopo vel parocho diserte demandetur, uti SS. Canones jubent; Et si Diaconus sine hac demandatione solennem Baptismi functionem sibi usurparet, mortali se peccato obstringeret pœnamque irregularitatis incurreret. Sed concedi potestas hæc Diaconis non consuevit.

Quandoquidem de Ministris Sacramenti hujus diximus; jam de Patrinis disseremus, qui quidam Baptismi comministri sunt & in solenni ejusdem administratione ex Ecclesiæ præcepto requiruntur. Patrinorum adhibendorum ritus longe vetustissimus est, quippe de quo & Tertullianus (aa) & Auctor operum S. Dionysio Areopagitæ adscriptorum (bb) & Auctor *quæstionum ad Orthodoxos:* Justino Martyri attribui solitarum, *quæst. 56.* & alii meminerunt. Officium seu obligatio Patrinorum est, baptizatum Fidei dogmatibus & catholicæ Religionis elementis ac consuetudinibus imbuere, si parentes vel alii propinqui qui hoc faciant, desint. Hinc S. Thomas ait (cc) *Sed ubi nutriuntur inter Catholicos Christianos, satis possunt ab hac cura excusari Patrini; præsumendo, quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocunque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spirituali filiorum curam impendere.*

Alius Compaternitatis effectus est cognatio spiritualis, cui concilium Tridentinum arctiores fines posuit (cum ante hujus Concilii tempora latius patuerit) atque ob id districte imperavit (dd) ut una sola vel ad summum duæ personæ, vir ac fæmina, baptizandum sacro e fonte suscipiant; inter quos & ipsum susceptum, uti etiam inter ipsos suscipientes & parentes suscepti, itemque inter baptizantem & baptizatum ejusque genitores memorata cognatio spiritualis oritur. Facit cognatio hæc, ut istæ personæ matrimonio sibi invicem jungi non possint; &, si sine debita S. Sedis dispensatione seu venia jungantur, matrimonium eorum irritum sit suoque valore careat; &, si ab his personis peccatum grave carnale admittatur, illud præter malitiam, quam ex sua specie habet, insuper sacrilegii malitiam habeat ob injuriam hujus spiritualis cognationis, quæ circumstantia exponi in Confessione debet. Ah cognatio sancta! quoties a nonnullis profanaris, qui tuo maxime prætextu ad scelera longe maxime execrabilia facilorem sibi viam pandunt! . . . Ob has caussas Concilium Tridentinum parochis imperavit: Curarent, ut sibi Patrini ostenderentur eorumque nomina dictarentur, ut hac ratione unus solus aut ad summum duo, unus & una, baptizandum e sacro fonte susciperent, qui eundem & tangere & pro eo respondere deberent.

Quod ad hoc caput attinet, notandum, quod si quis in Patrinum electus alium mitteret tanquam procuratorem, cognationem spiritualem non contrahat is, qui Patrini vices subit; sed ille, qui in Patrinum electus fuit, cujus nomine baptizandum procurator ille seu vices gerens suscipit. Similiter hæc cognatio spiritualis a Patrinis in privato etiam & domi collato Baptismo contrahitur, dummodo baptizandum tanquam Patrini suscipiant; non contrahitur autem ab illis, qui in Ecclesia soli solennitati Baptismi, in qua Sacramentum non conficitur, intersunt, te-

stan-

(aa) *Libr. de Bapt. c. 18.* (bb) *de Eccles. Hierarch. c. 7.* (cc) *3. p. qu. 77. a. 3.*
(dd) *Sess. 24. de Reform. matrim.*

ſtante S. Thoma (ee) quod *ſpiritualis cognatio non contrahitur niſi per aliquod Sacramentum.* Quod ſi non tanquam Patrini ſed tanquam in illa neceſſitate ſuccurrentes adeſſent, memoratam cognationem non contraherent: Hinc neque pater in caſu neceſſitatis & non præſentibus aliis, qui baptizare ſciant, ſuam prolem baptizans hanc cognationem cum uxore contrahit: neque hæc cum viro, ſi ipſa in tali caſu baptizaret. Si autem hoc nulla neceſſitate cogente facerent, contraherent memoratam cognationem: quam ob rem pars rea exigere debitum conjugale non poſſet, donec ab eo, penes quem poteſtas eſt, diſpenſationem accipiat: reddere autem parti innocenti deberet. Quod ſi ambæ in hoc conſpiraſſent, ambæ jus debiti vel petendi vel reddendi amitterent, donec diſpenſentur. Ita multi Canones & ſecundum hos S. Thomas loco citato ſtatuerunt. Juvat huic argumento admonitionem S. Caroli Borromæi, in *Concilio provinciali I.* ab ipſo habito & in *Inſtruct. de Baptiſmo* perſcriptam, tanquam coronidem imponere: *Non ſimul virum & uxorem* ut Patrinos *adhibebit* parochus: *Ne excommunicatos, interdictos, publice criminoſos infameſve* (uti ſunt concubinarii, uſurarii, ebrioſi, inimicitiis dediti (*pueros natu minores quatuordecim annis & puellas natu minores duodecim annis*: *nec præterea, qui ſana mente non ſunt*: *neque eos, qui in Paſcha Communionem non ſumpſerint, ad infantem de Baptiſmo ſuſcipiendum adhiberi ſinat*: *nec præterea illos, quos putet ignorare Symbolum Orationemque dominicam, Salutationem angelicam rudimentaque Fidei chriſtianæ*: *neque item eos, qui nondum Confirmationis Sacramentum ſuſceperint. Eam quoque rationem cohortando habebit, ut ne peregrini, hoſpites, ignoti & ii denique compatres adhibeantur, quorum domicilium cum longe abſit, veriſimile non eſt, conſuetudinem inter baptizatos eoſque ita futuram, ut ſuſcepti numeris functionem in eo inſtruendo præſtare poſſint. Præmonebit autem accurate parentes paulo ante Baptiſmi miniſtrationem, ut compatres tales eligant, quales eos eſſe oportet, qui & vitæ exemplis & chriſtiana diſciplina caſtisque moribus alios inſtruere debent: Itaque in hoc delectu non nobilitatis aut divitiarum, non potentiæ, non auctoritatis, non poteſtatis, non amicitiæ, non cujusvis alterius commodi emolumentive rationem habebunt; ſed eos potius ſeligent, qui filiolorum animæ magis conſulere, quam qui inopiæ ſubvenire poſſint.* Hucusque S. Calolus: Quod ſi monita hæc ſaluberrima ac ſanctiſſima ſervarentur, heus! quot peccata, quot abuſus præcluderentur?

Reſtat, priusquam finem hujus orationis faciam (nam reliqua in ſequentem ſermonem differo) nonnihil de ſacris ſolennis Baptiſmi ceremoniis dicere. Harum aliæ Baptiſmum præcedunt, aliæ comitantur, aliæ ſubſequuntur: Nobis ſcire ſufficiat, omnes myſteriis plenas, omnes a primis usque Eccleſiæ ſeculis adhibitas, omnes a SS. Patribus (Hos pro eo, ut ritus occurrentis ratio poſtulat, eruditiſſimus P. Natalis Alexander in ſua Theologia morali (ff) citat) memoratas &, quod ſequitur, omnes veneratione dignas atque in ſolenni Baptiſmi adminiſtratione omnino obſervandas eſſe; de qua re editum ab Eccleſia canonem ſuperiori ſermone attulimus. Quis vero ad ſuſcipiendum Baptiſmi Sacramentum idoneus ſit, & ejusdem prodigioſi effectus quinam ſint, ſequenti ſermone videbimus.



(ee) *Suppl. quæſt. 56. a. 2.*

(ff) *Tract. de Baptiſmo, c. 10.*

SERMO XXXIII.

Agitur denuo de Baptismo.

CUm superiori sermone multa de sancto Baptismi Sacramento ex ordine dixerim, restat de personis illum recipientibus deque effectibus recepti Baptismi disserere: quippe quæ duo capita in hunc sermonem servavi, cum illis variæ magni ponderis res accuratius expendendæ contineantur.

Ac primo quidem Ecclesia catholica certum habet, omnem humanam creaturam (si absolute loqui volumus) Baptismi capacem esse exceptis casibus nonnullis, de quibus paulo inferius dicetur: Verum ob id neutiquam licet baptizare prolem, quæ tota adhuc matris utero clauditur; id quod S. Augustinus (a) ipsis Christi verbis comprobat, Baptismum vocantis novam seu secundam nativitatem, quæ priorem (naturalem illam scilicet) præsupponit: *Dominus cum sic loqueretur:* Nisi quis renâtus, *inquit &c. eam scilicet computans primam nativitatem, quæ fit matre pariente, non concipiente neque prægnante*: *quæ fit ex ea, non quæ in ea: Neque enim renatum dicimus, quem mater peperit, tanquam natus sit, qui jam semel natus fuerat in utero; sed illa nativitate non computata, quæ gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua & Spiritu sancto. Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quoniam restat illi adhuc nasci, renascitur ergo, antequam nascitur; quod fieri nullo modo potest.* In eandem sententiam loquitur S. Thomas (b) *Nullo modo infantes in maternis uteris baptizari possunt. Si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur*; id quod S. Raymundo, Nonnato dicto, accidit.

Contingit quandoque partus monstrosos in lucem edi: De his S. Carolis Borromæus (c) sequentia monet: *Si quando monstrum humanum Baptismo offertur, videndum est, antequam baptizetur, an una persona sit an vero duæ: tum masculus ne sit an fœmina? Sique re perspecta dubium est, an sint duo, utpote quia duo capita non habet nec pectora bene distincta, unus intentione certa, neque vaga, simpliciter baptizetur; alter vero seu alii sub conditione:* Si non es baptizatus &c. *Si vero quia duo capita, pectora duo aut corpora etiam distincta in monstro apparent, homines duos esse perspicuum est, singuli simpliciter baptizentur. Quod si mortis periculum in mora erit, numero plurali baptizentur: Ego vos baptizo &c. Si autem una persona est, utpote unum tantum caput habens, tanquam unus baptizetur, etiámsi alia membra plura geminatave habeat. At vero monstrum, quod hominis speciem non præsefert, non baptizetur, nisi primum Episcopus consulatur: de cujus etiam consilio agetur, quod supra de monstro humano dictum est, si tempus dabitur.* His addendum, quod, si dubium est, an homo sit nec ne? sub conditione baptizetur, dicendo: *Si homo es, ego te baptizo &c.*

De insanis & furiosis, si qui baptizandi offeruntur, monet S. Thomas: *Respondeo dicendum, quod circa amentes & furiosos est distinguendum; Quidam enim sunt a nativitate tales nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus usus rationis apparet: Et de talibus (quantum ad Baptismi susceptionem) videtur esse idem judicium, ac de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiæ. . Alii vero sunt amentes, qui ex sana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt: Et tales sunt judicandi secundum voluntatem, quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent. Et ideo, si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi Baptismum, debet eis exhiberi in furia & amentia constitutis, etiamsi tunc actu contradicant: alioquin,*

(a) *Epist. 187. ad Dardanum.* (b) *3. p. qu. 68. a. 11.* (c) *Instruct. de Bapt.*

quin, si nulla voluntas suscipiendi Baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi. Quidam vero sunt, qui etsi a nativitate fuerint furiosi vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt: Unde si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt etiam in amentia constituti, & debet eis tunc Sacramentum conferri, si periculum timeatur: alioquin melius est, ut tempus expectetur, in quo sint sanæ mentis, ad hoc quod devotius suscipiant Sacramentum; Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas suscipiendi Baptismum, baptizari non debent in amentia constituti. Quidam vero sunt, qui etsi non omnino sanæ mentis existant, in tantum tamen ratione utuntur, quod possunt de sua salute cogitare & intelligere Sacramenti virtutem: Et de talibus idem est judicium, sicut de his, qui sanæ mentis existunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti. Dormientes (seu lethargo affecti) *non sunt baptizandi, nisi periculum mortis immineat, in quo casu baptizari possent, si prius in eis voluntas apparuit suscipiendi Baptismum.* Hucusque S. Doctor (d).

Baptismum, cuicunque demum infanti collatum, validum esse nemo Catholicorum negat. Quod autem hoc etiam licite fiat, alii Theologorum affirmant, quin ullum personarum discrimen faciant: alii multi cum S. Thoma infantes Infidelium (hoc est non baptizatorum; uti Mahometanorum, Judæorum aliorumque similium) excipiunt, si parentes contradicant. Gravissima Doctoris angelici argumenta triplici fundamento firmantur: Primum consuetudine Ecclesiæ nititur, quæ nunquam talem violentiam in Infideles adhibuit, utut potentissimos principes habuerit, qui eam adhibere facile potuissent, si hac de re a SS. Pastoribus implorati fuissent; Hinc infert S. Doctor: Si hæc nunquam fuit consuetudo Ecclesiæ, neque nunc illa per nonnullorum Theologorum, quorum sententiæ vim suam ac pondus a sola Ecclesiæ auctoritate accipiunt, opinionem induci debet; nam cum Ecclesia hoc facere per tot secula noluerit, satis certo indicio prodidit, sibi memoratorum Theologorum doctrinam, tanquam rationi contrariam, non probari: *Maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper in omnibus est æmulanda; quia & ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet: unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ quam auctoritati Augustini vel Hieronymi vel cujuscunque alterius Doctoris. Hoc autem Ecclesiæ usus nunquam habuit, quod Judæorum filii invitis parentibus baptizentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici principes potentissimi (ut Constantinus & Theodosius) quibus familiares fuerunt sanctissimi Episcopi, ut Constantino Sylvester & Ambrosius Theodosio, qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi. Eo ideo periculosum videtur, hanc assertionem de novo inducere, ut præter consuetudinem in Ecclesia hactenus observatam Judæorum filii invitis parentibus baptizentur* (e). Rationem mente angelica S. Thomæ dignam! Deinde quis non videt periculum subversionis & apostasiæ a fide, cui tales infantes non sine magno Religionis detrimento exponuntur? Nam aut violenter rapi parentibus (Hoc juri naturali repugnat) aut eorum curæ relinqui tales infantes deberent: Et ecce! hoc modo exit gravissimum, de quo memini, malum. Est hæc secunda ratio Doctoris angelici: Neque hoc in loco opponatur, jussisse Christum, ut baptizarentur *omnes gentes;* Frustra hæc sunt; nam Christus Baptismi omnibus conferendi legem, salvis juribus naturalibus, promulgavit. Et quemadmodum adultum, renitentem & invitum, baptizare non licet; quia jus naturale offenderetur: ita & infantem baptizare nefas, qui jure naturale parentum est, quibus eripi baptizatus deberet, ne Religio sancta memoratæ injuriæ discrimen subiret: Atque ob id videmus, sic Ecclesiam semper Christi de Baptismo præceptum intellexisse.

Itaque ex his deduci primo debet, quod (Suppono factum illicitum, nimirum quod memoratis infantibus Baptismus conferatur) illi curæ parentum suorum subtrahendi sint; cum

(d) 3. p. qu. 68. a. 12. (e) 2. 2. qu. 10. a. 12. & p. 3. qu. 67. a. 10.

cum in hoc casu injuria ad Religionem sanctam ex illorum moraliter certa apostasia reditura prævaleat injuriæ, quam parentes ex eo accipiunt, quod nati dominio suo subtrahantur. Deduci secundo debet, quod filii eorum Infidelium, qui Baptismum receperunt ac postea a Fide defecerunt, & baptizari & rapi parentibus possint, quippe qui ob receptum Baptisma subditi Ecclesiæ sunt, quæ adversus eos in vindictam apostasiæ hunc justitiæ actum exercere potest: sed prius ratio & modus salvandi filios baptizatos certa rataque esse debet. Deduci tertio debet, quod filii Infidelium, qui vera mancipia sunt vereque servitutem serviunt, baptizari & rapi parentibus possint; quibus quemadmodum dominus filios rapere potest, ut vendat: ita multo magis, ut faciat christianos. Deduci quarto debet, quod filii Infidelium morti proximi baptizari possint; quia hac ratione vita æterna eis certa ac secura redditur, quin parentibus rapiantur, quibus illos mors naturalis eripit. Quinto denique deduci debet, quod, si pars una parentum infidelium Baptismo nati consentiat, baptizari ille possit, quin partis alterius assensus expectetur; quoniam in hac animorum dissensione Religioni favendum est. Ita Episcopo Argentinensi Gregorius IX. respondit (f).

Postquam tum in præcedenti tum in hoc præsenti sermone de eo, quod ad infantes attinet, satis sufficienterque dixerim; jam quid de adultis, baptizari & militiæ christianæ nomen dare volentibus, sentiendum sit, videamus. In adultis igitur primo sincera Fidem christianam amplectendi voluntas requiritur, idque ut valide Baptismum accipiant: secundo, ut licite eundem recipiant, exigitur fides mysteriorum Religionis christianæ; Atque ob id maxime prius illi multorum dierum spatio doctrina sancta imbuuntur; cum de Fide sit, quod *sine fide impossibile est placere Deo* (g) Et ex Actibus Apostolorum (h) novimus, Philippum Diaconum postquam Eunucho Reginæ Æthiopiæ Fidei mysteria exposuisset & ille baptizari se peteret, reposuisse: *Si credis ex toto corde, licet*; *Et respondens ait*: *Credo filium Dei esse Jesum Christum*, & sic Baptismum accepit. Requiritur tertio in adultis, ut licite Baptismi Sacramentum suscipiant, verus dolor de admissis peccatis eorumque sincera detestatio: qui dolor oriatur ex consideratione Dei offensi; unde concipiant saltem aliquem amorem erga infinitam Dei bonitatem: amorem, qui bonitatem divinam rebus quibusvis anteferat & firmo ac stabili Deum nunquam amplius adjuvante ejus gratia, saltem mortaliter, offendendi proposito conjungatur.

Hæc omnia, a S. Concilio Tridentino secundum SS. Scripturarum & SS. Patrum mentem, postulantur, quod de dispositionibus in adultis ad Baptismum requisitis inter alia hæc monet (i) *Illumque, tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt, & propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est: per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Id quod etiam fortiori argumento ex *Canone 3.* ejusdem Concilii colligitur, in quo definitur, quod homo sine speciali Spiritus sancti auxilio credere, sperare, amare aut pœnitere (ut par est) ad obtinendam justificationis gratiam non possit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.* Quæ verba etsi eo maxime spectent, ut divini auxilii ad memoratos actus eliciendos necessitas definiatur; tamen etiam ostendunt, quinam actus gratiæ justificationis, quæ in Sacramento confertur, præmitti debeant: Et hos inter etiam amor connumeratur: *Diligere . . . ut ei justificationis gratia conferatur.* Debet itaque adultus fide, dolore de peccatis suis, spe veniæ, amore erga Deum ad Baptismi susceptionem sese præparare.

Jam ad explicandos Baptismi digne suscepti prodigiosos effectus transire tempus jubet. Horum effectuum primus ac princeps est non originalis solum sed omnium reliquorum, quæ adultus Sacramentum recipiens

(f) *In cap. Ex Litt. extra de convers. Infidel.* (g) *Hebr. 11.* (h) *cap. 8.*
(i) *Sess. 6. c. 6.*

piens admisit, peccatorum remissio simulque gratiæ sanctificantis regenerantis infusio. Hoc de Fide est, atque a Conciliis sanctis, & his postremis temporibus a concilio Tridentino secundum SS. Scripturarum doctrinam & unanimem SS. Patrum consensum definitum. Effectum hunc Propheta Ezechiel (k) prænunciavit dicens: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquinamentis vestris: & ab universis idolis vestris mundabo vos, & dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri*: Idem alii veteris Testamenti loci confirmant: In novo dein Testamento quamplurimi idipsum comprobantes occurrunt. Hos inter citantur, tanquam maxime insignes, duo loci *Actuum Apostolorum*, in quorum uno Petrus conversis: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*, & in altero Ananias Saulo resipiscenti dixit: *Baptizare & ablue peccata tua.* Qui ipse Saulus, postea Paulus dictus, in multis divinarum *epistolarum* suarum locis maximum hunc Baptismi effectum commendavit: uti post hunc SS. Patres omnes commendarunt. Hinc generale Concilium Florentinum definivit „ „ Omnium baptizatorum animas, si post susceptum Baptisma nullum amplius peccatum „ admittunt, ex hac vita migrantes statim in „ cœlum ad visionem Dei trini & unius pervenire „ Quam declarationem Concilium Tridentinum (l) renovavit dicens: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, . . . anathema sit.*

Secundus Baptismi effectus est (Uti ex Concilio Florentino, Traditione certa & secura nixo, colligitur) quod per illum baptizatus adultus omnium pœnarum, alioquin divinæ justitiæ vel in hac vita vel in Purgatorio debitarum, remissionem accipiat; unde adultus, si sine peccato novo, post Baptismum admisso, moritur, recta via in paradisum abit. Sic Ecclesia una cum SS. Patribus docet, quorum omnium loco solum S. Augustinum (m) citasse sufficiat: *Si post Baptismum continuo consequatur ab hac vita migratio, non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat solutis omnibus, quæ tenebant.* Dicet aliquis: Si Deus ob infinitam bonitatem suam tales ac tantas misericordias hominibus per Baptismi virtutem impertire dignatus est, quamobrem nos non etiam a fomite concupiscentiæ immoderatisque affectionibus & innumeris aliis miseriis, quibus persæpe affligimur, liberavit? Ponunt, O mei! hoc nonnulli magnæ calamitatis loco: Et tamen hoc ipsum ratio quædam supernæ providentiæ amore plenissima fuit, qua uti Deus optimus voluit: Hinc S. Thomas secundum Patrum omnium doctrinam affirmat, tribus maxime de caussis Dominum has in nobis miserias relinquere voluisse „ *Primo* quidem, „ quia per Baptismum homo incorporatur „ Christo & membrum ejus efficitur; cum „ autem hic corpus passibile habere voluerit, quippe qui tot passionibus defunctus „ sit (non iis, quæ effectus sunt peccati „ originalis, quod ille nec contraxit nec, „ etiam contrahere potuit) conveniens fuit, „ etiam baptizatos corpus habere passibile, „ ut Christo amantissimo Servatori nostro „ conformentur: *Secundo* concupiscentiæ fomitem & affectionum motus interim in „ nobis reliquit, ut haberemus, quibuscum „ depugnemus & suffulti auxilio suo, petenti cuivis promisso, magna nobis merita „ multosque gloriæ in cœlo gradus pararemus, in illud non ex solo hæreditatis „ titulo (uti infantes) sed tanquam probi „ ac generosi milites ingressuri „ Et hoc argumentum ab angelico Doctore Concilium Tridentinum *sess.* 5. mutuatum est „ *Tertio*, ne homines ad Baptismum propter „ impassibilitatem hujus vitæ (seu ut pœnalitates vitæ præsentis evitarent) & non „ propter gratiam divinam ac gloriam vitæ „ æternæ accederent „ Ita S. Thomas (n)

Igitur cum paterna Dei providentia sic res ordinavit, ut essent nobis hostes, quibuscum confligeremus; num ob id cadere animis debebimus? Nequaquam, ait S. Augusti-

(k) *cap.* 36. (l) *Sess.* 5. *Can.* 5. (m) *Libr.* 2. *de Peccat. meritis*, c. 28.
(n) 3. *p. qu.* 69. a. 3.

guſtinus (o) Nequaquam: *Quid? Ergo putas defuturum tibi auxiliatorem in via Eum, qui te eruit de vetuſta captivitate? Novos tuos hoſtes non compeſcet, qui te a vetuſtis hoſtibus liberavit? Tantum intrepidus tranſi, intrepidus ambula, obediens eſto. Fateor, non deſunt hoſtes . . . Noli timere! Adeſt in itinere auxiliator, qui non defuit liberator: Noli timere, aggredere viam, præſume ſecurus!* Nunquid Deus ille, qui nos ad ſacros fontes mera ſua miſericordia admiſit, in conflictu cum hoſtibus animarum noſtrarum poſitos ſui, quod maxime neceſſarium nobis eſſe novit, auxilii exſortes relinquet? Neutiquam. Confugiamus itaque cum fiducia ad eum, & nullo non tempore eundem a dextris habebimus, teſte David: *Quoniam a dextris eſt mihi, ne commovear. Propter hoc lætatum eſt cor meum & exultavit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe* (p).

Alius itemque præcipuus Baptiſmi effectus eſt Character, de quo ſermone XXXI. dixi. Hic Character baptiſmalis baptizatum facit membrum Chriſti & Eccleſiæ: conſtituit hæredem paradiſi, dummodo baptizatus gratiam acceptam conſervet aut amiſſam ſeria denuo pœnitentia recuperet: reddit habilem ad Sacramenta reliqua valide ac licite ſuſcipienda, quippe quæ ſine Baptiſmo invalide, illicite ac ſacrilege reciperet: facit ſubditum Eccleſiæ, eumque ad naturalia decalogi & Eccleſiæ præcepta omnia implenda magis magisque obſtringit. Omnia hæc de Fide ſunt. Gratia igitur Baptiſmi, pro eo ut ſermone XXXI. monui, confert baptizato jus recipiendi ſpecialia gratiæ auxilia quibus innocentiam conſervet: Chriſto, cujus membrum effectus eſt, ſe conformet: opera pietatis Chriſtiano digna faciat; Hæc omnia Doctor angelicus (q) duobus verbis complexus eſt, dicens, quod per gratiam ſacramentalem Baptiſmi baptizatus *moritur vitiis & fit membrum Chriſti*, adeo ut ad dimittenda opera diaboli & facienda opera, membrum Chriſti decentia, ſpeciali vinculo obligetur. Hoc pluribus in locis S. Evangelium inculcat, maxime in deſcriptione judicii finalis a Chriſto ipſo facta, in quo reprobos non ſolum, quod in ſe non crediderint; ſed etiam, quod opera Fidei ſanctæ reſpondentia (Hæc inter ſunt opera charitatis erga Proximum) non patraverint, condemnaturus eſt. Hoc pariter S. Jacobus Apoſtolus in ſua *epiſtola canonica* monet; cujus epiſtolæ vis maxima in eo eſt, ut Fidem ſine operibus nihil prodeſſe oſtendat. Hoc Paulus quoque in multis ſuarum *epiſtolarum* locis & Patres ſancti omnes docuerunt.

Quæ cum ita ſint, O ſuaviſſimi! quantum perturbare animos noſtros debet, quod tot baptizatos ſic vivere videamus, ut ſe jam non membra Chriſti, ſed enim membra flagitiorum omnium probent: Membra avaritiæ; dum, & mercedem miſeris operariis (eam nec petere audentibus, quod vereantur, ne pecuniæ loco contumelias & plagas accipiant) retinendo & ferinum cor erga egenos ſub pectore nutriendo & pia legata non exhibendo & indebitas ac cogitatas exactiones agendo & contractus illicitos faciendo & æs alienum non ſolvendo & manifeſta adeo furta patrando, rem familiarem augere tam acriter ſtudent: Membra luxuriæ; dum ſermones obſcœnos pro more ferunt, dum in tam periculoſo argumento facetiis operam dant, dum phantaſiam ac mentem immunditiis paſcunt, dum quibusvis ſe obſcœnis voluptatibus demergunt; quod maxime vitium Paulus, hanc materiam tractans nominatim expreſſit: *Neſcitis* (r) *quod corpora veſtra membra ſint Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis?* Membra iræ, ad vindictas utut occultas minusque tumultuoſas proniſſima; dum ſe offendentes de gradu dimovent, aut eisdem eniti ad gloriam volentibus obſiſtunt, dum male eis dicunt, detrahunt, infamant, facta eorum divulgant vel male interpretantur aut eos re ipſa lædunt atque male excipiunt, usque dum prava affectio exſaturata fuerit: Membra gulæ; dum aut aperta præceptorum eccleſiaſticorum violatione aut emendicatis prætextibus utentes absque ullo rerum reſpe-

(o) *Serm.* 252. (p) *Pſalm.* 15. (q) 3. *p. qu.* 62, *a.* 2. (r) 1. *Corinth.* 6.

respectu ventrem explent: Membra invidiæ; dum aliena calamitate gaudent, felicitate dolent varios Proximo nocendi modos excogitantes: Membra acediæ; dum res divinas, opera pietatis, preces, præscriptum Sacramentorum usum ex mero tædio intermittunt: Membra denique impietatis; dum Deum ac Christum blasphemiis impetunt, dum nominibus Dei,. Christi, Mariæ, ac crucis &c. ad quævis juramenta abutuntur; adeo ut qui cum illis agunt, qui eos vident atque audiunt, non solum non imaginem Christiani aut membri Christi aut Catholici, sed ne quidem imaginem Judæi aut Gentilis, immo nec viri honesti mereque philosophice viventis agnoscere in illis queant . . . . Nunquid in hunc deplorabilem statum pars Catholicorum magna redacta cernitur? . . . .

Percipite factum quoddam e S. Scriptura, quod memoriæ meæ opportune occurrit: quo ipso & audiendi fastidium vobis levabitur & ea, quæ hucusque dixi, confirmabuntur. Adorabat Rex Babyloniæ Deorum loco idolum (*Bel* vocatum) & draconem; hos quoque Daniel, ut coleret, provocatus constanter reposuit, adorare se unicum verum ac vivum Deum, nequaquam idolum manibus humanis factum aut bestiam ab ipso illo vero Deo creatam: Quare concitus gravi ira Rex permovere Danielem ad idololatriam voluit, cui Daniel etiam cum vitæ dispendio promisit, facturum se, ut Rex manibus quasi palpare posset, *Bel* mutum ac sensibus carens simulacrum esse; quippe quod comestibilia sibi oblata non consumeret, sed enim sacerdotes illius cum suis per noctem. Successit Prophetæ, istud modo evidenti patefacere; nam, postquam in pavimento cinerem subtilissimum sparsisset, templum regio annulo signavit commestibilia idolo oblata in medio relinquens, quæ deceptus Rex noctu a *Bel* vorari credebat; cum interim ea Sacerdotes per occultos aditus irrepentes cum suis absumerent. Mane facto & sigillo refixo Rex omnia devorata esse videns, en! exclamavit, en *Bel* Deus vivens est! Cui Daniel: Subsiste nonnihil, O Rex! neque ascende prius, quam, quæ hic impressa vides vestigia, cujus sint, observaveris. Rex oculis in terram demissis, *Video*, inquit *vestigia virorum, mulierum & infantium.* Tum Daniel: En! quæ dixi, videlicet sacerdotes hæc omnia cum suis vorare; Iratus Rex in unum convocare sacerdotes jussit, qui ipso facto nequitiæ suæ convicti portas secretas, quibus templum subire consueverant, ostenderunt: *Occidit ergo illos rex & tradidit Bel in potestatem Danielis, qui subvertit eum & templum ejus.* At non sic cum dracone agetur, inquiebat rex; Quin immo sic agetur, reposuit Daniel, permitte, ut placentas coquam & ei offeram: Accepta facultate coctas misit draconi & ille diruptus mox crepuit: *Et dedit in os draconis, & diruptus est draco.* Quæ cum comperissent Babylonii *congregati adversus regem dixerunt: Judæus factus est Rex* (En! quod ad propositum meum facit) *Judæus factus est.* Quare? Ecce causas! *Bel destruxit, draconem interfecit, sacerdotes occidit* (s) Etcum caussæ hæ tumultuanti populo longe gravissimæ viderentur, spoliare regem vita & exterminare familiam universam minitabantur, nisi eis Rex traderet Danielem; quod & fecit.

Quod si nos quoque, O suavissimi! ex baptizatorum actibus de Religione eorum statueremus, heu! de quam multis dici posset: *Judæus est*, *Idololatra est*, immo *Animal brutum est.* Aut quomodo pro baptizatis & membris Christi haberi poterunt, qui ad juramenta dicenda sacratissimo ejus nomine abutuntur: qui sanctissimo corpori & sanguini ejus pretiosissimo convicia dicunt: qui nihil minus quam præcepta ejusdem servant? Quomodo pro christianis reputari poterunt, qui in Ecclesiis, in quibus Christus sacramentaliter residet, eo inspectante procantur, obscæna loquuntur & quandoque de horis ac temporibus, quibus cupiditates suas expleant, condicunt; æque ac si fide omni carerent & coram rusticola quodam adstarent? Nunquid de his dici potest: *Judæus factus est*; cum Christum re vera tam parum curent, ac vilis-

(s) *Dan.* 14.

lissimum rusticum? Quomodo inter Christianos computari poterit fœmina, quæ suæ sibi indignitatis conscia suscipit Sacramenta: quæ, ut impudicis amoribus, quibus ardet, potiatur; vel ut odium, quo exeditur, fatiet, & nomine & re Sacramentorum ad maleficia, veneficia & alias diabolicas artes abutitur? *Judaa facta est*, immo peius quid; nam ne Judæi quidem cum dæmoniis conspirant. Verbo: Non vivit ut baptizatus, non vivit ut membrum Christi, quisquis eum quotidie offendit, male tractat, jubentem contemnit & crucifigere denuo (quantum in se est) nihil curat, ut immoderatæ affectioni suæ faciat satis. Finire igitur cum Apostolo Jacobo, dicereque omnibus juvat: *Quid proderit, Fratres mei! si fidem quis dicat se habere; opera autem non habeat. Nunquid poterit fides sola salvare eum? Fides, si non habet opera, mortua est in semetipsa. Tu fidem habes, & ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus; & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Et quemadmodum corpus aliquod esse vivum & habere animam ex eo cognoscitur, quod se moveat atque operetur; ita & fides vivam se operibus christianis ostendit: *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est* (t) Opera, O mei! opera requiruntur, ut fides nobis prosit; secus inde nil nisi majorem in Judicio metum & atrociores in inferno dolores percipiemus.

(t) *Jac. 2.*

SERMO XXXIV.

Agitur de Sacramento Confirmationis; & ii, quibus humanus respectus dominatur, animantur.

QUanquam Jesus per Baptismi Sacramentum nos ab omnibus peccatis ante Baptismum commissis itemque a pœnis eorum temporalibus vel in hac vita vel post mortem in Purgatorio luendis liberarit; tamen nequaquam ab effectibus peccati originalis (scilicet a malis corporis, a pravarum affectionum insultibus & concupiscentiæ infestationibus) eripere nos voluit eum unice in finem, ut adjuti illius gratia nos quoque pro virili parte in obtinenda salute æterna elaboraremus; quippe quæ ab adultis, veluti quædam corona, acquiri debet. Neque tamen ob id auxilio nudos reliquit, nam præter gratiæ actualis (quam *auxiliantem* vocant) adjumenta sanctum quoque Confirmationis Sacramentum instituit, quo maxime id agitur, ut baptizatus ad generosum cum suæ salutis hostibus conflictum & legis christianæ, quam observaturum se in Baptismo pollicitus est, defensionem animetur viresque accipiat; uti paulo post dicemus. Et quoniam in aliquibus ad hoc Sacramentum spectantibus articulis, non in dogmate ipso, Theologi haud levibus controversiis inter se mutuo dividuntur (maxime circa ministrum extraordinarium hujus Sacramenti) nos litibus his eo, quo pertinent, remissis illa solum proponemus atque explicabimus, quorum scientia requiritur, ut Fideles de hoc Sacramento satis edocti esse videantur.

Sacramentum, de quo agimus, variis nominibus a SS. Patribus appellatur; prout in libris polemicis nostrorum Theologorum videre est: Horum nominum usitatissimum vox *Confirmatio* sive *Chrisma*. Confirmatio verum Sacramentum est; uti Concilium Tridentinum in præmissis sermonibus sæpius laudatum definivit, dum in *Canone, de 7. Sacrament.* etiam hoc in numerum Sacramentorum reposuit: quæ doctrina SS. Scri-

pturis

pturis & Traditione nititur. Quod ad SS. Scripturas attinet; manifestum in *Actibus Apostolorum* (a) factum occurrit; quippe in quibus legimus, Apostolos certiores factos, quod Philippus diaconus multos in Samaria ad Fidem Christi adduxisset, eo Petrum & Joannem misisse, ut conversos Chrismate sancto inungerent; quod facere non Philippi (quippe meri diaconi) sed enim Apostolorum fuit, qui tum Soli in Ecclesia Episcopi erant. Quod ad Traditionem attinet; Patres sancti omnes uno ore & communi consensu dogma istud comprobant: Horum unum longe celeberrimum, vetustissimum, Episcopum juxta ac Martyrem audisse sufficiat, S. Cyprianum de allato facto scripturistico in hæc verba disserentem (b) *Quia legitimum & ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant* Samaritani, *baptizari eos ultra non oportebat; sed tantummodo, quod deerat, id a Petro & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita & manu imposita invocaretur & infunderetur super eos Spiritus sanctus: Quod nunc quoque apud nos geritur, ut, qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur & per nostram orationem & manuum impositionem consequantur & signaculo dominico consummentur.*

Manet igitur, Confirmationem verum Sacramentum esse a Christo in ultima Cœna institutum, quando se plenitudinem Spiritus sancti post suam ad cœlos ascensionem in Apostolos emissurum esse promisit, eosque de modo administrandi hujus Sacramenti edocuit: Hinc Sacramentum istud non nisi post adventum Spiritus sancti ministratum fuit; cujus plane angelicam hanc caussam S. Thomas (c) reddit: *Christus instituit hoc Sacramentum non exhibendo sed promittendo secundum illud Joan. cap. 14.* Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos: *Et hoc ideo, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quæ non erat danda ante Christi resurrectionem & ascensionem secundum illud Joan. cap. 7.* Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus.

Materia remota hujus Sacramenti est oleum balsamo mixtum, ex quibus duobus Chrisma exit; uti Eugenius IV. in *Decreto ad Armenos* docet. Hinc sequitur, quod manuum Episcopi impositio (videlicet unctio manu Episcopi facta) materia proxima sit Sacramenti: Et, ut memoratum Chrisma sit materia idonea hujus Sacramenti, ab Episcopo benedictum ac consecratum esse necessario debet. Unde S. Basilius Cæsareensis Episcopus (d) *Consecramus . . . oleum unctionis &c.* Idemque Patres reliqui affirmant, hosque inter S. Augustinus diserte dicens (e) *Quod sanctum signum* (Crucis) *nisi adhibeatur . . . oleo, quo Chrismate unguntur . . . nihil omnino rite perficitur.* Quarum rerum omnium rationes longe præstantissimas pro more suo S. Thomas *3. part. quæst.* 72. per totam quæstionem exhibet, quo & lectorem remitto, quod in his longior esse non debeam; cum non quæstiones theologicas cum Theologis tractem, sed populo Fidelium Fidei veritates simplici modo exponam. Ob id paucis monitos vos volo, ex prisca consuetudine Chrisma in Ecclesia feria quinta hebdomadis sanctæ consecrari; cujus rei testimonium Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus (f) Sacramentarium S. Gregorii M. aliaque vetustatis monimenta perhibent: & caussas etiam citato loco S. Thomas exprimit. Forma deinde Sacramenti Confirmationis consistit in verbis, quæ Episcopus pronunciat, dum frontem Confirmandi in formam crucis inungit, quæ variis quidem temporibus immutata fuerunt (Uti ex Sacramentario S. Gregorii, ex Ordine Romano in Ecclesia occidentali, ex Euchologiis Græcorum patet) quippe a Christo non determinata, dummodo effectum Sacramenti significarent; sed Ecclesiæ arbitrio ad determinandum relicta: Nunc autem verba hæc sequentia sunt ab Eugenio IV. in memorato *Decreto* expressa: *Signo te signo crucis & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.*

Suscipi Sacramentum hoc ab omnibus baptizatis debet, monentibus id graviter SS.

(a) *Cap. 8.* (b) *Epist. 73. ad Jubajanum.* (c) *3. p. qu. 72. a. 1.* (d) *Libr. de Spiritu S. c. 27.* (e) *Tract. 18. in Joan.* (f) *Epist. 12.*

SS. Patribus, quos inter antiquissimus S. Cyprianus ait (g) *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate (id est, unctione) esse unctus Dei & habere in se gratiam Christi possit.* Unde S. Thomas (h) *Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret.* Hinc curandum a parentibus, ut nati confirmentur: Et si in hoc vel genitores ipsi vel filii adulti notabilem negligentiam admitterent, ob tacitum Sacramenti contemptum graviter peccarent; id quod ex pœnitentia colligitur, quam veteres Canones in ejusmodi genitores statuerunt, & quæ annorum trium fuit; quod ipsum pœnitentiæ genus non nisi pro gravi culpa imponi consueverat. Ita testatur S. Carolus Borromæus (i) *Parentes, quorum negligentia id factum est, ex libro pœnitentiali pœnitentiam olim egisse annos tres, apparet.*

Requiritur, ut Confirmandus in statu gratiæ sit. Hinc si in statu peccati mortalis esset, prius confiteri, si potest; & si non potest, actum perfectæ contritionis elicere debet. Requiritur præterea, ut Confirmandus de valore deque effectibus Sacramenti edoctus sit; Unde hæc omnia vel parocho vel parentibus vel patrino instituente discere prius debet.

Effectus autem hujus Sacramenti sunt, primo gratia habitualis sanctificans: videlicet ejusdem augmentum (Nam vult sibi, uti dixi, Sacramentum hoc, ut recipiens in statu gratiæ sit) Hæc gratia corroborat animam, eandem magis magisque perficit & hominem omnibus hominis christiani partibus ac numeris perfectum atque absolutum reddit; qui effectus non nisi animæ, jam in statu gratiæ viventi, conveniunt. Hæc gratia Confirmato jus, tanquam specialem suum effectum, affert recipiendi a Deo auxilia, quibus adjutus data occasione Religionem catholicam legemque christianam profiteatur; de quo inferius dicetur. Alius Sacramenti hujus effectus est Character, quem illud animæ indelebiliter imprimit; de quo Sermone XXXI. egimus: Hinc Sacramentum Confirmationis in numero est trium illorum Sacramentorum, quæ iterari non possunt; nam, uti observat S. Augustinus (k) omnia Sacramenta, in quibus per manuum impositionem homines ad aliquem gradum consecrantur, atque eisdem hac ratione Character imprimitur, initerabilia sunt. Et quoniam tam in Baptismo quam in Confirmatione ac Ordine manus imponuntur & personæ consecrantur (Dum per primum Sacramentum membris Christi & ovibus Ecclesiæ aggregantur: per secundum tanquam milites Christi, Fidem ejus legemque tuituri, constituuntur: per tertium ministrationi Sacramentorum destinantur & ministri Christi efficiuntur) ob id animabus Character horum trium graduum imprimitur atque ista Sacramenta initerabilia redduntur: *Utrumque*, de Baptismo & Ordine loquens ait (Idipsum de Confirmatione tenete) *Utrumque Sacramentum est, & quadam consecratione homini datur; illud, cum baptizatur; istud, cum ordinatur. Et ideo in Catholica utrumque non licet iterari.* Hoc ipsum sequenti ratione S. Thomas (l) probat: Character est potestas spiritualis (Uti loco citato monui) Et quemadmodum in Baptismo potestas agendi in ordine ad propriam salutem & recipiendi cetera Sacramenta: in Ordine deinde potestas agendi circa sacra ministeria & Sacramenta conceditur; ita in Confirmatione datur potestas Fidem ac legem Christi publice adversus hostes non solum invisibiles sed maxime visibiles Religionis catholicæ inimicos profitendi: Atque ob id necesse est etiam hoc Sacramento imprimi Characterem, qui nil aliud est quam potestas spiritualis: *Et ideo manifestum est, quod in Sacramento Confirmationis imprimitur Character.*

De ritibus seu ceremoniis in administratione hujus Sacramenti: Hos inter, qui ad vos, O mei! spectet, est ritus Patrini, qui unus esse debet & quidem (Ut observat S. Carolus Borromæus) viris vir, fœminis fœmina; quod hoc decori ratio & honestas naturalis postulet. Patrinus non idem sit, qui in Baptismo; sed alius ab illo annos saltem qua-

(g) *Epist. 70.* (h) *3. p. q. 72. a. 8.* (i) *Instruct. de Sacram.* (k) *Libr. 2. contra Epist. Parmen. c. 13.* (l) *3. p. qu. 73. a. 5.*

quatuordecim habens, qui Confirmandum, dum Sacramento initiatur, tangat. Compaternitas iſta parit cognationem ſpiritualem eodemmet modo, quo de Baptiſmo ſermone XXXII. dixi. Cauſſam, ob quam etiam in hoc Sacramento adhiberi Patrinum Eccleſia jubet, hanc ſubdit S. Thomas (m) Si quis militiæ nomen dans belli artes neſcit, habet opus aliquo, a quo bellica præcepta diſcat: ita etiam in noſtro caſu, cum baptizatus per Confirmationis Sacramentum in militem Chriſti conſecretur, merito ei Eccleſia præceptorem, inſtructorem, aſſiſtentem aſſignat, a quo militiæ ſpiritualis elementa & hoſtes viſibiles, Fidei legisque chriſtianæ impugnatores, vincendi modum doceatur.

Eſt itaque ſanctiſſimi hujus Sacramenti ſcopus, ut recipiens in Fide ac lege Chriſti, neglectis contumeliis & vexationibus doloribusque ac morte ipſa, profitenda ſtabilis ac animi conſtans reddatur. Sed quoniam jam non ſanguinolenta perſecutionum a Romanis olim Imperatoribus excitatarum tempora vivimus, nec etiam terras cruentis pro Fide certaminibus inclytas habitamus, cogitabitis forſitan, deeſſe Confirmatis locum & occaſionem, gratiam per Confirmationis Sacramentum acceptam & poteſtatem a Charactere animæ impreſſo impertitam exercendi? At longe aliud, O mei! bellum, fors etiam perniciofius, noſtris hisce temporibus Eccleſia Dei ſancta ſuſtinet. Non jam a Neronibus aut Domitianis aut Hadrianis aut Diocletianis impetitur, ſed ab ipſis ſuis filiis (ſolum filiorum nomen gerentibus, re autem vera capitales ſe hoſtes præbentibus) bellum longe perniciofiſſimum patitur: nam dum perſecutiones gentilium, Romæ Imperatorum, ingentes Martyrum ſtrages dando, Eccleſiam novis filiis fœcundarunt, (Unde acute Tertullianus: *Sanguis Martyrum ſemen Chriſtianorum*) hoc contra bellum, quod illa a ſcandaloſis filiis patitur, qui vitam ad Chriſtianiſmi regulas conformatam irriſui habendo & facientibus ea, quæ facere oportet, illudendo Proximum debilem atque infirmum captant, ut abjectis probis moribus licentioſam, qua ipſi peſſimi utuntur, vivendi rationem ſectetur & pedetentim in mille offenſiones Numinis incurrat: hoc (inquam) bellum, quo minus cruentum, eo crudelius eſt; quia filios & in Matrem & in Deum rebellare facit: quin illa aliud quid, quam multarum animarum cladem, accipere inde poſſit. Quapropter ego ad hosce infirmi animi homines animandos ſermonis hujus mei reliquum deſtinandum eſſe duxi, ſervans metus præfatis ſeductoribus incutiendi argumentum in alium locum, in quo de ſcandalo, inter peccata charitati Proximo debitæ contraria præcipuo, agetur.

Ac primum quidem infirmos illos, qui a diſſolutis hominibus captari ſe & neſcio in quam ſervitutem redigi ſinunt, vitam bene cœptam aut intermittentes aut vitam licentioſiorem ſectantes, ut probra nequiſſimorum effugiant, monitos velim, hanc ſervitutem præter omnem rationem ac ſine cauſſa ab eis ſuſcipi. Quis enim eſt, qui ignoret, quam fallacia ſint mortalium ſenſa, quam futiles humanæ opiniones? Quoties illi, & utplurimum non approbant ea, quæ laude digna? Quoties etiam improbant ea, quæ omnino probanda ſunt? His accedit ſententiarum humanarum inſtabilitas & inconſtantia. Quoties nos ipſi noſtris auribus improbari ea audivimus, quæ paucis ante diebus probantur ab iisdemmet, qui illa modo improbant? Immo nunquid contraria indoles, levis ſuſpicio, offenſa pro tali credita & res quævis minutiſſima ſufficit, ut mortales dignas laudibus actiones; quas de iis, erga quos minus bene affecti ſunt, audierunt atque viderunt, derideant ac improbent? Et poſthæc a ratione haud alienum ſit, actiones ſuas ad humanum (tam debile, tam inconſtans, tam præoccupatum) judicium exigere? Ob hoc S. Paulus (n) dixit: *Mihi autem pro minimo eſt, ut a vobis judicer aut ab humano die.* Denique quinam ſunt hi, quorum irriſiones timentur? Haud dubie Viri probi, ſapientes, boni, pruden-

(m) *Loc. cit. a. 10.* (n) *1. Corinth. 4.*

tes: Ah! nequaquam; nam hi mirantur, commendant, deprædicant & in exemplum pietatis sibi assumunt eos, qui probe agunt: Quinam ergo sunt? Inimici scilicet Dei, homines profligati, homines indomiti & effrœnes, qui Libertinismum novis accessionibus augere atque amplificare contendunt; ut si nulla alia re, saltem numero assectarum, improbitatum suarum excusationem sibi parent. Et hi tales digni vobis videntur, quibus concedatis, quibus serviatis? Quin potius neglectui & contemptui habendi illi sunt; quippe quorum mores sequi nil aliud est, quam justam & rationi consonam Virorum sapientum offensionem suscipere: adeo ut, quo stultorum, malorum & inimicorum Deo hominum ludibria evitetis, necesse vobis fiat in Virorum sapientum offensionem incurrere; quæ sola viro honesto & rationem ducem sectandi frœni loco esse debet. Jam olim pronunciavit Spiritus sanctus (o) *Contra malum bonum est & contra mortem vita, sic & contra virum justum peccator; & sic intuere in omnia opera Altissimi: duo & duo, & unum contra unum.* Quæ cum ita sint nec fieri possit, ut mortalium omnium, quippe tam inter se dissentientium sibique mille de caussis mutuo contrariorum, existimatio obtineatur; quid vobis præstabilius videtur, sapientumne an licentiosorum hominum existimatione ac laudibus frui? . . Heus! quis non videt, quod (si laus humana appeti debet) multo satius sit, a sapientibus quam male viventibus prædicari? Abeat itaque in malam crucem servitus ista, quæ nos in diaboli partes trahere tentat. Perge tu, O Christiane! pie vivere: perge frequentare Sacramenta: perge te theatris, promiscuis conversationibus ac lusibus periculosis subducere: perge vitare usum ac consuetudinem dissolutorum; Et si te pauci malorum desiderabunt, contra sapientum ac proborum Virorum laudes feres. Perge tu, O Christiana! modesto uti vestitu: perge esse sola & in secessu: perge repudiare omnia virorum obsequia & ancillationem: perge exhorrere detestabilem conversandi licentiam, quacum nostris temporibus vivitur. Et a sapientibus Deumque timentibus laudaberis; quidquid contra discolæ & scandalosæ amicæ tuæ obganniant. Quod si vos secus agitis, non solum rationi, qua ornamini; sed etiam Religioni catholicæ, quam profitemini, injuriam facitis: Atque hæc caussa (videlicet injuria Religionis) eam, quam modo attuli, sua gravitate ac pondere multum superat.

Profecto quantum animi atque roboris accedere nobis debet ex eo, quod sciamus, nos ad normam legis christianæ & ex præscripto officiorum ordinis nostri vivendo gaudium ac voluptatem Deo afferre, in cujus comparatione, heus! quam parvi non solum paucorum aliquot male viventium sed etiam mortalium cunctorum judicium pendi ac æstimari debet? Fingite vos in Gallia esse, & una ex parte omnes regni illius pueros ex altera solum Regem statuite: Ponite post hæc, videre vos subditum aliquem ex regno illo cunctis viribus studentem, ut sua agendi ratio omnibus illis pueris octo vel decem annos natis probetur, nihili contra curantem, ut eadem Regi suo summo probetur. Nunquid subditum hunc pro stulto haberetis? Nunquid diceretis: Hem! quid est illius turmæ puerorum universæ judicium, si Regis tui judicio comparetur, cujus ex arbitrio totus pendes: Quamobrem non sic actiones tuas componis, ut placere Monarchæ tuo possint, quin vel cogites, quid pueri de te dicturi sint? Ita vos diceretis: Ita ego quoque dico, & mecum omnes, quibus sana mens est. Jam ex vobis quæro, in qua comparatione majus discrimen majoremque inæqualitatem interesse putetis, anne in comparatione regis Galliarum cum pueris regni cunctis, an vero in comparatione Dei cum mortalibus orbis terrarum universis? Sin minus omne & Fidei & rationis lumen amisistis, dicere (credo) debetis, in comparatione Dei cum hominibus cunctis infinito majorem inæqualitatem inesse, præ comparatione regis Galliarum cum pueris regni universis; nam hæc posterior compara-

(o) *Eccli. 33.*

paratio circa duas res finitas: illa prior circa ens infinitum & rem finitam versatur; unde unum inter atque alterum Extremum infinita quædam disparitas ac distantia intercedere debet. Jam si secundum mortalium omnium sententiam insaniret is, qui neglecta regis gratia favorem auramque puerilem studiose captaret; certe illos Christianorum omni plane ratione destitutos esse oportet, qui posthabito beneplacito Dei paucis malorum, pessime viventium & inimicorum Numini divino, probari se student: Erunt ergo in numero stultissimorum Christiani & Christianæ illæ, qui dissolutorum & perdito seculi more viventium ludibriis exterriti probum vitæ tenorem, vestiendi verecundiam, circumspectionem in loquendo, in agendo modestiam, verbo: mores Christiano dignos (quibus omnibus Deo placerent) deserunt, ut paucis reproborum placeant eorumque sese dicteriis subducant.

Hæc cogitans David ludibria uxoris suæ Michol nihil fecit: Percipite factum istud egregium & ad materiam, de qua agimus, appositissimum (p) Indixerat Rex hic multo religiosissimus, Arcam Domini ex domo Aminadab in suam transferens civitatem, solennem supplicationem plus quam triginta mille hominum accita insuper permagna variis musicis instrumentis ludentium multitudine, ut hac ratione ad majorem devotionem plebs compuncta excitaretur: Atque ut ipse erat citharizandi & saltandi peritissimus, deposito regio chlamyde canere fidibus & saltare ante Arcam cœpit, externis hisce signis devotionem suam juxta ac religiosi animi gaudium ostendens. Subeunte urbem supplicatione Michol per fenestras prospiciens vidit Regem maritum (ut dixi) canentem ac tripudiantem, & superbia muliebri elata indignum hoc rege esse & ad se quoque, utpote uxorem regiam, creditæ indignitatis partem redire arbitrata est. Hinc ad Regem peracta functione in palatium revertentem conversa indignante vultu: *Quam gloriosus fuit hodie, ait, Rex Israel discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris.* Ad quem mordacissimum jocum Rex sapientissimus: *Ante Dominum* (cujus majestas in illa Arca repræsentabatur) *qui elegit me potius quam patrem tuum . . . ut essem dux super populum Domini in Israel, & ludam & vilior fiam, plus quam factus sum, & ero humilis in oculis meis & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* Ecce, O mei! sic vera Religio animum Davidis ad spernenda ludibria commovit: Ah! Utinam similes sensus vestris indere animis, O suavissimi! possem. Deum, O chari! Deum respicere, ut adversus diaboli asseclas fortes stemus, dicereque oportet: *Ante Dominum,* qui me summo beneficio Christianorum in numerum aggregavit, *vilis factus sum & vilior fiam.* Dicant improbi, quidquid velint, contemnant, spernant, irrideant: Ob id illa, quæ muneris mei sunt, implere non intermittam. Deus, Deus spectetur; hujus favor quæratur, non paucorum malorum suas in partes trahere nos volentium plausus & beneplacitum. Væ, ait S. Augustinus (q) Væ huic servituti, quæ in diaboli laqueos cadere nos facit! *Insultatur homini, quia Christianus est . . . & ab aspero verbo incidit in muscipulam diaboli. Insultatur homini, quia inter multos Christianos melius vivit, & timens aspera verba insultatorum incidit in laqueos diaboli.*

Es Christianus? Sum: Gloriaris tanta Fide? Glorior: Erige itaque oculos Fidei, monet S. Paulus (r) & respice caput tuum Christum Jesum: Cogita, eum contradictionum omnium metam fuisse: *Considerate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem.* Nunquid ludibria, derisiones, insultus a te tolerandi tanti unquam ac tales erunt, quales Christus sustinuit? Hos cogita; & non pigeat, non tædeat te tam levia perferre: *Ut ne defatigemini animis vestris deficientes.* Adde igitur tibimet animos, O chare! dic animo tuo: Jesus tot contumelias, tot irrisiones, tot gravissimas insultationes, quas in Evangelio legimus, Jesus & calumnias & infamiam

(p) 2. Reg. 6. (q) In Psalm. 90. (r) Hebr. 12.

& alapas & ludibria &c. tulit: Et ego Christi in gratiam, ut me legi ejus fidelem conservem, mordax verbum, dicterium, agnomen non feram? Ego, qui sum vermis, qui per admissa peccata inferni pœnas commerui, ego qui miseriis perpetuo circumundique cingor, non feram; cum tamen ille, qui verus Deus, creator, conservator, redemptor, Dominus universorum est, tot tantaque tolerarit? . . . Hæc cogitantes & auxilium ejus implorantes *non deficietis animis vestris.*

Quod si scommata malorum ipsius rationis itemque Religionis gratia: tum maxime nostræ salutis æternæ caussa nobis devoranda sunt; cum jam olim Paulus pronunciarit: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* (s) Erunt itaque persecutiones pie in Christo viventibus: His autem vel cedimus; & ecce perivimus! vel resistimus; & ecce ad salutem emersimus! Equidem non omnia illa sarcasmata proxime atque immediate eo spectant, ut nos primo impetu in peccatum grave impellant, neque omnia pium Christianum aut Christianam ad mortalia facinora seducunt (quamvis hujus pessimi & execrandi generis multa invenire sit) attamen ad extremum cuncta in hunc finem spectant; Nam dum id agunt, ut de vitæ christianæ tenore, de Sacramentorum frequentatione, de oratione, de morum verecundia deque fuga periculosarum conversationum remittamus: Ecce utique illis præsidiis, illis adjumentis, illis armis spoliare nos tentant, sine quibus moraliter fieri non potest, ut gratia Dei conservetur: quæ ipsa ab iis, qui humani respectus servitutem serviunt, cito ac facile perditur, qua amissa quis non videt, nos in præsenti damnationis æternæ periculo versari? Resistere itaque, contemnere atque negligere oportet sannas illas atque illusiones; nam, ut ait S. Cyprianus, *quomodo potest esse* in æternum *cum Christo, qui ad Christum pertinere aut erubescit aut metuit* Christiana igitur magnanimitate sanctaque adversus irrisores hos & diaboli fautores audacia opus est.

Mementote, O mei! Josephi ab Arimathia discipuli Christi, utut teste S. Joanne (t) occulti, eumque post ignominiosissimam Christi crucifixionem in palatio Pilati stantem mentis oculis intueamini; quærite ex illo, quid petiturus a præside adsit? Respondebit: se sanctissimum Christi corpus petere, terræ decenti funere a se mandandum. Quid agis Vir nobilis, decurio! Occultum hactenus Dei hujus crucifixi discipulum egisti, & nunc ejus asseclam te palam profiteri cogitas? Idque tam periculoso rerum statu, sæviente adhucdum in Christum plebe Judaica, Præside post intentatam Cæsaris iram ignaviter cedente, senatu universo in Jesum pessime affecto. . . Nonne vides, quod præter Ludibria, quæ feres: præter sibilos, quibus te conscindent: præter contemptum, in quem incurres, insuper decurionatum, generis nobilitatem, fortunas, fors & vitam ipsam amittendi discrimen præsentissimum subeas? . . . Frustra sum, O mei! non audit ejusmodi consilia Joseph, & jam S. Evangelista Marcus monet (u) quod *audacter introivit ad Pilatum & petiit corpus Jesu.* Neque credatis velim, Josephum obtenta licentia corpus Christi clam sepelivisse: Nequaquam. Sed, postquam centum libras aromatum & sindonem aptum coemisset, cadaver sacratissimum balsamo illinivit, sindone involvit & novo suo sepulchro condidit; quorum omnium testes SS. Evangelistas habemus. Miram generositatem! Magnum animi robur! At unde tantæ Josepho vires? primum ab auxilio Numinis, dein a salutis æternæ studio. En verba Evangelii: *Qui & ipse erat expectans regnum Dei*, ait Marcus (x) & S. Lucas (y) *Qui expectabat & ipse regnum Dei.* Hoc salutis obtinendæ studium effecit in Josepho, ut *audacter ad Pilatum* introiverit: ut respectum hominum omnem abjecerit: ut tam gravi ac periculoso rerum statu discipulum esse se Jesu absque ullo metu ostenderit. Sic & nos agere debemus, quibus nequaquam tam gravia impendent, ac Josepho decurioni: Irreverentes esse debemus; nam, ut ait S. Augusti-

(s) 2. *Timoth.* 3. (t) *Cap.* 19. (u) *Cap.* 15. (x) *Cap.* 15. (y) *Cap.* 23.

gustinus (z) *Quid est irreverentia! Est non confundi. Oportet ut habeat Christianus istam irreverentiam, quando venerit inter homines, quibus displicet Christus. . . . . Si erubueris, mortuus es; Sententiam quippe ipsius vide, qui neminem fallit:* Qui me erubuerit coram hominibus, & ego erubescam illum coram Angelis Dei. *Frontosus esto, quando audis opprobrium de Christo: prorsus frontosus esto. Quid times fronti tuæ, quam signo crucis Christi* (Alludit ad Sacramentum nostrum) *armasti.* Macti igitur virtute, O mei! simus, neque ob insultuum & irrisionum a dissolutis sustinendarum formidinem vitæ sanctæ rationem operaque pia & Christiano digna intermittamus! Cogitemus potius, nos in sancto Confirmationis Sacramento per signum sanctæ crucis Characterem militum Christi accepisse impressum ab Episcopo frontibus nostris: &, dum erubescere debemus, si legi Christi repugnanter vivimus, contra gloriari nos debere, si sub vexillo crucis militamus & fidos nos Christi milites, omne erga improbos subjectionis genus contemnendo, probamus. Nam aliter qui egerit; contra rationem, contra Religionem, contra suam salutem agit: *Si erubueris, mortuus es.*

(z) *In Psalm.* 68.

SERMO XXXV.

De Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, & de amore Christi, quem in hoc Sacramento ostendit.

CUm de Sacramentis nostris differenti mihi auscultare gratum vobis, O mei! omni tempore (ut spero) accidat; tum certe de augustissimo Eucharistiæ Sacramento dicentem audire quam jucundissimum evenire vobis deberet, si tantus mihi dicendi ardor ac facundia tantaque pietas adesset, quanta ad illud scite exponendum mentibusque vestris penitus imprimendum desideratur. In hoc etenim mysterio, ceu quodam reliquorum Sacramentorum scopo ac centro, divini amoris sui magnitudinem perfectionemque Dominus Jesus ostendit; quippe in quo & abundantiorem gratiam animabus bene paratis confert, & nobis semper atque ad finem seculi usque personaliter adest, ut secum pro libitu nostro conversemur & ad se nostris in necessitatibus confugientes omnis generis auxilia reportemus. Quapropter si divino præsidio ad bene dicendum semper egui; tum maxime in omnibus de hoc Sacramento habendis sermonibus cœlesti me ope plurimum indigere agnosco atque profiteor, eumque in finem vestrarum, O suavissimi! orationum suffragiis sublevari oro atque obtestor, quibus mihi necessaria ad dicendum adjumenta a Jesu exorare & jam incipite & pergite, quo ad vos sic dicam, ut longe piissimi singularis erga hoc augustissimum Sacramentum devotionis sensus vestris cordibus instillentur: Quod gratiæ genus si nobis Dominus concesserit, & vos & me quam beatissimos prædicavero.

Atque ut ab ipso hujus Sacramenti nomine sermonis initia ducam, sciatis velim, multis illud nominibus a SS. Patribus appellatum fuisse. A nonnullis *Eulogia divina* seu (quod idem) *Benedictio divina* dicebatur; unde etiam ab aliis *Sacramentum benedictionis, sanctificationis, consecrationis* vocatum fuit: A quibusdam *Convivium cœleste:* a nonnullis *Mensa Domini, Mensa spiritualis:* ab aliis *Cœna Domini:* ab aliis *Panis vitæ* vel *Panis Angelorum: Panis supersubstantialis:* *Panis*

Panis in Bethlehem natus: Panis Dominus: Panis concordiæ: Fractio panis: item *Sacramentum Fidelium: Mysterium Fidei: Religionis christianæ Arcanum* aut *Communio* appellabatur: Ab aliis idque frequentius *Corpus Domini*: ab aliis *Sancta* & *Sanctum Domini*: ab aliis *Gratia*: ab aliis *Esca spiritualis: Sacrificium: Pretium nostrum: Sacramentum Sacramentorum: Pax: Viaticum*: ab aliis denique idque communius etiam a vetustissimis *Eucharistia* seu (quod idem) *Gratiarum-actio* dicebatur. Veneranda hæc nomina cuncta SS. Scripturis nituntur, & vel actionibus Christi vel verbis Christi vel promissis Christi vel effectibus Sacramenti vel illius administrandi modo vel eo, quod hoc Sacramento continetur, firmantur. Usitatissimum tamen hujus Sacramenti nomen est (quod monui) *Eucharistia*: uti in vetustissimis & doctissimis Patribus S Justino Martyre (a) S. Irenæo Episcopo & Martyre (b) Tertulliano (c) S. Cypriano Episcopo & Martyre (d) & in Concilio I. Nicæno (e) videre est.

Sacramentum Eucharistæ, cum sit omnium summum, & Sacramentum simul ac Sacrificium, præ aliis omnibus in veteri Testamento figuratum fuit, affirmarique poterit, omnia prisca Sacrificia hujus sacrificii figuras extitisse: Inter vetera illa sacrificia eminent sacrificium Melchisedech, quod Eucharistiam, ut merum Sacramentum præfiguravit: Manna, quod Eucharistiam quoad effectus præostendit: Sacrificia expiatoria & propitiatoria, quæ Eucharistiam, quasi rem corpus & sanguinem Christi continentem, indicarant: Agnus paschalis, qui Eucharistiam repræsentavit, ut Sacramentum & Sacrificium; de quo particulatim suo loco agetur.

Jesum Christum in Cœna ultima cum Apostolis habita Sacramentum Eucharistiæ instituisse, claris verbis Evangelistæ prodiderunt; nam cum se carnem suam in cibum & sanguinem suum in potum daturum esse teste S. Joanne (f) spopondisset, promissa sua implevit instituendo venerabile hoc Sacramentum, quando porrigens panem discipulis: *Hoc est corpus meum* & postea calicem exhibens dixit: *Bibite ex hoc omnes; Hic est calix sanguinis mei;* Quorum verborum omnipotenti virtute panem in corpus, vinum in sanguinem suum commutavit: uti Fides & Patres sancti omnes docent.

Ex his colligitur, materiam hujus Sacramenti, panem ex frumento confectum & vinum e vite expressum, esse. Dixi: *Panem ex frumento confectum*, qui solus absolute appellatur *Panis*; cum ceteræ panis species nequaquam absolute *Panis* dicantur, sed panis ex secali, panis ex hordeo: & sic de aliis frugibus; Unde ubi panis ex frumento confectus adest, simpliciter *Panis* dicitur. Jam, cum Evangelistæ narrent, Christum panem accepisse, nulla alia voce addita, ut eum in corpus suum converteret: *Accepit panem*; ob id tum orientalis tum occidentalis Ecclesia semper tenuit, solum ex frumento panem esse materiam idoneam, quæ in corpus Christi convertatur; sive dein azymus sive fermentatus sit: Quo in loco Theologis discutiendum relinquimus, azymone an fermentato pane Christus usus sit; cum verosimilius videatur, Servatorem pane azymo usum esse, ob id ab Ecclesia occidentali præscripto. Ex quibus consequitur, Sacerdotes Ecclesiæ Latinæ azymum, & sacerdotes Græcæ fermentatum adhibere debere, & nos (secus si faciant) graviter peccare; cum ad Ecclesiarum suarum ritum conformare se quivis debeat, excepto casu, quod iter faciant Latinus inter Græcos, ubi non est Ecclesia Latina: & Græcus inter Latinos, ubi non est Ecclesia Græca; nam tum licebit eis adhibere panem ab illis Ecclesiis adhiberi solitum vel etiam retinere ritum suum, dummodo nullum scandali periculum interveniat. Panis aqua naturali commixtus esse debet; hinc omnis alia aqua eundem materiam dubiam & illicitam redderet. Dixi præterea: *Vinum ex vite*: cujus asserti eadem ratio est, quæ in pane; nam vox vinum absolute posita vinum ex vite significat: cum alia potus genera dicantur vinum

(a) *Apol. 2. ad Imperat.* (b) *Libr. 5. contra Hæres. c. 2.* (c) *Libr. de Coron. c. 3.*
(d) *Lib. de Laps.* (e) *Can. 18.* (f) *Cap. 6.*

num vel ex pyris vel ex pomis vel ex malis Punicis vel aliis denique frugibus. Unde, cum Evangelium simpliciter testetur, Christum in vino consecrasse; immo illud vocet *genimen vitis*, sequitur: solum ex vite vinum materiam calicis & pretiosissimi Sanguinis dominici esse. Atque hoc in loco (Ut ne centum a Theologis moralibus proponi solitis casibus vos obtundam) dixisse sufficiat, solum vinum ex vite & solum panem ex frumento materiam Eucharistiæ esse, ut quis valide ac licite consecret: Quod si solius validitatis ratio habeatur; satis est, si materia adhibita verum vinum ex vite & verus panis ex frumento esse comprobetur, ita ut misturæ genus aut incipiens corruptio panem & vinum haud ex toto vitiarint, sed species panis & vini adhuc remanere comprobentur: Attamen si quis meditate pane ac vino sic alteratis uteretur, illicite ageret & peccati gravis noxam non effugeret.

Notandum, vino pauxillum aquæ permisceri debere, non quidem pro valore consecrationis sed tamen sub gravi peccato; id quod Patres etiam vetustissimi communi doctrina prodiderunt, nimirum S. Justinus Martyr (g) S. Irenæus Episcopus & Martyr (h) S. Cyprianus Episcopus & Martyr (i) & sic, qui postea secuti sunt, Patres: Immo Concilium Trullanum (k) affirmat, hanc permistionem ab Apostolis traditam esse; cujus caussas has affert S. Thomas (l) *Primo propter institutionem; probabiliter enim creditur, quod Dominus hoc Sacramentum instituerit in vino aqua permisto secundum morem illius terræ . . . Secundo quia hoc convenit repræsentationi dominicæ passionis* (in qua in cruce ex latere mortui Servatoris sanguinem & aquam profluxisse legimus) *Tertio quia hoc convenit ad significandum effectum hujus Sacramenti, qui est unio populi christiani ad Christum. Quarto quia hoc competit ad ultimum effectum hujus Sacramenti, qui est introitus ad vitam æternam: Unde Ambrosius* (seu alius eidem coævus Pater) *dicit*: *Redundat aqua in calicem & salit in vitam æternam.* Hinc hujus permixtionis omissio culpa gravis esset (Ut monet Catechismus Concilii Tridentini) quamvis Sacramento valor ob id non decederet. Modicum autem aquæ admiscendum est; quia hæc primo in vinum, vinum deinde in sanguinem transire debet, monente S. Thoma, *aquam converti in vinum & vinum in sanguinem; hoc autem fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua, quod converteretur in vinum. Et ideo semper tutius est, parum de aqua apponere, & præcipue si vinum sit debile; quia si tanta fieret appositio aquæ, ut solveretur species vini, non posset perfici Sacramentum.* Neque tamen infundere aquam calici sacerdos post Consecrationem debet, si prius non infudit; quæ inadvertentia teste Doctore angelico graves pœnas commeretur. Præterea *prohibetur, ne mustum statim expressum de uva in calice offeratur; quia hoc est indecens propter impuritatem musti: Potest tamen in necessitate fieri*; quia verum vinum est.

Forma hujus Sacramenti consistit in verbis Consecrationis. Verba, quibus materia corporis consecratur, sunt: *Hoc est enim Corpus meum*, & quibus materia sanguinis consecratur: *Hic est enim calix Sanguinis mei &c.* Certissimum est, omnia omnino verba hæc a Sacerdote proferri debere: Disputent, quantum velint, inter se Theologi, utrum forma sanguinis omnia omnino dici solita verba indispensabiliter sibi postulet; cum nos (Ut sæpius monui) non quæstiones theologicas aut controversas tractemus. Itaque proferri verba hæc omnia debent, nec horum aliquod sine sacrilegio omitti potest; cum illa ex S. Evangelio & Traditione apostolica (secundum communem SS. Patrum sententiam) fluxerint. Vox *Enim*, etsi necessaria haud dignoscatur, tamen sub gravi peccato proferri debet, ut sensus aptior exeat.

Igitur quod credere firmiter omnes tenentur, est: quod statim post finita Consecrationis verba in Hostia panis substantia haud amplius adsit; quippe quæ incomprehendendo omnipotentiæ divinæ miraculo in substantiam totius veri ac realis corporis D.

(g) *Apol. 2. ad Imperat.* (h) *Libr. 5. contra Hæres. c. 2.* (i) *Epist. 63. ad Cæcil.*
(k) *Can. 32.* (l) *3. p. qu. 74. a. 6.*

N. Jesu Christi convertitur: Et quoniam hoc divinum Corpus sanguini suo, animæ suæ & divinitati suæ conjunctum est, consequenter & *per concomitantiam* omnia hæc adsunt: Corpus quidem vi verborum a Sacerdote prolatorum, reliqua vero (uti Sanguis, Anima, Divinitas) ob unionem, qua Corpori cohærent. Simili modo post prolata verba Consecrationis calicis credendum est, haud amplius ibi esse substantiam vini; utpote quod in totam substantiam pretiosissimi sanguinis Jesu Christi transiit: qui sanguis cum corpori, animæ & divinitati Christi conjunctus sit, ob id etiam hæc omnia realiter vereque adsunt: sanguis quidem vi verborum a sacerdote prolatorum, corpus vero & anima ac divinitas ob unionem, qua divino sanguini conjunguntur. Ex quo fit, ut totus Christus vivus ac gloriosus vere, realiter ac substantialiter, tam in hostia quam in calice, adsit: Et quoniam, ubi Divinitas est, ibi omnes tres divinæ Personæ sunt (Est enim tota in omnibus tribus, & omnes tres in ipsa) ob id per conjunctionem, quæ a Theologis *Circuminsessio* dicitur, realiter etiam tota SS. Trinitas adest. Sic & Evangelicis effatis & Traditione apostolica-divina & communi SS. Patrum doctrina nixa Fides docet, & pluribus canonibus Concilium Tridentinum per totam *sessionem XIII.* definivit: non quod hæc omnia prius credita non fuerint, sed ut hæreses de hoc divino Sacramento a falsis Doctoribus quasi e cineribus suscitatæ confutarentur. Dixi: *quasi e cineribus suscitatæ*; nam aliquibus ante seculis eas Joannes Scotus Erigena primus excogitavit, sed vix exortas Ecclesia suffocavit: Erigenam Berengarius quidam secutus est Archidiaconus Andegavensis Ecclesiæ, qui post plures recantationes & novos relapsus tandem errores suos ex animo detestatus in gremio catholicæ Ecclesiæ obiit, cujus rei fidem Necrologium memoratæ Ecclesiæ facit, eum inter suos defunctos sub titulo Archidiaconi annumerans: quod utique non fecisset, si ille in hæresi mortuus fuisset. Confitemur præterea ex Fide, totum Christum Deum-hominem in quavis particula hostiæ divisæ, & in quavis particula speciei vini consecrati contineri (Uti idem Concilium Tridentinum pronunciavit) quin de cetero vel corpus vel sanguis dividatur, sed enim solæ species dividantur Christo toto in quavis particula remanente.

Ex his apparet, Sacramentum Eucharistiæ non in sumptione seu usu consistere, uti reliqua sex Sacramenta; quæ ipsa administrando conficiuntur & finita administratione cessant: Eucharistia contra & ante usum & post administrationem subsistit; nam cum in speciebus consecratis, totum Christum Deum-hominem continentibus, consistat; tamdiu in illis speciebus Christus permanet, donec species corrumpantur: uti Ecclesia ex Fide docet. Atque ob id Sacramentum hoc in sanctis tabernaculis servamus, ut a personis debitis Fidelibus tum sanis tum ægrotis administretur, & ut ad illud confugere in omnibus nostris necessitatibus possimus.

Habemus igitur, O mei! hic inferius in terris semper nobiscum amantissimum Servatorem nostrum personaliter, vere, realiter ac substantialiter; id quod ipse ante suam in cœlos adscensionem de se his verbis testatus est: *Et ecce! Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi* (m) Ah permittite, obsecro, O suavissimi! ut in his Servatoris verbis longius immorer, quæ SS. Patres ferme omnes etiam de ipso, in hoc venerabili Sacramento nobiscum manente, interpretantur: mihique hanc veniam date, ut vobis ardentissimam charitatem in hoc Sacramento ab illo nobis manifestatam considerandam proponam.

Ac primum quidem sic existimate: Potuisset Christus nobiscum realiter ac personaliter permanere cogitans, potuisset (inquam) & quam convenientissime potuisset modum præscribere, quo coli & haberi se a nobis, quo deserviri sibi vellet. Quo in loco persuasissimum vobis habeatis oro, quod, quas demumcunque conditiones ille tulisset, hæ infinita personæ suæ dignitate semper infinitum inferiores extitissent. Potuisset itaque

(m) *Matth. 28.*

que præcipere, ut in solis metropolitanis Urbibus templum longe augustissimum sibi ex optimo marmore, auro & argento interius obducto, conderetur: ut altare unicum, in quo reponeretur, gemmis pretiosissimis omni ex parte coruscans ædificaretur: ut altare hoc innumeris continuo luminibus, sive ex lampadibus aureis sive ex ingentis ponderis cereis, refulgentibus illustraretur: ut continuo tot & tot sacerdotum centuriæ coram se servatis stationum vicibus adessent, humi in faciem prostrati, profundæ & demississimæ adorationis actum exercentes. Potuisset prohibere, ne Laici se visitatum ingredi auderent, nisi paucis per annum vicibus, nec nisi prius sive per severa jejunia sive per largas (si possent) eleemosynas sive per longas orationes aut alia pænalia & corpus macerantia opera animos suos convenienter præparassent: Quod si quis tantæ temeritatis foret, ut mortali culpa gravatus introire in templum illud sibi sumeret, is igne æthereo mox corripiendum se & in cineres redigendum esse sciret. Jam, O charissimi! si Jesus Deus & Redemptor noster, ex mero amore apud nos manens, has conditiones omnes proposuisset; nunquid accipere omnes quam maxime debuissemus, ut præsentiæ ejus solatium, voluptatem honoremque habere potuissemus? Nunquid has conditiones omnes, in comparatione majestatis infinitæ Dei-hominis nobiscum manere non dedignantis, pro levissimis ac minimis reputare debuissemus? Nunquid eas ambabus etiam arripere manibus atque ut suavissimas exosculari debuissemus, quo præsentia ipsius frui & nostras ei necessitates per paucas, quæ nobis statuisset, temporum vices exponere potuissemus? Nunquid nihilominus exclamare: O Jesu, amator benevolentissime! O Jesu, in nos ardentissime! O Jesu, nobis indignis vermibus beneficentissime! . . . & majori jure, quam Salomon post extructionem templi, dicere debuissemus: *Ergone credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram* (u) *Si cælum & cæli cælorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificavi.* Certe, O Deus! certe omnia in comparatione tuæ infinitæ majestatis tantique beneficii parva, omnia nihilum sunt.

Jam hujus, quo Jesus nobiscum personaliter ac realiter permanere voluit, beneficii & amoris, quem in illo nobis ostendit, magnitudinem animis nostris altissime infixam tenentes cogitemus ulterius, Dominum dicentem: Ecce! *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi;* horum, quæ memoravi, plane nihil imperavisse & (quantum ad ipsum spectat) nullam omnino obligationem nobis imposuisse, nisi ut ad se sumendum in statu gratiæ (uti suo loco dicetur) accederemus, adeo ut apparatus & cultus exterior, qui eidem exhibetur, omnis a pietate Ecclesiæ ac Fidelium introductus sit. Ob eam rem esse nobiscum Dominus non in sola metropoli regni aut provinciæ alicujus, sed in omnibus urbibus ac villis dignatus est: Immo primis Ecclesiæ temporibus (uti SS. Cyprianus, Basilius M. Gregorius Nazianzenus & alii fidem certissimam faciunt) etiam in domos proprias eum deferre & decenti capsula inclusum retinere Fidelibus licuit; quam tamen consuetudinem ob consequentia incommoda Ecclesia provide abolevit severis pœnis in violatores constitutis. Sed ut ad propositum revertar, non solum in splendidis templis; sed in quovis egeno, nudo, ruinoso sacello: non solum in marmoreis & gemmatis tabernaculis; sed in quolibet artariolo ex fatiscenti & a vermibus exeso ligno: non solum inter innumerarum lampadum aut cereorum ignes; sed ad simplex aliquot obolorum lumen: non solum inter Sacerdotum turmas sibi continuo succedentes; sed utplurimum solus nullo adorante adesse dignatur. Non solum non jussit, ut se visitaturi atque adoraturi magnas & pœnitentiales præparationes adhiberemus; sed quovis tempore, quavis hora, quovis habitu accedentes excipit, permittens, ut secum (quamdiu velimus) converse[n]tur: Et quamvis in aliquibus locis integri dies abeant, quin a quo-

(u) 2. Paralip. 6.

quam ſalutetur; tamen ob id non diſcedit ſed manere ibi pergit, quoscunque ad ſe accedentes ſemper benigne amanterque excipiens. O ingentem Chriſti in nos amorem! . . . . Quod ſi, O Jeſu! ritus ac ceremonias & ea, quæ de Arca Manna (quod noſtri Sacramenti ſimplex ſymbolum meraque figura ac umbra quædam fuit) continente præcepiſti, omnia mecum recogito: & poſt hæc animum meum eo converto, ut modum conſiderem, quo nobiſcum perſonaliter eſſe, & quo nos ad te adorandum admittere digneris, tanta profecto admiratione afficior, ut allata Salomonis verba repetere cogar: *Ergone credibile eſt, ut habitet Deus cum hominibus ſuper terram*, tam humiliter, tam demiſſe, immo (ſic dicam) tam viliter habitus: Ah! tot tantaque poſtulaſti, O Domine! ut populus Iſraeliticus Arcam, quæ umbra erat tui, ſecum haberet: Et tibi ipſi, in Euchariſtia perſonaliter reſidenti, nihil poſtulas, realiterque ac perſonaliter nobiſcum es modis memoratis, quibus oſtenditur, potius alia omnia, quam æternum ac verum Deum, & Redemptorem noſtrum, apud nos ſervari! *Ergone credibile eſt &c.* Profecto! non credibile ſolum eſt, ſed omnino credendum. Et tamen hi ipſi, qui iſtud firmiter credunt, adorare, viſitare atque implorare te parum curant. O ingratos! O immemores animos! O deflendam cæcitatem! . . . . . .

Prædicatis, O mei! tanquam beatos (credo) quin & tanquam beatiſſimos Magos illos, qui ex Perſiæ regno, ubi morabantur, profecti diuturnum ac moleſtum iter Bethlehemum uſque fecerunt, ut nati novi Regis, ſecundum editum a Balaamo & in illa gente Traditione obſtetricante conſervatum vaticinium ſtellæ indicio ſibi manifeſtati, viſitandi honore fruerentur; quin tamen ſciverint, hunc ipſum eſſe Deum maximum: uti poſtea, quo tetenderant, appulſi ab ejus genetrice Virgine Maria didicerunt. Dicetis, & merito: Heus! quanto majori ſtudio atque ardore Magi illi ad iter ſeſe accincturi fuiſſent, ſi ſciviſſent, eum, quem adoratum ibant, Deum ſummum eſſe? . . . At quid dixiſſetis, ſi illi ſcientes ex Traditione, ſtellam illam non regis ſolum ſed Dei incarnati redemptoriſque mundi nativitatem portendere, ſi hoc (inquam) edocti nihilominus viſitare eundem aut parum curaſſent aut diſtuliſſent aut omnino omiſiſſent? Nunquid illos inſaniæ, ingratitudinis ac cæcitatis poſtulaſſetis, quod Dei ſui adorandi, colendi, viſitandi & deſtinatis a ſe muneribus honorandi occaſionem optatiſſimam elabi ſiviſſent? Dixiſſetis, puto: Deus ſcit, ſi ipſis tanti ſolatii (quale eſt adorare, revereri ac remunerare creatorem ſuum noſtra carne noſtræ redemptionis cauſſa veſtitum) habendi occaſio unquam reditura eſt? . . . At juſtas cohibete iras, easque in vosmetipſos convertite, O mei! monente S. Joanne Chryſoſtomo (o) cui hanc totam validiſſimam conſiderationem in acceptis referre debeo: *Quid enim excuſabimus aut quam veniam obtinebimus, ſi, cum ipſe noſtri cauſſa deſcendit de cælis, nos ad illum vel ex ædibus ire gravemur; cum alienigenæ barbarique Magi ex Perſide occurrant, ut illum videant in præſepio jacentem? Si quidem hæc menſa vicem expleт præſepis; Nam & hic ponitur Corpus dominicum non quidem faſciis involutum ſed undique Spiritu ſancto veſtitum.* Profecto, O mei! quanam excuſatione noſtram Servatori optimo negligentiam purgabimus, ſi eum tantum, quantus revera eſt, credentes ac profitentes tamen ad eundem adorandum, viſitandum, implorandum, & ut nosmetipſos ei devoveamus, ex ingrata leviſſimi incommodi per egreſſum e domo ſubeundi ignavia vel (quod peius) ex ingratiſſima tam inſignis beneficii tantæque charitatis oblivione, aut perraro aut ferme nunquam accedimus: *Quid enim excuſabimus, ſi nos ad illum vel ex ædibus ire gravemur?* Quid, quæſo! eundem coegit, ut, poſtquam in cœlos aſcendit & illam immenſam gloriæ ac magnitudinis ſedem occupavit ampliſſimi Beatorum regni Dominus effectus & ſupremus creaturarum omnium Judex conſtitutus, hic in terris nobiſcum perſonaliter maneret? Nunquid alia

(o) *Homil. in S. Philogon. n. 3.*

alia Sacramenta providit, quibus spirituales necessitates nostræ levarentur: Quid opus erat, ut personaliter nobiscum maneret? Igitur si hoc fecit, certe ex mera & nimia erga nos charitate fecit, O mei! ut etiam personali sua societate uti possemus. Jam huic tantæ charitati quisquis visitando eundem & quovis loco, quovis sacello, quovis angulo contentum adorando ac collaudando gratum sese minus præbet; nunquid ingratitudinem, quam ipsi dæmones exhorrescant, admittit?

Sed progrediamur ulterius Fidem, quam profitemur, ceu ducem continuo sequentes. Voluit nobiscum Dominus in venerabili Eucharistia his nostris in terris remanere, non solum ut nobis, quando & quoties vellemus, adesset; sed etiam (O superi! Date mihi, ut digne loquar:) sed etiam ut cibum se animarum nostrarum faceret: ut a nobis exciperetur: At ubi? At quomodo? Nostris scilicet pectoribus: In cibi modum, ita ut eundem ipsis adeo visceribus nostris constringere nobis liceat.... Quod si, O mei! ut verum fatear, charitas Dei nostri in omnibus Fidei veritatibus miris modis elucet; in hac certe ita mentium nostrarum oculos nimia sua luce perstringit, ut nullum aliud amoris adeo vehementis mysterium inveniri posse videatur. Ita est, O mei! Mansit nobiscum Dominus, ut in corda nostra personaliter intret; qua unione arctior in hac vita cogitari non potest: Et si amor honestus ex sua natura eo tendit, ut amantes modis, quibus fieri potest, decentissimis & arctissimis uniantur; reputet, qui potest, utrum unio arctior excogitari ea possit, qua Dominus in pectora nostra, ibi habitaturus, per cumulata miracula toties venit, quoties id nos arbitrio confessarii volumus. O prodigiosissimum amorem! O amantissimum prodigium Christi!

Amorem hunc ut auditoribus suis cognoscendum pro virili daret S. Joannes Chrysostomus, solitæ eloquentiæ nervos intendens sic (p) peroravit: *Ut ostendat nobis, quanto erga nos ferveat amore, se nobis commiscuit & in unum corpus totum constituit, ut unum simus, quasi corpus conjunctum Capiti; nam ardentis amoris hoc est indicium: Hoc subindicant Job de servis suis dicebat, a quibus sic amabatur, ut ejus carnibus permisceri peroptarent; Ut enim ardentem amorem ostenderent, dicebant*: Quis det nobis de carnibus ejus, ut saturemur? *Quod & Christus fecit ad majorem nos amicitiam inducens & suum nobis demonstrans amorem: neque se concupiscentibus videndum modo præbuit; sed tangendum, comedendum, dentibus terendum, commiscendum: desideriumque implevit omne.* Et Jesum loquentem inducens sic concludit: *Parentes sæpe liberos suos aliis alendos tradunt; Ego econtra illos carnibus meis alo, me ipsum appono.* Et hoc in loco quid aliud, O mei! quam præ pudoris, admirationis ac stuporis magnitudine exclamare possumus: O amor! O amor! O amor Jesu in nos miseros non comprehendendus!

Ast cogitetis nolim, in solas hujus generis exclamationes desinere hunc sermonem meum debere: Nequaquam; sed enim hoc volo, etiam in sequenti sermone de incomparabili ista charitate dicturus, ut eidem quodammodo respondere decernatis. At quomodo istud? Percipite historicum e S. Scriptura factum, & tum statuite: Proficiscebatur Jacob in Mesopotamiam vidensque se victu in illis incultis viis indigere *votum vovit dicens: Si fuerit Deus mecum & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum . . . reversusque fuero prospere ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum* (q) Ecce, O mei! casum nostrum figurate expressum! Quodnam periculosius aut molestius iter, quam nostra ad patriam cœlestem peregrinatio? In hac adesse nobis Jesus non solum gratiæ auxiliis sed etiam vera ac reali præsentia sua in Eucharistiæ Sacramento dignatus est: Ipse non solum quævis tum corporalia tum spiritualia alimenta nobis providet, sed etiam se ipsum totum in cibum nobis dat. Quid ergo agendum nobis, ut tanto beneficio respondeamus? Nonne & nobis omnibus cum Jacobo dicendum: *Erit mihi Dominus in Deum.* Est in

(p) *Homil. 46. in Joan.* (q) *Genes. 28.*

in via ista, per quam ambulamus, ipsus personaliter nobiscum: Dat nobis *panem ad vescendum;* at panem, qui solam panis speciem refert, re vera autem ille ipsus totus est. Et posthæc dicere non debeamus: *Erit mihi Dominus in Deum*; Volo eum pro Deo meo constanter agnoscere: At hæc agnitio in quo consistere debet? . . . Qui personam aliquam nobilem, ceu amantissimam benefactricem, agnoscere voluerit: primum eam nunquam offendat; deinde eidem serviat, eidem obsequatur eidemque oblectationi in omnibus, in quibus honeste fieri potest, sit necesse est. Firmiter itaque & nos Servator amantissime! statuimus: *Eris* ex hoc *nobis in Deum:* Agnoscemus te ut Deum nostrum tum ob alios innumerabiles titulos tum maxime ob hunc, quod te in nostra peregrinatione panem vitæ nobis feceris: Hinc divino tuo auxilio confisi primum quidem nunquam amplius te offendemus; deinde vero te, amore nostri in tabernaculis inclusum, visitatum atque adoratum ibimus sæpiusque nostris te pectoribus excipiemus (qua actione maxime delectaris) præmittentes, qualem & novimus & possumus, animi præparationem, ut a te (divino cibo nostro) roborati feliciter perveniamus *ad domum Patris nostri*, scilicet paradisum, æternum te ibi laudaturi, benedicturi ac prædicaturi. Amen.



SERMO XXXVI.

De Eucharistia, quatenus Sacrificium est; & de amore Christi per illud manifestato.

PErgens, O mei! de augustissimo Eucharistiæ mysterio, de quo plura dicuntur, eo plura dicenda restant, ad vos dicere; priusquam de illius usu, de affectibus animique præparatione ante ejus usum & de actione gratiarum post usum (De his omnibus differendum mihi) agam: hodie de divino isto mysterio eatenus agere decrevi, quatenus illud est sacrificium unicum in nova lege a Christo ipso institutum, prædictum a Prophetis veteris Testamenti, ejusdemque fœderis sacrificiis omnibus præfiguratum: quod, cum veterum sacrificiorum significationem omnem impleverit, illa etiam omnia antiquavit, solumque & unicum sacrificium ad finem seculi usque manet, quo ipso divina Majestas non solum multo prolixius honoratur, sed multo quoque efficacius a Superis cujusvis generis beneficia ac gratiæ obtinentur. Et quoniam in hoc summo sacrificio infinitus Servatoris erga nos amor, in quo exponendo immorari maxime debeo, plus quam credi potest, elucet; ob id primo, in quo sacrificium generatim consideratum maxime consistat, explicandum vobis esse videtur.

Cum quodvis sacrificium actus si virtutis Religionis & ad cultum divinæ Majestatis, tanquam summæ dominatricis omnium entium creatorum consideratæ, pertineat; ut hujus divini dominii professio fiat, victima, q[illegible] offertur (si viva est) in sacrificium occidatur necesse est: quo hac occisione manifesta absoluti, quod Deus habet, in vitam & mortem viventium quorumvis dominii professio fiat. Ob eam rem in omnibus Mosaicæ legis sacrificiis, in quibus victimæ vivæ offerebantur, illæ supra aram mactabantur eum in finem, ut summum Dei in omnes creaturas dominium contestaretur. Potuisset Dominus (si voluisset) imperare, ut sibi etiam homines in sacrificium offerrentur; quod iis mortalium magno honori futurum fuisset, qui in victimas electi fuissent: At noluit hoc magna Dei in nos pietas. Unde & Abrahamum, a quo filium unigenitum

Isaac

Isaac in sacrificium sibi postularat, jussa exsequi jam jam parantem voce angelica cohibuit & in sola humili ac religiosa Patriarchæ obedientia acquievit, Verum charitate, quam Dominus in mortales adhibuit, non itidem in Jesum (utut unigenitum suum plus omnibus dilectum) usus est; nam ut genus humanum in libertatem assereretur (cui rei simplex adorationis actus ab illa divina Persona in carne humana elicitus suffecisset, utpote actus valoris infiniti) voluerunt tum Pater tum ipse Filius tum etiam Spiritus sanctus, ut Redemptor vitam suam humanam in sacrificium daret &, qua homo, occideretur, idque modis illis crudelissimis, acerbissimis, ignominiosissimis atrocissimisque, quos Evangelistæ referunt, & Deus permisit. Quod si amoris quam vehementissimi signum majus apertiusque esse non potest, quam si quis vitam in gratiam amatæ personæ profundit: multo magis ex hoc, quod Persona divina humana carne induta vitam profudit, & modis (quos dixi) atrocissimis profudit, quam evidentissime apparet, sacrificium, quo Christus in cruce vitam suam immolavit, eximium esse amoris in nos (quippe quorum caussa mori voluit) tum tenerrimi tum maximi pignus indiciumque.

Cogitassemus nos profecto, O mei! immo ipsi adeo Angeli nobiscum cogitassent, Christo quidem post vitam profusam non superfuisse modum, quo suum nobis amorem ultra ostenderet: nobis vero (postquam ille ab inferis redux magno redemptionis opere perfecto ac consummato triumphans in cœlum ascendit, atque ob id fieri nec debeat, nec deceat, ut ille denuo moriatur) nobis, inquam, solam sacrificii in monte Calvariæ ab ipso pro nobis præstiti memoriam maximo incitamento, illum semper ardenter atque inviolabiliter diligendi, esse debuisse: & hoc solum cruentum sacrificium a nobis augustissimæ Trinitati offerendum fuisse, ut iratam placaremus, faventem precibus inclinaremus & ab ipsa cujusvis generis gratias ac beneficia obtineremus. Nunquid nos, immo & Angeli ista cogitassent? . . . Et tamen, & tamen: Audite, O suavissimi! quæ dicturus sum ac Fides, quam profitemur, dictat.

Quid, quæso! diceretis de eo amatore, qui, cum pro personis amatis nec pati nec mori nec immolari amplius debeat, tamen modum excogitaret, quo in se ipso mortes millenis per diem vicibus multiplicaret, & de novo totidem vicibus vero sui ipsius (utut incruento) sacrificio immolaretur? Reponetis: Fieri hoc plane non potest. Verum ne tam præpropere judicetis, O mei! nam Jesus hujus rei efficiendæ viam reperit: Jesus modum invenit, quo se ipsum immolaret seque pro nobis veram, realem ac personalem victimam augustissimæ Trinitati exhiberet; qua ipsa re sacrificium ab ipso in monte Calvariæ oblatum millenis per diem vicibus renovatur . . . . Est inventum hoc ejusmodi, quod ab alia mente, præterquam omnipotentis juxta ac infinite amantis Dei, proficisci non potuit; Nam si vitam in sacrificium profudisse semel summum est, secundum effatum Dei, amoris documentum: *Majorem hac dilectionem* (a) *nemo habet, quam ut ponat quis animam suam pro amicis suis*, quam ingens amoris argumentum reputandum est, invenire modum, quo quis millenis in singulos dies vicibus ad finem mundi usque re vera immoletur ac modo incruento occidatur . . . Et dum Christus valorem præstiti in Calvariæ monte sacrificii (qui nobis per solam hujus cruenti sacrificii oblationem & commemorationem applicari potuisset) jam per incruentum hujus ejusdem sacrificii instaurationem, per realem ejusdem divinæ victimæ oblationem & ejusdem hostiæ sacramentalem innumeris per diem vicibus occisionem applicare voluit: heus! quanti amoris pignus atque indicium hoc putandum est! Edicite, O mei! edicite!

Et vel! quæ hucusque dixi, Fides sancta nos docet. Etenim quid est Missæ sacrificium? Est oblatio SS. Trinitati facta: At cujus? Personæ veræ & realis Jesu Christi, qui ipse est victima hujus sacrificii: At quomodo

(a) Joan. 15.

modo occiditur hæc victima? Occiditur (advertite, O mei! animos) occiditur in consecratione duarum specierum: At quonam modo istud? Eo, quo aliæ victimæ omnes mactatæ fuerunt, & quo ipse in monte Calvariæ occisus fuit, modo: Occiditur autem victima omnis, dum jugulatur & sanguis a corpore separatur, quo fuso victima mortua jacet; Sic quoque Christus e cruce pendens in monte Calvariæ divinum suum sanguinem omnem effudit, atque ita mortuus est, Id ipsum vero (Attendite!) in sancto Missæ sacrificio agitur per hostiæ consecrationem, & dum in persona Christi dicitur: *Hoc est Corpus meum* (quorum verborum vi significatur, ibi realiter solum Christi Corpus esse) & per calicis consecrationem, ac dum dicitur: *Hic est calix Sanguinis mei &c.* (quorum verborum vi significatur, ibi realiter solum Christi sanguinem esse) Et ecce! sic vi memoratorum verborum Christus sacramentaliter occisus in altari est; quia corpus a sanguine separatum significatur: Quæ res tam certa est, ut, si Apostoli, jam tum Sacerdotes constituti, triduo mortis Christi ante illius resurrectionem Missam celebrassent (per consecrationem hostiæ) in illa realiter solum Corpus Christi una cum divinitate absque anima ac sanguine & (per consecrationem calicis) in illo realiter solus sanguis cum divinitate absque anima ac corpore fuissent; quoniam illo triduo Christus vere mortuus & sanguis ejus a corpore re ipsa separatus extitit. Hinc videtis, quod in Missis, quæ in præsentiarum celebrantur, per consecrationes Corpus Christi a sanguine, & sanguis a corpore separata significantur; quod est significare eundem gladio verborum occisum: uti ait S. Cyrillus. Unde advertatis velim, quod in tantum, tam in hostia quam in calice, jam nunc sit Christus totus vivens ac gloriosus, in quantum is jam nunc talis est eritque semper: at talis non fuit triduo illo, quod ab ejus morte ad resurrectionem usque interfluxit. Itaque vi actionis, quæ a Sacerdotibus celebrantibus fit, Christus occisus per verba significatur; quia in hostia solum Corpus, in calice vero solus Sanguis significatur; cum de cetero in hostia etiam sanguis, anima ac divinitas: & in calice corpus, anima ac divinitas adsit; quia Christus haud amplius moritur, sed æternum vivit ac gloria perfruitur sempiterna. Et ecce! qua ratione in qualibet Missa sacrificium in monte Calvariæ peractum exacte renovetur; nam eadem victima (scilicet vera & realis persona Christi Jesu Dei-hominis) offertur & offertur ita, ut occisus significetur; quia cum sanguine a corpore separato (in quo victimæ oblatæ occisio consistit) vi verborum significatur: quamvis & in hostia & in calice totus Christus Deus-homo vivens adsit. Et hoc, O mei! quot millenis vicibus per diem fit? Quot Missæ quotidie per orbem catholicum celebrantur, quibus comprobatur, quod idem Christus, qui se cruento modo in monte Calvariæ obtulit, innumeris per diem vicibus in sacrificium incruentum super aras sese nostras offerat; quandoquidem ipse primus Offerens est. Jam colligamus: Si majorem charitatem nemo habet, quam ut quis vitam in gratiam amatæ personæ profundat: & Jesus innumeris per diem vicibus nostri caussa eandem in verum & reale sacrificium dandi modum excogitavit; statuat, qui potest, de hujus amoris magnitudine, quem (quippe infinitum) totum comprehendere mens creata nulla poterit.

O Jesu amator infinite, & amore infinito amans animas nostras! O Jesu, qui propter nimiam charitatem tuam invenisti modum, te nostri in gratiam quotidie millies immolandi! Quin jure meritissimo cum proavo tuo Davide exclamare possumus: *Multa fecisti tu, Domine! mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est, qui similis sit tibi* (b) quæ lingua charitatem hanc dignis exprimere modis poterit? . . Quodnam cor iis, quæ hactenus dixi & Fides sancta docet, fidem adhibens piis amoris in amatorem tam benevolum sensibus commoveri sese minus sentiat? . . . .

Si

(b) *Psalm.* 39.

Si amicorum vestrorum aliquis, ut vobis in necessitate positis opem ferret, brachium dextrum amputare sibi aut ambos eruere oculos lubens fineret, anne impetrare a vobis possetis, ut eundem non diligeretis: ut eundem nihil vos lædentem molestiis & injuriis afficeretis? . . Quid ais, Pater! reponere mihi videmini: Faciant hoc tigrides & feroces pantheræ. At homo ratione præditus, homo honestatis vel parum amans, homo decori vel pauxillum studiosus quomodo hunc animum inducat? . . . Repeto dicta: Quod si amicus ille, ut amoris sui constantiam atque perennitatem vobis testatam faceret, factum hoc in dies singulos perpetuaret (Ponite, hoc eum efficere posse) scilicet ut re vera modo arcano ac mystico quotidie vestri in gratiam brachium aut oculos amitteret; nunquid præ charitate in amicum tam benevolum, tam ferventem, tam erga vos accensum rapi corda vestra ac differri sentiretis? ... Certe huic tali non solum vel minimam offerre molestiam non auderetis, sed vestram ei gratitudinem mutuamque benevolentiam modis ostendere omnibus satageretis. Ita profecto (credo) diceretis omnes, nec aliter loqui poterit, nisi qui suo sub pectore cor belluinum gesserit.

Et tu solus, O Jesu! qui Deus maximus ac summus universorum Dominator es: qui non solum brachium de corpore tuo recidi aut oculos e vultu erui, sed etiam post crudelissima supplicia mira cum charitate tolerata agi te in crucem permisisti &, ut nos ab infernalibus tormentis eriperes ac paradisi portas reserares, temet in monte Calvariæ in sacrificium obtulisti: qui post hæc omnia hoc ipsum in monte Golgotha præstitum sacrificium modo, quem sola tua infinita sapientia & omnipotentia excogitare potuit, maxime mirando millies in singulos dies super nostra altaria perpetuare voluisti infinitam tuam charitatem magis magisque nobis manifestaturus: Tu solus, O Jesu! cum gratitudinem mutuosque amores referre a nobis, libertis tuis, deberes: Tu solus iniqua adeo fortuna uteris, ut ingratitudines, molestias offensasque etiam graves metas! Et quæ nec proletario atque infimæ plebis homini vel millesimam partem eorum, quæ tu, pro nobis passo facimus, tibi eheu! fiunt. Quis hæc credat, O dilectissimi, fini minus viva ejus rei testimonia nostris nosmetipsi actionibus præberemus? Confitemini, O mei! confitemini corde contrito oraque lacrymis perfusi, confitemini! Quot heu! peccatis mortalibus eundem offendistis? quot gravibus peccatis eundem quotidie multi multique offendunt? . . . . Hæccine sunt mutuæ charitatis documenta? Hæccine gratitudinis nostræ pignora, quod ille semel cruento sese modo in monte Calvariæ immolarit, & modo incruento millies per diem pro nobis sese immolet? Heu! quæ in rusticolam, in clitellarium, in carnificem ne millesima parte eorum laborum, quibus Jesus, pro nobis defunctum non audemus, hæc tam sæpe in Jesum audemus! *Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer* (c) *Interrogate gentes; quis audivit talia horribilia?* Immo interrogate gentes quaslibet ferocissimas omnique humanitatis sensu carentes, si unquam benefactor talis ac tantus, qualis Jesus verus nos extitit, nulla data caussa tam male habitus fuerit, ac Jesus a nobis habetur? *Interrogate gentes; quis audivit talia horribilia?*

An vero, O mei! sacrificia hæc omnia, quibus se ipsum Jesus immolat, eo unice spectant, ut ille ingentem suam charitatem nobis ostendat atque confirmet? Neutiquam: Etenim hunc insuper amoris plenum finem propositum illa habent, ut nos eorundem sacrificiorum vim atque effectus consequamur. Quinam sunt hi effectus? Attendite animis! Primus effectus est, ut per hoc incruentum sacrificium quodam ineffabili cultus & adorationis genere Dei majestatem honoremus; cum hoc maxime sacrificium sit, quod Malachias Propheta (d) prænunciavit: quod, tanquam verum & postremum sacrificium ad finem mundi usque duraturum, reliquis præcedentium ætatum sacrificiis

(c) *Jerem.* 2. & 12. (d) *Malach.* 1.

ficiis omnibus significatum fuit; unde illa priora, hoc exoriente, cuncta evanuerunt finemque suum acceperunt. Hoc magnificis illis verbis Propheta indicavit dicens: *Munus non suscipiam de manu vestra; Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo Oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Ecce egregium de anteriorum oblationum reprobatione & de nova Oblatione munda per totum terrarum orbem offerenda vaticinium, quod de nostro sacrificio, Patres omnes (ne vetustissimis quidem exceptis) interpretantur. Quo se singulariter honorari Dominus gloriatur. Et in hoc sensu sacrificium nostrum dicitur *Latreuticum*; Sed quoniam simul holocaustum est, in quo victima non solum occiditur sed etiam tota in honorem Dei consumitur: ob id etiam in nostro sacrificio victima, videlicet Christus, per consecationem modo prædicto occisa consumitur, dum a Sacerdote & ab iis, qui cum Sacerdote communicant, accipitur: Ex quo fluit, quod consecratio, in qua victima occiditur, dirigatur ad consummationem tanquam partem integralem sacrificii. Hinc egregie S. Augustinus (e) *Id sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. . . . Pro illis omnibus sacrificiis & oblationibus corpus ejus offertur & participantibus ministratur.*

Secundus sacrificii nostri effectus est, ut per illud gratias Deo agamus; Atque ob id *Eucharisticum* dicitur, quo solennes Deo grates primum quidem de omnibus beneficiis & mysteriis, quæ æternæ salutis nostræ caussa operari voluit: deinde vero de gratiis, quibus animas nostras continuo impertitur, omnibus: denique de reliquis cujusvis generis beneficiis, quæ quotidie ab ejus infinita misericordia accipimus, agimus. Ob eam rem sacerdos prius, quam *Præfationem* inchoet alta voce (quod haud dubie observastis) dicit: *Gratias agamus Domino Deo nostro;* & respondetur: *Dignum & justum est.* Unde apposite S. Joannes Chrysostomus (f) monet *In tremendis mysteriis ut sacerdos pro plebe, ita plebs pro sacerdote vota facit; Neque enim ipse solus gratias agit sed etiam plebs universa: nam prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt id juste ac digne fieri; tum demum gratiarum actionem auspicatur.*

Tertius Sacrificii nostri effectus est, ut Deum nobis ob peccata nostra infensum placet & eorum nobis remisionem obtineat; dum divina nobis ad pœnitendum & mores emendandum auxilia impetrat: Atque ob id *Propitiatorium* nuncupatur. Jam quantam placandi Deum vim sacrificium hocce habere debet; cum Deo illa ipsa victima, quæ Christus est, de quo S. Joannes (g) *Ipse est*, ait, *propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum sed etiam pro totius mundi*, offeratur? Quomodo fieri potest, ut, quodam hoc sacrificium pro consequenda peccatorum suorum venia vel offerente vel offerri curante, ad divinæ hujus victimæ super aram in hunc maxime effectum sibi oblatæ conspectum Dominus ad concedenda valida gratiæ auxilia non commoveatur, quibus reus de peccatis suis doleat & optatam eorum remissionem adipiscatur; cum hæc victima eadem ipsa sit, quæ olim pro peccatis universi generis humani in ara crucis oblata fuit.

Quartus sacrificii nostri effectus est, ut divinæ justitiæ satisfaciat, hoc est: pœnas peccatis remissis debitas, sive in hac vita sive in Purgatorio luendas, deleat; Hinc *Satisfactorium* appellatur. Docet hoc Concilium Tridentinum (h) sequentibus verbis: *Pro Fidelium . . . peccatis, pœnis & satisfactionibus offertur.* Atque hunc effectum Missaticum sacrificium immediate ex se ipso producere, manifestum est; nam si se Jesus in cruce obtulit, ut pro pœnis peccatis nostris debitis satisfaceret: & si fructus sacrificii a Servatore in cruce oblati per Missæ celebrationem applicatur, patet, per hanc pro pœnis peccatis nostris debitis satisfieri; nam etiam in Missæ sacrificio primus Offerens

(e) *Lib. 17. de Civit. Dei, c. 20.* (f) *Homil. 18. in 2. ad Corinth.* (g) *Epist. 1. c. 2.* (h) *Sess. 22. c. 2.*

rens est Christus ipse, monente laudato Concilio: *Idem nunc Offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit.* Observandum tamen, quod, ut vivi ex Missis, quas in satisfactionem poenarum peccatis suis debitarum celebrari curant, fructum optatum consequantur, illi in statu gratiae esse debeant; nam si sunt in statu inimicitiae Dei, uti nihil promerentur, ita nec pro memoratis poenis satisfacere per actiones suas bonas immo ne per Missas quidem possunt, quas in hunc finem celebrari curant. Etenim ut quis Deo satisfaciat, amicus sit & acceptus Deo necesse est: Ast talis cum non sit, quisquis in statu disgratiae est; ob id satisfacere non potest, nisi prius in gratiam cum Deo redierit. Hoc in caussa est, cur Missarum celebratio poenas animarum purgantium levet ac deleat; nam cum istae gratia Dei ac favore fruantur, oblationes & eleemosynae, Missae, preces aliaque pia opera in poenarum, quas sustinent, imminutionem Deo oblata effectum suum habent; quia pro personis Deo charis offeruntur.

Quintus sacrificii nostri effectus seu fructus est, ut divina cujusvis generis beneficia tum supernaturalia tum naturalia, tum spiritualia tum corporalia (dummodo illa saluti nostrae aeternae non officiant) nobis impetret; uti memoratum Concilium docet: *Pro aliis necessitatibus Fidelium.* Hinc *Impetratorium* dicitur, Deoque offerri poterit, ut robur contra tentationes: ut virtutum quarumvis consequendarum adjumenta: ut sanitas corporis: ut temporalia statui nostro congrua bona, & quae sunt alia honesta nobisque necessaria, obtineantur. Sunt facta plurima historiae ecclesiasticae commentariis posterorum memoriae tradita, quibus beneficia a Deo per Missarum celebrationem obtenta ostenduntur: Ex multis, quae afferre in medium possem, duo solum eligo, quae nemo, nisi insanus sit, inficias iverit; quippe quae a testibus omni exceptione majoribus perscripta sunt, & ipsis (ut sic dicam) inspectantibus evenerunt. Primum S. Augustinus (i) refert: *Vir tribunitius Hesperius apud nos est habens in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, ubi, cum afflictione animalium & servorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros me absente presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus crederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi orans, quantum potuit, ut cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessavit.* Alterum narrat S. Gregorius M. Pontifex Romanus, dicens (k) *Non longe a nostris fertur temporibus factum, quod quidam ab hostibus captus longe transductus est; cumque diu teneretur in vinculis, eum uxor sua, cum ex eadem captivitate non reciperet, extinctum putavit: Pro quo jam veluti mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerre, cujus toties vincula solvebantur in captivitate, quoties ab ejus conjuge oblatae fuissent hostiae pro animae ejus absolutione. Nam longa post tempora reversus admirans valde suae indicavit uxori, quod diebus certis, hebdomadibus singulis, ejus vincula solvebantur. Quos videlicet dies ejus uxor atque horas discutiens tunc eum recognovit absolutum, cum pro eo sacrificium meminerat oblatum.* Et concludit in haec verba S. Doctor: *Hinc ergo, fratres carissimi! hinc certa consideratione colligite, oblata a nobis hostia sacra quantum in nobis solvere valeat ligaturam cordis, si oblata ab altero potuit in altero solvere vincula corporis.*

Jam, O suavissimi! tam sublimi, tam divino sacrificio, quo Patri aeterno Filius ejus unigenitus offertur, tam nobis per omnia proficuo sacrificio qua cum reverentia multi Christianorum assistunt? Dicite quaeso! O mei! dicite; Neque enim me multa afferre opus, cum oculis usurpare quotidie ea liceat, quae Fideles hac in re faciunt. Assistunt eo corporis situ, qui haereticorum, sacrificium hoc impie negantium, incredulitatem roboret atque confirmet: Assistunt, proh dolor! quam incompositissimi, huc illuc circumferentes lumina, garrientes, subridentes, saepe amori ac blanditiis operam dantes & iniqua ferentes colloquia. Heu quot viri, quot foeminae se modis inverecundis

(i) *Lib. 22. de Civit. Dei, c. 8.* (k) *Homil. 37. in Evang. n. 8.*

dis comunt, ut se, tanquam idola, aliis conspiciendos dent, furantes hac ratione tremendo altaris sacrificio præsentium attentionem, quippe quam ad suæ pulchritudinis, ad elegantiæ ac magnificentiæ suæ contemplationem transferri optant. Nos miseros! Quanto nos aliquando pudore idololatræ & reliqui falsarum Religionum asseclæ confundent, qui, dum profanis & sacrilegis sacrificiis suis intersunt, vel exspuere in terram, emungere nares, caput in pavimentum usque depressum erigere nefas sibi esse ducunt; uti bene illi norunt, qui ex Historicis mores horum populorum didicerunt: Quod si Mahometanos in *Moscheis* seu templis suis Mahometis pessimi institutoris sui cultui operam dantes conspiceretis, videretis certe, ex quo afficiendi nimio eheu! pudore essetis. Jam vero si exterior corporis habitus, quid intus in animo lateat, docet: & si multi Christianorum exterius incomposite adeo agunt; qualis, quæso! mentis præsentia & interior devotio eorum (In his maxime actus Religionis consistunt) tam tremendo mysterio adstantium erit? Heu quæ cogitationes deliberato admissæ mentem: qui affectus voluntatem in diversa trahent? . . . Ah Deus! Cogitationes de negotiis temporalibus, de nugis, de ineptiis, de rebus multum alienis & (Utinam fallerer!) de rebus obscænis, licentiosis, offendentibus Deum illum, qui se in altari in peccatorum nostrorum propitiationem offert. Siccine, bone Deus! sacrificio a Jesu nostri in gratiam instituto assistitur, cui si devote interessemus (Qua re Sacerdoti corde tenus uniti ejusdem divinæ victimæ oblatores efficeremur) in partem sublimium fructuum ejusdem sacrificii venire possemus; dum contra irreligiose, ut dixi, assistentes Deum ultro provocamus, ut severissimis in nos pœnis animadvertat. Nonne illius recordari ultionis deberemus, quam de Bethsamitis Dominus sumpsit quinquaginta eorum millia percutiens, quod Arcam Manna continentem irreverentius aspexissent: *Percussit autem Dominus, eo quod vidissent Arcam Domini . . . . quinquaginta millia plebis.* Aut cogitatis forsitan, Deum irreverentiarum summo altarium nostrorum mysterio exhibitarum pœnas suo tempore exacturum non esse: Deum, qui irreverentiam, quæ haud tanta fuisse videtur, in Arcam (solam mysterii nostri umbram figuramque) admissam severe adeo castigavit?

Hoc in loco aliquos, ut irreligionem, quacum divinis assistunt, purgent, objicientes mihi audire videor: Videmus, Pater! haud paucos Sacerdotum, qui sacra facientes ita se gerunt, ut si qua etiam esset Fidelibus devotio, eam extinguerent. His respondeo, primo: eum, qui ad audiendum Missæ sacrificium accedit, caussas devotionis ex Fide, quam profitetur, petere debere: scilicet, quod hoc sit summum & unicum sacrificium, omnium aliorum olim divinæ Majestati oblatorum sacrificiorum complementum: quod in illo Jesus verus Deus-homo offeratur: quod per ipsum Deus placetur & nobis miseris concilietur: quod per ipsum Majestas divina ad necessarias saluti nostræ gratias concedendas & præstanda nobis in quacunque nostra necessitate auxilia flectatur: quod per ipsum (positis debitis a me supra memoratis conditionibus) pro pœnis peccatis nostris debitis, itemque pro pœnis animarum purgantium satisfiat. Hæ igitur caussæ solerti animo expensæ, utcunque Sacerdotis celebrantis agendi ratio ineptissima sit, nos continere in officio debent: videlicet ut mente collecta, corde compuncto, animo devotionis pleno, modesto ac composito corporis habitu tantis mysteriis assistamus. Neque tamen, dum vos hæc moneo, aut excusare aut defendere exteriorem illam irreverentiam contendo, quacum non pauci Sacerdotum tremendum & altissimum Missæ sacrificium peragunt masticando, truncando immo & glutiendo verba, quæ legenda sunt: dimidiando genuflexiones: sacras ceremonias torquendo atque ita omnia deproperando, ut paucorum minutorum spatio peragant actionem, qua sanctior augustiorve peragi in hoc mundo non potest: ita leviter, incomposite, irreverenter, festinanter

-nanter agendo, ut alia potius omnia agere, quam consecrare corpus ac sanguinem Jesu Christi Dei-hominis &, eundem victimam Patri æterno offerendo, renovare sacrificium ab ipsomet in monte Calvariæ oblatum videantur. Profecto hos tales non tam incondite ac negligenter aut prætextos eleganti superpelliceo denticulos aut biretum, quo caput tegunt, contrectaturos ac versaturos puto; Unde piis Christianis offendiculo, minus probis Christianorum tentationi contra fidem, hæreticis Sacramentariis firmamento errorum sunt. Et (quod pejus) sunt nonnulli huic negligentiæ vocumque ac ceremoniarum abbreviationi tantopere assuefacti, ut se non solum non emendent sed ne in Confessione accusent quidem; cum tamen, ex Theologorum omnium sententia, sola notabili festinationi, irreverentiæ, irreligiositati & scandalo affinis sacri faciendi ratio eos culpæ mortalis reos faciat. Advertent hoc profecto miseri, cum ferali mortis in hora tot sacrificiorum modo descripto celebratorum & irreverentiarum mille, ad quas sic Missam celebrando Fideles adstantes induxerunt, & quas hi ipsi postea erga divinissimum corpus ac sanguinem admiserunt, rationem tristissimam reddituri ibunt. Exterrere hujuscemodi Sacerdotes formidabilis Ozæ casus deberet notus omnibus SS. Scripturarum non omnino ignaris: quem rudiorum in gratiam memorare juvat. Cum Arca Domini plaustro imposita ex domo Obededom in civitatem David solenni supplicatione & ab ipso Rege Davide deducebatur, cumque boves, plaustrum trahentes, illud calcitrando declinassent: Oza, qui Levita tantum non Sacerdos (His solis tangere Arcam fas fuit) haud procul stans accurisset extendissetque manum suam, ut teneret Arcam; ecce! Rem terribilem! confestim percussus a Domino ad Arcæ latus mortuus in terram cecidit: *Extendit Oza manum ad Arcam* (l) *Dei & tenuit eam; quoniam calcitrabant boves & declinaverunt eam: iratusque est indignatione Dominus contra Ozam & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta Arcam Dei.* Quod si hæc in Arcam temeritas adeo formidabili pœna digna habita a Deo est: in Arcam, quæ figura solum & umbra mysterii nostri fuit; nunquid fulminibus flammisque æthereis digna temeritas erit, verax mysterium nostrum, per Arcam significatum, adeo scandalosa cum irreverentia contrectare ac celebrare? *Vos apello*, totus quantus zelo accensus S Pacianus (m) vetustissimus juxta ac doctissimus Barcellonæ Episcopus increpans ex funesti hujus casus consideratione irreligiosos sacerdotes, *Vos appello*, ajebat, *qui . . . . Dei sancta contingitis & altare Domini non timetis.* Vos & ego appello, si qui adsunt (quod non crediderim) hujus farinæ sacerdotes: In Levita a Deo *super temeritate* occiso mentis vestræ oculos defigatis velim, ut perpensis tum vestris tum illius circumstantiis omnibus decidatis, vestram in tam irreverenti mysterii, per Arcam figurati, celebratione temeritatem multo graviorem esse: quo hac ratione convicti, vestram temeritatem temeritati Ozæ longe antecellere, irreligiositati modum ponatis. Secus illa vobis supplicia expectate, quæ, quo diutius differuntur, eo graviora esse consueverunt.



(l) 2. Reg. 6. (m) In Paraenes.

 SER-

SERMO XXXVII.

De dispositionibus ad dignam Eucharistiæ sumptionem requisitis.

POstquam, O mei! non quidem pro dignitate attamen pro ingenii mei viribus de sublimitate atque altitudine mysterii nostri disserui; officii mei ratio postulare videtur, ut ad explicandas animi dispositiones pro licito Eucharistiæ usu, tum in facientibus tum in sumentibus Sacra requisitas progrediar. Dixi: *pro licito usu*; quibus verbis hoc volo, esse nonnullas dispositiones, quæ necessario requiruntur, ut quis Eucharistiam sine peccato recipiat: De his primo loco dicemus. Sunt deinde aliæ dispositiones, quæ requiruntur, ut quis magno cum fructu sacram Dapem sumat; quæ quidem necessariæ non sunt sed oppido convenientes, adeo ut qui illas accedens ad Eucharistiam præmittere posset & intermittit, dignus omnino reprehensione sit: De his secundo loco agemus. Cum autem istarum dispositionum aliæ ad corpus, aliæ ad animam pertineant (quod ad corpus attinet)

Prima dispositio necessario (absolute loquendo) ad licitum Eucharistiæ usum requisita hæc est, ut persona a media nocte usque ad tempus, quo sacro Cibo reficitur, jejuna sit. Hæc conditio ex antiquissima Ecclesiæ institutione ad nos usque permanavit, uti in vetustissimis Scriptoribus videre est Tertulliano (a) nimirum, S. Cypriano (b) S. Joanne Chrysostomo (c) & S. Augustino (d) dicente: *Est universæ Ecclesiæ mos, ut a jejunis semper accipiatur.* Igitur, quisquis hoc præceptum ecclesiasticum violaverit (absolute loquendo) peccatum mortale committit.

Dixi *absolute loquendo*; nam sunt casus varii, in quibus etiam non jejuno accipere Communionem licet: Primo si quis Eucharistiam lethali morbo decumbens tanquam viaticum recipit; nam tunc si infirmus jejunium sine valetudinis damno servare non potest, etsi non jejunus licite sacram Dapem accipit. Dixi: *Si sine damno valetudinis non potest*; nam si infirmus absque ullo incommodo jejunus recipere Eucharistiam potest, id omnino facere debet: Et hoc eo maxime dico, ut e multorum animis errorem, quem personis etiam non vulgaribus communem esse experientia didici, evellam, credentium quod ad Communionem pro Viatico sumendam persona non jejuna esse debeat: unde infirmo, etsi haud opus habeat quidquam ore sumere, tamen quædam offerunt, dicentes, quod Viatico reficiendus sit: Et hoc moneo, quia mihi metipsi sæpius falsissimum hoc axioma audire contigit. Etenim conceditur ab Ecclesia infirmo, ut non jejunus communicet, supposito quod ille jejunum se servare sine incommodo non possit: Unde, si jejunum se servare sine incommodo potest, etiam ipse vetustissimam ac sanctissimam hanc Ecclesiæ legem impleat oportet.

Est & alius casus, in quo aliquis non jejunus licite Eucharistiam sumit: Hunc S. Thomas indicat dicens (e) „ Si Sacerdos „ post inchoatam Consecrationem recordetur se non esse jejunum, debet complere „ sacrificium. Si autem ante Consecrationem recordetur, tutius est desistere a Missa jam cœpta, dummodo non sit periculum gravis scandali „. Est item alius casus, nimirum si quis sacrificium, quod alius cœpit & post Consecrationem mortuus imperfectum reliquit, perficere debet; posito quod non adsint alii sacerdotes jejuni. Sed ista ad sacerdotes maxime spectant.

Si quis prudenter dubitaret, utrum non noctis mediæ terminos comedendo aut bibendo transgressus sit, debet secundum communio-

(a) *Lib. 2. ad Uxorem, c. 5.* (b) *Epist. 63.* (c) *Homil. 27. in 1. ad Corinth.*
(d) *Epist. 54.* (e) *3. p. qu. 83. a. 6.*

muniorem & rationabiliorem sententiam a Communione abstinere; nam præceptum manet in possessione suæ auctoritatis & obligationis, nec debet in libertatis favorem periculo violationis exponi: Est hoc regulæ a S. Thoma datæ oppido consentaneum, dicente: *Ubi difficultas occurrit, semper est accipiendum illud, quod habet minus de periculo.* Hinc non admittit S. Doctor regulam nonnullorum dicentium, quod in tali casu in favorem libertatis agere liceat: *Illud accipiendum est, quod habet minus de periculo.* Ex hoc sequitur, quod si quis comedens audiat horologii mediæ noctis indicem, ad primum sonitum desistere debeat; quoniam hi sonitus initium novæ horæ & præcedentis finem atque exitum indicant: Atque ob id, si plura successive horologia sonent, ex allata S. Thomæ regula primum sequi debemus, ne nos violandi præcepti periculo exponamus.

Notandum: Per cibum & potum, jejunii naturalis ad licitam Eucharistiæ sumptionem requisiti violativum, non solum quævis alimenta sed medicamenta quoque & res alias cibi quidem rationem non habentes (uti nuclei fructuum alioque ore sumpta & in stomachum transmissa) intelligi; nam non solum cibi, uti provide notat S. Doctor angelicus, sed etiam ea omnia, quæ per modum cibi sumuntur: scilicet quæ ore sumuntur & in stomachum transmittuntur, prohibita sunt: *Non refert, utrum aliquid hujusmodi nutriat aut per se aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi vel potus* (f) Ob id nec saliva nec sanguis aut alius e capite defluens humor nec ciborum reliquiæ intra dentes, si post mediam noctem per modum salivæ sumuntur, jejunium naturale frangunt; quippe non in modum cibi sumpta. Ita idem S. Thomas: *Quæ interius geruntur sine exterioris cibi sumptione, non videntur solvere jejunium naturæ nec impedire Eucharistiæ perceptionem, sicut deglutio salivæ: Et similiter de his videtur, quæ intra dentes remanent, & etiam de eructationibus* (g) Idipsum de tabaco seu de pulvere nicotiano naribus accepto dicere licet, qui clare patet quod non per modum cibi sumatur, quippe qui non ore sed naribus accipitur; unde si deglutitur, id per modum salivæ fit. Hæc sunt, quæ de dispositionibus corporis, ut quis sine gravi peccato Eucharistiam accipiat, requisitis dicere habui, alios leviores casus Theologis discutiendos relinquens.

Est insuper alia non quidem necessaria sed multum conveniens corporis dispositio, ad conjugatos pertinens: a quibus multi SS. Patres & gravissimi Theologi exigunt, ut ab opere conjugali abstineant; cum multum indecens sit, ut quis ad sacram Synaxin accedat, qui nocte præcedente debitum petiit conjugale; Dico: *Petiit*; nam reddere illud petenti tolerandum esse videtur. Ejusmodi tam parum continentiæ studiosis S. Hieronymus (h) illa objicit, quæ Davidem inter & Achimelechum sacerdotem gesta legimus; nam cum ab isto sacerdote David cibos postularet, quibus socii sui præ fame languescentes reficerentur: & sacerdos non nisi panes propositionis Deo dicatos haberet, exquisivit a Davide: *Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus?* Et postquam eos mundos esse certo cognovisset: *Continuimus nos ab heri & nudius tertius* (i) sic tandem panes benedictos Davidi in necessarium famis subsidium concessit: Quo super facto ita S. Doctor: *Diximus, panes propositionis ex lege non potuisse comedere David & socios ejus, nisi se triduo mundos a mulieribus respondissent, non utique meretricibus . . . sed uxoribus, quibus licite jungebantur: Populum quoque, quando accepturus erat legem in monte Sinai, tribus diebus jussum esse abstinere ab uxoribus. Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut Fideles semper Christi corpus accipiant, quod nec reprehendo nec probo; sed ipsorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum communicant. . . Durum est & non ferendum. Quis hoc secularium sustinere potest? Qui potest sustinere, sustineat: qui non potest, ipse viderit.* Igitur si tanta munditiеs ab iis exigebatur, qui panibus propositionis, Eucharistiam adumbrantibus, cibandi erant; nunquid indecentissimum

(f) 3. p. qu. 80. a. 8. (g) *In 4. Sent. dist. 8. qu. 1. &c.* (h) *Epist. 1.* (i) *1. Reg. 21.*

mum erit, carne Agni immaculati, carne Dei-hominis ex purissima Virgine nati saturandos conjugalem adhuc voluptatem spirare? . . . Ob eam rem Concilium Tridentinum (k) hanc Communioni præmittendam continentiam conjugatis graviter his verbis insinuat: *Postulat etiam tanti Sacramenti dignitas, ut qui matrimonio juncti sunt, aliquot dies a concubitu uxorum abstineant Davidis exemplo admoniti, qui cum panes propositionis a Sacerdote accepturus esset, purum se & pueros suos ab uxorum consuetudine tres ipsos dies professus est.*

Superest alia dispositio corporis, de qua fæminas monitas velim: scilicet ut ad suscipiendam Eucharistiam non nisi decenter cooperta accedant. Oppido certe inconveniens, illas eodem vestitu, quo aliis in locis, coram ipsis adeo altaribus purissimum Agnum illum sumpturas apparere: Et si nudasse pectus res est ejusmodi, quam SS. Patres omni tempore improbarunt Theologique morales graviter reprehendunt; certe illæ fæminæ immanis irreverentiæ reas se faciunt, quæ male coopertæ Christi corpore vescuntur. Hinc Innocentius XI. eos sacerdotes censuris gravibus subjecit, qui sacram Communionem fæminis turpiter nudatis ministrant.

Et profecto si S. Paulus indecens esse judicavit, fæminas, ad publicas in Ecclesiis preces accedentes, non velatas accedere: *Vos ipsi judicate; Decet mulierem non velatam orare?* Si (inquam) Apostolus voluit, fæminas ad adorandum accedentes velatas & decenter coopertas, puta circa pectus, accedere; quid, quæso! dicturus esset, si videret fæminas non jam ad orandum sed ad ipsam Eucharistiam nudatas accedere, & sæpe ita nudatas, ut etiam extra illam sublimem actionem aspicientibus offensioni sint? Quid, quæso! Doctor ille Gentium dicturus? quæ verborum jacula pro zeli sui ardore in has vibraturus esset? Atque hoc in loco cum S. Hieronymo quærere juvat: *Quid est majus, orare an Corpus Christi accipere? Utique accipere Corpus Christi.* Cogitent itaque fæminæ, quod, si quando communicant, non amicas salutatum, non recreatum se, non in ædes prophanas eant; sed enim ad Ecclesias, sed enim Agnum illum castissimum, Filium Matris purissimæ, maximum puritatis & modestiæ amatorem susceptum pergant. Hinc omni studio atque diligentia se tegant, ne purissimo, quem suscipiunt, Jesu displiceant. Sic S. Carolus Borromæus, magnum illud disciplinæ ecclesiasticæ lumen ac ornamentum, in suis *Instructionibus* jussit; *Mulieres non sumptuosis, non caudatis vestibus, non crinibus inaniter intortis aut vultu pigmentis illito, non pectore nudo aut tenui velo obtecto; sed ita vestitæ appareant, ut ne præter faciem quidquam nudum cernatur, velo denso bene supra faciem demisso.*

Pergamus modo ad conditiones seu dispositiones animi pro licito Eucharistiæ usu requisitas. Harum prima, necessaria & indispensabilis est, ut animam a peccatis mortalibus prævia eorumdem doloris plena Confessione purgemus. Hanc præmittendæ Confessionis conditionem, quæ ab Ecclesia disertе injungitur, etiam in Scripturis novi fœderis per illa verba imperatam fuisse gravissimi auctores contendunt, quibus S. Paulus monet, quod ad S. Eucharistiam accessurus prius se excutere, probare ac mundare debeat; nam vox *Probet* hæc omnia sibi petit: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat &c. de calice bibat* (l) Additque: *Qui enim manducat & bibit indigne*, scilicet reus culpæ mortalis, *judicium sibi manducat & bibit.* Itaque si quis omnem adhibere diligentiam debet, ut in statu gratiæ accedat; quando adhibere præcipuam, quæ in peccatorum exomologesi consistit, diligentiam potest: erit haud dubie præcepto S. Pauli, quod ipsum est præceptum Dei, ad confitendum (si peccatis mortalibus gravatur) obligatus. Excipiunt Theologi casum, in quo revera sequentes duæ conditiones conveniunt; prima, quod sit necessitas inevitabilis communicandi aut sacrificandi: secunda, quod Confessarius haberi non

(k) part. 2. c. 4. n. 58. (l) 1. Corinth. c. 11.

non possit. Atque hoc in casu post elicitum omni (qua fieri potest) diligentia perfectæ contritionis actum non illicitum est sumere Eucharistiam. Remanet tamen oblitatio, ut is, qui sic sanctissimum Sacramentum percepit, quamprimum confiteatur, hoc est: confessarium (quamprimum fieri moraliter potest) exquirat, cui rem totam exponat: Quæ obligatio cum sacerdotibus sic celebrantibus sub gravi præcepto a Concilio Tridentino imposita fuerit, laicis quoque sic communicantibus injuncta a multis Theologorum perhibetur; cum etiam ad laicos hujus præcepti causa principalis, scilicet reverentia augustissimo Sacramento debita, pertineat. Dicet aliquis: Anne etiam alii sunt casus, in quibus culpæ mortalis reo accedere ad S. Eucharistiam contrito tantum licet; eoquod vera communicandi aut sacrificandi necessitas instet, & haberi confessarius nequeat? Repono: Omnes isti casus eo redeunt, scilicet si Communio aut Celebratio omitti non potest sine gravi periculo vitæ aut famæ aut gravi eorum scandalo, qui talem personam non communicare aut non celebrare vident; nam tunc jus divinum positivum præmittendi Confessionem cedit juri divino naturali non amittendi vitam vel famam aut non præbendi grave scandalum. Sed in hoc rei cardo omnis vertitur, ne talis necessitas aut dicta habendi confessarii impotentia aut infamia illa aut grave scandalum cito ac leviter præsumantur; cum varii modi suppetant se Communioni vel Celebrationi subtrahendi: prout ego quoque sæpius in iis personis reprehendere debui, qui certe nimis ex inconsulto ac levi talia præsumpserunt.

Quæret fortasse aliquis: An pœnitens, si post præmissam mortalium peccatorum a se admissorum Confessionem & acceptam Absolutionem alterius peccati mortalis, quod sibi prius exciderat, recordetur: an de novo sistere se confessario & accusare de peccato illo debeat; cum quippe (ut spes est) gratiæ statui redditus accedere ad sacram Mensam posse videatur, quin confiteatur, differens de cetero hujus peccati manifestationem in primam secuturam Confessionem? Ah! Novi, esse nonnullos, qui istud saltem verbotenus docent; ast ego errare illos oppido credo & pertendo: hunc talem, priusquam communicet aut sacrificet, denuo accedere ad Confessarium debere, ut etiam a peccato mortali prius oblito absolvatur. Ratio est, non quod in statu gratiæ non sit; sed quod præceptum Concilii Tridentini stricte obligans implere debeat, volentis, ut nemo peccati mortalis nondum confessi reus ad S. Eucharistiam accedat; dum ad Confessionem eos omnes, *quos scientia peccati mortalis gravat* (m) obligat. Jam qui peccati mortalis prius obliti & non confessi recordatur, habet utique scientiam peccati mortalis non confessi; Ergo si, priusquam illud confiteatur, ad sacram Mensam accedit, legem hanc graviter obligantem infringit: Non poterit igitur habens hanc peccati mortalis conscientiam communicare, nisi prius confessus fuerit. Atque ob id hanc esse Fidelium consuetudinem videmus, ut ad sacrum tribunal se accusaturi revertantur: Cui igitur bono doctrina tam periculosa tam legi Tridentinæ (ut videtur) repugnans inducitur?

Ex iis, quæ hactenus dixi, omnibus colligatis, O mei! velim, quam horrenda res sacrilegium sit, nimirum si quis culpæ mortalis sibi conscius ad sumendam divinam Dapem accedat. In hoc immanis nequitiæ scelus certatim Patres sancti omnes invehuntur, & dum quisque pro virili sacrilegis tum magnitudinem flagitii tum injuriæ, quam Christo inferunt, gravitatem ob oculos ponere contendit, alii textus S. Scripturæ, alii similitudines, alii argumenta a ratione petita, ut nefarios exterreant & ab hac impietate avertant, adducunt. S. Pacianus (n) priscus Barcinonensium Episcopus & seculi IV. scriptor sic eos increpat: *Clamat Dominus & dicit Levit.* 7. Omnis mundus manducabit carnem, & anima, quæcunque contigerit de carne sacrificii salutaris, & immunditia super illam est, pereat anima illa de

(m) *Sess. 13. can. 11.* (n) *In Parænesi.*

de populo suo. *Quid ergo? Desit Deus praecepta sua & facta nostra curare. Bene tu, peccator! intellige; Spectaris a Domino.* Juvat hoc in loco sic argumentari: Si Deus carnibus animalium sibi immolatorum rea cum conscientia vesci ausum hominem perire omnino voluit; quid de illo fiet, qui carnibus divini Filii ejus reus culpae mortalis vesci ausus fuerit? Quid erant carnes bovem, ovium & reliquorum animalium Deo mactatorum nisi umbra solum & figura sacrificii nostri corporisque ac sanguinis Jesu, quae super altaria eidem Deo immolantur? Jam vero si perire debuit quivis illas veteris Testamenti carnes indigne contrectans ac sumens; nunquid non peribit, O mei! qui carnem Jesu Christi indigne sumpserit atque tractarit? *Humanae animae reus*, subdit laudatus S. Pacianus, *non potest absolvi: Dominici corporis violator evadit? Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit: Evigila peccator! Time in visceribus tuis praesens judicium, si quid tale fecisti. . . . Intellige, quantum sceleris admittat, qui ad altare venit indignus, cui pro remedio computatur, cum aut morbis laborat aut morte dissolvitur*: Alludit postremis his verbis S. Episcopus ad ea, quae Paulus dicit: *Et ideo* (ob indignas Communiones) *inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi* (o).

Et profecto quomodo fieri potest, ut homo fidelis tanti sacrilegii committendi animum inducat? Nos omnes quotiescunque vel legimus vel audimus ea, quae Judas in horto adversus Jesum ausus est, temperare nobis non possumus, quin animis ad iracundiam commoveamur, cogitantes indignum hunc atque scelestissimum discipulum osculo, intimae amicitiae signo, Magistrum tradidisse. Heus! exclamat S. Joannes Chrysostomus (p) in execrabilem illum traditorem mirum quantum concitamur, & illi ipsi concitantur, qui Dominum indigne suscipere nihil verentur. At nunquid sacrilegi hi sincerissimi & flagrantissimi amoris signo, videlicet pectoribus eum suis excipiendo, traditores se & reos corporis ac sanguinis dominici faciunt: *Cogita, quantum contra proditorem indigneris? . . Cave ergo, ne tu ipse reus sis corporis & sanguinis Domini.* Est hoc profecto portentosissimae temeritatis! Nam aut non credis, O sacrilege! mysterii veritatem; & (si ita est) omitte accedere: aut credis te recipere Deum tuum, Redemptorem tuum, Judicem tuum; & quomodo sic credens poenas longe severissimas evitabis? Nescis, O temerarie! te tuomet in pectore tribunal, coram quo inferni suppliciis addicendus es, statuere! *Judicium sibi manducat & bibit;* nam (Percipite gravissimum S. Augustini (q) ratiocinium) *si corripitur, qui non dijudicat, hoc est: non discernit a ceteris cibis corpus dominicum; quomodo non damnanatur, qui ad ejus mensam, fingens amicum, accedit inimicus? Si reprehensione tangitur negligentia convivantis; qua poena percutitur venditor*, traditor *invitantis?* Quapropter si quis vos inter adesset (quod non crediderim) immanis adeo flagitii reus, confestim is doctum, sapientem, pium confessarium adeat, a quo adjuvetur, ut animam suam expurget eamque dignam reddat, quae Deum suum licite sumat.

Postquam vobis, quae sit animi dispositio ad licitum Eucharistiae usum requisita, exposui; jam ad eas dispositiones explanandas progrediar, quae exiguntur, ut quam maximo (quo fieri potest) cum fructu divinum cibum capiamus. Has inter prima est satagere pro virili, ut mentem a peccatis etiam venialibus, iisque maxime deliberatis, puram afferamus; nam cum peccatum veniale (uti cum S. Thoma Theologi omnes docent) ex sua natura fervorem charitatis erga Deum minuat; ob id, quo plura quis admittit, eo magis ille amoris fervor decrescit: Et cum de cetero amor in Deum sit (quod infra dicemus) dispositio omnium aptissima, ut magnum ex sacra Communione fructum capiamus; ecce! quam conveniens sit, ut a peccatis venialibus pro viribus nos contineamus. Audite, quae ad propositum nostrum S. Gregorius M. monet (r) qui, postquam de necessaria munditia a peccatis mor-

(o) 1. Corinth. 11. (p) Homil. 82. in Matth. (q) Tract. 62. in Joan. (r) Lib. 2. in 1. Reg. c. 1. n. 14.

mortalibus egerat, hæc fubdit: *Et quia fine peccato electi etiam viri effe non poffunt, quid reftat, nifi ut a peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non definit, evacuare quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, etfi mitiora fint peccata quæ delinquit, paulatim anima repletur, & ei merito auferunt fructum internæ faturitatis,* quæ (ut in fequenti fermone dicetur) effectus eft auguftiffimo altaris Sacramento maxime proprius. Studeamus itaque huic munditiæ omnes, præfertim illi, qui quotidie (uti nos facerdotes) aut frequenter admodum ad facram Communionem accedunt.

Poft explanatas difpofitiones, quas *negativas* appellare placet, fcilicet quæ Euchariftiæ effectum plus minusve impediunt; reftat, ut de difpofitionibus *pofitivis* dicam, de iis nimirum, quæ animam ad hoc Sacramentum pofitive præparant eamque ad optatiffimos Sacramenti effectus percipiendos aptiorem reddunt, adeo ut quo excelfiorem hæ difpofitiones intenfionis gradum nactæ fuerint, eo major minorve fructus ex facris Communionibus ad animam redire foleat. Prima harum eft viva fublimis hujus myfterii fides; dum actus fidei de illo elicimus, mente vel etiam ore hæc aut fimilia dicentes: „ Credo mi Jefu! te in hoc „ Sacramento realiter, perfonaliter adeffe, „ teipfum, verum Deum-hominem, vivum „ ac gloriofum: & hoc credo, quia tu dixifti & Ecclefia fancta docet „. Hanc difpofitionem primis Chriftianifmi temporibus facri miniftri, dum Cibum facrum Communicantibus porrigebant, requirebant; uti vetuftus ac gravis *Conftitutionum apoftolicarum* (s) Auctor, qui tertio certe feculo (fi non prius) floruit, teftatur affirmans: Epifcopum particulam facram Communicanti exhibentem dixiffe: *Hoc eft Corpus Domini*: & Communicantem refpondiffe: *Eft.* En ipfa verba: *Epifcopus quidem tribuit Oblatam dicens: Corpus Chrifti; & qui recipit, refpondit: Amen. Diaconus tenet calicem & tradendo dicat: Sanguis Chrifti, calix vitæ: & qui bibit, refpondeat. Amen.* Verum calicis ufus fuccedente tempore ab Ecclefia juftis de caufis prohibitus fuit abfque damno tamen Communicantis, qui in particula fola æque totum Chriftum recipit, uti fermone XXXIII. monui. Ex hac fidei declaratione, quæ a Communicantibus exigebatur, apparet, Ecclefiam infinuare Communicaturis voluiffe, ut hos fidei actus eliciant.

Secunda difpofitio pofitiva eft fpes viva (virtus altera theologica) qua omnes, quibus indigemus, gratias nos obtenturos fore confidimus. Spes hæc infinita Dei, perfonaliter fufcipiendi, potentia atque mifericordia niti & fuavi illa, quam S. Joannes Chryfoftomus nobis fuggerit, confideratione excitari debet (t) *Qui enim fanguinem fuum pro nobis omnibus effundere non recufavit, & carnem fuam & rurfus ipfum fanguinem nobis communicavit, quid pro falute noftra facere recufabit?* Ac fi diceret: Dedit fe mihi & dat fe totum mihi non fupplicanti ex mera fua generofiffima ac infinita mifericordia: Et pofthæc verear, ne de rebus multo minoribus fupplicans repellar? Qui mihi non fupplicanti femetipfum totum dedit, charitatem, victoriam tentationum, acquifitionem fanctarum, quibus deftituor, virtutum fupplicanti negabit fcilicet? Qui mihi non fupplicanti thefaurum immenfum dedit, fupplicanti obulum non dabit? Hanc itaque infinitæ mifericordiæ dominicæ fiduciam accedentes ad S. Communionem in nobis, O mei! excitare non omittamus.

Tertia & præcipua difpofitio pofitiva eft ardens erga Deum in Sacramento altaris refidentem charitas. Hanc, O mei! ut excitare in nobis valeamus, primum humilibus a Deo precibus exorare, cum fit donum illius: Deinde vero recogitare debemus, Jefum in facra Communione fummam diviniffimi amoris in nos fui perfectionem oftendere. quam in duobus præcedentibus fermonibus expofui. Et quemadmodum alieni

(s) *Lib. 2. c. 13.* (t) *Homil. 2. ad Populum. n. 5.*

ni amoris cogitatio animos nostros ad mutuum amorem provocat; ita ardentissimi amoris, quem nobis Dominus ad nos veniens ostendit, consideratio ad mutui amoris in eum actus eliciendos nos inflammabit. Edicite, obsecro O mei! Nunquid Dominus singularem erga Mariam charitatem prodidit, quando ipsam elegit, ut in ejus castissimo utero novem mensium spatio habitaret? Quis hoc dubium habeat? Jam nonne idem ipse Deus-homo, qui in utero Mariæ moratus est, in nostra descendit pectora? Et quamvis Maria hoc singulare ac incomprehendendum privilegium habeat, quod in purissimo sanguine suo materiam, ex qua divinum Corpus formaretur, subministrarit; tamen verissimum manet, nos nostris pectoribus eum ipsum concludere, quem illa virginali gremio suo clausit. Atque ob id omnes Theologi post S. Thomam Communionem sacram vocant *Extensionem quandam incarnationis*; quatenus infinitus ille amor, qui summum universorum Dominum commovit, ut novem menses in utero Mariæ habitaret, idem (inquam) amor eundem moveat, ut in nostris pectoribus toties habitet, quoties communicamus. Hæc itaque Servatoris erga nos charitas bene expensa atque ponderata quanto amore animos nostros in illum accendere debet? Ob id S. Joannes Chrysostomus (u) dignis zelo suo phrasibus nos omnes exstimulat, ut magno cum fervore ardentique charitate accedamus: *Accedamus igitur cum fervore ad illum & cum ardenti charitate*, aliamque considerationem mente sua sublimi dignam subdit S. Doctor dicens: Nam Jesus pectora nostra verum cælestem paradisum constituit; Etenim quid paradisum facit? An muri magnæ Civitatis Dei? An splendens ornatus illius? An Angeli & amplissimi regni illius Cives cuncti? Nequaquam; sed enim præsentia Regis gloriæ: In hac paradisi nobilitas maxima posita est. Jam cum pectora nostra verum habitaculum Dei-hominis fiant, ecce! verus quoque paradisus efficiuntur: *Sicut enim in regia, quod omnium magnificentissimum est, non muri, non tectum aureum, sed regium corpus in solio sedens; sic & in cælis regium Corpus. Sed hoc nunc tibi licet in terra videre: non enim Angelos, non Archangelos & cælos cælorum sed ipsum tibi horum Dominum ostendo. Vidisti, quomodo id, quod omnium præstantissimum est, in terra perspicias: neque vides tantum, sed tangis: nec tangis tantum, sed etiam comedis. Præpara igitur mentem ad horum mysteriorum perceptionem.* Præparemus nos *cum ardenti charitate*, sincerique amoris & ardentis eum recipiendi desiderii actus iteremus, *cum omni* (ut Gaudentius (x) sanctus ille doctusque Brixiensium Episcopus monet) *animi aviditate*.

Flagranti huic charitati jungi quarta dispositio, videlicet sincera humilitas, debet. Hæc in eo consistit, ut nos immerentes & indignos, qui tantam Majestatem nostris pectoribus excipiamus, esse ex animo confiteamur, adeo ut, quamvis præparationes longe ferventissimas præmisissemus, tamen nos usque haud dignos esse judicemus: *Tanta autem*, ait Cassianus (y) *cor nostrum humilitatis debemus vallare custodia, ut hanc definitionem perpetua sensuum stabilitate teneamus, nequaquam nos posse ad tantum purificationis meritum pervenire, ut licet hæc, quæ supra dixi, per Dei gratiam omnia fecerimus, tamen nos indignos communione sacri Corporis credamus.* Hos autem veræ humilitatis sensus is concipere multo magis debet, qui se omnem (quam potuisset) diligentiam, ut se ad percipiendam sacram Escam magis magisque præpararet, non adhibuisse novit.

Coronidis loco aliud præparationis genus subjungere placet, scilicet ut Jesu Christo eas præparationes offeramus, quas præmittere Virgo maxima ac sanctissima Mater Maria consuevit, quando post Filii in cœlos ascensionem spatio annorum ferme viginti trium, quibus in hoc mundo Filio superstes fuit, ad S. Communionem accessit. Quibus quamque fervidis actibus incomparabilis hæc Anima ad Dei-hominis veri Filii sui, quem novem mensium spatio utero suo com-

(u) *Homil. 24. in 1. ad Corinth. n. 5.* (x) *Serm. 2.* (y) *Collat. 22. c. 4.*

complexa est suaque carne vestiverat, susceptionem sese præpararit, quis mortalium est, qui mente comprehendere possit? Jam si has valoris inæstimabilis præparationes Christo offerimus, quis dubitet, nos ipsi thesaurum longe gratissimum offerre, quo nostrarum præparationum exilitas suppleatur. Hinc priusquam sacram Dapem sumamus, conversi ad hanc piissimam Matrem nostram, eam ex toto corde obtestemur: Dignetur nobis hoc beneficii præstare, ut memoratis suis præparationibus uti nobis liceat; Immo dignetur, easdem ipsa amatissimo Filio suo in supplementum exiguarum præparationum nostrarum offerre. Subin conversi ad Christum supplicemus, ut non nostram indignitatem atque miseriam, sed has sublimes præparationes spectare: & has spectans illas gratias illosque effectus nobis impertiri dignetur, quos animabus bene præparatis concedere consuevit; de quibus paulo post dicetur.



SERMO XXXVIII.

Quid post susceptam Eucharistiam agendum sit, & quam vitæ rationem servare debeat is, qui quotidie aut sæpius per hebdomadam communicat.

PRiusquam mirabiles effectus, quos Jesus Christus dignis modis susceptus in in anima relinquere solet, explicare aggrediar; conveniens esse judicavi, O mei! duo alia capita tractare: Primum quidem quid post sumptam Eucharistiam Christiano cuilibet agendum sit; deinde vero, quam vitæ rationem sequi debeant ii, qui singulis diebus aut sæpius per hebdomadam ad Mensam divinam accedunt.

Quod ad primum caput attinet; Fidelis quisque post acceptum sacrum Cibum intus in animo ad pedes Dei-hominis, quem in pectus suum transmisit, se totum colligat excitans vivam denuo fidem, ac si suis oculis coramque Servatorem suum cerneret: & ante infinitam Dei Majestatem prostratus credere se firmissime declaret, quod suis visceribus Deum suum, Redemptorem suum, Omnia sua complectatur. Posthæc cum omni (qua fieri potest) reverentia intimoque cordis affectu amplectatur pedes Salvatoris sui, & eidem continuatis sinceri amoris actibus declaret, quod ipsum ex tota anima, ex toto corde, ex omnibus viribus suis super alia omnia amet propter infinitam bonitatem, quam sibi in admirabili hoc Sacramento, & ad se divertendo manifestavit: Hinc in intimæ fiduciæ affectus prorumpere non vereatur (vocans eum *vitam suam*, *amorem suum*, *cor suum*, *omnia sua*) in his immoretur, hos repetat, usque dum satiatum se sentiat. Petat posthæc, quanta potest, cordis cum contritione peccatorum suorum veniam: & quævis se potius supplicia subiturum, quam Deum se suum denuo offensurum, promittat. Subjiciat præterea se totum &, quæ in hac vita habet, omnia divinæ voluntati, ac declaret: se (si fieri per impossibile posset, ut ipse de se deque rebus suis independenter a Deo statuat) tamen se potius Deum tanquam despoticum, qualis re vera est, Dominum rerum suarum sibi electurum esse; desideretque, ut sibi haud alia, quam Deo, vel voluntas vel noluntas sit. Erumpat deinde in ferventes gratiarum actiones de tam insigni beneficio, quod Dominus in cor suum intrare seque tam benevole atque intime visitare dignatus sit. Denique spem firmissimam animo concipiat, se omnes gratias in animæ emolumentum a se petendas, immo alias quasvis, dummodo saluti suæ non obstent, certe obtenturum esse. Ob id inter alia augmentum &

 exe-

exercitium virtutum theologicarum, Fidei, Spei, Charitatis: gratiam, Deum nulla re amplius offendendi: robur ac vires ad repellendas eas tentationes, quibus maxime impugnatur: paucis; subsidia omnium spiritualium necessitatum tam in genere quam in specie petat, nominans has omnes; non quod Jesus illas non noverit, sed quod delectetur, si sibi hæ exponantur. Idipsum etiam (quod ad temporales necessitates spectat) faciat; in quibus semper christianam illam debitamque conditionem addat: Si ad majorem Dei gloriam & animæ meæ emolumentum proficit.

Quo loco hoc quoque monuisse velim, ut post Communionem, uti ante Communionem, patrocinium Virginis Matris sacratissimæ imploretis, supplicantes: Permittat vobis, ut altissimis actibus, quos ad Filii sui mensam accedens elicuit, utamini sensus vestros cum sensibus illius sanctissimis in sumptione sacræ Hostiæ uniendo & supra allatos a me actus in unione actuum illius exercendo; quod certum habeatis, hanc unionem vestris miseris actibus magnum apud divinum suum Filium pondus allaturam esse; supplicantes eidem: Velit preces vestras protectione sua & summorum meritorum suorum oblatione secundare, ut Jesum ad largiendas, quas ab ipso oratis, gratias faciliorem vobisque magis propitium reddat.

Et quemadmodum optimum præparationis ad S. Communionem genus est, saltem proxime præcedenti die a lusibus, a recreationibus aliisque deliciis ex amore illius, quem suscipere decrevimus, Dei abstinere: ita optimus grates agendi modus erit, die, quo S. Communionem sumpsimus, toto se ab istis humanis & secularibus delectamentis continere, ut Christo, memores nos esse accepti insignis adeo beneficii illudque magni pendere, ostendamus; contra diem illum totum cum ipso transigere sive in Ecclesia (si fieri potest) sive domi in secessu orando aut libros sacros legendo, vel (si labori opera danda est) linguam custodiendo & illius, quem suscepimus, memoriam amanter recolendo: foventes hac ratione ac confirmantes bona, quæ concepimus, proposita & dignos nos reddentes, qui ad illa opere complenda gratiæ auxilia necessaria consequamur. Percipite super hoc proposito verba S. Joannis Chrysostomi (a) *Tu pane vitæ accepto facis rem mortis, & non exhorrescis? Nescis, quam multa mala proficiscantur a deliciis? Risus intempestivus, verba insolentia & incomposita, urbanitas & facetiæ vitio plenæ, nugæ inutiles, ea quæ ne fas quidem est dicere: Et hæc facis Christi mensa exceptus, eo die quo dignus es habitus, qui ejus carnes lingua tangeres? Quicunque sis ergo, ne hæc fiant, manum tuam expurga & castiga linguam & labia, quæ ingressui Christi fuere vestibula, & apposita mensa sensibili ad mensam illam mentem extende. . . . Vigilemus ergo cum Domino, compungamur cum discipulis; precationis tempus est.* Itaque, O mei! cum nos servare immunes a quibusvis vitiis semper debeamus, idipsum facere maxime sancto Communionis die curemus; eritque hoc optimum actionis gratiarum genus.

Alium item agendarum gratiarum modum suggerit idem S. Joannes Chrysostomus (b) iis, quibus hoc modo uti licet: Et est dispentatio eleemosynæ; quam sanctus Doctor iis, quibus per facultatum affluentiam licet, tantopere inculcat, ut, in negligentes sancta ira incensus, sic eos increpet: *Si tu accedas propter Eucharistiam, id est gratiarum actionem; tu quoque nihil facias indignum Eucharistia seu gratiarum actione, neque fratrem pudore afficias, neque esurientem despicias . . . Christus omnibus corpus ex æquo dedit; tu autem ne quidem panem communem das ex æquo: Christi facis commemorationem: & pauperes despicis: & non exhorrescis? Sed si filii quidem aut fratris defuncti memoriam ageres, pungereris a conscientia, si non morem implevisses & pauperes vocasses; tu autem Domini tui faciens memoriam ne mensam quidem solum impertis: . . . Gustavisti sanguinem dominicum; & ne sic quidem fratrem agnoscis: & quomodo mereberis veniam? Non* in

(a) *Homil. 27, in 1. ad Corinth.* (b) *Loc. citato.*

in memoriam revocas, quod hoc paupere in pecuniis longe eras egentior in bonis operationibus; cum esses plenus peccatis? Sed tamen ab his omnibus te liberavit Deus; tu autem ne sic quidem factus es benignior & magis misericors. Nihil ergo restat, nisi ut tradaris tortoribus. Heus! Ita inconveniens judicat S. Joannes Chrysostomus, eo die, quo Jesus ex infinita liberalitate seipsum in cibum Communicantibus dedit, illos eleemosynis largiores non esse, ut hanc parcitatem omni carere excusatione gravibusque pœnis dignam esse pronunciet. Largiatur itaque, qui opibus pollet, eleemosynas & Christo, in seipsum dando infinitum misericordi, solito largiores in gratiarum actionem pro incomprehendendo suscepti corporis ac sanguinis dominici beneficio eleemosynas distribuendo delectationem creet.

Jam de secundo hujus sermonis capite (nimirum de iis, qui satis frequenter ad sacram Synaxin accedunt) dicamus. Equidem frequens, immo quotidiana Communio (Ut absolute loquar) multum a Patribus etiam vetustissimis prædicatur. Sufficit hoc super argumento S. Cyprianum (c) S. Basilium (d) S. Joannem Chrysostomum (e) S. Ambrosium aut alium Patrum Ambrosio æqualem (f) S. Augustinum (g) legisse: Simili modo reliqui Patres frequentem, quin etiam quotidianam Communionem commendant & ad illam hortantur. Et cum hæc fuerit venerabilium Patrum sententia, eandem sibi S. Thomas adoptavit, cujus scripta præstantissimum SS. Patrum compendium ac summa dici possunt: Expendit is tum caussam ad quotidianam Communionem excitantem tum caussam ab illa retrahentem. Causa excitans amor est: Causa retrahens reverentia, quæ est amoris filialis actus. Has duas caussas inter se comparans ait, amorem timori prævalere debere: Hinc dumodo persona amorem & reverentiam erga hoc Sacramentum non minui in animo suo sed augeri potius sentiat, ad Communionem etiam singulis diebus accedat; Percipite ipsa illius verba: *In hoc Sacramento duo requiruntur ex parte recipientis, scilicet desiderium conjunctionis ad Christum, quod facit amor: & reverentia Sacramenti, quæ ad donum timoris pertinet; primum autem incitat ad frequentationem hujus Sacramenti quotidianam, sed secundum retrahit.* Ita S. Doctor *in 4. Sent. dist. 12. q. 2. a. 1. quæst. 1.* & *in quæstiuncula 3.* subjungit: *Si autem hæc duo invicem comparentur, adhuc invenitur prævalere sumptio Sacramenti abstinentiæ a Sacramento . . . quia sumere videtur esse charitatis . . . abstinere autem timoris; amor autem timori prævalet.* Ob id memoratam quæstiunculam primam in hæc verba concludit: *Unde si aliquis experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri & reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare. Si autem sentiret, per quotidianam frequentationem reverentiam minui & fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut majori reverentia & devotione postmodum accedat.* Totius ergo rei summa hæc est, ita animam custoditam habere, ut sic vivat, unde ad quotidianam Corporis dominici sumptionem sufficienter disposita existat.

De hac dispositione non sine solita sua angelica claritate atque accuratione in hæc verba loquitur S. Thomas (h) *Circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari: Unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est omnibus salutaris; & ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat; Unde S. Ambrosius libr. 5. de Sacram. c. 4. dicit* " Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem „ peccatorum effunditur; debeo semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, debeo semper „ habere medicinam. „ *Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat; & ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie sumat. . . Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter corporis indispositionem*

(c) *Libr. de Orat. domin.* (d) *Epist. 289.* (e) *Homil. 5. in 1. ad Corinth.*
(f) *Libr. 5. de Sacram. c. 4.* (g) *Epist. 54.* (h) *3. p. q. 80. a. 10.*

nem vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere; sed quotiescunque se ad illud homo invenerit præparatum.

Probe adverto, O mei! vos omnes primoribus labris versare interrogationem: Quænam videlicet sint illæ corporis & animæ indispositiones, quibus usum quotidianum SS. Eucharistiæ præpediri S. Thomas affirmat; Et quæ sit magna illa devotio ac reverentia, quæ ad tam frequentem ejusdem usum requiratur? Explicare vobis has indispositiones juvat; quo loco statim initio vos monitos velim, hic jam non de mortalibus impedimentis agi; quippe quibus frequentem impediri communionem nemo eit qui ignoret, nisi forte ab una Communione ad aliam tanta morum emendatio sentiatur, ut haud temere sperandum sit, animam juvante hoc potentissimo Sacramento brevi temporis spatio a relapsu in graves culpas liberatum iri. De venialibus igitur impedimentis sermo est; Horum autem duo genera cum doctissimo & piissimo sacræ Familiæ meæ Theologo Joanne Taulero (i) distinguenda nobis sunt: unum peccatorum venialium, quæ *fluxa* seu accidentalia; alterum, quæ *perseverantia & inhærentia* seu fixa, habitualia & amata vocat. *Fluxa* sunt, quæ nullas adhuc in animo radices egerunt: uti impatientia accidentalis, sermo otiosus, levis ira, officiosum aut jocosum mendacium, levis inobedientia aut murmuratio, verbum odiosum, exigua in orando negligentia, levis in laude de se audita complacentia, aliaque similia, quibus homo non assuevit & quæ ei excidunt, quin illis affectu quodam adhærescat, & de quibus confestim dolens corrigere se in melius ex animo statuit. Jam qui talia delinquit aut qui modo hanc modo illam harum aut similium miseriarum contrahit, a quotidiana vel frequentiori Communione abstinere non debet; dummodo emendare se satagat. Peccata dein venialia inhærentia, radicata, habitualia, quibus (quod sequitur) homo quodam affectu adhærescit, Communioni quotidianæ immo & frequentiori obstant. Talia sunt bonorum temporalium amor: consuetudo alicujus personæ, utut non inhonesta, tamen mere ex genio proficiscens: studium aliorum existimationem captandi aut magnum sibi nomen faciendi: amor gulæ vel operis conjugalis, commodorum suorum, deliciarum, ludorum & oblectamentorum superfluorum: antipathia in Proximum: amor assuetæ scurrilitatis: studium vane se vestiendi: habitualis in orando negligentia: habitualis rerum Deo gratarum incuria: indoles aspera, rabiosa, impatiens, mendax, rixosa, contendens, curiosa maxime quo ad oculos & in quasvis facies: aliæque similes venialitates parum aut nihil curatæ, quæ faciunt, ut homo (sic dicam) in stabili & fixo quodam statu culpæ venialis sit, a qua non solum corrigere se non studet; sed eandem etiam fovet, alit, profitetur atque fecundat. Affectio, inquam, ad unam ex his vel similibus rebus certe hominem quotidiana immo & frequentiori Communione indignum efficiunt; cum fieri non possit, ut habitualis & stabilis harum venialitatum admissio multoque magis affectio erga illas devotionem, amorem ac reverentiam altissimo Eucharistiæ Sacramento debitam non imminuant. Atque ob id melius videtur frequentiorem S. Communionis usum temperare; qua in re multum invigilare arbitri conscientiarum debent. Quod si vero persona aliqua aut uni aut multis memoratarum habitualium & stabilium venialitatum dedita, divino confisa auxilio, ex animo statuat, se illas e mente evulsuram moresque correcturam esse: & in hunc finem obtenta debita licentia SS. Eucharistia frequentius uteretur fructumque inde perciperet, adeo ut corrigi se ad frugem ipsa sentiat, & eandem lucris spiritualibus augeri confessarius cognoscat; tum persona illa juxta arbitrium confessarii etiam singulis diebus accedere ad sacram Mensam poterit; quoniam Sacramenti fructus comprobatur, dum peccati venialis amor extirpatur: unde lapsus talis personæ mere accidentales evadunt; quandoquidem illa

(i) *Serm. 4. in Festo Ven. Sacramenti.*

illa ab omnibus peccatis magis magisque abhorret multumque sibi cavet, ne plena cum deliberatione cadat.

Postquam de iis, quæ animam ad Communionem, non quidem absolute, sed enim ad Communionem quotidianam ac frequentiorem ineptam reddunt, dixi; restat disquirere, quænam dispositiones positivæ, quæ actiones & virtutes, qui vitæ tenor quotidie aut frequenter sacrum Cibum sumentibus conveniant? Quo super argumento, O mei! ut nihil de meo afferam, ea exponam, quæ sapientissimus meus ac doctissimus S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, prudens juxta atque exercitatus animarum quarumvis moderator, scripta reliquit (k) Ait is de frequenter communicantibus, quos *Proficientes* appellat; quia ad perfectionem christianam ascendere conantur: *Proficienti vero non sufficiunt hæc prædicta; sed tota vita ejus debet esse præparatio ad sumptionem tantæ rei*; pergitque, *præcipue in mortificando vitia: in fugiendo vanitates & occasiones peccatorum etiam levium & venialium, occupationes non necessarias, in quibus potest homo averti a seriosa custodia cordis sui: se exercendo in virtutibus & excitando se per meditationem ad immensum timorem profundæ humilitatis, ad amorem ardentem, ad fervens desiderium supernorum: inserendo se vulneribus Jesu Christi: compatiendo peccatoribus: commendando se sanctæ Matri Ecclesiæ: in nullo de se aut suis meritis sed de ejus pietate vehementer confidendo. Per quodcumque ergo exercitium homo ad ista amplius promovetur (sive sit lectio, meditatio, oratio, prædicatio, opus misericordiæ spirituale & corporale) per illud magis ad Communionem disponitur.*

Et statim subdit: *Ex hoc patet error plurimorum, qui multum affligunt se, jejunant, orant aut vigilant etiam in tantum, quod sensus obruitur & ab omni devotione impeditur potius quam promoveatur; & habent aliqua vitia in se vel affectiones mundanas, quæ non curant mortificare; utpote aliquam malitiam vel scandalosam consuetudinem, amorem vel rancorem ad homines, complacentiam ad laudes, aut alias consolationes, aut concupiscentiam ad divitias, quæ si dimittunt ad tempus, nullatenus tamen renunciare proponunt; sed promptissime redeunt & quandoque ferventius quam antea. Horum autem contemptus detestatio & mortificatio plus valeret eis & eos magis disponeret, quam istis retentis cantatio mille psalmorum.* Ita S. Doctor; non quod opera pœnitentiæ, jejunia, macerationes, cilicia, vigilias & similes externas austeritates improbet; sed ut illos corrigat, qui his confisi negligunt internam mortificationem memoratarum venialium affectionum, ob quas abstinere a frequentiori Communione deberent; quippe quam fructu suo carere, affectiones illæ non impugnatæ sed potius nutritæ faciunt: Qua in re multum attendere moderatores talium animarum atque invigilare debent, utrum illæ mortificare se in his omnibus & venialitatum amorem atque affectum exterminare re vera studeant? Et si in illis hoc verum ac sincerum studium & hunc animi in expugnandis vitiis ardorem non advertunt, permittere haud debent, ut vel quotidie vel sæpius per hebdomadam ad sacram synaxin accedant; nam dum hunc fructum e S. Communione non capiunt, patet, eas ad frequentem illius usum haud dispositas esse: eo fere modo, quo medicamentum sæpius sine fructu sumptum malam infirmi dispositionem ostendit &, si sæpius in vanum hauritur, morbum non tam tollit quam aggravat. Ita ferme de casu nostro Jeremias (l) in sensu allegorico affirmat: *Frustra multiplicas medicamina; sanitas non erit tibi.*

Hoc loco unum solum casum excipio, qui, utut raro, tamen accidere solet, & quem accidisse egomet novi: Est hic (Advertite animos) Est hic, si aliqua persona non tam ex malitia voluntatis peccatum amantis, quam ex personali fragilitate (sive quod talem corporis complexionem nacta sive quod vehementi phantasia prædita sive quod violenta occasione, e qua expedire se moraliter non potest, oppressa sit) aut alia de caussa frequenter in peccatum etiam grave laba-

(k) 3. p. tit. 13. c. 6. §. 14. ad finem. (l) cap. 46.

labatur, de quo fincere dolet, ex quo fe emendare efficacissime proponit documentaque (Notate bene) ac regulas omnes a fapienti confcientiæ arbitro præfcriptas opere complet; & tamen in illud peccatum relabatur, obfervetque confeffarius, eam in diebus, in quibus facra Dape reficitur, nunquam delinquere. In hoc cafu poteft confeffarius experiri, utrum per Communionis frequentationem perfona illa in bono ftare pergat, ita ut diebus facræ Communionis nunquam cecidiffe inveniatur: Et fi ita fuerit, fcilicet fi illa perfona diebus S. Communionis in illud grave peccatum, multoque minus in alia mortalia peccata non labitur, frequentior immo & quotidiana Communio bene collocata videtur. Rei hujus ratio clara atque evidens; nam tunc Euchariftia producit unum præcipuorum fuorum effectuum, qui eft (Uti fermone fequenti videbimus) quod animam a peccatis mortalibus immunem fervet. Et hoc in cafu non incaffum, fed fummo cum fructu medicamina multiplicantur; nam quæ major effe utilitas poteft, quam fi anima, quæ Deum prius identidem graviter offendit ejusque gratiam mifera amifit, jam per S. Communionem in eum ftatum redigatur, ut Dominum graviter amplius non lædat inque fancta ejus gratia magis magisque fe confirmet. Erga hos, vereri haud debet confeffarius, ne nimium largus fit in danda licentia accedendi ad facram Menfam, cum notabilem adeo fructum referant; immo continuare hanc liberalitatem debet, donec eos a peccatis mortalibus ftabiliter alienatos advertat: Quod ubi effectum fuerit, poterit pro ratione ftatus eorum, quotidianæ huic ad facram Menfam acceffioni modum ftatuere, imponens tamen moderatam frequentationem, ut hoc medicamen, quod eos fpiritalis fanitatis ftatui reddidit, in illo ipfos quoque confervet & a priftina infirmitate defendat, qua fortaffis denuo corripiendi effent, nifi confeffarius eis moderatam præfentis adeo remedii frequentationem concederet. Immo fi confeffarius in his perfonis animum promptum & profectus in via Domini avidum deprehendit, adeo ut etiam a peccatis venialibus deliberatis & affectione illorum immunes fe fervent & hanc fpiritualis profectus viam multa cum cura terant, pergat illis permittere, ut quotidie Deo illo fe cibent, qui eas ex informibus, quæ prius erant, faxis in filias Abrahæ convertit, ut idem Deus eas magis magisque perfectas reddat & ex mulieribus peccatricibus, quæ erant, in Magdalenas transmutet.

Repetamus fummatim, quæ hucusque diximus: Cum quotidiana aut etiam frequentior Communio iis perfonis permitti non debeat, qui amorem erga venialitates (five multæ five paucæ illæ fint) evellere ex animo non fatagunt, tametfi de cetero varios pœnitentiæ exterioris actus exerceant longisque orationibus vacent; quoniam hæ actiones, utut laudabiles, tamen ad Communionem five quotidianam feu ferme quotidianam remote nimis difponunt: debet perfonas tales confeffarius probe edocere, difpofitionem frequentiori ad S. Euchariftiam acceffioni convenientem hanc effe, imperare pravis animi affectibus & belligerare cum peccatis venialibus deliberatis, maxime cum affectione erga unum vel plura horum; quod belli genus eo feliciorem exitum habiturum eft, fi illæ perfonæ & pœnalitatum corporalium longarumque precum fubfidiis utuntur: Atque ob id fi confeffarius perfonam, quam dirigit, confligere cum paffiunculis fuis: mortificare fenfus, maxime vifum: frænare linguam: per jaculatorias amoris plenas preces præfentiæ divinæ memoriam recolere (verbo) theologicas ac morales virtutes exercere & caftitatem ftatui congruam excolere deprehenderit; cum tali perfona in permittendo acceffum ad facram Menfam oppipo liberalis fit, ut illa fe magis magisque perficiat. Quod fi talis perfona in via fpirituali fubfifteret vel potius (quod fequitur) retrocederet, privet illam confeffarius ad breve tempus S. Communione, ut fic exiguam ejus fidelitatem erga Chri-

Christum paterne puniat, illaque solido amore ac sincero desiderio Servatoris denuo accendatur; unde emendata pristinam frequentationem resumat, novosque inde vitæ magis magisque ad virtutem compositæ atque exactæ fructus legat.

SERMO XXXIX.

De mirandis augustissimi Eucharistiæ Sacramenti fructibus.

HAud mirandum, O mei! Patres sanctos & Ecclesiam universam in ea esse sententia: Ex augustissimo Eucharistiæ Sacramento digne suscepto ad animas Fidelium multo copiosiores fructus redire, quam ex omnibus reliquis Sacramentis. Etenim reliqua Sacramenta continent quidem, dum recipiuntur, virtutem a Christo sibi infusam: contra Eucharistia continet realiter ac personaliter Jesum Christum gratiæ omnis fontem atque principium. Hinc idem Servator pronunciavit: *Qui manducat me* (a) *& ipse vivet propter me.* Reliqua Sacramenta eo sunt instituta, ut aliquem determinatum effectum passionis dominicæ consequantur, in quantum meritum ejusdem passionis hunc effectum in illa infundit & in quantum ejusdem passionis memoria aliquo modo per illa renovatur: contra Eucharistiæ Sacramentum eo est constitutum, ut in illius celebratione passio, in monte Calvariæ cruento modo gesta, modo incruento quam maxime proprie exhibeatur immo quam gravissime renovetur. Unde Eucharistia omnem effectuum ejusdem passionis plenitudinem comprehendit; cum eandem victimam, nimirum Christum causam principalem eorundem effectuum omnium, contineat. Ob id merito S. Paulus dixit (b) *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Reliqua Sacramenta per actiones externas (scilicet per unctiones, lotiones, verba prolata & audita aliosque materiarum exteriorum apparatus) administrantur recipiunturque: contra Eucharistia, quæ in modum cibi ac potus instituta, nostris visceribus accipitur & Jesum personaliter in nostris pectoribus præsentem facit. Hinc Eucharistia (Uti post S. Thomam Concilium Tridentinum observat) in nobis spirituali modo idem operatur, quod corporali modo cibus & alimenta naturalia in nobis operantur: Hæc in nobis vitam corporalem sustentant, corpori incrementum dant, amissos vitales spiritus reparant &, dum sumuntur, delectationem afferunt. Idipsum modo spirituali Eucharistia digne suscepta facit; sustentat vitam gratiæ: eam plus reliquis Sacramentis auget: reparat damma, quæ anima per humanas miserias patitur: illamque interiori voluptate, dulcedine ac suavitate perfundit, quæ a suscipientibus percipi mente potius quam explicari dicendo potest; Atque ob id Christus verbis quam significantissimis dixit: *Caro mea vere est cibus* (c) *& sanguis meus vere est potus.* Reliqua denique Sacramenta nos Christo uniunt solum per medium gratiæ ejus sanctæ: contra Eucharistia nos cum Christo, & per medium gratiæ & proxime seu immediate cum ipsa illius persona, conjungit (adeo ut membra viventia, capiti nostro Christo re vera unita, evadamus) &, ut sic dicam, quodammodo unum cum ipso nos esse facit. Unde S. Paulus (d) *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Et alibi: *Membra sumus corporis ejus, de carne ejus & ossibus ejus*; ac si diceret: Manducantes divinam ejus carnem cum ossibus ejus hac conjunctione membra divini corporis ejus modo præstantiori efficimur, ea fere ratione, qua cibus acceptus unum

(a) *Joan.* 6. (b) 1. *Corinth.* 11. (c) *Joan.* 6. (d) 1. *Corinth.* 6.

unum cum accipiente fit; Hoc tamen discriminis (Uti S. Leo M notat) intercedit, quod cibus corporalis unum cum accipiente fiat; dum in personam accipientis transit: contra in Eucharistia cibus acceptus non in personam accipientis, sed accipiens in cibum acceptum modo spirituali commutetur: *Non aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quam ut in id, quod sumimus, transeamus* (e) Id quod Christus in spiritu S. Augustino dixit: *Cresce & manducabis me; nec ego mutabor in te sicut cibus carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Hæc sunt, quæ de fructibus Cibi eucharistici animæ modis, quibus in superiori sermone monui, bene præparatæ conferri solitis generatim cum S. Thoma dici possunt: fructibus (inquam) qui longo post se intervallo reliquorum Sacramentorum omnium fructus relinquunt.

Sed jam de præcipuis horum fructuum particulatim agamus: Atque ut Sancto, securo & illuminato duce utamur, quem generale & celeberimum Concilium Tridentinum maxime secutum est (Uti tum ex historia tum ex ipsis verbis ejusdem Concilii apparet) ea afferre in medium pergamus, quæ de hoc argumento Doctor angelicus S. Thomas scripta reliquit, cujus doctrina maxime circa hoc caput a Christo his verbis comprobata fuit: *Bene scripsisti de me, Thoma!* Primus horum fructuum est ille reliquis Sacramentis omnibus communis, scilicet quod conferat gratiam; Verum quia Eucharistia Sacramentorum aliorum omnium præstantissimum est, quippe quod personam Christi, auctoris gratiæ, continet; hinc gratiam multo abundantius cæteris omnibus confert.

Circa quod sciendum vobis, O mei! quod omnia Sacramenta, multoque magis hoc Sacramentum, gratiam *ex opere operato* (Ut verba S. Concilii interponam) scilicet ex se & per virtutem a Christo sibi infusam causent; quam ut conferant, sufficit, si nullum in anima impedimentum sit: quod quidem est peccatum; cum nunc de Sacramentis vivorum, scilicet de iis, quæ animam a peccatis mortalibus puram sibi volunt, sermo sit (Quodnam autem discrimen Sacramenta vivorum inter ac Sacramenta mortuorum intercedat, & quas dispositiones habita generis ratione postulent, vobis sermone XXXI. exposuisse me memini; quin aliquid horum hoc loco repetere juvet (Jam quisnam sit determinatus gradus gratiæ, quam tum hoc tum reliqua Sacramenta conferunt, certo sciri non potest; Exploratum tamen, per Eucharistiam gratiam abundantiorem ob memoratas caussas conferri. Præter gratiam *ex opere operato* fluentem, aliam quoque gratiam accedentis ad S. Communionem præparationi respondentem (quam Theologi *ex opere operantis* nuncupant) Eucharistia confert, adeo ut, si e. g. Eucharistia omnibus sine peccati gravis obstaculo accedentibus *ex opere operato* & per suam virtutem decem gradus gratiæ conferret: & duæ personæ accederent, una habens sex gradus præparationis, altera habens duodecim; hæc posterior viginti duo, illa prior sedecim gradus gratiæ accipiat (hoc est: decem gradus ambæ, quia nullum impedimentum ad sacram Mensam attulerunt) & prior sex alios gradus præparationi respondentes, posterior alios duodecim insuper gradus respondentes præparationi *ex opere operantis.* Hinc colligite, O mei! quam ampla gratiæ & (quod sequitur) gloriæ lucra faciant ii, qui frequenter multaque cum præparatione, scilicet magna cum fide, spe ac charitate erga Deum tam magnum amorem in hoc Sacramento manifestantem: qui cum magna humilitate, projecti in demeritorum & nihili sui abyssum, avidi conjungi cum Christo, a peccatis etiam venialibus multa cura expurgati, post multos mortificationis sensuum corporalium actus, post passiunculas exercitatione contrariæ virtutis domatas ad sacram Synaxin accedunt: Proh! quantos gratiæ gradus hi tales non acquirunt? Quin igitur, O mei! bene animos vestros ad sumendum divinum Cibum præparate, merita etiam ac intercessionem Mariæ & reliquorum Sanctorum (Uti Sermone XXXVII. monui)

(e) *Serm. 14. de Pass. Domini.*

nui) vobis applicantes. Audiamus S. Thomam (f) *Per hoc Sacramentum gratia augetur, & perficitur spiritualis vita ad hoc, quod homo in se ipso perfectus existat per conjunctionem ad Deum.*

Monendum hoc loco esset, fieri quandoque posse, ut Sacramentum hoc per accidens *primam gratiam* & non solum augmentum gratiæ efficiat; sed cum caput istud Sermone XXXI. exposuerim, illo vos remitto, quin hic a me dicta repetere velim.

Secundus Eucharistiæ effectus est, quod peccata venialia remittat; cujus rationem S. Thomas affert dicens (g) *Consideratur ipsum Sacramentum, quod sumitur sub specie cibi nutrientis: nutrimentum autem cibi est necessarium corpori ad restaurandum id, quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiscentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt fervorem charitatis; & ideo competit huic Sacramento, ut remittat peccata venialia. . . Consideratur item res Sacramenti, quæ est charitas non solum quantum ad habitum sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc Sacramento, per quod peccata venialia solvuntur.*

Alius Eucharistiæ effectus teste S. Thoma (h) est, quod partem pœnæ peccatis nostris in vita altera debitæ deleat; qui tamen effectus haud directe ab ipso Sacramento, sed ex charitate in Deum, quam Sacramentum hoc in suscipientibus excitat & per quam pro memoratis pœnis satisfieri potest, provenit. Hinc, quo major est suscipientis devotio ac charitas, eo plus pœnæ pro peccatis luendæ eidem condonatur: *Quia unio ad Christum fit per charitatem, ex cujus fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpæ sed etiam pœnæ; Inde est, quod ex consequenti, per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo consequitur remissionem pœnæ non quidem totius sed secundum modum suæ devotionis & fervoris.* Ex quo colligatis, O mei! velim, quanta cum sollicitudine animos nostros ad devotionem atque fervorem accessuri ad Mensam sacram excitare debeamus; primum quidem, quia hoc de nobis meretur Deus ille, qui se in hoc Sacramento longe amantissimum ostendit, cui (quod sequitur) omni, quo fieri a nobis potest, amore ac fervore respondere debemus: deinde vero, quia, quo magis exercere actus amoris studemus, eo magis nobis ipsis laboramus; cum pro modulo nostræ devotionis debitum pœnæ pro peccatis nostris pendendæ expungamus, ita volente incomprehendenda Dei nostri in nos charitate, ut quo plura sui in gratiam & ex sui amore facimus, eo plura nostrum ipsorum in commodum faciamus; dum Dominus ea, quæ sibi jure districtissimo a nobis debentur, nobis ipsis in meritum cedere permittit. O amorem infinitum! O vere divinam benignitatem!

Alius iterum effectus SS. Eucharistiæ est, quod animam a peccatis futuris defendat, atque immunem servet; quem effectum sequenti modo exponit S. Thomas. Primum ex ipsis Christi verbis, qui de se dicens pronuntiavit: *Hic est panis de cœlo descendens* (i) Et *si quis ex ipso manducaverit, non morietur*, concludit S Doctor: hoc, cum de morte corporali, quæ omnibus subeunda, intelligi non possit; accipi oppido de morte spiritali, quam animæ peccatum mortale infert, debere: *Quod quidem manifestum est, non intelligi de morte corporali; ergo intelligitur, quod hoc Sacramentum præservet a morte spirituali, quæ est per peccatum* (k) Deinde vero prosequitur: *Dicendum, quod peccatum est quædam spiritualis mors animæ; Unde hoc modo præservatur aliquis a peccato futuro, quo præservatur corpus a morte futura; quod quidem fit dupliciter: Uno modo in quantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiva, & sic præservatur a morte per cibum & medicinam; alio modo per hoc quod munitur contra exteriores impugnationes, & sic præservatur per arma, quibus munitur corpus. Utroque autem modo hoc Sacramentum præservat a peccato; nam primo quidem per hoc, quod Christo conjungit per gratiam, roborat spiritualem vitam hominis tanquam spiritualis cibus*

 &

(f) 3. p. qu. 79. a. 1. (g) Loc. cit. a. 4. (h) Loc. cit. a. 5. (i) Joan. 6.
(k) 3. p. qu. 79. a. 6.

& spiritualis medicina secundum illud Psalm. 103. Panis cor hominis confirmat *& August. dicit super Joannem Tract. 29.* Securus accede; panis est, non venenum. *Alio modo in quantum est quoddam signum passionis Christi, per quam victi sunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem; unde Chrysost. dicit super Joan. Homil. 45.* Ut leones flammam spirantes sic ab illa Mensa discedimus, terribiles effecti diabolo. Ita S. Thomas, subjungens: *Licet hoc Sacramentum non directe ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget charitatem; quia sicut August. dicit in Libr. 83. Quæst. quæst. 36.* Augmentum charitatis est diminutio cupiditatis. *Directe autem confirmat cor hominis in bono, per quod etiam præservatur homo a peccato.*

Habetis, O mei! quam clarissime expositum a Doctore angelico maximum hunc Eucharistiæ effectum in eo consistentem, quod animam a peccatis mortalibus defendat: primo per robur ac vires, quas, ceu alimentum & medicamen spirituale, suscipienti interius addit; deinde quia est quoddam armorum genus diabolo externo hosti nostro maxime formidatum: unde is impetere nos tentationibus suis aut desistit aut minori cum temeritate aggreditur. Et quamvis pro sua impudentia nos infestet, nos tamen sat virium esse nobis deprehendimus, quibus nos defendamus, illum sternamus ac superemus: Et profecto! quantas vires ex frequenti ac digna SS. Eucharistiæ perceptione adversus execrabiles illos inimicos animæ piæ accipiant, nos optime confessarii novimus; Mirabilem effectum hunc afflatus S. Spiritu David prænunciavit dicens: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me* (l) quæ divina verba de quanam alia, præterquam eucharistica, Mensa accipi possunt? Ita, O mei! hæc nos maxme Mensa diabolo formidabiles reddit: Audite S. Joannem Chrysostomum (m) *Ab illa mensa tanquam leones ignem spirantes surgamus, terribiles effecti diabolo. . . Hic mysticus sanguis dæmones procul pellit . . . Dæmones enim, cum dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur.* Facit præterea egregie ad propositum Prophetæ Isaiæ (n) oraculum: *Pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes; surgite principes, arripite clypeum.* In quæ verba S. Hieronymus (o) Hæc dicit Dominus significaturus, quod *comedentes & bibentes corpus ac sanguinem Domini vertantur in principes Ecclesiæ, arripiantque* cum Apostolis *clypeum fidei, in quo possint ignita diaboli jacula extinguere.*

Hujus item effectus figuram oppido insignem SS. Literæ nobis exhibent: Percipite illam; & erit ea vobis pro avocamenti loco. Cum Gedeon cum paucis militum centuriis in acie staret contra innumerabilem Madianitarum & gentium sociatarum multitudinem pugnaturus: nocte quadam hostium uni per somnum panis in castra Madianitarum devolvi, eaque cum tentorio primario prosternere visus: Narravit is somnium sodalibus rei admiratione suspensis indeque insignis, gladio Gedeonis ex innumerabili illo exercitu reportandæ, victoriæ omen captantibus: *Videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi & in castra Madianitarum descendere; cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud atque subvertit* (p) Quotquot hæc audierant, conciti S. Spiritu dicebant: Quid aliud panis hic significat quam gladium Gedeonis ducis nostri: *Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis; tradidit enim Dominus in manu ejus Madian & omnia castra ejus.* Atque ita evenit; nam cum trecentis solum militum non sine stratagemate irruente in castra Gedeone vociferabantur milites: *Gladius Domini & Gedeonis*; quo clamore confusi ac perturbati Madianitæ versis in semet armis mutua se cæde mactabant, adeo ut Gedeon cohorte sua ne quidem gladios stringente plenam victoriam retulerit: *Clamaveruntque: Gladius Domini & Gedeonis . . . Omnia itaque castra turbata sunt, & vociferantes ululantesque fugerunt . . . Immisitque Dominus gladium*

(l) *Psalm. 22.* (m) *Homil. 45. in Joan.* (n) *cap. 21.* (o) *In Psalm. 5. v. 13.* (p) *Judic. 7.*

dium in omnibus castris & mutua se cæde truncabant. Et quisnam alius panis, O mei! est gladius divini Gedeonis & Ducis nostri, quam panis Eucharisticus? Hic, hic castra inimicorum evertit: hic diabolicos hostes omnes conturbat; cum sit *gladius Domini & Gedeonis.* Nil aliud divinus hic panis quam *gladius Gedeonis*, gladius victorialis Jesu, quo dæmones in fugam præcipites aguntur: Hic panis, hic gladius ubi adfuerit, *turbantur castra ululantesque fugiunt.* In vestris itaque tentationibus, O mei! divino hoc gladio utamini, suscipientes divinum hunc panem: Quin suscipite illum spe firma freti, quod hic tentatores vestros omnes perturbaturus sit, & vel dissipaturus tentationes omnes, vel (si eas, ut plura paretis merita, non sublaturus est) ita tamen vos roboraturus sit, ut facilis atque expedita victoriæ ratio vobis futura sit; si divino hoc gladio utimini: scilicet si Jesum devote a vobis susceptum ex animis in sanctissimo altaris Sacramento invocaveritis.

Alius denique cœlestis hujus Panis effectus est, quod animæ magnum ad possessionem æternæ gloriæ perveniendi robur afferat. Effectum hunc S. Thomas primo verbis & promisso Christi dicentis: *Si quis manducaverit* (q) *ex hoc pane, vivet in æternum* (quod utique non de hac præsenti, sed enim de futura vita accipi debet) deinde vero sic probat: *Dicendum, quod in hoc Sacramento potest considerari & id, ex quo habet effectum, scilicet ipse Christus contentus & passio ejus repræsentata: & id, per quod habet effectum, scilicet usus Sacramenti & species ejus. Et quantum ad utrumque competit huic Sacramento, quod causet adeptionem vitæ æternæ; Nam ipse Christus per suam passionem aperuit nobis aditum vitæ æternæ secundum illud Hebr. 9.* Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, qui vocati sunt, accipiant repromissionem æternæ hæreditatis: *Unde & in forma hujus Sacramenti dicitur:* Hic est calix Sanguinis mei novi & æterni Testamenti. *Similiter etiam refectio cibi spiritualis & unitas significata per species panis & vini habentur quidem in præsenti sed imperfecte, perfecte autem in statu gloriæ. Unde Augustinus in Tract. 6. in Joan. super illud Joannis 6.* Caro mea vere est Cibus, *dicit*: Cum cibo & potu id appetant homines, ut non esuriant neque sitiant; hoc veraciter non præstat nisi cibus iste & potus, qui eos, a quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit in societate Sanctorum, ubi pax erit & unitas plena atque perfecta. Hucusque S. Thomas (r)

Et profecto, O mei! quanam alia re ad obtinendam beatam æternamque conjunctionem cum Christo aptius atque efficacius præparari possumus, quam unione cum Christo personaliter accepto in SS. Sacramento? Cetera Sacramenta, quæ quidem consequendæ gloriæ æternæ adjumenta certe sunt, disponunt utique ad illam sed modo multum diverso atque inferiori; nam conferunt gratiam, at nequaquam conjunctionem cum Christo in persona: Contra Sacramentum Eucharistiæ & gratiam confert abundantiorem quam reliqua Sacramenta & præterea nos cum Christo in hoc Sacramento realiter residenti in persona conjungit. Atque ob id ab Ecclesia verbis S. Thomæ *Pignus gloriæ* appellatur, quod prædicatum nulli reliquorum Sacramentorum tribuitur; nam, quamvis ob gratiam, quam conferunt, & ipsa sint pignora gloriæ: tamen id non sunt eo modo, quo est venerabile Sacramentum; etenim hoc Christum Deum-hominem velatum continet, qui clare visus atque possessus beatitudinem nostram constituet: Atque ob id huic soli Sacramento specialiter ac maxime proprie convenit, quod sit pignus gloriæ. Jam nostis, O mei! pignus gemmæ alicujus æquivalere debere gemmæ ipsi: At quæ est gemma gloriæ æternæ? Haud alia, quam Christus Deus-homo clare visus atque possessus; nam hic (tanquam Deus) habet eandem cum reliquis duabus Personis, quippe a quibus dividi ac separari divina ipsius Persona non potest, substantiam atque essentiam: Hunc videre, ut Deum, beatitudinem nostram essentialem: vide-

(q) Joan. 6. (r) 3. p. qu. 79. a. 2.

videre, ut hominem, beatitudinem nostram accidentalem constituit (de quo sermone XXVII. & XXXVIII. dixi) Jam quid æquivalere beatitudini huic potest, nisi Christus ipse Deus-homo? At cum in Eucharistiæ Sacramento Christus Deus-homo recipiatur, utique hoc solum Sacramentum verum ac proprium gloriæ pignus est; cum idem Christus velatus in Sacramento pignus sit sui ipsius in gloria revelati ac clare visi. Præterea quæ major gemmæ suo tempore obtinendæ securitas reperiri potest, quam quod pignus, gemmæ æquivalens, in manibus habeamus? Jam vero cum post dignam Communionem pignus beatitudini æquivalens (scilicet ipsum Deum-hominem velatum, qui clare visus beatitudinis objectum est) pectoribus nostris conclusum teneamus; heus! quam firmam ac securam spem concipere nos oportet, fore, ut ad illius beatitudinis, cujus pignus æqivalens immo etiam ipsum beatitudinem nostram constituens objectum tenemus, possessionem perveniamus?

Opponentem aliquem audio: Hem! quot sunt, qui, utut digne communicent, tamen ad peccata gravia revertentes æternum pereunt? Quid tibi, O chare! hac objectione vis? Equidem idipsum ego facile concesserim; Ast quæro ex te: Si quis, pignus gemmæ possidens, ea patraret, ob quæ jus possidendi pignoris illius amitteret; nunquid hic talis jus gemmæ amplius haberet? Dices: Nequaquam. Quæro ulterius: Num ob istud pignori pretium suum decederet, scilicet num cessaret pignus esse gemmæ æquivalens? Neque hoc, dices, sed enim pignori pretium maneret suum; At indignus ille, quod jus pignoris amisit, & jus gemmæ amisit. Bene dicis, At sic maxime se res nostra habet: Non desinit Eucharistia esse pignus gloriæ, tametsi suscipiens illam, quod in peccatis vivat, & jus gloriæ & jus pignoris (scilicet Eucharistiæ) amittat: Cesset itaque iterare peccata gravia, ad quod multum ipsi conferet Eucharistia (Uti superiori sermone monui) & habebit una cum jure pignoris etiam jus gloriæ; Percipite S. Thomam: *Hoc Sacramentum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis virtutem perveniendi ad gloriam.*

Verum non credatis velim, nobis Eucharistiam, solum quoad animam, utilem esse: Eripit nos illa aut præservat etiam a corporalibus malis, si in necessitatibus positi in ipsa perfugium quærimus. Percipite duo facta omni exceptione majora, quippe quorum auctores, viros duos & sanctitatis & doctrinæ laude celeberrimos omnique censura superiores, habemus: Primum S. Gregorius Nazianzenus (s) de sorore sua Gorgonia narrat; En ipsa illius verba: *Adversa corporis valetudine tenebatur graviterque laborabat. . . Nec vero medicorum . . . . artes propulsando dolori pares esse poterant. . . Quid igitur magna illa maximisque rebus digna anima facit? . . . Desperatis omnibus aliis auxiliis ad mortalium omnium medicum confugit atque intempesta nocte captata, cum morbus nonnihil remisisset, ad altare cum fide procumbit eumque, qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore invocans omnibusque nominibus appellans atque omnia ea, quæ unquam mirifice gesserat, velut in memoriam ei revocans . . . tandem pia & præclara quadam impudentia effertur: Eam, quæ Christi fimbria sanguinis profluvium compresserat, imitatur: quidque fecerit, audite. Cum caput suum pari cum clamore lacrimisque, quibus abundabat (mulierculæ illius instar, quæ olim Christi pedes rigavit) altari admovisset nec se prius illud dimissurum esse denunciasset, quam sanitatem obtinuisset, ac deinde hoc suo pharmaco corpus totum perfudisset. . . . O rem admirandam! statim liberatam se morbo sentit . . . pro spei mercede id, quod speraverat, consecuta.* Jam si Gorgonias solo fiduciæ pleno ad Jesum in Sacramento latitantem recursu & externa sua devotione tantum obtinuit; quid non obtenturum esse putatis eum, qui Dominum pectore suo excipiens similem fiduciam foverit?

Secundum factum refert de fratre suo Satyro S. Ambrosius (t) En hujus quoque ipsissima verba: *Qui priusquam perfectioribus esset*

(s) Orat. 11. in Laud. Gorgon. (t) Lib. 1. de Vit. Satyri. n. 43.

esset initiatus mysteriis (Baptismo) *in naufragio constitutus, cum ea, qua veheretur, navis scopuloso illisa vado & urgentibus hinc atque inde fluctibus solveretur, non mortem metuens sed ne vacuus mysterii exiret e vita, quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud Fidelium Sacramentum poposcit... Etenim ligari fecit in orario & orarium involvit collo atque ita se dejecit in mare non requirens de navis compage resolutam tabulam, cui supernatans juvaretur; quoniam fidei solius arma quaesierat. . . . Nec deseruit spes nec fefellit opinio; denique primus servatus ex undis & in portum terrenae stationis evectus praesulem suum, cui se crediderat, recognovit statimque, ubi etiam ceteros servulos suos vel ipse liberavit vel liberatos comperit. . . Dei Ecclesiam requisivit, ut ageret gratias liberatus. . . Referebat igitur gratiam, deferebat fidem; nam qui tantum mysterii coelestis involuti in orario praesidium fuisset expertus; quantum arbitrabatur, si ore sumeret & toto pectoris hauriret arcano? Quam majus putabat fusum in viscera, quod tantum sibi tectum orario profuisset?* Hucusque S. Ambrosius.

Quid jam, O mei! de auxiliis quoque corporalibus, quae Jesus in Sacramento altaris delitescens nobis praestat, sentitis? Digna profecto consideratione sententia magni illius Doctoris, scilicet quanta praestiturus sit Christus devoto exceptus pectore, si tanta orario involutus praestitit? Quod si aut una spinarum, quae Servatoris caput foderunt, aut uno clavorum, quibus corpus illius transfixum fuit, signari vos curatis, ut agente salutari hoc signo morborum vestrorum sanationem obtineatis: hem! quanta istud cum fiducia, quam certa cum spe boni exitus facitis? . . Et parem immo majorem fiduciam non afferetis, si Christum vestris cordibus excepturi acceditis? Et si vobis illum summere haud licet, cur non ad tabernacula ejus properatis, ut illius opem cum Gorgonia imploretis. Ah Fides! cara Fides! Nonne in necessitatibus nostris ad alia omnia, praeterquam ad Jesum in Eucharistia morantem, confugimus? Confugimus ad remedia humana, forsitan & ad Sanctos (Ista quidem intermitti haud debent) verum etiam ad Jesum confugiamus, sine quo nec remedia humana nec Sancti quidquam juvant. Ad hunc itaque ex hoc temporis articulo pro animae necessitatibus: ad hunc pariter pro bonis corporalibus corde humili, poenitenti, confidenti confugiamus & etiam in corporis malis, nisi animarum commodo obstent, levamentum capiemus.

SERMO XL.

De Sacramento Poenitentiae; & quid Poenitens facere debeat, ut illud digne suscipiat.

CUm infinita Dei misericordia propter merita Christi Sacramentum Baptismi, quo gratiae renascamur: Sacramentum Confirmationis, quo robur vires-que ad fidem nostram adversus inimicos, eandem per apostasiam aut actiones Religioni christianae contrarias rapere nobis tentaturos, defendendam accipiamus: Sacramentum Eucharistiae, quo spiritualiter nutriamur, crescamus inque gratia & quibusvis virtutibus (maxime theologicis) confirmemur, instituerit; voluit insuper eadem Dei misericordia probe conscia, nos in bono inconstantes, ad malum pronos esse & (quod sequitur) gratiam divinam facile admodum perdere posse; voluit, inquam, aliud Sacramentum instituere, cujus ope amissam gratiam facili recuperare negotio possemus: Hoc Sacramentum Poenitentiae est, O mei! de quo dicere aggredior.

Nolim tamen persuadeatis vobis: Peccatoribus, priusquam Christus Sacramentum Pœnitentiæ instituit, in lege naturali aut scripta nullum omnino recuperandæ gratiæ divinæ remedium fuisse. Fuit hoc semper, quo ante Sacramenti Pœnitentiæ institutionem gratia Dei hominibus reddebatur, videlicet actus perfectæ contritionis (De hac suo loco dicetur) quo actu peccator scelera admissa detestans deque iis ob injuriam Deo, propter infinitam suam bonitatem super alia omnia amato, illatam dolens ampliusque non peccare firmiter proponens peccatorum suorum remissionem & gratiam Dei denuo consequebatur; prout etiam nunc fit: Qua tamen in re hoc discriminis intercedit, quod ante Sacramenti Pœnitentiæ institutionem actui contritionis desiderium Sacramenti, quippe nondum instituti, conjungi haud debuit: nunc autem post institutionem Sacramenti conjungi debeat sive formaliter vel explicite, si id memoriæ occurrit: sive virtualiter vel implicite, si non occurrit; cum hoc desiderium virtuale vel implicitum, ipsa contritione comprehensum, sufficiat: quippe quæ contritio, cum firmum divinis præceptis omnibus sub gravi peccato obligantibus obediendi propositum complectatur, una suscipiendi Pœnitentiæ Sacramenti propositum complectitur; uti cum S. Thoma (a) Theologi omnes docent. Verum quoniam hic perfectæ contritionis actus, præsertim a peccatoribus raro illum exercentibus, haud ita facile elicitur, ob id infinita Christi misericordia Sacramentum Pœnitentiæ instituere voluit, cujus usu etiam sine hac perfecta contritione (Uti videbimus) gratia amissa obtineri denuo a peccatoribus posset.

Priusquam Christus hoc Sacramentum ipso facto instituit, institutionem illius promisit, quando Petro dixit: *Tibi dabo claves regni cælorum: Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis* (b) Item quando Apostolis cunctis dixit: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo* (c) Promissa hæc sua implevit Dominus, quando ab inferis ad vitam gloriosam reversus in una suarum apparitionum & colloquiorum cum Apostolis habitorum *insufflavit & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt* (d). Hæc communis est SS. Patrum sententia: hæc doctrina S. Concilii Tridentini, quod ut regulam Fidei venerari oportet (e) *Hoc Sacramentum tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Jam cum hoc in loco non præcepta theologica tradere, sed simpliciter edocere Fideles, quæ ipsorum officia sint, debeam; neglectis tum controversiis adversus hæreticos, qui hoc Sacramentum, quod a Baptismo distinguatur, impugnant: tum etiam quæstionibus inter Theologos ventilari solitis omissis ea solum exponam, quæ & Fidelibus, ut Sacramentum hoc digne suscipiant: & Confessariis, ut illud bene administrent, scitu necessaria sunt.

Est Sacramentum hoc omnibus post Baptismum in mortale peccatum lapsis necessarium; uti laudatum Concilium his verbis docet: *Est Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, sicut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Hinc si peccator habere confessarium, cui confiteatur, potest; necessitate & *medii* & *præcepti* (Hæ quid sint, Sermone XXXII. explanavi) ad peragendam Confessionem obligatur: Si autem confessarium habere aut confiteri non potest, sufficit efficax Confessionis votum, saltem virtuale & implicitum (quod superius explicavi) comprehensum actu contritionis perfectæ; de qua paulo post agemus.

Habet Sacramentum hoc, uti reliqua, suam & materiam & formam: Materia remota sunt peccata admissa, scilicet peccata tum mortalia, quæ *materia necessaria* dicuntur; quia exponi in Confessione necessario de-

(a) *3. p. qu. 84. a. 7.* (b) *Matth. 16.* (c) *Matth. 18.* (d) *Joan. 20.*
(e) *Sess. 14. c. 1.*

debent: tum venialia, quæ *materia sufficiens* dicuntur; quia (si lubet) cum debito dolore atque proposito, uti suo loco dicetur, exponi possunt. Materia proxima vero est Confessio cum dolore de Deo offenso & firmo proposito eundem amplius non offendendi conjuncta: Hinc actus Pœnitentis, scilicet hi a me memorati, dicuntur materia proxima. Forma Sacramenti est Absolutio prolata a sacerdote. Hæc omnia de Fide sunt, quippe tradita a cunctis SS. Patribus & a Concilio Tridentino definita.

Equidem rerum ordo postulare videtur, ut primo de materia remota, videlicet de peccatis exponendis, dicam: At fieri hoc opportunius poterit, quando de secundo actu a Pœnitente præstando, nimirum de Confessione, agemus. Itaque sciatis velim, esse nonnullos actus Pœnitentis, qui a Concilio Tridentino ad peccatorum veniam consequendam necessarii dicuntur (f) scilicet dolor de peccatis, confessio eorundem, satisfactio pro iisdem. Verum quia moraliter impossibile est, ut quis integram Confessionem peragat non excussa prius conscientia; ob id primo præmitti examen conscientiæ debet. Hinc Pœnitens Deum in auxilium vocet, ut peccatorum mortalium a se admissorum notitiam accipiat; quo facto conscientiam suam diligenter excutiat: Adhiberi in hac discussione ea diligentia debet, quæ a viris prudentibus in negotio gravis momenti adhiberi solet; atque ob hanc caussam examen Confessioni præmittendum a Theologis omnibus post S. Thomam (g) *diligens inquisitio* vocatur. Ex his apparet, examen conscientiæ tempori, quod ab ultima Confessione interfluxit, respondere debere; nam ei, qui frequenter sacro se tribunali sistit & peccatis mortalibus non assuevit, breve examen sufficiet. Debet præterea discussio conscientiæ accomodari statui Pœnitentis, pro eo ut is plus minusve officiis aut muneribus aut opificiis, varias peccatorum mortalium occasiones plus minusve habentibus, implicitus vivit: Hinc uni Pœnitentum tum ob rationem temporis, quod sine Confessione fluere permisit, tum ob rationem status sui pluribus horis ad conscientiam examinandam opus erit: alteri paucula horæ: uni hora dimidia: alteri pauca minuta sufficient, pro ratione nimirum (quod dixi) temporis ab ultima Confessione lapsi: pro eo ut quis facile peccat: pro circumstantiis officiorum & occasionum, quibus quis implicitus vivit.

Dicet aliquis: Pater! Excutiens excutio conscientiam; & tamen nihil, plane nihil mali occurrit. Percipite, quæ Deus Prophetæ Ezechieli, populi Israelitici flagitia secum reputanti, dixit: Putasne, O Vates! te omnia videre; *Putasne, vides tu, quid isti faciunt abominationes magnas?* Jam atrociores videbis: *Et adhuc conversus videbis abominationes majores* (h) Et profecto, perductus ad ostium atrii vidit foramen: *Et introduxit me ad ostium atrii & vidi, & ecce! foramen unum in pariete . . . & dixit . . . Fode parietem . . . & ingressus vidi: & ecce! omnis similitudo reptilium & animalium . . . & universa idola.* Dicis, O chare! tua te peccata haud reperire. *Fode parietem*, quæso! & ingressus vide: Ingredere in illa loca, quæ frequentare consuevisti: Ingredere in illas conversationes, quibus uteris; & invenies internas de rebus lascivis delectationes, impura desideria, libidinosos obtutus absque numero. *Fode parietem* & ingressus in illos, quibus frequenter intereras, conventus videbis sermones obscœnos, verba ambigua idem cum pessimis significantia, detractiones, gravia & oculta Proximi peccata detecta, juramenta nulla veritatis habita ratione dicta. *Fode parietem* & ingressus in loca ministerii tui, in officinam tuam quot, eheu! fraudes, quot damna Proximo illata, quot perjuria, quot creditores pecuniæ mutuo datæ retentione suspensos, quot in metiendo vitia, quot alias injustitias videbis. Postremo *fode parietem*, ingredere in omnia loca, in omnes cœtus, in omnia theatra, in omnia conventicula; & heu! quot sollicitationes ad malum, seductiones aliorum, actiones pravas ac scandala non advertes. Hoc, hoc est excutere conscientiam:

(f) *Sess. 14. c. 3.* (g) *3. p. qu. 87. a. 1.* (h) *Ezech. 8.*

tiam: hoc, facere illam *diligentem inquifitionem*, quæ ab iis maxime exigitur, qui femel in anno aut non multo fæpius animum facra exomologefi expurgant, multoque magis ab illis, qui id facere longiori temporedifferunt.

Poft peractum conveniens examen elici dolor de peccatis mortalibus, tum quæ memoriæ occurrerunt tum quæ non occurrerunt, debet. Dolor hic bifarius eft: Alius contritio perfecta, alius contritio imperfecta dicitur; quæ pofterior utplurimum fub nomine attritionis venit. Contritio perfecta eft magna & interna difplicentia fincerusque dolor de Deo offenfo ob infinitam illius bonitatem (quæ propter fe ipfam &, quia ita amari maxime digna eft, fuper alia omnia diligitur) deteftaturque peccata mortalia fuper omnia alia mala & efficaciter decernit, divinam infinitam bonitatem graviter nunquam amplius offendere. Ecce vobis fummatim defcriptum actum contritionis perfectæ: prout ex SS. Scripturis, SS. Patribus & Concilii Tridentini doctrina eruitur. Hunc perfectæ contritionis actum in praxi procurare res eft maxime laudabilis, utiliffima, oppido confulenda: veruntamen in præparationem ad Sacramentum Pœnitentiæ haud neceffaria; cum actus attritionis fufficiat, prout explicare paro. Dixi: Actum contritionis perfectæ neceffarium non effe; nam cum dolor contritionis ex efficaci erga Deum, ob folam fuam infinitam bonitatem ex toto corde amatum, charitate proveniat, peccatorem immediate juftum reddit: Jam cum Sacramentum Pœnitentiæ eo fit inftitutum, ut peccatori juftitiam reddat; fi actus contritionis in ejus præparationem requireretur, utique requireretur, ut perfona Sacramentum noftrum fufcipiens jam in ftatu juftitiæ effet; id quod inftitutioni & naturæ hujus Sacramenti repugnare videtur. Atque ob eam rem, utut oppido laudabile fit, actum contritionis in praxi procurare; tamen eo haud neceffarium eft, ut quis valide ac fructuofe Sacramentum Pœnitentiæ fufcipiat. Sufficiet itaque actum attritionis præmififfe, quæ in praxi (Ut lites, quibus fcholæ Theologorum inter fe dividuntur, miffas faciam) effe debet actus deteftationis & doloris finceri de admiffis peccatis mortalibus, tanquam offenfis Dei, proveniens ex benevolentia erga illum, tum propter bona, quæ obedientibus fibi promittit tum propter mala, quæ lædentibus fe minitatur, conjunctus cum firmo ac efficaci peccata amplius non iterandi propofito & veniæ confequendæ fpe.

Dixi femper: *De peccatis mortalibus* (Id quod vosmet obfervaviffe credo) quia hæc funt materia Sacramenti neceffaria; cum omnia mortalia peccata, inveftigata & cognita, exponi neceffario debeant: venialia peccata contra, quippe materia Sacramenti fufficiens, exponi (fi lubet) poffint at non debeant; cum illorum veniam etiam abfque Confeffione confequendi varii modi fint, five fi illa admififfe ex animo dolemus five fi actus charitatis erga Deum elicimus five fi aqua luftrali devote utimur &c. Ex hoc autem deduci minime debet, quod fi quis venialia folum peccata confiteri habeat & illa confiteri velit, nullum horum duorum actuum (fcilicet contritionis vel attritionis) præmittere debeat, eoquod nulla peccata mortalia habeat; nam fi Sacramentum facere vult, ex parte fua neceffario unum ex articulis ad Sacramentum requifitis ponere debet, puta Confeffionem dolorofam, fcilicet Confeffionem per unum memoratorum doloris actuum & per propofitum fe ab iis, quæ confitetur, peccatis vel omnibus vel aliquibus vel etiam uno folo horum corrigendi qualificatam. Ex his inferatis velim, materiam remotam hujus Sacramenti effe peccata admiffa, neceffariam illam, fi funt mortalia, fufficientem, fi venialia funt: proximam vero materiam effe eorundem confeffionem dolorofam fcilicet dolore, five per contritionis five attritionis actum Confeffioni ipfi præmiffo, qualificatam.

Reftant de dolore duo, quæ moneam; Primo, illum fenfibilem haud effe debere fed fufficere, fi appretiativus fit. Dolor fenfibilis in lacrymas, in teneros gemitus, in fenfi-

ſenſibiles affectus reſolvitur atque erumpit; qui, quanquam (ſi a Deo provenit) bonus ſit, tamen neceſſarius non eſt. Dixi: *ſi a Deo provenit*; nam perſæpe a tenera indole & nonnunquam a mentis ex vino perturbatione provenit: id quod ſæpe confeſſarii experiuntur, quibus quandoque Pœnitentes occurrunt ingenti lacrymarum imbre ora rigantes, qui ſpecie externa Magdalenam referunt, re autem vera homines vino dediti ſunt. Dolor appretiativus eſt dolor præferentiæ, nimirum qui Deum rebus amabilibus cunctis, & offenſam Dei malis omnibus antefert: Præferentia hæc tum in mente tum in voluntate reſidet; in mente, quæ per Fidem illuſtrata perſuaſiſſimum habet, hanc præferentiam Deo deberi: in voluntate, quæ Dei gratia juvante eundem nunquam amplius rei alicui poſtponere certiſſime deſtinat atque decernit, & ob id peccato mortali eundem poſtpoſuiſſe dolet. Secundo monendi eſtis: in quibusdam libellis precatoriis præparationes ad Confeſſionem proponi, quæ formalis doloris & propoſiti actu expreſſo omni carent, ſine quibus actibus tamen nulla ſufficiens præparatio eſt: Hujus generis libros exiſtere uſu ipſo didici, cum Pœnitentes mihi tales libellos ultro oſtenderint. Unde iterum moneo: neceſſe eſſe, ut quis de peccatis admiſſis eo, quo dixi, modo vel per contritionis vel per attritionis actum doleat.

Ex his inferri pariter debet, quod, quamvis multi credant ſufficere, ut dolor ſupradictus ante Abſolutionem eliciatur; tamen ſecurius ſit & (Ut dicam, quod ſentio) etiam oporteat præmittere Confeſſioni ipſi memoratos actus præparativos. Prima ratio eſt; quod hæc ſententia ſecurior ſit, quæ ipſa teneri in praxi debet, ubi de valore Sacramentorum agitur; cum ſancta Sedes Romana doctrinam oppoſitam reprobarit dicentem: ſufficere ſequi in hoc opinionem probabilem. Secunda ratio eſt; quod, etſi dolor (de quo dixi) poſt peractam Confeſſionem & ante Abſolutionem eliciatur, tamen affirmari haud poſſe videatur, quod Confeſſio doloroſa fuerit, ſed potius hiſtorica peccatorum admiſſorum narratio. Tertia ratio eſt; quod contingere facile poſſit, Sacerdotem formam Abſolutionis ita deproperare, ut illam prius proferat, quam memorati doloris actus a Pœnitente eliciatur: atque hac ratione Confeſſio nulla, fors & ob præparationis negligentiam ſacrilega reddatur. Ne igitur, O mei! ne ad ſacrum tribunal prius accedatis, quam modis ſupradictis ad ſuſcipiendum Sacramentum animos veſtros præparaveritis.

Jam de ſecundo actu Pœnitentis, qui peccatorum admiſſorum confeſſio eſt. Itaque poſt convenientem conſcientiæ excuſſionem, poſt elicitum actum doloris (prout ſupra expoſui) debet Pœnitens accedere ad confeſſarium humili & devoto corporis habitu tanquam reus, qui ſe Chriſto ſiſtat, cujus vicem & perſonam ſacerdos gerit: Huic, nihil vel augendo vel minuendo, omnia peccata mortalia, quæ in conſcientia ſua deprehendit (nullo omiſſo) tam externa quam interna, ſecundum ſpeciem ſuam & cum omnibus circumſtantiis novam ſpeciem addentibus pro ingenii ſui capacitate, quæ opportunis interrogationibus a confeſſario adjuvanda, item numerum peccatorum mortalium (quantum fieri poteſt) exponere debet. Omnia hæc de Fide ſunt, tradita a Concilio Tridentino (i) a SS. Patribus & Theologis univerſis, eruta ex verbis Chriſti, qui diſcipulis ſuis horumque ſucceſſoribus dare ſe poteſtatem pronunciavit, ſolvendi & retinendi peccata; nam quomodo ſcire poſſent, quæ peccata ſolvenda quæve retinenda ſint, niſi Pœnitens illa & quantum ad ſpeciem & quantum ad circumſtantias ſpeciem mutantes & quantum ad numerum exponere teneretur. Aut enim confeſſarios omnes prophetico quodam ſpiritu agi oportet; id quod velle intolerandæ temeritatis fuerit: aut hæc peccatorum expoſitio neceſſaria eſt, ut confeſſarii ſciant, quæ peccata dimittenda quæve retinenda ſint. Quod autem etiam cicumſtantiæ eandem ſpeciem notabiliter aggravantes exponi debeant, deducitur

(i) *Seſſ. 14. can 7.*

citur ex doctrina ejusdem Concilii dicentis: ut judex confessarius congruam injungere pœnitentiam, & justum atque accuratum judicium de statu pœnitentis ferre possit. Jam quis non videt, aliud judicium ferri aliamque pœnitentiam imponi debere illi, qui per diem unicum odium in Proximum fovit; & illi, qui mensem integrum fovit: illi qui decem ducatos abstulit; & illi, qui centum furatus est: illi, qui in re lasciva aut vindicativa &c. per horam dimidiam se oblectavit; & illi, qui se per diem dimidium oblectavit: illi, qui, conjugatus cum sit, cum conjugata adulterium patravit: illi, qui cum persona conjugata, in secundo aut tertio aut quarto gradu sanguine sibi juncta, carnaliter peccàvit &c. &c. Sic certe Catechismus, qui doctrinam Concilii compendio quodam exponit, docet (k) *Furtum etiam in peccatis numerandum est: Verum si quis aureum nummum furatur, levius omnino peccat, quam qui centum vel ducentos . . . præsertim vero qui sacram pecuniam abstulit; quæ etiam ratio ad locum & tempus pertinet. Hæ igitur . . . enumeranda sunt: Quæ vero pravitatem rei magnopere non augent, sine crimine omitti possunt.* Idem S. Carolus Borromæus in suis *Instructionibus ad Confessarios*, in *Concilio provinciali Mediolanensi IV.* confirmatis monet, dicens: *Circumstantias speciem mutantes & augentes* exponendas esse; *nam hæ duæ circumstantiarum species debent necessario explicari.* Ita Sanctus ac doctus Cardinalis ille spiritu Concilii plenus; unde dubitari non potest, quin hæc sit sententia probabilior & in praxi tenenda.

Exponenda præterea sunt peccata mortalia, quorum quis in præcedentibus Confessionibus recordatus non fuit; cum doctrina contraria a Sede Romana proscripta fuerit (l) Et si peccata hæc memoriæ ante Communionem occurrunt, prius ad sacrum tribunal redeundum est, quam ad sacram Mensam accedatur. Debent præterea in Confessione exponi peccata prudenter dubia: scilicet ea, de quibus prudenter dubitatur, an mortalis assensus datus sit vel non, & an illa in Confessione exposita fuerint vel non? Nam, uti S. Thomas, cui Theologi ferme omnes assentiunt, ait (m) *Periculo se committit; quia de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri.* Similiter si quis peccatum mortale sub dubio confessus fuit, & postea illud pro certo agnoscat, debet illud denuo pro certo confiteri; Etenim patet, etiam in foro seculari longe aliud judicium de reo certo ferri, quam de reo dubio, cui pœna, quam *extraordinariam* dicunt, infligitur. Debet insuper consuetudo mortaliter in hac vel illa peccati specie peccandi exponi; nisi ex ipsa peccatorum multitudine atque iteratione consuetudo hæc ita appareat, ut dignoscere illam confessarius queat. Fieri etenim potest, ut quis statim post peractam Confessionem in assuetum peccatum una vice denuo labatur: Hinc si unicum peccatum hoc illa vice commissum confiteri vult, debet adjungere, se hujus peccati consuetudinem habere, ut confessarius apta remedia adhibere possit; Atque ob id Pœnitens eo obligatur, ut de consuetudine interrogatus respondeat, utrum illa implicitus sit vel non; quandoquidem contrariam doctrinam Sedes Romana condemnavit (n).

Contingit quandoque, maxime in peccatis carnis, ut, dum peccatum exponitur, aliqua persona sceleris consors, Confessario alioquin nota, manifestari debeat; utut nomen illius silentio prematur: unde complicis fama bonaque existimatio apud confessarium detrimentum aliquod accipit: uti in peccato carnali admisso cum persona consanguinea aut affini in primo, secundo aliove gradu, cognita a confessario; quippe qui familiam universam, consanguineos & affines novit. Quid in hoc casu Pœnitens faciat? Reponunt Theologi omnes cum S. Thoma (o) Pœnitentem hunc (si moraliter potest) alium confessarium, cui persona complex ignota est, accedere debere, ne famam complicis apud priorem Confessarium lædat: Quod si accedere alium Confessarium moraliter non potest & differre brevi temporis spatio Confessio-

(k) *Part. 2. de Pœnit.* §. 47. (l) *Alex. VII. in thesi 11.* (m) 3. *p. qu.* 84. *a.* 4.
(n) *Innoc. XI. thes. 58.* (o) *In 4. Sent. dist. 16. q. 3. a. 2. quæst. 5.* & *Opusc. 12. q. 6.*

fessionem potest, donec alium confessarium nanciscatur, debet differre Confessionem & interea actu perfectæ contritionis animæ suæ prospicere. Quod si autem diutius differre Confessionem deberet, & tempus confitendi aut communicandi immineret, potest (Ita tenent S. Thomas, S. Bonaventura, S. Bernardinus, S. Antoninus, Alensis, Gerson, Vasquez, Suarez, Auctores longe gravissimi, aliique) talis persona confiteri peccatum suum, etsi inde complicis confessario noti infamatio indirecte sequatur; idque tum quia integritas Confessionis bonum est pertinens ad Sacramentum & a Christo injunctum teste Concilio Tridentino: quod bonum bono famæ personæ complicis (de cetero reæ & quæ prævidere debuisset, illam personam moraliter alium confessarium habere non posse) præferri debet; tum quia hæc infamatio in comparatione integritatis dictæ haud magni momenti est, quoniam complex apud unum solum hominem, qui perpetui silentii lege obstringitur, diffamatur; tum etiam ut persona pœnitens edoceri de necessariis cautelis possit, quibus a peccati iteratione servetur. Addendum hoc loco, fieri vix posse, ut hæc alium confessarium, cui persona complex ignota sit, inveniendi impossibilitas viris, & in nostris oris occurrat, uti nec fæminis, quibus liberrimum est, in quamcunque voluerint, Ecclesiam se conferre: Et hæ personæ sub peccato mortali tenentur inquirere confessarium, qui personam complicem non novit. Illis autem personis, qui aliorum curæ commissæ sunt, impossibilitas hæc facile occurrere potest; unde non peccant ex dictis caussis, complicem manifestando.

De peccatorum numero illud certum manet, quod Pœnitens omnem, quam moraliter potest, adhibere diligentiam debeat, ut illum investiget; & si determinatum numerum indagare non potest, dicat *toties in circa*, *cum tot circiter personis &c.* aut *toties per hebdomadam in circa*, *toties circiter per mensem*; nam sic positive numerum certum, & quod forsitan excurrit, confitetur. Quæret aliquis: Si quis e. g. *duodecies in circa* dixisset & postea certo cognosceret, se tredecim aut quatuordecim vicibus peccasse; quid huic agendum? Ego quidem, quidquid multi Theologorum contra afferant, sic existimo: hunc talem duas illas a se ut certas agnitas vices, quas prius ut dubias confessus fuit, in Confessione exponere debere: Rei hujus ratio mea quidem sententia inexpugnabilis est; nam, quemadmodum secundum communem Theologorum opinionem peccatum mortale sub dubio expositum, si posthæc pro certo agnoscitur, etiam pro certo exponi de novo debet: ita & in hoc casu fieri oportet; Etenim qui dicit: *Duodecies in circa*, sub dubio relinquit, utrum non pluries factum sit. Jam si duas illas vices tanquam certas agnoscit, cur illas exponere non debeat? Est ratio, hæc ejusmodi, quam confutari haud posse quivis præceptorum moralium peritus videt; cum adæquata & clara disparitas reperiri nequeat. Dicet aliquis: Ergo & is, qui pro certo agnoscit, quod non duodecies sed decies tantum peccarit, hunc quoque minorem numerum confiteri de novo debet. Nequaquam istud; nam multum interest inter errorem numeri in præjudicium integritatis Sacramenti, qui facit, ut Pœnitens minus reus esse videatur: & inter errorem, qui eundem potius gravat absque præjudicio Sacramenti; prout cujvis patet.

Hujus ad Confessionem sacramentalem requisitæ claritatis ac perspicuitatis egregiam allegoriam Liber *Levitici* (p) nobis exhibet, in quo ritus sanandi leprosum statuitur his verbis: *Quicunque maculatus fuerit lepra . . . habebit vestimenta sua dissuta, caput nudum, os veste contectum: contaminatum se clamabit.* Ecce tibi, O chare peccator! Tu, qui leprosum refers, ecce! modum, quo accedere ad confessarium a tuorum peccatorum lepra sanandus debes. Habeas vestimenta ex omni parte dissuta, hoc est: manifestes omnia peccata mortalia, quæ te admisisse scis aut dubitas: aperias omnes circumstantias eorundem speciem tum mutantes tum notabiliter

(p) *cap. 13.*

liter aggravantes: pandas omnes animi tui recessus confessario: *Vestimenta dissuta.* Habeas caput nudum, hoc est: reveles pravas cogitationes abstrusissimas, complacentias occultissimas, desideria intima: *Caput nudum.* Habeas os tectum; quod inviolabile in hoc Sacramento intercedens secretum denotat: *Os veste contectum.* Clames cum humilitate & ingenuitate te horum atque horum peccatorum reum: *Contaminatum ac sordidum se clamabit.* Audisti, O chare! documentum scripturisticum; audi & paraphrasin! *Vestimenta dissuta.* Non sufficit dicere: Male dixi de Proximo; Addendum, an, quæ dixisti, vera vel falsa fuerint: & si vera fuerunt, an occulta vel nota fuerint: & si occulta, quot hominibus ea revelaveris. Non sufficit dicere: Patravi hanc impudicitiam; Addendum, an tu illam prior promoveris: quanto temporis spatio illius patrandæ consilium mente versaveris: quoties invitationem & provocationem iteraveris: an luxuriæ sequestros adhibueris &c. Non sufficit dicere: Vindictam sumpsi de Proximo; Addendum, quanto tempore illam machinatus sis: quoties illius sumendæ propositum renovaveris: quoties in illa tibi placueris. Non sufficit dicere: Obscœna locutus sum; Addendum, an sermones hos prior serueris: an ut alios seduceres: quot & quibus personis adstantibus. Non sufficit dicere: Æs alienum non dissolvi; Addendum quoties, memor tuorum debitorum & illis vel ex toto vel ex parte solvendis par, id non feceris: quæ damna creditores tui, quod tempore debito a te suum non receperint, subierint: num miseros illos solutionem urgentes contumeliis ac minis repuleris, adeo ut ii suum repetere jam ne audeant quidem. Hoc est afferre *Vestimenta dissuta.* Sequitur: *Caput nudum.* Non sufficit dicere: Aspexi objecta periculosa; Addendum, utrum prava complacentia accesserit: utrum personæ, quam aspexisti, scandalum intuendo præbueris. Non sufficit dicere: Admisi pravas cogitationes: Addendum, de qua materia: utrum consenseris sive per delectationem spontaneam sive per desideria: cujus generis fuerit actio, qua te delectasti aut quam desiderasti. Non sufficit dicere: Vanum in modum me compsi; Addendum, utrum ornatus nimium inverecundus & contuentes ad impuras complacentias excitando par fuerit: quam intentionem in te comenda habueris, an ut, quibus non debebas, carnaliter placeres, vel an prævideris, esse ibi, quo tendebas, personas, quas ad consensus pravos & impuros te adducturam esse moraliter certa eras: utrum nimius ornatus familiam notabiliter gravet aut immodicæ, quas facis, expensæ creditoribus noceant. Hoc est afferre *Caput nudum.* Sequitur: *Contaminatum & sordidum se clamabit.* Hinc non sufficit exponere peccata, adjiciendo posthæc ex vili verecundia & humano respectu ejusmodi excusationes, quibus peccatorum commissorum horror tollitur: dum illa aut quasi non plene deliberata aut dubia aut quasi per vim patrata ostenduntur; cum tamen nequaquam talia sed plane deliberata ac volita fuerint. Hoc est, *sordidum se & contaminatum clamare.* Neque ea, quæ hoc loco dico, O mei! aut scrupuli sunt mentis religiosæ aut subtilia rigidioris Theologiæ inventa sed enim communi assensu recepta axiomata: ad quorum habendam notitiam haud multa scientia opus sed enim satis erit, probioris Theologiæ limina salutasse.

Audire obloquentem mihi videor: de talibus rebus, de talibus circumstantiis a nullo confessariorum interrogati fuimus, quas utique candide confessi fuissemus. Respondeo primo: Istud ideo a confessariis intermissum fuisse; quia illi jure ac merito crediderunt, vos hæc doctos esse, si non omnia saltem multa horum, utpote res solo rationis a Fide collustratæ lumine facile indagandas; nam quamvis aliquæ memoratarum circumstantiarum imperitissimo Pœnitentum fors absque culpa excidere possint, attamen omnes excidere nequeunt; quippe quas nosse Fideles cuncti debent. Respondeo secundo: Id factum esse; quia nonnulli Pœnitentum eos maxime confessarios inquirunt, qui rem cito conficiunt,

ciunt, qui nihil aut fere nihil interrogant: & quia de industria vitant eos confessariorum, qui altius peccata indagant suumque officium faciunt (De hoc sermo a sequenti primus aget) quos etiam pro hominibus sophisticis, nimium religiosis, severis & imprudentibus habent. Jam de hujus generis Pœnitentibus num dici unquam poterit, eos veritatem quærere & studere, ut bonam Confessionem peragant? Percipite factum historicum e S. Scriptura, quod opportune memoriæ occurrit.

Achabus Rex Israelis bello contendere cum Rege Syriæ destinarat atque eum in finem fœdus cum Josaphato Rege Judæ pepigerat: Jam ut rescirent, quem belli exitum habituri essent, Achabus quater centum prophetarum suorum coegerat, qui omnes, prosperum bello finem fore, una voce prædixerunt. Non contentus hoc vaticinio Josaphat, fors quod illos prophetas haud magni fecerit, quæsivit ex Achabo, utrum non alius esset vir Dei, a quo consilium peterent? *Nunquid non* (q) *est hic propheta Domini, ut ab illo etiam requiramus.* Est, reposuit Achabus, *est vir unus, a quo possumus quærere Domini voluntatem; sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum sed malum omni tempore: Est autem Michæas:* Nihilominus eundem ad se accersitum adjuravit, ut, quod Dei afflatu didicisset, exponeret: Respondit ille, belli exitum pessimum fore: *Iterum atque iterum te adjuro, ut mihi non loquaris, nisi quod verum est in nomine Domini; at ille ait: Vidi universum Israel dispersum in montibus sicut oves sine pastore.* Tunc conversus ad Josaphatum Achabus: *Nonne dixi tibi, quod non prophetaret iste mihi quidquam boni sed ea, quæ mala sunt?* Itaque cum Achab suorum prophetarum consilio præhabito prælium commisisset, universus exercitus internecione deletus ipseque Rex sagitta confossus interiit: *Accidit, ut unus sagittam in incertum jaceret & percuteret Regem Israel inter cervicem & scapulas . . . & mortuus est.* Jam sciscitari ex vobis, O mei! libet, veritatemne, an potius adulatores genio suo obsequentes Achabum quæsivisse existimetis? Confitetur ille, adesse Michæam: Confitetur hunc se iniquis contueri oculis; quoniam sibi mala prædicere solitus erat: Audit infaustum vaticinium: Et tamen, quæ destinarat, exequitur. Jam, dum perit, quem illius miserescat? . . . At sic profecto, O mei! res se nostræ ac multorum habent: Quæruntur ministri Confessionis, qui nobis jucunda loquantur, qui Confessionem accelerent, atque ob id nihil interrogent, nihil inculcent, nihil doceant, nihil admoneant & (quod sequitur) officio suo desint. Sunt alii, non unus Michæas solus sed multi, ex quorum ore percipi voluntas Dei posset: At hos aversamur, quia Absolutionem merito & pro officii sui religione differunt, quia interrogant & rimantur, quia monent atque inculcant. Et tamen his postpositis, quia pro muneris ratione *prophetant malum*, illos volumus, qui omni tempore *prophetant bonum.* Jam si posthæc in culpabili officiorum nostrorum ignorantia vivimus: si a malo nos nunquam corrigimus: denique si perimus, quid eheu! in caussa est? Quid aliud, quam quod prophetas Dei, quod Michæas aversati simus & ad eos cucurrerimus, qui nos in peccatis nostris & culpabilibus ignorantiis computrescere siverunt? Non sic, ubi de corporis sanitate: non sic, ubi de fortunæ bonis agitur, agimus; nam & in morbo medicum, si haberi potest, omnium peritissimum & in lite advocatum longe præstantissimum exquirimus. Verum ubi de morbis animæ, de bonis gloriæ æternæ agitur, qui primus occurrerit, placet. O lacrymis dignam Fidelium incuriam! Non sic nos agamus, O mei! Si vir fuerit, a quo discere veritatem possumus, hunc adeamus neque aversemur ob id, quia munus suum facit, neque eum in numero rigidorum & inconsideratorum habeamus sed disciplinæ illius & ductui nos humili animo permittamus. Hac ratione incusari non poterimus, quod in investigando *virum a quo possumus quærere Domini voluntatem*, remissiores extiterimus.

P. Ciniliati Catechista. Kk SER-

(q) 2. *Paral.* 8.

SERMO XLI.

Agitur denuo de obligationibus Pœnitentis.

QUid vobis, O ſuaviſſimi! de infinita Dei noſtri optimi clementia videtur? An recogitaſtis vobiſcum ea, quæ præcedenti ſermone dixi? An obſervaſtis, quam pauca Dominus eo poſtulet, ut nos, per peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa hoſtes ſibi effectos, in primæva gratiæ, in filieitatis atque amicitiæ divinæ ſtatum reſtituat & (quod ſequitur) jus nobis hæreditatis æternæ reddat? Scilicet graviſſimum hoc, unicum ac ſummum opus Dominus anguſtiſſimis iſtis conditionibus concluſit: ut offendiſſe ſe ex animo doleamus & culpas noſtras homini nobis ſimili candide exponamus, qui eas poſtquam auribus hauſit, inviolabili ac perpetuo ſilentio, etiam poſthabitis vitæ periculis, premere debet. Num remedium facilius excogitari a mente creata quacunque potuiſſet? Si nobis Dominus, poſt graves injurias majeſtati ſuæ illatas in gratiam & amicitiam ſecum redire volentibus, injunxiſſet, ut omnia noſtra peccata ad tubæ cantum alta voce in medio foro, hora qua maximus populi concurſus fieri ſolet, panderemus: Si poſtulaſſet, ut tenebris vinculiſque æternis nos mandaremus aut vitæ reliquum ſolo pane & aqua toleraremus: Si poſtulaſſet, ut corpora noſtra quotidianis flagellationibus, ciliciis, vigiliis, humicubationibus & ſimilibus auſteritatibus vexaremus: Si (inquam) hæc tanta & majora etiam poſtulaſſet, nunquid his omnibus ſubjicere nos debuiſſemus, ut ne inferni pœnis addicti æternum arſiſſemus. Haud dubium, quin, quamcunque ſatisfactionem Dominus exegiſſet, illa, quippe vel unius peccati mortalis & injuriæ infinitæ Majeſtati illatæ enormitate ſemper minor, permagnæ felicitatis loco reponi debuiſſet; dummodo nobis pœnæ ſempiternæ, in culpam mortalem ſtatutæ, evitandæ via patuiſſet. Jam cum haud alia, quam quæ memoravi, poſtularit: nimirum ut ex corde de peccatis noſtris doleamus eaque modis ſupradictis clam uni ſoli homini inviolabilis ſigilli lege obſtricto confiteamur; nonne hic conſequendæ veniæ confiteamur; modus pro facillimo, pro leviſſimo ac benigniſſimo reputari debet? Et tamen quot ſunt, qui remedio tam ſuavi, quod corrupta phantaſia & amore ſui, a ſana ratione alieniſſimo, ſeducti pro intolerando habent, abutuntur atque peccata illa, quæ quo facilius facto committuntur, eo major lingua revelare pudor eſt, reticentes mancas Confeſſiones peragunt; quibus, cum execranda ſacrilegia ſint, adeo non exonerantur conſcientiæ, ut potius aggraventur. Hunc errorem infeliciſſimis iſtis animabus detracturus, de pernicioſiſſimo fatalique pudore in ſacro tribunali initia præſentis ſermonis ducam: tum ut eos, ſi qui meos auditores inter (quod haud crediderim) hac verecundia affecti exiſtunt, in viam ſalutis reducam: tum ut univerſim omnes commoveam, ne huic exitiali pudori locum dent; Quod ubi perfecero, ad reliqua pauca Pœnitentis officia exponenda progrediar.

Ac primum quidem, O peccator! O peccatrix! nunquid advertitis, hanc verecundiam veſtram omni fructu carere? Nunquid illa ſic occulere peccata veſtra unquam poterit, ut hæc Dei ſcientiam atque oculos fugiant? Nequaquam, Fide ſancta teſtimonium perhibente: quod *omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus* (a) Immo ipſa peccata veſtra clamant adverſus vos ad Deum; Sic contra Cainum ſparſus fratris cruor: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra* (b) Sic contra Pentapolim infanda civium facinora: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt . . . qui*

venit

(a) Hebr. 4. (b) Geneſ. 4.

venit ad me (c) Sic defraudata operariorum merces ad Dominum clamavit: *Ecce merces operariorum . . . quæ fraudata est a vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit* (d) Eodem fere modo peccata omnia, admissa quidem at voluntarie non confessa, clamant. Quid ergo puduisse juvat, si jam nota sunt Deo, a quo judicabuntur? Accepi considerationem hanc a Tertulliano, dicente (e) *Si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus? Adeone existimatio hominum & Dei conscientia comparantur*, ut hæc negligatur, quo illa servetur? *Miserum est secari & cauterio exuri & pulveris alicuis mordacitate cruciari; tamen quæ per insuavitatem medentur, ea & emolumento curationis offensam sui excusant & præsentem injuriam superventuræ utilitatis gratia commendant*: Sic etiam amaritudo, quam in confitendo gustamus, ad morbi spiritalis curationem facit, & dolor inde perceptus gratiæ divinæ recuperatione pensatur. Igitur, O! quicunque stulto pudore ageris (si quis hic ades) considera, te, si exiguam in aperiendis morbis tuis spiritualibus verecundiam devoras, animæ tuæ salutem esse relaturum certe æternum perituræ, nisi illos manifestes. Etenim aut manifestare illos tandem cogitas aut æternum tacere: Si æternum tacere; en! sempiternum supplicium non effugies, postquam prius incomprehendendum dedecus subieris, ut in conspectu totius universitatis sacrilegus fuisse appareas: Si autem manifestare tandem cogitas; nonne advertis, O miser! te hoc posterius verecundiæ genus multo difficilius superaturum, quandoquidem omnes Confessiones mala fide ac conscientia peractas repetere & præter culpas, quas siluisti, de tot insuper sacrilegiis, quot Confessiones & Communiones in hoc statu peregisti, admissis accusare tete debebis? Quod si nunc filum rumpere non audes, quomodo tunc laqueum rumpere audebis? Quin *pro anima tua*, ita verbis S. Spiritus cohortari te libet, *ne confundaris dicere verum* (f) Expelle in malam crucem hanc a ratione alienissimam, stultam, exitialem verecundiam, quæ, dum te sacrilegum reddit, æternæ damnationis discrimini objicit! Exonera quantocyus ad pedes docti ac probi confessarii ream conscientiam! Ne vetera sacrilegia novis accumula!

Dixi, pudorem hunc tuum irrationalem esse: Monui, ut ad pedes sapientis & pii Confessarii nocentem conscientiam exoneres. Dixi, irrationalem pudorem tuum esse; nam tu quidem credis, confessarium peccaminosas actiones, quæ te veluti elinguem reddunt, audientem nescio qua admiratione afficiendum fore: Stultam & fallacem sententiam! Scias omnino velim, confessarium has culpas centies, millies ab aliis audivisse: non esse peccatum, quod illi novum accidat: illum non solum narratione tua non offendendum, non solum bonam de te existimationem non amissurum; sed etiam sinceritate, humiliatione atque dolore tuo ædificandum &, si peccata tua exponendi difficultate affligi te sentiet, benevole te adjuturum & ad illa exponenda concitaturum esse. Irrationalis ergo est pudor tuus: Monui præterea, ut doctum ac pium confessarium accedas, quo is maxime tuum pusillum animum erigat, te ad totam conscientiam exonerandam excitet & verba (ut sic dicam) ultro ori tuo imponat, quibus statum animi tui totum candide ei aperias: deinde vero ita te erudiat, ut, quid tibi in posterum agendum sit, scias. His addere juvat: Aut conscius sibi earundem infirmitatum confessarius est aut non est: Si est; habet, quamobrem tui misereatur, cum & ipsius ante misertum fuerit. Si non est; nonne habebit, ob quod se extollat, tui non misereatur aut te confundat? Nequaquam, O chare! sed enim, nisi insanus sit, habet, unde misericordias a Deo sibi factas suspiciat cognoscatque, se mera Dei misericordia immunem servatum esse ab illis peccatis, quæ divina providentia ob occultas suas vias in te permisit. Hinc grates easque permagnas agere Deo, humiliare se, de propria infirmitate timere sibi & cavere magis ac magis debet, ne & ipse corruat; cum sit Fidei arti-

(c) *Genes.* 18. (d) *Jac.* 5. (e) *Lib. de Pœnit. c.* 10. (f) *Eccli.* 4.

articulus, nulli esse caussam, ob quam se aliis præferat aut eximium se ob ea, quæ ex se habet, sed tantum ob ea, quæ ab infinita Dei misericordia accepit, putet: Unde Paulus sancto afflatus Spiritu omnibus (g) Dixit: *O homo! quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti?* Est ergo impius pudor hic tuus, quia Deo injuriosus animæque tuæ, quam in dubiam æterni interitus aleam adducit, damnosus: Est itidem ob caussas, quas attuli, omnes irrationalis. Concludamus igitur, laudatum S. Spiritus monitum repetentes: *Pro anima tua ne confundaris dicere verum . . . Non confundaris confiteri peccata tua* (h)

Hoc tamen in loco illud monendum restat, quod, si quis peccata sua præ pudore tacuit, eas solum Confessiones repetere obstringatur, in quibus peccata illa deliberato tacuit. Latius animi sensa pando: Ponamus juvenem aut puellam plura gravia luxuriæ peccata, quæ ipsa utplurimum Pœnitentes obmutescere faciunt & irrationalem pudorem illum incutere solent, admittere: hos duas aut tres Confessiones peragere, in quibus memorata peccata deliberato silentio premere pergunt, quo Confessiones illæ sacrilegæ redduntur: post has vero Confessiones eos dictorum peccatorum penitus oblivisci suasque Confessiones per decem continuos annos debita cum diligentia & præparatione tum congrui examinis tum sinceri doloris tum efficacis propositi facere, adeo ut toto illo decennio tum peccatorum, quæ siluerunt, tum trium priorum sacrilegarum Confessionum non recordentur: exacto autem illo decennio sive ex lectione libri sacri sive ex concionis alicujus auditione peccatorum suorum silentio prætermissorum & trium sacrilegarum Confessionum denuo reminisci. In hoc casu illi solumodo totam primam Confessionem, in qua peccata memorata siluerunt, & tres subsequentes Confessiones (non reliquas dicto decennio factas) repetere tenentur; cum illæ quatuor solæ sacrilegæ fuerint, utpote peractæ cum cognitione, ea peccata, quæ subticuerunt, confitenda sibi esse; econtra reliquæ, dicti decennii spatio peractæ, bonæ ac validæ fuerint, quippe integre & cum inculpanda peccatorum prius celatorum & quatuor sacrilegarum Confessionum oblivione factæ; quoniam hæc, si menti occurrissent, confessi fuissent. Hinc Theologi adstruunt, illa *tanquam peccata invincibiliter oblita* reputari debere.

Restant aliæ insuper conditiones ad bonam & prudentem Confessionem requisitæ, quas exponere debeo. Inter illas etiam hæc est, ut Confessio simplex sit, hoc est: non ingeniosa aut callida, qualem facere nonnulli consueverunt, qui Confessioni haud opportunas totius rei gestæ narrationes interserunt; qua re Confessionem & inepte producunt & sacros ministros fatigant & persæpe peccatorum venialium quandoque etiam mortalis complacentiæ admittendæ caussa sibimetipsis fiunt. Asserta explico: *Vulneravit* e. g. aliquis rixa oborta adversarium suum; Jam rei seriem omnem narrat, &, quia forsitan vulnerantis (Pœnitentis) strenuitas atque animi ingenita virtus ex percussione inimici apparet, id nescio qua interiori cum complacentia narrat: quod se a confessario in virorum acrium & animosorum numero habendum putet. Ecce hic talis primum veniale ostentationis & jactantiæ peccatum peccat; deinde, si complacentia a vanitate ad ipsam percussionem transit, gravem etiam mortalemque Pœnitens complacentiam justitiæ contrariam admittit. Alius se accusat, quod sermones notabiliter obscœnos in conventu quodam seruerit, & quoniam per verba ambigua, per facetias utut notabiliter scandalosas attamen acutas atque ingeniosas, animis præsentium oblata offensio est, illas ex ordine confessario exponit, ut acris ingenii esse videatur. En vanitatem venialem! Quod si autem complacentia etiam ad inhonestam, utut ingeniosam, narrationem extenditur, ecce peccatum mortale adversus castitatem! Hoc ipsum sentite, O mei! de satyra aliqua stylo graviter mordenti scripta, de seductione machinata, ut fæmi-

(g) 1. *Corinth.* 4. (h) *Eccli.* 4.

fæmina aliqua obsistens in casses traheretur, & similibus rebus. Observavit illa S Bernardus dicens (i) *Nonnulli talia quasi dolendo & pænitendo rememorant, sed gloriam intentione captantes commissa sua non diluunt sed se ipsos illudunt . . . Non proditur aut projicitur vetus fermentum illa Confessione sed statuitur.* Hoc Confessionis vitium a rudibus per stupiditatem, ab intelligentioribus vero per vanitatem admittitur, poteſtque in rudibus, qui Confessionem peragere non sciunt, quin omnia narrent, excusationem habere; Cavendum tamen confessario magnopere, ne memoratæ complacentiæ in animum Pœnitentis subrepant: Intelligentiores vero, qui peccata sua & necessarias circumstantias exponere norunt, quin rei totam seriem narrent, circumcidere superfluas relationes & peccatum suum simpliciter humiliterque exponere debent.

Dixi: *Humiliter*; nam & humilitas inter conditiones ad perfectam Confessionem requisitas numeratur, scilicet ad Confessionem, qua reus accusetur, non excusetur. Latius, quæ dixi, aperire juvat: Sunt nonnulli, qui, non quidem animo circumveniendi confessarium, ut ille, quod exponunt, vel non esse peccatum, quale re vera est, vel non esse grave peccatum, quod est, reputet (Nam hoc velle sacrilegum esset, & Confessionem sacrilegium faceret) sed enim ut sui misericordiam excitent & peccata sua, quantum fieri potest, extenuent, fortunam, fatum, diabolum, ætatem, impetum ac vim occasionis incusant; unde minus nocentes esse videantur. Non sic agas, acute monet S. Augustinus (k) *Neminem quæras accusare, ne accusatorem invenias, a quo te non possis defendere; nam & ipse inimicus noster diabolus, quando accusatur, gaudet & vult omnino, ut accuses illum: vult ipse, ut a te ferat, qualem volueris, criminationem; cum tu perdas confessionem.* Et alio in loco ait (l) *Cum vis esse excusator tuus, triumphat de te accusator tuus. Vis ergo facere, quod doleat & gemat accusator tuus, id est diabolus, dic Deo: Ego dixi, Domine! miserere mei . . . quoniam peccavi tibi; non fortuna, non fatum, non diabolus: Ego dixi, non me excuso sed accuso; Ego dixi . . . Sana animam meam; Unde enim ægrotat? Quoniam peccavi tibi.*

Hæc præter bona Confessio sibi vult, ut confitens promptus sit deserere ea, quæ deserere illi confessarius imperat, & paratus accipere atque implere injunctam satisfactionem. Quod ut bene intelligatis, cum S. Antonino (m) distinguere debetis: Confessarium Pœnitenti alia injungere per modum consilii, e. g. ut se Matri Dei commendet offerendo quotidie aliquas preces pro impetrando auxilio hanc vel illam pravam animi affectionem vincendi: Hoc confessarii consilium etsi animo parum stabili accipiatur, dummodo dolor de peccatis firmumque illa denuo non admittendi propositum, habeatur, graviter haud peccatur nec confessioni valor detrahitur. Alia injungit confessarius tanquam conditiones ad recipiendam absolutionem requisitas, adeo ut, nisi Pœnitens hanc conditionem acceptet & implere illam sincere polliceatur, confessarius ei denunciet, quod absolutionem impertire non possit; aut etiamsi hanc denunciationem non faciat, tamen toto sermonis contextu prodat, se illam conditionem omnino exigere, e. g. si alicui per lusum chartarum in blasphemias erumpere assueto dicat: Volo, ut tanto temporis spatio lusum illum non ludas; si impudico adolescenti aut lascivæ adolescentulæ ex colloquio cum hac illave persona in complacentias & desideria impura labi solitæ dicat: Volo, ut huic personæ, non interveniente mera & omnimoda necessitate, non loquaris; si alicui certam domum frequentanti & ibi cum persona quadam turpi scelere se obstringere assueto dicat: Non frequentabis citra absolutæ necessitatis casum domum istam; hoc casu vero interveniente auxilium Dei invoca & te, quam fieri potest, citissime expedi. Hæc aliaque similia acceptare Pœnitens debet, non solum verbis sed corde & animo ea implendi: Quod si firmum hunc animum non habet, sacrilegam Confessionem facit, quæ repeti

(i) *Serm. 16. in Cant.* (k) *Serm. 20. §. 19.* (l) *Serm. 29.* (m) *p. 3. tit. 14. c. 19.*

tota debet. Alia denique imponit confessarius in specialem satisfactionem peccatorum, quæ quis confitetur; uti si dicat: Jejunabis diem unum in pane & aqua; aut: Recitabis devote duo Rosaria &c. Et hæc acceptare Pœnitens debet animo sincero ea, quamprimum licuerit, implendi. Quod ad hunc postremum articulum spectat, observandum cum S. Antonino, quod Pœnitenti, si prævidet, se hanc vel illam pœnitentiam nimis difficulter impleturum (sive quod corporis temperationi nimium gravis ac molesta accidat sive ne domesticis observandi se factaque sua caussam det, aut ob aliam rationabilem caussam) liceat hanc difficultatem confessario exponere, qui ei aliam pœnitentiam injungere debet, ut illam Pœnitens cum sincera voluntate implendi accipiat. Hanc vero pœnitentiam Pœnitens tempore opportuno implere, hoc est: non differre illam sine rationabili caussa debet; nam longior ex mero fastidio dilatio culpa notabilis irreverentiæ non caret: Omittere autem pœnitentiam, certe grave peccatum est.

Quæret aliquis: Quid facere debet ille, qui tamdiu pœnitentiam sibi impositam distulit, ut illius omnino oblitus sit? Respondeo: Debet hic talis in prima, quam facit Confessione de ista omissione & gravi admissa negligentia sese accusare petereque a confessario, ut sibi etiam pro ante-peracta Confessione pœnitentiam injungat; quo hac ratione anterior Confessio partem suam integralem, quæ Satisfactio est, accipiat. Quæret alius ulterius: Num & anteriorem Confessionem repetere totam debet? Repono: Repeti illam omnino debere; quia novus Confessarius in obscuro & quasi per nebulam prudenter imponere pœnitentiam non potest, nisi prius cognoverit, in quo statu Pœnitens, quando anteriorem Confessionem fecit, fuerit. Hinc si status Pœnitentis in præsentiarum idem ferme est, ac prius fuit; haud opus esse existimo, ut anterior Confessio repetatur (utut oppido sit, cur de sinceritate doloris in tali Pœnitente dubitetur) sed sufficere puto, si dicat, statum suum præsentem eundem fere esse cum præterito: Quod si se in melius (ut debuit) correxit, necesse est, ut peccatorum in anteriori Confessione expositorum rationem saltem summariam reddat; quo hac ratione confessarius congruam pœnitentiam injungere possit.

Debet igitur Pœnitens pœnitentiam, quæ sibi imponitur, & acceptare & quantocyus implere: nam illam sine gravi caussa longius differre secundum idoneorum doctorum sententiam peccatum lethale est; cum sit quoddam debiti genus, quod exsolvi debet: uti alia debita, quæ stricte debentur, a debitore dissolvi quantocyus debent, quin ipsi liberum sit, satisfactionem pro libitu procrastinare: Et deinde quia hoc in gravem Sacramenti injuriam cedit, dum illud tamdiu imperfectum, & parte integrali mancum relinquitur.

Non est fas Pœnitenti, pœnitentiam sibi impositam in aliud opus (utut perfectius) sua auctoritate mutare; nam pœnitentia imposita est actus ex judicio sacro & potestate clavium procedens; id quod dici de nullo alio opere, tametsi perfectiori, potest.

Monendi hoc in loco rudiores Pœnitentes, quod, etsi pœnitentia injuncta & opere perfecta vim habeat pro pœnis, quæ admissis peccatis debentur, satisfaciendi; tamen illa, si in statu peccati mortalis peragatur, hanc vim satisfaciendi amittat; cum homo gratia Dei destitutus nec mereri quidquam nec satisfacere Deo, cujus hostis est, possit. Hinc ut pœnitentia vim suam habeat, debet illam pœnitens in statu gratiæ peragere aut saltem, priusquam eam peragat, curare, ut per actum contritionis perfectæ statui gratiæ se restituat; quo hac ratione pœnitentia ad satisfactionem fructuosa reddatur. De cetero semper obligatur Pœnitens implere pœnitentiam, sive in statu gratiæ sit sive non sit, & quamdiu illam etiam differat.

Superest alia conditio Confessionis, scilicet ut post relapsum in gravem culpam

non

non nimis longo tempore differatur: Hanc conditionem Theologi per vocem *Accelerata* exprimunt. Neque vero hoc in loco de iis dico, qui usque in feralem mortis horam differre Confessionem destinarunt; quos ipsos prædicatores quadragesimales suis de finali impœnitentia sermonibus petunt ostendere soliti, illo temporis articulo pœnitentiam longe difficillime agi; sive ad peccatorem sive ad Deum respectus habeatur. Si ad peccatorem; quia oppido incertum, utrum tempus pœnitentiæ habiturus & non potius morte repentina corripiendus sit: deinde quia voluntatem ad eorum, quæ hactenus amavit, odium & eorum, quæ hactenus odio aut saltem curæ non habuit, amorem longe difficillime traducturus est. Si vero ad Deum respectus habetur; quia talis peccator indies se indigniorem reddit, qui auxilia veræ pœnitentiæ a Deo accipiat, quippe omnibus damnationis æternæ notis insignitus. Legi hac de re S. Cyprianus *epist. 52.* S. Augustinus *serm. 393.* S. Cæsarius Arelatensis *serm. 57.* Salvianus in *Libr.* 1. possunt. Ego hæc concionatoribus quadragesimalibus inculcanda relinquens, exponere aggredior, quam periculosum sit, ne is, qui post relapsum in gravem culpam Confessionem procrastinat, impœnitens moriatur.

Ac primo quidem cum Scriptoribus ecclesiasticis omnibus istud monuisse velim, fieri posse, ut talis moriatur prius, quam Confessione animum expurget. Haud opus hoc loco multis vos argumentis fatigare, cum possibilitas ista ex se evidens sit & vix non quotidiana experientia comprobetur: nimirum si mortes improvisas quovis ferme die contingere solitas attendamus. Jam cum Deus unicuique homini & tempus & modum mortis immutabili consilio constituerit, quis unquam divinare poterit, si non & sibi mors repentina statuta sit: Quod si ita esset, væ illi, quem in statu peccati mortalis ea corriperet! Nunquid Fides nos docet, hunc talem æterna damnatione involvendum esse? Nunquid, O mei! quenquam peccato mortali gravatum (si hoc unum credat) dies suos læte exigere aut dormire leniter posse putatis, quin per doloris plenam Confessionem securitatem sibi parare quantocyus studeat? *Quis*, ait piissimus & doctissimus Parisiorum Episcopus Guilielmus (n) *vestimento suo vel calceamento faciat, ut non, quam cito inquinatum fuerit, illud ablui vel abstergi faciat? . . . Quis non equum suum, statim ut vulneratus fuerit, curandum mittat? . . . . Si autem tantopere inquinamenta & detritiones vestimentorum & calceamentorum curantur a nobis; qua studiositate & vigilantia curandæ sunt detritiones & inquinamenta vestimentorum spiritualium? Si tanta sollicitudine occurrere festinamus morbis equorum nostrorum, ne crescant aut invalescant; quanto fortius accelerandum est nobis, ne morbi aut læsiones animarum nostrarum crescant, & medicamentum Confessionis statim adhibere?* Pergit subin: *Si serpentes & colubros ab asino nostro, si venenum de corpore expellere, si hostem vel latronem de domo nostra tantis studiis atque conatibus ejicere properamus & moram illud faciendi tam acriter & in nobis & in aliis culpamus . . . quid nobis de spiritualibus serpentibus & veneno, de diabolo hoste & latrone faciendum putamus?* Quid, O mei! reponi argumentis his potest? Nunquid his ii, qui post admissum peccatum grave Confessionem procrastinant, manifestæ & impiæ in animam suam stupiditatis convincuntur?

Dicet aliquis: Ergone is, qui post peccatum mortale confiteri differt, novo se lethali peccato obstringit? Respondeo: toties illum, qui se in statu culpæ mortalis esse advertit nec confiteri quantocyus aut saltem perfectæ contritionis actu gratiam Dei recuperare curat, novum mortale peccatum peccare. Ita sentiunt S. Thomas (o) & S. Antoninus (p) Alexander Alensis, Guilielmus Parisiensis, Paludanus, Abulensis, Masor, Marsilius, Cajetanus, Victoria, Petrus de Soto & Sylvester, longe gravissimi Auctores citati a P. Suarez (q) Argumenta illorum hæc sunt: primum est titulus charitatis, qua homo amare se ipsum tenetur: nimirum ne longiori tempore æternæ damnationis

(n) *Tract. de Sacram. Pœnit. c. 19.* (o) *Supp. q. 3. a. 5. & 2. 2 q. 62. a. 8.* (p) *3. p. tit. 14. c. 18. §. 2.* (q) *Tom. 4. in 3. p. disp. 25. sect. 5. n. 1. & 2.*

nis periculo se exponat, si forte morte repentina, quæ mille modis accidere potest, confitendi copia ei tollatur. Secundum argumentum nova eaque gravis est injuria, quam talis peccator Dei majestati infert, dum ad pœnitentiam misericorditer invitatus dolere deliberato recusat; nam quis est nostrum, qui gravem principi injuste læso injuriam non accedere ab eo subdito putet, qui ad reconciliandam gratiam vocatus pacem ultro a principe oblatam ingratus detrectaret. At hoc ipsum peccator facit, dum Deo monente per conscientiam dicentem: *Ecce! es in statu peccati & inimicitia cum Deo: abi, pete veniam, confitere*, id fastidita invitatione omittit. Tertium argumentum a S. Thoma alio in loco allatum, idque fortissimum hoc est; quod homo in statu peccati mortalis hærens, cum jam a Deo vero fine suo habitualiter aversus & ad finem falsum Deoque contrarium conversus existat, haud diu stare possit, quin actum ad falsum finem, cui habitualiter adhæret, spectantem ponat eaque ratione nova peccata mortalia admittat. Apparet hoc in illis omnibus, qui rei aut creaturæ alicui habitualiter adhærent: Ita e. g. qui musicæ arti habitualiter adhæret, haud diu esse (moraliter loquendo) poterit, quin eandem exerceat: Ita & in studiis & aliis similibus rebus fieri consuevit. Jam cum homo peccato mortali obnoxius creaturæ habitualiter adhærescat (scilicet ei rei, qua in peccatum agitur, qua contra legem Dei animo suo satisfacit) moraliter fieri haud potest, ut diu sit, quin agente habituali ejus rei affectu in alia peccata mortalia labatur. Hinc concludit Doctor angelicus: *Antequam hominis ratio, in qua est peccatum mortale, reparetur per gratiam justificantem, potest singula peccata mortalia vitare & secundum aliquod tempus . . . sed quod diu maneat absque peccato mortali, esse non potest*: & post hæc subdit allatam rationem.

Concludamus igitur & nos: Si homo in statu peccati mortalis positus quovis momento æternæ damnationis periculo patet, quia quovis momento mori ex improviso potest: si conversionis dilatio pœnitentiam magis magisque difficilem reddit: si talis homo in continuo nova peccata mortalia admittendi periculo versatur, adeo ut teste S. Thoma, *quod diu maneat absque peccato mortali, esse non possit*: Si ita res se habent, utique verissimum erit, quod homo, si in peccatum mortale labitur, ob charitatem, quam sibi ipsi stricte debet, differre haud debeat, quin perfectæ saltem contritionis actum eliciat. Hinc quoties periculosum statum suum recogitat & confiteri aut actum perfectæ contritionis exercere omittit, toties mortaliter peccat. Sic sermonem hunc meum magnus sacræ Familiæ meæ Archiepiscopus Antoninus finit, dicens: *Quantum ad peccata mortalia, de quibus nondum quis habuit contritionem, videtur, quod semper teneatur, quando peccatum menti occurrit, ad actu odiendum & detestandum peccatum: alias peccat mortaliter peccato omissionis, quousque conteratur.*

SERMO XLII.

De officiis Confessarii.

Cum liber hic meus eo præcipue spectet, ut fideles officiorum suorum minus gnari erudiantur fructumque capiant; haud opportunum videtur, sermonem ex proposito ad eos convertere, qui muneris sui ratione eo obligantur, ut non ipsi solum eruditi sint sed alios quoque erudiant (quorum maxime in numero Confessarii,

sarii, ministri hujus Sacramenti & conscientiarum arbitri, sunt) Tales, O mei! tales certe esse hi deberent; sed quoniam, qui hactenus utut indignus quadraginta &, quod excurrit, annorum spatio Confessarii munus sustinui, manibus quasi palpavi, esse Confessarios, qui muneri suo magnopere desunt; ob id haud abs re fore judicavi, si & ipsos uno sermone alloquerer, ut illi, si quidem omissiones eaeque graves, a me experiundo detectae, ab ipsis in hujus Sacramenti administratione admissae ex ignorantia provenerunt, ministerii sui officia discant; si vero ex Sacramenti, ut par est, administrandi vel negligentia vel malitia profectae fuerunt, exterreantur ac perturbentur, quo partes suas implere constituant, eoque modo tum aliorum, qui se illis sistunt, animae misere non tradantur tum propriae eorum damnationis aeternae aleam devitent.

Missis igitur quaestionibus tum dogmaticis, quas Theologis polemicis: tum moralibus, quas Theologis moralibus ventilandas relinquo, dotes digni & prudentis Confessarii explanare aggredior. Prima harum, quae ad praecipua Confessarii officia spectat (Qualia sunt, ut sit Judex, Doctor, Medicus) est scientia & proba materiarum theologicarum, praeprimis moralium, sacrorumque Canonum cognitio; nam quomodo bene ac recte judicabit judex, qui materiarum ad forum suum pertinentium sufficientem notitiam non habet? quomodo alios docebit, qui sufficienti scientia ipse destituitur? quomodo cum fructu medicamenta adhibebit medicus, qui ea eorumque vim ignorat? *Nulla ars*, ait S. Gregorius M. *doceri praesumitur, nisi intenta prius meditatione discernatur* (a) *Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium, regimen animarum?* Subdit deinde: *Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen saepe, qui nequaquam spiritualia praecepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt; dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt.*

Quaeret aliquis: Qualis ac quanta esse debet Confessarii scientia? Respondet summus Pontifex Innocentius IV. duos esse scientiae gradus, unum *eminentem*, alterum *mediocrem*: *Scientiam reputamus eminentem, quae subtiles quaestiones discutere & definire novit & in promptu responsiones habet; Ille habet mediocrem, qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere, & qui in libris veritatem eorum, quae scire tenetur, scit quaerere, etsi in promptu omnia non habeat* (b) In eandem sententiam ait S. Thomas (c) *Haec scientia, etsi non sit major, tamen tanta debet esse, ut sciat distinguere inter peccatum & non peccatum, vel inter peccatum mortale & peccatum veniale; quod si in aliquo esset dubitatio, posset ad discretiores recurrere.*

Ex his colligite, quemlibet Confessarium communes & unanimi Theologorum voce receptas de peccatis sententias, item regulas & principales claves omnium tractatuum nosse debere, ut (siquis casus occurrat, cujus solutionem nec ex libris petere nec a doctioribus accipere potest) ipse ex memoratis generalibus regulis & earundem cohaerentia ac combinatione conficere possit, quid statuendum sit. Et quoniam innumera sunt, de quibus contenditur, utrum hoc vel illud grave peccatum sit vel non sit; ob id secundum laudatum canonem Innocentii IV. non quid commodius sed quid verius quaerere in libris debet: *In libris veritatem quaerere.* Unde si de eo agitur, ut dicat, hoc vel illud peccatum grave esse vel non esse, debet eam partem sectari, quam ad verum propius accedere videt & in conscientia cognoscit; nam hoc quidem certum manet, verum clare agnitum a nullo omnino mortalium rejici posse: quemadmodum etiam certum, quod omnis judex, maxime rerum ad animam spectantium, quaerere verum in iis rebus omni studio debet, in quibus illud manifeste non apparet. Dici itaque non poterit, quod sincere verum quaerat ille Confessarius, qui e. g. videns, opinionem, affirmantem hoc vel illud esse peccatum mortale, graviores habere rationes & veritati pro-

(a) Libr. pastor. p. 1. c. 1. in expos. Textus.

(b) In Cap. Cum in cunctis &c.

(c) In 4. Sent. dist. 17.

ximiorem esse, quam eam opinionem, quæ istud negat & a vero alienior est: qui (dico) ista videns tamen hanc posteriorem præ priori eligit. De tali, inquam, Confessario dici nunquam poterit, quod veritatem quærat; quia opinionem sua conscientia teste veritati magis consentaneam posthabet, ut aliam sectetur, quam veritati minus consentientem cognoscit: Quemadmodum nec dici potest, quod ille modestiam vere diligat atque sectetur, qui (Ubi de actione secundum nonnullos auctores modestiæ contraria secundum alios non contraria agitur) eam opinionem eligit, quæ memoratam actionem modestiæ non contrariam esse affirmat; utut illa opinio levioribus argumentis nitatur: & postponit opinionem, quæ dictam actionem modestiæ contrariam esse affirmat; tametsi hæc posterior opinio gravioribus rationibus nitatur. Itaque Confessarius in dubio aliquo versans, nisi erroris haud excusandi aleam subire velit, eas sententias sibi adoptet, quas in conscientia sua ad veritatem propius accedere cognoscit: si a Deo pro sincero veritatis cultore atque indagatore haberi voluerit; nam si eo fere modo gerere se judex in caussis bonorum fortunæ temporalibus ex definitione sanctæ Sedis (d) debet, multo magis id facere judex animæ & vitæ æternæ, Confessarius nimirum, debebit.

Dicet aliquis habens Confessarium, quem omnia alia potius quam Theologiæ moralis & Canonum studium frequentare novit: Ergone Confessarius, quamdiu sacrum hoc ministerium exercet, scientiarum canonicarum & moralium studium nunquam intermittat? Nunquid sufficit, ipsum in examine episcopali approbatum esse? Est hic maxime, O chare! error multorum, qui non considerantes, utrum ad se regendos quivis Confessarius aptus sit, primo occurrenti (dummodo approbatus sit) adhærent. Respondeo itaque & dico: Si approbationi episcopali virtus tam prodigiosa inesset, ut scientiam debitam daret, hanc approbationem sufficere utique ipsus contenderem; Sed virtutem istam approbatio episcopalis non habet & paucarum quæstionum in examine propositarum solutio, etsi sufficiens documentum det, eo ut quis approbetur, nequaquam tamen ad formandum doctum Confessarium sufficit. Hinc Episcopus approbans Approbatum ab officio vacandi studiis nequaquam immunem facit, sed ad colenda studia etiam hortatur & a multis examinatoribus Examinando proponi quæstio solet: Utrum approbatus post approbationem ad studia stricte obligetur? Et respondet Approbandus: hanc obligationem remanere; cujus rei ratio evidentissima est, multis ex titulis orta: primo quod materiæ morales quam longissime pateant: secundo quod ea, quæ leguntur, facile ex animo effluant: tertio & maxime quod casus innumeri a principio libero & ad malum prono (voluntate scilicet, quæ per peccatum originale in malum inclinata remansit) produci possint. Hinc cum sint innumerabiles cogitationes atque deliberationes, quas intellectus ac voluntas libera facere, & innumeræ combinationes, quas formare possunt; ob id animæ judex a studendi officio liberum ac solutum credere se nunquam debet; quamdiu quidem sacro pro tribunali sedet: Et quamvis sacerdoti approbatio sufficiat, ut valide sacrum ministerium exerceat; tamen ob id nequaquam sufficit, ut illud licite etiam exerceat, nisi inter alias conditiones memoratam quoque scientiæ dotem habeat. Hinc Deus de sacris novæ legis ministris per Jeremiam vaticinans ait, eos scientiæ & doctrinæ subsidiis instructos fore: *Et dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina* (e)

Quæ cum ita sint, nonne deflendi sunt tot Sacramenti Pœnitentiæ ministri, qui scientiarum moralium studio alius hoc, alius illud occupationis genus anteferunt; quæ occupationes quamvis ex natura sua laudem habeant, tamen Deo in sacris ministris displicent; siquando ipsis tempus, quod requisito ad sacrum ministerium studio dicare deberent, rapiunt. Sic alius canendi arti musicæ, alius eruditionis profanæ studio, alius

(d) *Prop. 2. ex damnatis ab Innocent. XI.*

(e) *Jerem. 3.*

alius scientiis mathematicis, alius artibus liberalibus, alius artibus jucundis atque oblectantibus, immo (Avertant Superi!) lusibus per sacros adeo canones prohibitis se addicunt. Equidem artes hæ omnes (Postremam si excipitis) ab animarum rectoribus ut accessoriæ considerari & mere virtuosæ oblectationis loco reponi; nequaquam primum & præcipuum Confessarii studium esse debent, monente Catechismo Concilii Tridentini (f) *In primis opus est, ut hujus Sacramenti minister tum scientia & eruditione tum prudentia præditus sit; Judicis enim & medici simul personam gerit: Ac quod ad primum attinet, satis constat, non vulgarem scientiam necessariam esse.* Itaque Confessarius, ut de iis, quæ in sacro ministerio facile delinquere potest, Deum sibi propitium habere queat, memoratis se studiis occupet seligens opiniones, quas veritati propiores in conscientia sua credit.

Ast quoniam doctrina sine prudentia non solum parum juvat, sed quandoque etiam nocet; hinc secunda Confessarii dos esse prudentia reputatur, cujus potissimum adminiculo medici officium facit, monente denuo Catechismo: *Ut autem medicus est, summa quoque prudentia indiget; etenim diligenter providendum est, ut & remedia ægroto adhibeantur, quæ ad illius animam sanandam & in posterum contra morbi vim muniendam aptiora esse videantur.* De hac Confessarii prudentia ita enucleatius S. Thomas (g) *Sacerdos debet perscrutare conscientiam peccatoris, quasi medicus vulnus; quia frequenter, quæ præ confusione confitens taceret, interrogatus revelat. Sed,* pergit S. Doctor, *tamen in interrogationibus faciendis tria sunt attendenda: primo ut quilibet peccator interrogetur de peccatis, quæ consueverunt in hominibus illius conditionis abundare . . . Secundo ut non fiat explicita interrogatio de peccatis, nisi de illis quæ omnibus manifesta sunt: de aliis autem adinventionibus peccatorum ita debet a longinquo fieri interrogatio, ut si commisit, dicat, & si non admisit, non addiscat. Tertio ut de peccatis præcipue carnalibus non descendat nimis ad particulares circumstantias*, præprimis in certis personis, postquam speciem & numerum eorum addidicit.

Vellem hoc loco a quibusdam Confessariis rescire, quibus demum argumentis sententiam, quam profitentur, aut nihil aut perpauca interrogandi fulciant. Neque credatis, O mei! ultro me reos, quos increpem, hoc loco quasi fingendo mihi proponere: Nequaquam istud; Sed enim, quæ dico, experientia plurima doctus dico. Incidi namque in innumeros pœnitentes, qui a me interrogati de iis, de quibus interrogare illos omnino oportuit, primum quidem id, ut rem insolitam sibique novam, mirabantur: postea vero gratias agebant: Deponebant etenim ad pedes meos multas circumstantias mortales speciem mutantes, multa peccata mortalia nunquam indicata, quia de illis nunquam interrogati fuerunt: Et tamen erant peccata hæc ex eorum numero, quæ ab hominibus illorum ordinum atque ætatum fieri consueverunt (Uti ait S. Thomas) Et erant eorum ex numero, de quibus, injecta de longinquo mentione, me intellexerunt pœnitentes mihique ea manifestarunt. Inveni multos nimis, qui, dum se de mortalibus luxuriæ operibus accusabant, nihil de imaginationibus impuris deliberata cum complacentia admissis, nihil de desideriis deliberatis opere non completis, nihil de sermonibus impurissimis ab actione lasciva sejunctis (De quibus vel nunquam vel semel tantum interrogati fuerant.) meminerunt. Inveni alios reos gravium vindictarum, quas de Proximo sumpserant, quin interrogati fuerint, quamdiu illam animis machinarint, illius sumendæ propositum sexcenties renovando. Inveni alios reos innumerabilium obtutuum complacentiis impuris junctorum, quas nunquam confessi fuerant, quippe nunquam de istis interrogati, quando de aliis impudicitiis sese accusabant. Inveni reos debitorum non solutorum & (quod sequitur) reos multarum gravium omissionum adversus justitiam; quia, cum sæpius creditoribus suis sive ex toto sive ex parte satisface-

(f) p. 2. de Sacr. Pœnit. §. 56. (g) In 4. Sent. dist. 19. in expl. Textus.

re potuissent, satisfacere non voluerunt, ut cupiditatibus suis satisfacerent, facultates suas rebus aliis haud necessariis insumentes; quamobrem & damna emergentia & lucra cessantia egenis creditoribus suis resarcire tenebantur. Sic, opportunas interrogationes interponendo, & temeraria judicia & rerum verarum at occultarum Proximi famam atterentium manifestationes & alia peccata sum expiscatus, quæ pœnitentes multis annis siluerant; quia nunquam de iis interrogati fuerant. Jam posthæc, O mei! num illos Confessarios, qui, quæ sibi exponuntur, auscultant, quin parum aut nihil interrogent, num vere judices, medici, doctores (His characteribus veri Confessarii internoscuntur) appellari posse: num illos in judicio Christi de pernicioso, quod coluerunt, silentio non arguendos esse putatis; unde & ipsi dicere cogantur: *Væ mihi, quia tacui* (h) Nunquid illis vel concurrentium ad sacrum tribunal multitudo vel verba Pauli: *Nihil interrogantes propter conscientiam* (i) longe alio sensu & in occasione omnino contraria ab Apostolo prolata excusationem defensionemque præstare poterunt?

Alia boni Confessarii dos morum probitas & vitæ exemplaris integritas est, quæ Dei & sancti hujus Sacramenti ministrum decet; Nam *illa Vox*, teste S. Gregorio Papa (k) *libentius Auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat; quia quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat, ut fiat.* Profecto quo haberi loco minister Pœnitentiæ potest, de cujus vita ac moribus deterior fama vagatur. Si lusor: si verbosus: si lurco: si jocosus: si genio indulgens: si suis commodis serviens: si parum devotus, paucorum minutorum spatio Missam deblaterans: si linquæ effrenis, parum pudicæ & ad verborum ambiguitates pronæ: si consortii fæminarum nimis amans: si facilis ad juramenta dicenda (Et quæ sunt alia similia) audit? Quo animo, inquam, pœnitentes monita excipiant, quæ præbere ille pro rerum ratione debet? Contra si minister Pœnitentiæ decantatæ probitatis, si pius, si solitudinis amans, si a cætibus hominum & promiscuis conversationibus aversus (paucis) si moribus exempli optimi fuerit; hujus vox quanto libentius & auditur & excipitur? Ob eam rem statuit jus canonum (l) *Sacerdos, cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit judicandus, quæ in alio judicare est promptus*: Qua enim ratione aliquis (Addiderim ego) aliis fugam eorum peccatorum efficaciter persuadere poterit, quibus ipse subjacet? Qua ratione fugam e. g. juramenti fortiter inculcare poterit is, qui jurare ipse amat? Quod si vitium hoc in aliis vere execraretur, utique in se ipso prior abominaretur: si jurandi facilitatem animæ periculosam esse crederet, utique eam suæ primum animæ, subin demum aliorum animabus periculosam esse sibi persuaderet. Sic de reliquis vitiis sentite, quæ quis admittere solet: Non poterit hic eorum fugam persuadere; sed enim ille, qui eorundem immunis est.

Ex hoc fit, quod multi Christianorum jure ac merito mirentur, quomodo fieri possit, quod inter catholicæ Ecclesiæ membra tot peccatores sint; cum tamen tot Confessarii sint, & in multis peccatoribus usus Confessionis non adeo rarus sit. Rei hujus rationem attuli in medium, O mei! quia nimirum ab aliquibus, fors etiam a multis Confessariis, quæ fieri certe deberent, non fiunt nec peccati mortalis fuga debita cum efficacia inculcatur; sed enim frivola illa hortatione: *Pete veniam a Deo*, pœnitentes in pace dimittuntur. Hoc jam olim Jeremias quasi per vaticinium miratus est, dum filiam populi sui (scilicet Jerusalem, solitam illam Ecclesiæ nostræ & animarum eandem constituentium figuram) plagis confectam atque attritam vidit: *Super contritione filiæ populi mei contritus sum & contristatus; stupor obtinuit me* (m) Et pergit: *Nunquid resina non est in Galaad aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Sunt, O Propheta! sunt in Ecclesia & balsamum Sacramenti Pœnitentiæ & medici multi, qui illius ope vulnera animarum

(h) *Isaiæ 6.* (i) *1. Corinth. 10.* (k) *Reg. pastor. p. 2, c. 3.* (l) *Can.* Qui vult. *dist. 6. de Pœnit.* (m) *Jerem. 8.*

rum sanent. Verum non sanari illas ex eo contingit, quod medicorum officium perperam administretur, & remedia sive importune sive debito modo non applicentur. Sint itaque medici & docti & prudentes & pii: applicent medicamenta fortissima & cui, & quando, & quæ applicari debent, opportuna cum admonitione, hortatione atque institutione, & cessabit admiratio, quod fructus non exeat.

Neque tamen ob id asper, durus & severus sit Confessarius: Debet ille nec asper totus nec totus suavis esse; sed enim suavitatem asperitate pro ratione rerum & pœnitentis conditione temperare debet, quamvis vincere asperitatem suavitas & austeritatem misericordia semper debeat. Hoc S. Ambrosius (n) a Deo sibi petiit, ut se ad excipiendas peccatorum confessiones bene præpararet: *Ac primum ut condolere norim peccatoribus affectu intimo & quotiescunque peccatum alicujus lapsi exponitur, compatiar nec superbe increpem, sed lugeam & defleam, ut dum alium fleo, me ipsum defleam:* Et subdit: *Quomodo se tibi curandum præbeat, quem fastidio habes, qui contemptui se non compassioni medico suo putet esse futurum.* Jesus nos ad se mansuetudine traxit: venit non ut exterreret, sed ut invitaret: *Unde liquet eos inter Christi discipulos non esse habendos, qui dura pro mitibus . . . sequenda esse opinantur &, cum ipsi quærant Domini misericordiam, aliis denegant.* Sit itaque Confessarius accessu facilis, benignus, mansuetus: Ea, quæ audit, non miretur vel quasi attonitus stupeat; sed misero peccatori morborum suorum spiritualium omnium manifestationem modis optimis facilem reddat &, quo gravius illi olent, eo magis ad exponendum hortetur. Ah! quanta mala interpellationes pœnitentis, intempestivæ illæ increpationes, ille affectatus stupor efficere consueverunt: Persæpe is obmutescere miserum & pudore confusum pœnitentem facit, ut ille alias graviores culpas taceat & bonæ Confessionis loco sacrilegium cum multis subsequentibus faciat. Novi hoc optime ego, cui sæpius accidit, multas Confessiones dura hac agendi ratione, qua illæ interpolatæ fuerunt, vitiatas cum pœnitentibus repeter ere.

Neque tamen benignitas ac suavitas ista vel tanta vel tam late patens esse debet, ut in omnes promiscue & quovis in casu adhibeatur. Nequaquam istud; Sunt enim nonnulli protervi, audaces & (Ut sic dicam) nullius frontis homines, in quos gravitate, moderata increpatione, & asperitate temperata uti opus est eum solum in finem, ut a proterva & irreverenti agendi ratione abducantur: Condiri tamen omnia lenitate debent, ut illi, quicquid occulti latet, prodant. Neque etiam hæc in suavi agendi ratione requisita benignitas degenerare in nimiam indulgentiam debet, ita ut concedantur, quæ concedi non deberent: Hinc Confessarius ex stulto timore, ne forte austerus reputetur, concedere id pœnitenti minime debet, quod in conscientia sua bene formata non concedendum esse judicat; sed negare id constanter, attamen suaviter ac benigne, debet. Quisquis secus fecerit & pœnitentibus in iis obsequentem se præbuerit, quæ negare deberet, falsis illis ministris sese aggregat, quos Propheta Ezechiel & prævidit & coarguit, dicens de illis sensu allegorico: *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubitu manus & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas* (o) Quid sibi oraculum hoc velit, exponit S. Gregorius Papa (p) *Pulvillos quippe sub omni cubitu manus ponere est cadentes a sua rectitudine animas atque in hujus mundi se delectatione reclinantes blandia adulatione refovere; quasi enim pulvillo cubitus vel cervicalibus caput jacentis excipitur, cum correctionis duritia peccatori subtrahitur eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulset.* Corrigat itaque Confessarius, quando corrigendum: neget, quando negandum: differat Absolutionem, quando differenda, cum omni constantia & animi libertate iis tamen modis semper, ut non offendat, ut miserationem ostendat prodatque, ægre se ferre, quod sic agere debeat, reddens etiam (Si opus fuerit)

(n) *Lib. 2. de Pœnit. c. 8. & Lib. 1. c. 1.* (o) *Ezech. 13.* (p) *Lib. pastor. p. 2. c. 9.*

rit) rationes, cur sic agere debeat. His falsæ & perniciosæ benignitatis laqueis ne impediantur, ii Confessariorum cavere debent, qui multos ad sua confessionalia accurrentes habere: qui personas spectatas regere amant. Hac etenim re fit, ut (Ubi sese occasio dederit, virum aliquem nobilem aut illustrem fœminam aut personam ecclesiasticam graduatam pro tuenda veritate & juribus legis divinæ defendendis eorum, quæ ipsi sibi petunt & quæ secundum sententias vel communes vel rationi & veritati magis consentientes permitti haud possunt, denegatione offendendi) tales Confessarii suæ ipsorum conscientiæ vim inferant & dictamina quodammodo torqueant, ut pœnitentibus obsequantur: Hac re fit, ut (Ubi necesse fuerit, personis pœnitentibus, sive quod in gravia peccata relabantur sive quod mortalibus vitiis assuetæ sint sive quod in occasione proxima non necessaria sed libera & ultro volita vivant, post multas Confessiones non apparente prudenti sinceræ dispositionis spe differre Absolutionem, donec certa emendationis indicia habeantur; ne sententiæ damnatæ incurrantur) talibus Confessariis metus hunc illumve pœnitentem, hanc illamve pœnitentem amittendi varia suggerat remedia, varios modos proponat, conscientiam in transversum abripiat, ut illi tremente adeo manu Absolutionem impertiantur. Hujus generis Confessarii, grave periculum est, ne Confessionum loco sacrilegia & faciant & fieri ab aliis faciant, ministrisque ab Ezechiele memoratis annumerentur, qui consuunt pulvillos sub omni cubitu manus & cervicalia sub capite omnis ætatis: Unde per falsam hanc & exitiosam benignitatem evadunt pastores oves Domini sui jugulantes, medici ægrotos popul sui occidentes, judices turpiter adulantes, censores flagitia foventes, cæci gregem Domini dirigentes: Tales illos vidit exhorrescens nimium & præ dolore cordis vociferans Propheta Jeremias (q) *Heu! heu! Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo! In domo Domini horrendum vidi! Pastores Domini sui oves jugulantes: medicos populi sui ægrotos occidentes: judices turpibus blandientes: censores flagitia palpantes: cæcos gregem Domini dirigentes.* Num, O mei! oraculum expressius esse posset?

Restat ultima dos Confessario omnino necessaria, nimirum Secretum sive Sigillum sacramentale. Nullum Confessariorum latet, se ad perpetuum peccatorum in Confessione auditorum silentium & naturali & divino positivo & ecclesiastico præcepto obstringi, adeo ut nec directe nec indirecte in nullo plane casu violare illud, personam indicando, liceat; etiamsi vita ipsa in discrimen veniat. Quod ad præceptum naturale attinet; illud per se patet: Quod ad præceptum divinum attinet; ejus rationem hanc assert S. Thomas (r) *Præceptum de Confessione celanda consequitur ipsum Sacramentum: & ideo sicut præceptum de Confessione sacramentali facienda est de jure divino, & non potest aliqua dispensatione vel jussione humana homo absolvi ab eo: ita nullus ad revelationem Confessionis potest ab homine cogi vel licentiari.* Quod ad præceptum Ecclesiasticum spectat; illud pluribus Canonibus proditur, quos hoc loco adducere haud opus.

Persuasissimum habeo, non esse Confessarium tam imprudentem, qui Sigillum Confessionis consulto violare unquam audeat; nisi aut summe impius aut infidelis aut stultus sit. Attamen fieri potest, ut Confessario quandoque indirecte ex inconsiderantia aut oblivione aut ob exiguam cautelam vel, quod de gestis nonnullis sermo fieri posse videatur, signum aliquod aut verbum memorato Sigillo nocivum excidat; qua in re multum sibi attendere Confessarii debent, præsertim dum de occurrentibus spinosis casibus alios consulunt: Curent igitur ab iis theologis consilium sibi petere, qui nulla ratione notitiam reorum accipere posse videntur; circa quod in locis angustis, in quibus omnes propemodum personæ, earum artes, cognationes conditionesque noscuntur, majori cautione opus; cum ex illis is, qui consulitur, facile reas personas dignoscere possit. Unde si hoc Confessarius veretur nec dif-

(q) *Cap.* 4. (r) *Suppl. q.* 11. *a.* 1. *ad* 2.

differre possit, donec alios consulat, adeat libros ac præcipue Deum, petens ab eo lumen, ut, quid sibi agendum sit, discat: Deum (inquam) qui humiliter invocantibus &, ut Sigillum inviolatum servent, aliter agere moraliter non valentibus deesse non solet.

Et quoniam inter alias caussas, ob quas inviolabile hoc silentium Confessariis imponitur, etiam hæc numeratur, ut omnis difficultas ac molestia Confessioni detrahatur, eaque facilior ac levior reddatur: ob id cavere sibi Confessarius debet, ne vel ea revelet, quæ, quamvis peccata non sint, tamen aliquid dedecoris afferre pœnitentibus eorumque existimationem atterere possunt. Hinc Theologi communiter affirmant: peccare mortaliter eos Confessarios, qui naturalia vitia solius Confessionis ope cognita manifestant, e. g. hanc illamve personam parvi ingenii aut phantasiæ perversæ, timidam, tædiosam, scrupulosam, haud legitimo thoro natam esse. Similiter Sigillum Confessionis labefactatur, si quis de quodam Collegio, Nosodochio, Monasterio & similibus locis dicit: ibi regnare Venerem, discordias, vanitatem, inconvenientes amores aliaque. Si quis de urbecula aut alio augusto loco dicit: dominari ibi adulterii & furti aliaque vitia. Si quis post auditas eodem die Confessiones dicit: se nullum ferme absolvisse. Si quis post auditas paucarum fœminarum aut virorum Confessiones dicit: sibi hodie hunc vel illum casum occurrisse; quoniam fieri facile potest, ut aliquis, qui personas illas vidit, de persona rea conjecturam faciat. Infringunt præterea sacrum Sigillum ii Confessariorum, qui aliis inspectantibus per corporis gestus aut nescio quem affectatum stuporem aut per certos in pœnitentem impetus significant, se enormia audire: qui voce adeo alta utuntur, ut audiri a circumstantibus possint. Omnes hæ & agendi & loquendi rationes Sigillo suo modo officiunt & Confessionem odiosam reddunt. Unde qui sic se gerunt, nisi inconsiderantia mere accidentali excusentur, secundum communem Theologorum sententiam mortaliter peccant.

Post allatas & expositas boni Confessarii dotes sermonem hunc verbis Catechismi (s) Concilii Tridentini claudere juvat. Si percepistis, O mei! quibus dotibus præditus esse Confessarius debeat, ut muneri suo digne præsit: Si percepistis, quantum ad bonum summi salutis æternæ negotii exitum consequendum talem Confessarium invenisse conducat: Si percepistis e contrario, unicum hoc & momenti maximi negotium, si Confessarius officio suo deest, pro pœnitente multis modis intricatum atque implicitum remanere: Si hæc (inquam) percepistis, conficite, quæso! quanto studio curare debeatis, ut Confessarium inveniatis, in quo sive per experientiam sive ex vera aliorum relatione memoratas dotes inesse sciatis. Hinc nequaquam cuivis primum obvio Confessario vos committatis (præsertim si ex longo tempore confessi non estis, aut ejusmodi casibus gravamini, quæ sapientiam ac prudentiam sibi volunt, aut consuetudine peccati mortalis tenemini, aut occasione quadam impliciti vivitis, in qua Deum sæpe offenditis) Sed enim eum vobis Confessarium adoptate, qui memoratis dotibus, quantum fieri potest, ornatus sit: *Ex quo poterunt Fideles intelligere, cuivis magno studio curandum esse, ut eum sibi sacerdotem deligat, quem vitæ integritas, doctrina, prudens judicium commendet; qui & quantum in eo officio, cui præest, ponderis ac momenti sit, quæ cuique sceleri pœna conveniat, & qui vel solvendi vel ligandi sint, optime noverit.*



SER-

(s) *Part. 2. de Pœnit. n. 56.*

SERMO XLIII.

De fructibus bonæ Confessionis.

QUemadmodum quodvis Sacramentum, præter communes, suos speciales effectus habet; ita quoque hoc tam necessarium Pœnitentiæ Sacramentum animabus digne recipientibus effectus suos eosque multum insignes affert. Jam sæpius vos, O mei! monui, Sacramentum hoc dici *Sacramentum mortuorum*, hoc est: institutum fuisse a Christo in gratiam animarum modo spirituali mortuarum per peccata mortalia, per quæ illæ supernaturalem gratiæ vitam amiserunt: quibus tamen, si debitis cum dispositionibus Sacramentum hoc suscipiunt, peccata omnia a Deo condonantur. Ecce vobis, O charissimi! primum Pœnitentiæ effectum, peccatorum scilicet mortalium omnium unaque pœnarum infernalium illis debitarum remissionem. Dixi *Peccatorum omnium*; nam Dominus peccatori non solum ea peccata, de quibus se accusavit, sed illa etiam omnia, quæ talia esse inculpabiliter ignorat aut etiamsi norit, absque sua culpa non recordatur, dimittit, hoc solum obligationis imponens pœnitenti, ut, quando illa cognoverit aut eorum recordatus fuerit, se debito cum dolore de illis accuset. Jam quid vos, O mei! de primo hoc maximoque Sacramenti nostri effectu sentitis? Hunc ut aliquatenus comprehendatis, fingite subditum aliquem multis gravibusque injuriis Principis sui personam læsisse eaque re promeruisse, cur infami in theatridio pœnis longe atrocissimis vivorum e numero expellatur: qui ob id ipsum per totum imperium profugus nullibi locorum securus lateat. Jam si graviter læsus Princeps denunciaret: se perduelli huic (si is humiliatus ac pœnitens, ad pedes alicujus ministri aulici provolutus, eidem omnia crimina adversus Principem commissa sincere dolenterque & cum firma illa amplius non iterandi protestatione confiteretur) se, inquam, perfido gratiam plenissimam facturum; nunquid miserum hunc istud denunciationis genus summi beneficii loco habiturum: nunquid illum humilis & dolentis confessionis hujus bonum effectum inter maximos reputaturum esse putatis? At hic, O mei! est casus noster, immo sine comparatione major & Fidei oraculis certus. Peccatores sunt miseri illi, qui æternum Principem nostrum, scilicet Deum nostrum, sæpius graviter offenderunt: digni sunt ob id æternis inferni suppliciis: ita perfidi isti Principis hujus summi dominio, quod in totam rerum universitatem patet, subjacent, ut angulus non sit, qui eosdem omnipotenti brachio ejus subtrahat, atque ob id infelices inferni in faucibus continuo hærent: instituit Princeps hic sanctum Pœnitentiæ Sacramentum, addito promisso, cuivis ad sacrum tribunal animo dolenti & peccare amplius nolenti accessuro delictaque sua, utut maxime enormia, uni approbatorum ministrorum confessuro remissionem peccatorum impertiendam, & sic confitentem hujus remissionis ope ab æterna insuper damnatione, peccando commerita, liberandum fore. Omnia hæc de Fide & omnino indubia sunt. Igitur si ille, quem finximus, reus confessionem suam per injuriarum Principi suo illatarum & suppliciorum iis promeritorum remissionem egregia quadam utilitate compensatam crederet; quanto magis nos fructum bonæ Confessionis sacramentalis pro inæstimabili habere debemus, quandoquidem illa pœnitenti peccatorum in Deum admissorum & pœnarum infernalium illis meritarum veniam affert?

Neque vero credatis, O mei! Deum injurias sibi factas eo modo condonare, quo homi-

homines injurias sibi illatas condonare assueverunt: Nequaquam istud. Homines remittere injurias solent simpliciter declarando, se lædentibus ignoscere, eosque in pristinam amicitiam recipiendo; quin dans veniam boni quidquam animo ejus, cui ignoscit, afferat: Contra Deus peccatori peccata sua remittit infundendo animæ illius donum omnibus, quæ cogitari possunt, majus, scilicet gratiam suam, quæ est vera *Esse* divini participatio, hoc est: entitas supernaturalis animæ, quæ per remissionem peccatorum justificatur, infundi solita. Ita Fides per effatum S. Concilii Tridentini docet, in hæc verba statuentis: Quæ (gratia & charitas) *in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffunditur atque illis inhæret* (a) Jam, O mei! nunquid vel me vel alium quenquam mortalium facundia tanta præditum esse putatis, ut magni hujus doni, per quod peccata a Deo dimittuntur, pretium atque magnitudinem explicare possimus? Absit, ut hoc vobis persuadeatis, O mei! nam quemadmodum nullus mortalis est, qui essentiam naturamque Dei Auctoris supernaturalis dicendo digne explanare possit; ita nullus existit, qui divinæ gratiæ pretium verbis complecti pro dignitate queat, quæ (Ut S. Thomas & Theologi omnes affirmant) *formalis est participatio naturæ divinæ.* Nihilominus aliqualem illius notitiam per argumenta *ab extrinseco* præbere vobis paro: quibus juvantibus quandam illius etsi haud dignam ideam animis formare possitis, ut eandem magis magisque æstimetis.

Ac primum quidem duo gratiæ genera distinguere debetis: unam *sanctificantem habitualem*; & hæc peccata remittit, animamque justam & facit & servat, quamdiu anima mortaliter peccando eam non expellit: aliam *auxiliantem actualem*, quæ animam ad susceptionem gratiæ sanctificantis præparat & in anima non inhæret sed transit, excitando animam ad actus bonos e. g. in hoc casu nostro, ad dolorem immo (Ut minora dicam) ad solum desiderium doloris vel ad orationem pro obtinendo dolore &c. Et hæc gratia vulgo dicitur auxilium Dei. Ex his, O mei! duplicis hujus gratiæ discrimen & quanto major, præ gratia actuali & auxiliante, gratia habitualis ac sanctificans, sit, dignoscite: Jam postquam discrimen hoc &, quanto majoris dignitatis, præ gratia auxiliante, gratia sanctificans sit, didicistis; ulterius animos ad ea, quæ dicturus sum, advertite! Sciatis insuper velim, Fidei esse articulum, quod, quidquid boni, pulchri honestive in universo ordine mere naturali invenitur, illud omne ad unum solum horum supernaturalium auxiliorum (scilicet ad unam solam harum gratiarum actualium gratiæ habitualis sanctificantis præparativarum) promerendam haud utile esse possit: Hinc si quis omnibus moralibus veterum Philosophorum virtutibus aut bonis dotibus naturalibus, quæ in hominem cadere possunt, cunctis eluceret; tamen hoc omni perfectionum cumulo ornatus nullum meritum recipiendi minimam memoratarum gratiarum actualium auxiliantium, sive minimum auxilium supernaturale Dei, haberet; nam, ait S. Paulus, si auxilium istud Dei est gratia, utique præmium meriti alicujus esse non potest: *Si gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia* (b) Idem post Paulum S. Augustinus cum Patribus cunctis (c) nimirum *gratiam Dei secundum merita nostra non dari*, & post Paulum atque Augustinum Concilia (d) affirmant. Ex his conficite, O mei! quam magna res dici gratia habitualis & justificans debeat; cum non solum illius sed vel alicujus ex gratiis auxiliantibus, quæ ad illam priorem præparant, obtinendæ meritum nullum esse unquam possit: Unde & S. Petrus (e) Apostolus de gratia habituali mentionem faciens eam summi ac pretiosissimi doni vocabulo appellat: *Per quem* (Christum) *maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Jam si gratia justificans primus est Sacramenti Pœnitentiæ effectus, nunquid ille oppido dignus erit, qui & bene explicetur & maximi faciatur?

(a) *Sess. 6. de justif. can. 11.* (b) *Rom. 11.* (c) *Epist. 217.* (d) *Conc. Arausic. II. can. 9. & 20.* (e) *2. cap. 1.*

Jungitur huic primo alius effectus Sacramenti Pœnitentiæ, nimirum quod illud nos filios adoptivos Dei constituat: Hoc ut bene intelligaris, O mei! sciendum est, quod ad adoptationem requiratur, ut adoptandus ejusdem cum adoptante essentiæ & naturæ sit. Sic nullus homo adoptat vel adoptavit unquam in filium suum bestiam aut animal: Quare istud? quia bestia, quoad essentiam & naturam, cum homine non convenit: Neque etiam Angelum homo adoptare sibi poterit, idque ob allatam caussam; nimirum quia natura humana & angelica inter se non conveniunt: Hinc homo non nisi hominem adoptare poterit. Jam nos homines, secundum *Esse* nostrum mere naturale spectati, sumus naturæ a natura Dei plane diversæ; hinc ex isto spectati sumus inhabiles adoptari in filios Dei. Quid igitur, putatis, requiritur, ut fiamus idonei ad sublimem hanc adoptionem? Requiritur, ut aliquo modo participes ipsius adeo divinæ naturæ efficiamur: At hoc maxime in justificatione, quæ bonam Confessionem consequitur, fit; nam dum per Confessionem gratia habitualis & justificans (quæ, uti dixi, participatio est naturæ divinæ: *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*) conceditur, ecce! evehimur ad excelsum filiorum Dei adoptivorum gradum. Unde S. Joannes Apostolus (f) obstupescens, hominem justificatum ad tantam extolli dignitatem, exclamat: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus.* Quid ad ista vos, O mei! Quid ad ista sentitis? Nunquid oppido sublimis est bonæ Confessionis effectus hic, quo per gratiam, quam illa animæ affert, vere adoptivi filii Dei efficimur? Immo si ad sacrum tribunal accedens haud reus sit culparum mortalium, sed ex sola devotione illud frequentet, se Deo magis ac magis conjungit & novis vinculis optatissimam hanc maximique momenti filicitatem adstringit.

Quo in loco factum Davidis, O mei! recogitemus, quod vobis magnum hunc bonæ Confessionis effettum tum evidentiorem reddet tum nonni' il sancti oblectamenti afferet. Nostis omnes (Credo) quomodo David ex simplici pastore ovium, Deo juvante, post victum ac decollatum gigantem Goliath inter servos & armatos Regis Saul cooptatus fuerit; quo in ordine ita fortiter se gessit, ut tribunus & præfectus mille hastatorum constitutus sit, addita conditione, ut, si continuatis victoriis Philistæorum, imperii Israelitici hostium, gentem atterere pergeret, filiam Regis primogenitam sponsam ferret: Tanta conditione stupefactus &, quanta esset generi Regis dignitas; contra pauperis pastoris, qualis paullo ante fuerat, indignitas, recogitans David respondit Sauli; *Quis ego sum*, O Rex! *aut quæ est vita mea aut cognatio patris mei in Israel, ut fiam gener Regis* (g) At quoniam Saul hæc omnia invidia stimulante fecerat, ut insontem præsentissimis vitæ periculis objiceret, promissis non stetit &, quam Davidi spoponderat, primogenitam alteri dedit: Nihilominus natu minorem filiam se ei in matrimonium concessurum esse promisit, si in alia expeditione bellica superior evaderet. Hinc aulici Regis ista Davidi referentes atque cohortantes dicebant: *Ecce places Regi & omnes servi ejus diligunt te; ergo esto gener Regis.* Quod non sine novo stupore audiens David ait: *Nunquid parum vobis videtur generum esse Regis? Ego autem sum vir pauper & tenuis.* Nihilominus suscipiens expeditionem abiit, conflixit, vicit: unde Saulis filia in uxorem ducta gener ejus factus est.

Intelligitis ex hoc facto, O mei! quanta res esse in hoc seculo videatur, si quis de plebe homo ita sese paucorum annorum spatio extollat, ut ad ipsam regiam necessitudinem usque grassetur; adeo ut fortuna hæc tanta omnes in admirationem rapiat, peneque incredibilis videatur; ille autem, cui ista sors contigerit, inter beatissimos computetur. Ah Fides! chara Fides! Nunquid vobis! O mei! duo hæc comparari inter se posse videntur? (Esse generum Regis, & esse verum adoptivum Dei filium) *ut filii Dei nominemur & simus.* Nequaquam profecto: Et si quis,

(f) 1. cap. 3. (g) 1. Reg. 18.

quis, ut ad regiam propinquitatem evehatur, labori nullo parceret (si eo pertingendi ſpem certam haberet) nec is vitæ periculis, qualia & David ſubiit, ſeſe ſubduceret; heus! quid non ſuſcipiendum erit, ubi ſpes certa ſuperat ad filieitatem divinam evadendi? . . . Et tamen, quam exiguo labore emi a nobis hæc dignitas poteſt? . . . Bona certe Confeſſione & recuperari filieitas hæc divina ab eo qui amiſit, & adſtringi fortius ab eo, qui retinuit, poteſt: *Nunquid parum vobis videtur, Filium eſſe Dei?* Quod ſi hoc non levis ſed ſumma ſors eſt omnium, quæ accidere homini poſſunt, quare illius obtinendæ remedium (bonam ſcilicet Confeſſionem) & tantæ fortunæ exſortes tamdiu differunt & tantæ fortunæ participes tam raro adhibent, ut eandem ſibi certiorem reddant.

Etenim ſublimis hæc filieitas non ſterile nomen eſt, ſed enim eas utilitates affert, quas adoptio, inter homines fieri ſolita, affert: nimirum tribuit jus in bona patris adoptantis ſuccedendi. Hinc a juriſperitis adoptio definitur *aſſumptio legalis perſonæ in filium &c. & hæredem.* Eodem modo divina hæc adoptio jus tribuit habendæ hæreditatis Patris cœleſtis, ſcilicet beatitudinis æternæ; unde S. Paulus audacter pronunciavit: *Si filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti* (h). Jam quæſo, O mei! quid non in hoc ſeculo pro pingui hæreditate conſequenda faciunt ii, quibus illius obtinendæ ſpes adeſt? Quanta cum patientia ſuſtinentur illi, penes quos eſt hæredis ſcribendi arbitrium atque facultas? Devoratur omnis moleſtia: diſſimulatur omnis moroſitas: comprimuntur omnia animi ſtudia: omnia incommoda tolerantur. Labores non fatigant, convicia non pungunt, aſpera non mordent. Omnia adeundæ opimæ hæreditatis cogitatione levia, facilia immo & ſuavia redduntur: hæreditatis (inquam) quæ ſemper in ancipiti eſt, quoniam fieri (quod ſæpius fit) poteſt, ut vel hæreditatem captans ante teſtatorem morte occumbat vel hic ſententiam mutet; nam ut barbaro quidem at ſignificanti vocabulo Leges monent) *voluntas humana eſt ambulatoria*, in propoſitis etiam quam maxime firmis. Hæc tanta igitur, O mei! multorum annorum ſpatio & geruntur & tolerantur, ut tandem aliquot mille ſcutatorum hæreditas, eaque tam in fluxo & ancipiti poſita, capiatur. Non tanti jus hæreditatis æternæ venditur: Non tanta ſervitute, non tot laboribus atque anguſtiis; ſed una bona Confeſſione opus, ut jus iſtud non habens accipiat, & habens ſibi confirmet.

Sed non in hoc deſinunt fructus bonæ Confeſſionis. Eſt alius præterea, qui animabus, poſtquam longo tempore in ſtatu gratiæ ante peccatum mortale vixerunt, lapſis magnum afferre ſolatium debet: nimirum quod ope bonæ Confeſſionis merita, in ſtatu gratiæ parata, recuperent & ad nova paranda idoneæ fiant. Quod ut bene intelligatis, animos veſtros ad dicenda advertite. Ponite, Catholicorum quendam decem e. g. annorum ſpatio in gratia Dei ab omni peccato mortali liberum vivere: Hic ſi bona immo & indifferentia opera ſua ad Dei gloriam amoremque refert, in omnibus illis actionibus novos meritorum, novosque gloriæ cœleſtis gradus in Dei conſpectu ſibi acquirit: Fingite jam, hunc elapſo iſto decennio in peccatum mortale labi & (Quin vel perfecta contritione doleat vel bonam Confeſſionem peragat) in ſtatu peccati mortalis unum annum ducere. Quid fit? Ecce! primum illa tota decennii ſpatio parata merita per ſubſequens peccatum lethale mortificata manent nihilque peccanti proſunt, uſquedum is vel actum perfectæ contritionis eliciat vel bonam Confeſſionem faciat: Et hinc ſi actum iſtum elicit aut bene confitetur, merita illa reviviſcunt & jus præmii cœleſtis recuperant. Secundo omnia opera bona, quæ facit illo anno, quo in peccato mortali permanet, pereunt, ita ut non habeant meritum vel jus præmii cœleſtis, & ob eam rem dicuntur mortua, adeo ut, tametſi peccans per contritionem vel Confeſſionem ſtatui gratiæ ſe reſtituat, opera illius anni nunquam reviviſcant nec meritum vel jus præ-

(h) *Rom. 8.*

mii cœlestis habere unquam possint: Et quanquam opera hæc bona peccatori eo prosint, ut a misericordia divina conversionis auxilia aut etiam bona temporalia ei impetrent, tamen nunquam habent meritum aut jus præmii cœlestis: Atque ob hanc caussam opera ista (Uti monui) *mortua* dicuntur, ut hac ratione distinguantur ab operibus spatio decem annorum factis, quæ non mortua sed enim *mortificata* dicuntur, hoc est: idonea, quæ reviviscant, si peccator gratiæ reviviscit: id quod de operibus anno, quo peccatum mortale in anima peccantis obtinuit, peractis dici nequit: quæ cum nunquam viva fuerint, utique reviviscere non possunt; nam, quod reviviscat, id prius vixisse supponitur: quod de operibus illo culpæ mortalis anno factis affirmari nequit. Hæc omnia, O mei! de Fide sunt, tradita in Scripturis sacris, a SS. Patribus & catholicis Theologis omnibus: Itaque si per bene factam Confessionem pœnitens idoneus fit, ut & bonis, quæ facit, operibus mereatur & præteriti temporis merita, per peccatum subsequens mortificata, denuo recuperet; nunquid hoc pro insigni Confessionis fructu reputandum esse videtur?

Immo fieri quandoque potest, ut peccator animo dolenti confitens non solum merita prius parta omnia recuperet; sed & meritis ditior resurgat, scilicet ob intensionem contritionis & vitæ, quam in posterum ducere statuit, ferventioris rationem. Ita sentit S. Thomas (i) *Recuperat quandoque aliquid majus*: Explanat hoc mire S. Gregorius magnus (k) dicens: *Nonnunquam hi, qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti inardescunt in amorem Dei sese que in magnis virtutibus exercent; cuncta difficilia sancti certaminis appetunt; omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt; acceptis contumeliis lætantur; flagrant desiderio; ad cœlestem patriam anhelant &, quia se errasse a Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus compensant.* Hinc *majus*, pergit idem S. Doctor, *de peccatore converso, quam de stante justo gaudium fit in cælo; quia & dux in prælio eum militem plus diligit, qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga præbuit & nunquam aliquid fortiter gessit: Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas uberes fruges profert, quam eam, quæ nunquam spinas & nunquam fertilem messem producit.*

At hujus veritatis quodnam haberi evidentius argumentum poterit, quam parabola filii prodigi a Christo in Evangelio (l) allatam: Equidem (Ut verum fatear) nescio, si quæ alia cogitatio, inveniri queat, qua ad profundendas lacrymas cor fidele vehementius commoveatur. Liceat ergo mihi parobolam illam saltem paucis commemorare: Nostis certe, indignum illum minorem natu Filium, immoderatis cupiditatibus suis satisfacturum, tam duro fuisse corde, ut se potestati patris amantissimi subtrahens in longinquas regiones abierit animi certus, domum paternam nunquam revisere, atque ibi facultates suas abliguriverit. Et diffluxit brevi opima portio, quam acceperat, per ea vitia, quæ præ aliis rem, sanitatem, famam quin & vitam consumere solent: Hinc in extremam adactus necessitatem ne glandium quidem, quæ custoditæ a se porcorum gregi dabantur, ad famem malesanam depellendam satis habuit. Unde ne omnino interiret, ædes paternas humili, sincero & compuncto corde repetere statuit, vocaturus se filium tam bono patre indignum atque ob id petiturus, ut tantum inter mercenarios illius annumeraretur. Et ecce! Vidit illum e longinquo Pater optimus, cui (Erat enim Deus noster) sensus filii pœnitentis jam innotuerant, moræque impatiens per scalas obviam ei currens audita filii pœnitentis, humiliati ac dolentis confessione: *Pater! peccavi in cœlum & coram te: non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis*, his (inquam) auditis Pater amantissimus apertis ulnis in amplexus resipiscentis ruit, pectori eum suo adstringit, dulciaque figens oscula vestem pretiosam, qua indueretur, & annulum miri fulgoris digito ejus inserendum afferri lautumque con-

(i) 3. p. q. 89. a. 3. (k) *Homil. 34. in Evang.* (l) *Luc. 15.*

convivium, cui nec ſuaves ſymphoniæ nec lætorum carminum ſonus deeſſet, inſtrui jubet, adeo ut ſuperveniens primogenitus in admirationem traheretur; Unde cauſſam tantæ lætitiæ inquirens reſponſum accepit, hæc omnia a Patre amantiſſimo ob dilecti filii, qui perierat, reditum decreta fuiſſe. Ecce! quomodo Deus, Pater noſter amantiſſimus, ſincere de peccatis ſuis dolentes excipiat? Neque hoc, O mei! aut inventum noſtrum aut ficta a nobis hypotheſis, ſed enim documentum eſt ex ipſo Chriſti ore profectum, qui optime novit, quibus modis a ſe Patreque ſuo æterno peccatores recipiuntur. Ecce! quomodo redeunti Nato non ſolum amiſſum jus filii, non ſolum priora merita reddita; ſed & nova inſolita atque extraordinaria dona addita ſint, ut nos intelligeremus, ſic Deum agere cum pœnitentibus, qui per doloris ſui intenſionem quandoque plura recuperant, quam perdiderunt.

Tranſeamus, ſi lubet, ad poſtremum bonæ Confeſſionis effectum, qui ipſe pax conſcientiæ & animi tranquillitas eſt. *Nemo eſt*, ait S. Auguſtinus (m) *qui non vult pacem. . . Interroga omnes homines: Vultis pacem? Uno ore tibi reſpondet totum genus humanum: Opto, cupio, volo, amo.* Verum, quoniam peccatores in expletione ſuarum cupiditatum eam quærunt, ob id illam non tam inveniunt. quam a ſe multo longiſſime removent: Ad rei hujus confirmationem vos tantum veſtramque ipſorum experientiam anteſtari opus. Edicite, O mei! quas turbas, quas animi anguſtias non ſenſiſtis poſiti in ſtatu peccati mortalis? quoties conſcientiæ exprobantis vocem audiſtis, dicentis: Potes ex improviſo mori; &, ſi hoc tibi accidat, æternum periiſti. Hæc audiebatis & operantes & comedentes & euntes cubitum & nonnunquam etiam peccantes. Et quomodo pacem habere poteratis, cum ad latera veſtra carnificem, qui vos torqueret, jugiter habueritis? Neque dicatis mihi: vos talibus conſcientiæ ſtimulis aut raro aut nunquam exagitatos fuiſſe; nam ſi iſtud ex vero dicitis, multum ſaluti veſtræ metuo. Igitur quando inveniſtis pacem & tranquillitatem animi? Nonne tunc, quando bonam Confeſſionem peregiſtis? Nonne tunc, quando animo vere contrito & dolenti ad pedes ſacri miniſtri peccata veſtra depoſuiſtis certiſſimum vobis habentes, illa amplius non renovare: Hinc & vos cum Propheta dicere poteratis, ex verbis labiorum veſtrorum pulcherrimum pacis fructum ad mentes veſtras rediiſſe: *Et creavi fructum labiorum, pacem* (n) Quod ſi hunc fructum veſtris ex Confeſſionibus non percepiſtis, magnopere (Ut dicam quod ſentio) vereor, ne illæ requiſitis & ſermone XL. ac XLI. expoſitis conditionibus fuerint deſtitutæ; cum fieri moraliter loquendo non poſſit, ut Confeſſionem, quæ debito modo peragitur & hominem de ſtatu peccati ad ſtatum juſtitiæ reducit, hic pacis internæ fructus non conſequatur.

Opportune hoc in loco ſe denuo ingerit S. Auguſtinus, dicens: *Audiſtis illud Pſalmi LXXXIV.* Juſtitia & pax oſculatæ ſunt? *Amant enim ſe duo iſta, Juſtitia & Pax, & oſculantur ſe, ut qui fecerit juſtitiam, inveniat pacem oſculantem juſtitiam. Tu forte unam vis, & alteram non facis . . . Si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipſa pax nec veniet ad te . . . . Quivis malus deſiderat pacem; bona enim res eſt pax: ſed fac juſtitiam, quia juſtitia & pax ſe oſculantur, non litigant . . . Tu quare litigas cum juſtitia? Ecce! juſtitia dicit tibi: Ne fureris, ne adulteres; & non vis audire. Non facias alteri, quod tu pati non vis; non dicas alteri, quod & tibi dici non vis. Inimicus es amicæ meæ, dicit tibi pax, quid me quæris? Amica ſum juſtitiæ, quemcunque invenero inimicum amicæ meæ, non ad illum accedo. Vis ergo venire ad pacem, fac juſtitiam.* Tam itaque verum eſt, pacem eſſe effectum ſtatus juſtitiæ, ut ſine hoc nunquam, nunquam plane vera animi pax haberi poſſit: Non ſolum S. Auguſtinus & cum illo Patres ſancti omnes iſtud tenent, ſed & literali oraculo Propheta (o) Iſaias declaravit: *Et erit opus juſtitiæ, pax.*


 At

(m) *In Pſalm. 8.* (n) *Iſai. 57.* (o) *cap. 32.*

At si bona Confessio hominem statui justitiæ & gratiæ restituit, utique simul animam statui tranquillitatis reddit: Et hic est optatissimus Confessionis fructus.

Verum, ut pax hæc in animabus nostris perduret, una per annum Confessio haud præstabit: Nimis multis tum exterioribus tum interioribus insidiis exposita est, eheu! fragilitas humana, quibus capta e statu justitiæ, unaque e statu tranquillitatis rursum excidat! Itaque quisquis servare incolumem pacem illam internam voluerit, sæpius sacro Pœnitentiæ Sacramento utatur. Ne Confessionem tamdiu differatis, O mei! donec de statu hoc beatissimo defeceritis: prævenite illius amittendi pericula; id quod fieri meliori atque efficaciori remedio, quam frequenti bona Confessione, non potest; hoc enim remedio anima in statu justitiæ & gratiæ magis ac magis confirmatur: quæ duo, nimirum justitia & gratia, cum per Sacramentum semper augeantur, una simul homo vires ac robur accipit, quibus tentationes occurrentes repellat, occasiones peccati fugiat, inimicos de felicissimo gratiæ statu deturbare se conantes devincat. Ipsi nostis, O mei! quod a peccatis mortalibus & pacis illius internæ amissione vos tum maxime servaveritis, cum bonæ Confessionis remedium sæpius adhibuistis: Nostis item, quod a gratia Dei & pace illa citius seriusve aberraveritis pro eo, ut Confessionem longius breviusve distulistis. Itaque, O chare! ut te verbis S. Spiritus adhorter, *ante languorem adhibe medicinam* (p) Quid? dices; Medicina non nisi ab ægrotante sumitur. Recte ais, O suavissime! si medicina ejus tantum generis sit, quæ corpus purget & malum tollat. At si ita quoque comparata est, ut etiam a morbo præservet & mala longe arceat, moderate etiam a sanis hauritur. Itaque replicare juvat: Sacramentum Pœnitentiæ debito modo susceptum & sanat mala præsentia & moderate, quantum sapiens confessarius jusserit, adhibitum absentia repellit. *Ante languorem adhibe medicinam*, & una cum confirmatione pacis internæ reliquos a me explicatos fructus omnes percipies.

(p) *Eccli. 18.*



SERMO XLIV.

De Sacramentis Unctionis extremæ & Ordinis.

Merito post Sacramentum Pœnitentiæ in Sacramentorum serie Sacramentum Unctionis extremæ ponitur; quoniam & ipsum eo spectat, ut anima a peccatis purgetur: id quod modo videbimus.

Fuit Sacramentum hoc teste S. Concilio Tridentino (a) a Christo præmonstratum, quando Apostoli eo jubente, uti refert S. Marcus (b) *multos infirmos ungebant oleo & sanabant:* institutum vero post resurrectionem illo quadraginta dierum, quibus ante ascensum ad cœlos cum Discipulis suis Dominus commoratus est, spatio: Primus subin illud promulgavit S. Jacobus Apostolus in sua *canonica epistola* (c) uti sapientissime monet laudatum Concilium, in qua ait: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini: Et oratio fidei salvabit infirmum, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus verbis omnes conditiones ad verum Sacramentum

mentum

(a) *Sess. 14. c. 1.* (b) *cap. 6.* (c) *cap. 5.*

mentum requisitas ab Apostolo indicatas fuisse, idem Concilium observat; nimirum signum sensibile, scilicet Unctionem sacram: dein promissionem gratiæ, siquidem digne recipitur: *Et si in peccatis sit, remittentur ei;* quod fieri nisi per infusionem gratiæ non potest: denique institutionem a Christo factam; quia solus Deus-homo instituere signa, ad quorum usum gratia conferatur (Uti Sermone XXXI. monui) potest. Hinc Unctio extrema perpetua quadam Traditione ex consensu SS. Patrum omnium, quos adversus Hæreticos Sacramentum hoc negantes Theologi adducere consueverunt, pro vero Sacramento agnita fuit; quam veritatem Concilium quoque Tridentinum his verbis definivit (d) *Si quis dixerit: Unctionem extremam non esse vere & proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum & a B. Jacobo Apostolo promulgatum sed ritum acceptum a Patribus aut figmentum humanum, anathema sit.*

Ex his omnibus conficitur, materiam remotam hujus Sacramenti esse oleum olivæ, quo effectus in anima per hoc Sacramentum produci soliti (De his paulo post dicemus) denotantur: materiam proximam vero esse unctionem ipsam. Forma Sacramenti sunt paucæ illæ preces, quas sacerdos, dum inungit, recitat. Oleum non ex necessitate Sacramenti, sed solum ex præcepto catholicæ Ecclesiæ esse benedictum, & quidem pro consuetudine Ecclesiæ occidentalis ab Episcopo benedictum esse debet. Dixi: *pro consuetudine Ecclesiæ occidentalis;* nam in Ecclesia orientali a sacerdote in administratione oleum benedicitur, qui ritus a Pontifice Clemente VIII. approbatus fuit (e) Unctio sacra in Ecclesia occidentali fit in quinque sensibus corporis secundum *Sacramentale S. Gregorii Magni.* Secundum varia Ritualia additur & pedum unctio, nec non renum in viris; quam tamen in fœminis honestas christiana prohibet: Hinc quilibet Ecclesiæ suæ morem servare debet. Monet tamen S. Thomas, unctionem quinque sensuum ab omnibus observari quasi de necessitate Sacramenti; quia quinque sensus prima omnium peccatorum origo sunt: *Ideo illa unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti* (f) quod tamen accipi de illis casibus debet, in quibus sat temporis adest, & istud fieri moraliter potest; nam si metus est, ne tempus deficiat, aut ob aliam gravem caussam istud fieri moraliter non potest, sufficit frontem aut sensum corporis magis obvium inungere addendo formam, quæ in unctione cujuslibet sensus adhibetur: Exempli gratia, cum forma consueta sit: *Per istam sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum* (Et sic de reliquis sensibus dicitur) *deliquisti:* In tali casu dici poterit: *quidquid per visum, odoratum, auditum &c.*

Jam de effectibus hujus Sacramenti agamus, quorum, ut (g) Catechismus Concilii Tridentini notat, quinque sunt: Primus est remissio peccatorum venialium: *Inprimis quidem leviora &, ut communi nomine appellantur, venialia remittit.* Secundo liberat animam a spirituali illo languore erga bonum, quem in ea peccata præterita reliquerunt; nam cum homo nihil plus morte metuat, & Sacramentum hoc eo tempore, quo mors hominem aut jam invasit aut invasura creditur, conferri soleat; fit, ut anima peccatorum admissorum recordatione non parum turbetur, quippe videns se in eo esse, ut Deo rationem vitæ actæ agat: Hinc metu quandoque superfluo & aliis peccatorum præteritorum reliquiis haud parum debilitari se sentit. Jam vero Sacramentum hoc *animam a languore & infirmitate, quam ex peccatis contraxit, & a ceteris omnibus reliquiis liberat* piaque ac sancta lætitia perfundit; qua timores illi ac perturbationes sopiantur: *Ut igitur hac sollicitudine Fidelium mentes liberentur, animusque pio & sancto gaudio repleatur, Unctionis extremæ efficit Sacramentum.* Tertio animæ vires addit, ut morbi incommoda animose sustineat: *Incommoda morbi levius ferat.* Quarto animam adversus tentationes & insidias diaboli, siquidem Deus ei

(d) *Sess. 14 can. 1.* (e) *Instr. ad Episc. Latin.* (f) *3. Sent. dist. 23. a. 3. q. 2.*
(g) *Part. 2. c. 6. n. 14.*

ei hominem in illis angustiis adoriri permittat, roborat singularem divinæ misericordiæ fiduciam excitando: *Allevatur & erigitur animus divinæ bonitatis spe, eaque confirmatus... ipsius dæmonis, calcaneo insidiantis, artes & calliditatem facilius eludit.* Unde observandum, hoc Sacramentum a SS. Patribus appellari *Sacramentum spei.* Quinto etiam corpori sanitatem, si animæ expedierit, refert: *Sanitas interdum corporis, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.*

Minister hujus Sacramenti est sacerdos, prout diserte S. Jacobus in memorata Epistola sua monet; verum ex præscripto Ecclesiæ nullus licite illud administrat, nisi parochus aut a parocho destinatus sacerdos: Ita citatus Catechismus (h). Et quanquam laudabile sit, si ægrotum plures sacerdotes hic in uno, ille in alio corporis sensu inungant; tamen hoc nec pro licita nec pro valida Sacramenti administratione necessarium est, cum unus sacerdos sufficiat monente S. Thoma (i) *Si tamen unus solus presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus minister existit & cujus personam gerit.*

Subjectum hujus Sacramenti, cui Unctio extrema confertur, est Infirmus graviter decumbens aut mortis periculo affinis; uti docet Concilium Tridentinum (k) *Esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur,* observans præterea, hanc Unctionem a multis Patribus *Sacramentum exeuntium* appellari. Atque hoc in loco silentio præteriri haud debet falsus amor, quo moti propinqui ægrotantium, ut ne illos tacita vicinæ mortis annuntiatione contristent, omnibus modis satagunt, ut parochus infirmis Unctionem extremam differat; qua re quandoque efficitur, ut illi absque hoc Sacramento decedant. Fit istud ex defectu cognitionis, pietatis & veri in cognatum amoris: Ex defectu cognitionis: quia tales nesciunt, inter alios hujus Sacramenti effectus etiam sanitatis corporalis restitutionem (quod monui) annumerari: *Oratio fidei salvabit infirmum*; Non mortem, O mei! non mortem sanctum hoc Sacramentum sed sanitatem (nisi animæ salus aliter jusserit) accelerat. Novi quid respondere consueverint? Ajunt, ob id differri, quantum fieri potest, Sacramentum, ne infirmi tristitia augeatur; At nunquid audistis, infirmum per illud allevari? *Et alleviabit eum Dominus.* Equidem non volo, Sacramentum hoc nullo imminente vitæ periculo conferri debere (quamvis primis temporibus statim initio morbi conferri consueverit eum maxime in finem, ut illius ope amissa valetudo recuperaretur) at nec tamdiu expectandum esse affirmo, donec periculum ita crescat, ut infirmus in discrimen absque hoc Sacramento decedendi adducatur. Immo sunt quandoque propinqui parum adeo pii, ut infirmum Unctionem extremam ultro sibi petentem a sancto proposito abducant dicendo: Non tam gravem esse morbi vim. Opponent hi tales: Pater! hoc ut dicamus, noster in propinquum amor facit. Ah! quis iste, quem jactatis, amor? Hunccine, O mei! verum amorem dicitis? Verus amor primo loco spiritualia bona amato optat & hæc ei certa reddere studet. Hinc nunquam, O charissimi! nunquam obsistite parocho, administrare Sacramentum hoc volenti, multoque minus infirmo devote sibi illud administrari postulanti. Quin potius curate, ut infirmus, dum adhuc sana mente est, illud recipiat, quo hac ratione ad illud fructuose suscipiendum præparare sese & peccatorum per abusum quinque sensuum commissorum veniam petere a Deo possit; Namque si illud mente alienata suscipit (Si in gratiæ statu est) effectum quidem Sacramenti accipit; at multo majori cum fructu illud reciperet, si veri de peccatis suis doloris actu sese eo præpararet & sacras unctiones piis affectibus prosequeretur. Multa provincialia Concilia & S. Carolus Borromæus quoque in suis *Instructionibus* istud præceperunt: *Ministrabit autem, dum æger integris sensibus est.* Percipite factum historicum oppido insigne, quod de hoc argumento duo graves Scriptores refe-

(h) *Loc. cit. n. 27.* (i) *Lib. 4. contra Gentil. c. 73.* (k) *Sess. 14. c. 3.*

ferunt (l) Incidit in gravem morbum miles quidem ceteroquin fat christiane sentiens, & receptis multa cum pietate Pœnitentiæ atque Eucharistiæ Sacramentis volebat etiam Unctionis extremæ Sacramentum suscipere. At uxor illius verita, ne vir nimium contristaretur, omnibus modis fategit, ut hæc moribundo differretur; verum in agoniam adducto & usu sensuum carenti tandem administrata est: Jacuit exin ægrotus mortui ad instar sex horarum spatio; quibus elapsis recuperato sensuum usu conversus ad uxorem dixit: O ingrata! multum mihi officisti impediens, ne, dum sana mente fui, sacro oleo inungerer; nam si illud integris sensibus accepissem, ob bonos, quos elicuissem, actus, 30. tantum dies Purgatorii flammis addictus fuissem; nunc autem, quod insciens Sacramentum susceperim, septem annos ibi manere debebo, & nisi Religiosorum horum virorum, qui me multa cum devotione Deo commendarunt, precibus adjutus fuissem, 30. annos ibi morari debuissem: Atque ob eam rem tu in pœnam dilationis, a te effectæ, toto vitæ reliquo tempore paralytica jacebis; quibus dictis animam Deo reddidit, uxore paulo post resolutione nervorum laborare incipiente; ex qua decumbere non cessavit, donec & ipsa vitam pia morte clausit. Intelligitis ex hoc, O suavissimi! quantum & displiceat Deo & officiat animabus hujus Sacramenti sensibus non integris receptio, si mente sana recipi posset: & quam exitiosus sit falsus propinquorum amor, Sacramenti hujus susceptionem tamdiu retardantium, donec ab infirmo, nihil eorum quæ secum geruntur, sciente suscipi debet. Curate itaque, O mei! ut infirmi Sacramentum hoc tempestive recipiant.

Ex sententia S. Thomæ, cui multi Theologorum subscripserunt, iterari potest Unctio extrema, si morbus decrescit, adeo ut relapsus novi mali speciem habeat (m) *Quædam ergo infirmitates non sunt diuturnæ; unde si in eis datur hoc Sacramentum, tunc cum homo ad illum statum pervenit, ut sit in periculo mortis, non recedit a statu illo, nisi infirmitate curata: & ita iterum non debet inungi; sed si recidivum patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quædam vero sunt ægritudines diuturnæ, ut hectica & hydropisis & hujusmodi; & in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis; & si homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante & iterum ad similem statum per illam infirmitatem reducatur, iterum potest inungi; quia jam est quasi alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter.*

Dicet aliquis: At certum est, Pater! Sacramentum hoc, secundum S. Thomæ & Theologorum opinionem, ad salutem necessarium non esse; unde sine vitæ æternæ jactura omitti potest. Novi equidem, O chare! Sacramentum hoc ad salutem necessarium non esse; verum etiam illud novi, quod, quisquis hoc Sacramentum suscipere consulto omittit, is illud parvi facere videatur, animumque male dispositum, & tacitum seu implicitum contemptum prodat: Hinc tum ægrotus tum is, qui ægroto adsistit, graviter peccant, si sacram Unctionem de industria prætermittunt: tum ob scandalum, quod inde Fidelibus datur, tum ob ipsius Sacramenti neglectum. Ita Theologi communiter tenent, nec alius, quam in materiis theologicis omnino peregrinus, absolvere potest ægrotum, qui cum plena deliberatione Oleo sancto inungi noluerit. Percipite aliud factum insigne, quod S. Joanni de Deo accidit, & a gravi vitæ ejus scriptore narratur (n). Nosodochii sui curam peramanter gerens S. Joannes de Deo dederat in mandatis, ut cuidam ex infirmis suis Unctio extrema administraretur; quod morbus mortem haud longe abesse ostenderet. At æger credens mali vim tantam haud esse monuit eos, qui administrationem Sacramenti urgebant: Ne adeo festinarent; nondum se in eum, quem crederent, statum redactum esse; quod si res jam eo rediisset, utique se ultro sacram Unctionem sibi petiturum fuisse. Acquieverunt illi in sententia ægrotantis &, quo-

(l) *Jo. Herold & Nic. Dionysius in* Gemma Prædicantium *tract.* 2. *p.* 2. (m) 4. *Sent. dist.* 23. *q.* 2. *a.* 4. *q.* 2. (n) *Ant. de Govea in* Vita S. Joannis de Deo *c.* 41.

quoniam vir Sanctus, cui forsitan Dei instinctu vicina infirmi mors innotuerat, a Nosodochio aberat, Unctionem extremam distulerunt. At æger paulo post, non recepto Sacramento, obiit: Redux domum S. Joannes de Deo atque infirmum sine Unctione extrema, quam nosocomi tempore magis opportuno eidem dandam speraverant, e vivis abiisse comperiens indoluit & haud dubie mortuum Deo commendavit: Postea Viro sancto cum fratribus justa defuncto ex consuetudine sanctæ Ecclesiæ persolvente, erigens se mortuus & de feretro ad Joannem conversus alta ac omnibus audita voce dixit: Pater pauperum! quia Unctionem extremam, uti jusseras, suscipere neglexi, sine illa ad vitam alterius seculi pergens a divina justitia Purgatorii pœnis in annos 120. addictus fui; quo dicto se denuo in loculum reclinavit. Cogitate, O mei! quis pavor ad verba ista omnes ceperit, & quantum vir Sanctus omnes, maxime fratres suos, cohortatus fuerit: Curarent sollicite, ne quis suorum infirmorum sine Unctione extrema decederet. Quod si vero is, qui recipere volens Sacramentum hoc illius solum susceptionem distulit, quod se morti tam propinquum haud esse sibi persuaserit, Dei offensionem tantam incurrit, ut in tam diuturna supplicia damnatus sit; cogitate, O mei! quibus pœnis dignum se reddat is, qui Sacramentum hoc recipere ultro noluerit? Itaque, O mei! primum de nobis ipsis solliciti simus, ut, sicubi nobis Deus ejusmodi vitæ exitum benigne concesserit, in quo suscipiendæ Unctionis extremæ tempus habituri sumus, ut (inquam) illam integris adhucdum sensibus recipiamus; cum ob memoratas caussas major semper in præveniendo quam differendo utilitas sit. Deinde etiam de propinquis nostris solliciti simus &, ut ii quoque Sacramentum hoc accipiant, curemus, quin insulsis illis rationibus, quibus multi agi se sinunt, aures præbeamus: & ea animæ præsidia omnia tum nobis tum nostris providere studeamus, quæ cum semper utilia, tum illo maxime tempore necessaria sunt.

Post Sacramentum Unctionis extremæ recensetur Sacramentum Ordinis. Verum quoniam tum catechetici hi sermones mei eo maxime spectant, ut minus docti & laici erudiantur: tum ea, quæ de hoc Sacramento dicenda sunt, ad solos viros ecclesiasticos (quorum non tam legere quam componere Catechismos est) pertinent, ob id ipsis ultro relinquens, ut libros theologicos ac morales adeant, ex quibus, quid muneris sui sit, intelligant, hic in epilogo nonnulla de hoc Sacramento dicam: subin vero nonnulla lectori erudiendo magis apta & iis, qui ad sacros Ordines vel aspirant vel iisdem initati sunt, utilia in medium adducam.

Ordinem verum esse novæ legis Sacramentum a Christo institutum, Fidei est articulus definitus a sacro Concilio Tridentino (o) *Si quis dixerit: Ordinem sive sacram Ordinationem non esse vere & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum . . . anathema sit.* Ordo dividitur quasi in septem membra, quorum priora tria (scilicet Presbyteratus sive Sacerdotium, Diaconatus & Subdiaconatus) *majores Ordines*: quatuor reliqua (nimirum Acolythatus, Exorcizatus, Lectoratus & Ostiariatus) *minores Ordines* dicuntur: Qui Ordines pro eo digniores sunt, ut propius ad ultimum Ordinem, videlicet Sacerdotium, accedunt; nam quoniam omnes suis quasi gradibus distinguuntur, pro eo ut plus minusve ad formationem & sacrificium Eucharistiæ attingunt; ob id, cum a Sacerdotio tanquam supremo Ordine deriventur, gradatim in minus vergunt: uti illos superius suo ordine recensui. Et quamvis septem Ordines sint, ob id non septem Sacramenta sed unum solum Sacramentum constituunt; cum omnes ordines, quasi partes quædam unum totum componentes, sint, cujus cumulus & meta Sacerdotium existit: cui ceu termino suo reliqui ex sua natura subordinantur. Unde S. Thomas (p) *Tota pleni-*

(o) *Seff. 23. can. 3.* (p) *4. Sent. dist. 24. q. 2. a. 1. q. 1.*

plenitudo hujus Sacramenti est in uno Ordine scilicet Sacerdotio, sed in aliis est quædam participatio Ordinis . . . & ideo omnes Ordines sunt unum Sacramentum.

Quatuor Minores non esse Ordines sacros, attamen res sacras certum est & a Theologis omnibus receptum: Quod autem etiam ipsi sint Sacramenta, communis fuit Theologorum veterum doctrina, quam S. Thomas & post hunc multi alii admiserunt; quibus tamen haud pauci graves & doctissimi temporum posteriorum Theologi post Cajetanum & Sotum aliosque plures contradicunt, qui illos pro gradibus ecclesiasticis cana vetustate consecratis agnoscunt quidem (utpote quorum diserta mentio in *Epist. S. Cornelii Papæ & Martyris ad Felicem Antiochenum* fit) veruntamen vera Sacramenta esse pernegant; cum Tridentinum Concilium hac de re nihil deciderit. Subdiaconatus post seculum VI. sacris Ordinibus annumerari cœpit propter solenne votum castitatis, quod eidem ab Ecclesia annexum fuit; cum prius inter Minores computatus fuerit: Nonnihil tamen temporis interfluxit, donec inter Ordines sacros universaliter adscriptus fuit. Diaconatus semper pro Ordine sacro habitus fuit, uti ex *Actibus Apostolorum* colligitur: Diaconis dispensatio sanguinis Christi calice contenti (q) usque adeo a temporibus a nostra memoria remotissimis commissa esse reperitur. Sacerdotium denique & Ordinem sacrum & Sacramentum Ordinis esse, negari haud potest; nam si Sacramentum Ordinis datur, id dici ad minimum de Sacerdotio debet, quamvis & de Diaconatu dubitandum haud sit; quippe in cujus collatione manus imponi solent, quod signum sacramentale est; & Concilium Chartaginense IV. *cap.* 4. affirmat: *Diaconum consecrari per impositionem manus Episcopi.* Huic Concilio S. Augustinus quoque interfuit, & illud sæpe a Concilio Tridentino laudatur: Præterea in ordinatione Diaconorum ait Episcopus: *Accipe Spiritum sanctum &c.* quibus verbis gratiam S. Spiritus conferri ostenditur.

Sacramentum Ordinis recipi in statu gratiæ debet, ne sacrilegium admittatur; quia Sacramentum vivorum est.

Quod ad materias, ad formas & ad ministrum Sacramenti Ordinis pertinet; Ordinantes & Ordinandi ex libris hoc argumentum tractantibus intelligant, quæ suæ partes sint; cum ista a proposito meo nimis abhorreant, quippe qui non docere Examinandos, sed populo Fidelium officia sua ostendere decrevi. Hinc magis ad rem fore existimo, nonnulla monere illos, qui statum clericalem amplecti temere ac casu statuerunt, & eisdem conditiones exponere eo requisitas, ut quis bonus clericus evadat ac permaneat.

Prima conditio, quæ forsitan minimum attenditur, utut omnium prima ac præcipua sit, quippe e qua ut plurimum reliqua omnia fluunt, est divina ad hunc statum Vocatio: Hoc caput ac summa magni illius operis, quale est electio status vitæ perpetuo ducendæ, *ut quis*, ait S. Zeno vetustissimus & doctissimus Episcopus (r) *ejus noverit voluntatem, sine qua ei nec legitime servire poterit nec placere.* Quis, O mei! Quis, obsecro! non vocatus a Rege Viris se aulicis commiscere & ministerium quoddam sibi ultro sumere audet? An temerarium hunc benigne a Rege excipiendum, & non potius ob prævidentiam atque audaciam suam severe castigandum vel ad minimum acri objurgatione fastidiose expellendum fore putatis? Hoc ipsum, O mei! de iis sentiatis velim, quotquot in aulam Regis cœlestis hic in terris manentem, scilicet in Ecclesiam, ingerere sese atque intrudere audent. Eo ut quis legitime intret, vocatus esse a Deo debet; quæ vocatio monente Catechismo Concilii Tridentini (s) sive ex invitatione ministrorum Dei, nimirum Episcoporum & Parochorum eos, quos ad statum ecclesiasticum idoneos esse in conscientia credunt, vocantium (*Vocari autem a Deo dicuntur, qui a legitimis Ecclesiæ ministris vocantur*) sive ex interno stabili instinctu, cum doctis, piis ac

(q) *Morinus p. 3. de SS. Ordinat. exerc.* 12. & *Card. Bona l.* 1. *Rer. Lyturg. c.* 25.
(r) *Serm.* 2. *de Nativ. Christi.* (s) *p.* 2. *c.* 7. *n.* 3.

ac sapientibus Viris accurata pensitatione explorato, colligitur.

Hæc origo, O mei! hic maxime fons est omnium malorum ac scandaloru, quæ identidem jam de hoc, jam de illo clerico audiuntur: nimirum quia in Ecclesiam intrarunt, non a Deo sed ab inopia, ut haberent quo vitam tolerarent: sive a vanitate, ut nomen sibi facerent: sive a necessitate, qua tenebantur, familiæ suæ succurrendi eamque deonerandi: sive ab ambitione, qua acti subliniores dignitates affectarunt: sive studio, quo ducebantur, vitæ commodius agendæ: aut aliis temporalibus finibus vocati. Et novi ego nonnullos, qui ordinem clericalem amplexando id spectabant, ut immoderatas animorum suorum affectiones tutius explere possent. Ah fines indignos! fines, qui non vocationem Dei sed inspirationem diaboli produnt! fines, quos illa vitæ improbitas & morum dissolutio consequi solent, quibus non Catholici solum sed & Inimici Ecclesiæ offenduntur!

Profecto, ait S. Bernardus (t) vel certe Gauffridus Abbas Claræyallensis, *huic parvulo adhuc aut forsitan necdum nato ecclesiastica jam beneficia provida sane parentum sollicitudo parabat; Dicebant: Hunc nos illi vel illi tradenus Episcopo, apud quem habemus gratiæ locum, aut cui forte servivimus, ut ditetur de bonis Domini, nec in tot liberos nostra dividatur hæreditas.* Pergit: *Illum Præpositus, ut sibi succederet, plus quam materno educavit affectu in deliciis enutriens & delictis. Alius,* ceteris destitutus subsidiis, *undique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat & dissimulat, miseraque sibi suffragia mendicare non erubescit manibus & pedibus repens, si quo modo tandem aliquando sese ingerere queat in patrimonium Crucifixi & in bona Domini, quæ sola ex omnibus hodie inveniuntur exposita.* Subdit: *Si eo quærit animo eoque intuitu, ut huic vitæ habeat necessaria, evangelizat, ut manducet; & perversionis ordine cœlestibus terrena mercatur.* Tandem reprehensionis suæ hunc finem facit Vir Dei zelantissimus: *Quid istud temeritatis, immo quid insaniæ est? Ubi timor Dei? Ubi mortis memoria? Ubi gehennæ metus & terribilis expectatio illa judicii?* Hæc itaque ad clericatum aspirantibus præter vocationem divinam incitamentum esto, ut se Deo & cultui illius consecrent: ut eidem inter ministros ejus serviant & hoc modo sese christianis virtutibus perfectos atque absolutos faciant: ut Proximi salutem promoveant, sibique aditum vitæ æternæ faciliorem atque expeditiorem reddant.

Debet præterea considerare Candidatus SS. Ordinum onus, quod suscipit, ut, quæ vitæ ratio sibi tenenda sit, intelligat: Cogitet itaque, vitam probam ac devotam &, post actus religionis ac pietatis, studiis viro ecclesiastico convenientibus deditam: vitam a saltationibus, a spectaculis mundanis, a lusibus chartarum & fortunæ (Hos voce *Alearum* SS. Canones denotant) atque a vestium luxu alienam: vitam linguæ moderatione, oculorum modestia, sermonis temperatione commendabilem: vitam solitariam & a dissolutis conversationibus ac cœtibus abhorrentem, cultusque divini actibus crebris addictam (paucis) vitam sibi ducendam esse, qualem SS. Canones & Concilium Tridentinum præscripserunt: vitam, in qua morum, quibus clerici a secularibus distingui debent, discrimen appareat; nam quemadmodum status ecclesiasticus a seculari multum differt, ita & mores differre debent. Sed quod præ aliis omnibus a SS. Canonibus & Patribus sanctis commendatum, imperatum, inculcatumque semper fuit, est fuga personarum alterius sexus; ad quem scopulum naves optime instructæ, nisi caute admodum regantur, illisæ & perierunt & quotidie pereunt: imo id in Personis ecclesiasticis ceteræ vanitates & indecentes vitæ rationes omnes agere videntur, ut ad hoc naufragii genus vel præparent vel inducant vel illud gravius reddant. Hunc in finem inter multos, quos laudare possem, Patres trium solum testimonia adducam. Primus est S. Hieronymus, ad Nepotianum clericum (u) in hæc verba scribens: *Hospitiolum*

(t) *Declamat. in Evang.* Ecce nos reliquimus &c. §. 13. (u) *Epist.* 2.

tiolum tuum aut nunquam aut raro mulierum pedes terant; Omnes puellas & virgines Christi aut æqualiter ignora aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto maneas, neque in præterita castitate confidas; Nec sanctior Davide, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit: Et sic sexus alterius personarum fugam docere Nepotianum pergit. Secundus est S. Ambrosius (x) qui postquam Ecclesiasticis viris a consortio mulierum & puellarum abstinendum esse monuerat, sic ait: *Quid necesse est, ut demus secularibus obtrectandi locum? Quid si aliqua illarum labatur? Cur alieni lapsus subeas invidiam? Quam multos, etiam fortes, illecebra decipit. Quanti non dederunt errori locum, & dederunt suspicioni? Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? Illum alloquimur, cum oramus; illum audimus, cum divina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus?* Tertius est S. Cyprianus, qui de eodem argumento differens inquit (y) *Unusquisque, qui securus est, quia necdum tentatur, timeat: Quia nihil de illo dicitur, prospiciat, ne dicatur. Homines sumus, fragilitatem nostram carne portamus. Accipimus quidem* per Sacramenta *fortitudinem spiritualem, per quam substantiæ nostræ fragilitas roboratur; sed ita nobis spiritualis fortitudo collata est, ut providos, non ut præcipites, tueatur . . . Custos nobis datus est Spiritus, sed ut contraria declinantibus assistendo subveniat, non ut contraria eligentibus faveat; nec ut voluntarios & pronos in adversa confortet, sed ut ab adversis nitentes separari confirmet. Nam quicunque perniciosis conatibus audet exercere virtutem, juvamen non habet Spiritus sancti, qui neminem vult ultroneum virum fortem ad fraudulentas victorias coarctari; nec protegit eum, quin immo deserit, quem periculis irruentem per illicitos eventus exquirere triumphos cognoverit.*

Jam quid Patres hosce sanctos, & cum his reliquos omnes dicturos fore putatis, qui SS. Conciliorum Canones condiderunt, in quibus commercium, consortium, visitationes fæminarum severissime prohibuerunt? Quid, inquam, dicturos illos putatis, si viderent, quam faciles & frequentes & familiares nostris temporibus, in agendo cum fœminis, viri Ecclesiastici sint? Vetuerunt illi fæminas, nisi arctissimo sanguinis vinculo conjunctæ essent, tecto excipere: Etsi alicui cognata non esset, voluerunt, ut is viri cujusdam obsequio ac famulatu contentus esset. Et nostra ætate, eheu! quid fit? . . . . Illi intentatis pœnis atque censuris omnino volebant, ut personæ Ecclesiasticæ ab omni fœminarum consuetudine quam longissime abhorrerent: Non colloquia, non visitationes, non conversationes, non mutua officia, non munera & (quantum fieri posset) ne obtutus quidem admittebant. Et nunc, heu! Et nunc . . . . Qui legit, intelligat secumque recogitet, an vera dicam nec ne? Et posthæc nemo miretur, si identidem facta deflenda atque horribiles casus audiuntur. Flens itaque vociferabor: Procul este! Procul este! in sola fuga Deus salutem constituit: Sic mille S. Scripturæ loca, sic Patres sancti omnes, sic Concilia cuncta, sic Theologi omnes, sic experientia ipsa clamat: Qui fugam non capit, quamvis fortissimus sibi videatur, cadet; Atque, ut cum S. Cypriano finiam, *rogo vos, hæc sint studia omnium Clericorum, ut singularitatis inaccusabilis secessione fungantur, ne aut ipsi per fæminas aut fæminæ per illos ad ignominiosa ludibria provocentur . . . Cum Clerico fæmina nulla commaneat; non decrepita, non vetula sine affinitate peculiariter suscipienda ad domesticum obsequium, quia magis illicito delinquitur, ubi sine suspicione securum potest esse delictum: maxime quia cupidini nulla deformitas, nulla despectio fastidii vel vilis existit; sed diabolus pingens speciosum efficit, quidquid fædum vel horridum fuerit.*

(x) *Lib. 1. de Offic. c. 20.* (y) *Libr. de Singul. Cleric.*

SERMO XLV.

De Sacramento Matrimonii.

SEptimum novæ legis Sacramentum eſt Matrimonium; Sed quoniam hoc & contractus naturalis & ſimul Sacramentum eſt, ratio exigit, ut illud vobis ex duplici hoc reſpectu conſiderandum præbeam. Ac primo quidem ſpectemus Matrimonium, quatenus eſt contractus naturalis, per quem vir & fœmina pro honeſta ſpeciei humanæ propagatione mutuam in corpora poteſtatem ſibi tribuunt: Hinc Catechiſmus Concilii Tridentini (a) Matrimonium, qua contractum naturalem, ſic definit: *Matrimonium eſt viri & mulieris maritalis conjunctio, inter legitimas perſonas individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Explicemus verba hæc omnia: Dicitur *Conjunctio* ſive nexus & vinculum; quod ex diſerto conſenſu oritur, ſe mutuo in virum & uxorem accipiendi. Dicitur *Maritalis*; quia vinculum hoc non pertinet ad alias obligationes, quas vir & uxor ſibi imponere poſſunt, uti laboris vel alterius rei; ſed eſt vinculum ſe mutuo pro marito & uxore agnoſcendi. Dicitur *Inter legitimas perſonas*, hoc eſt: eas, quæ nullo vel naturalis vel poſitivi juris impedimento tenentur (Juris naturalis; quales ſunt infantes ſexus utriusque, aut qui ad ſobolis procreationem perpetuo impotentes ſunt, item conſanguinei primi gradus. Juris poſitivi; quales ſunt, qui impedimentis Matrimonium, ut aiunt, dirimentibus vel annullantibus per leges poſitivas, ad quas ſervandas ſubditi Eccleſiæ obſtringuntur, definitis tenentur) Dicitur *Viri & mulieris*, ut, conjugum pluralitatem excludi, ſignificetur; cum unus ſolus cum una ſola eſſe debeat: Et quanquam in veteri lege illi duræ cervicis populo polygamia ſimultanea permiſſa fuerit, tamen Chriſtus Deus-homo & Dominus totius univerſitatis Matrimonium ad primævam ſuam inſtitutionem quaſi poſtliminio reduxit, ut unus ſolus cum una ſola conviveret; quandoquidem Deus primo homini unam ſolam, non plures, uxorem dedit. Dicitur *Individuam vitæ ſocietatem*, quibus verbis, vinculum hujus contractus non diſſolubile eſſe, denotatur.

Matrimonium tripliciter conſideratur, primo ut legitimum ſeu legibus reſpondens: ſecundo ut ratum ſeu ratihabitum atque approbatum ab iis, ad quos attinet illud approbare, & (quod ad nos Fideles ſpectat) comprobatum ab Eccleſia, tanquam celebratum ex præſcripto legum illius: tertio ut conſummatum, ſcilicet quando per legitimum congreſſum completur.

Verum ne cogitetis, O mei! eo, ut Matrimonium aliquod verum & eſſentiale dici poſſit, illius conſummationem neceſſariam eſſe; Nequaquam: Cum verum & eſſentiale Matrimonium tunc vere dicatur (etſi illud non conſummetur) ſi ſponſus & ſponſa mutuo aſſenſu ad ſervandam perpetuam caſtitatem conſpirant. Hujus generis fuit incomparabile illud Matrimonium Mariam Virginem ſanctiſſimam inter & S. Joſephum: Hujus generis Matrimonium fuit multorum aliorum ſanctorum & ſanctarum Conjugum, qui Matris divinæ & Joſephi exemplum imitantes ex mutuo conſenſu Virgines permanere voluerunt, quorum frequens memoria in Hiſtoriæ eccleſiaſticæ commentariis occurrit. Hinc Canon: *Cum initiatur*, *cauſ.* 27. *q.* 2. deſumptus ex S. Ambroſii *de Virginis Inſtitutione* libro ſequentia habet: *Cum initiatur conjugium, tunc conjugii nomen aſciſcitur; non enim defloratio Virginitatis facit conjugium ſed pactio conjugalis: Denique cum jungitur puella, conjugium eſt; non cum viri admixtione cognoſcitur.*

Fuit

(a) *P. 2. c. 8. n. 3.*

Fuit igitur Matrimonium, etiam qua contractus naturalis, a Deo per formationem Evæ Adamo in uxorem datæ institutum & adstringit vinculo insolubili, prout jam olim etiam Christus declaravit dicens (b) *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Jam naturalis hic contractus in novo Testamento a Christo ad dignitatem evectus est Sacramenti, ita illud vocante Paulo & perpetua Ecclesiæ Traditione suffragante. Unde Concilium Tridentinum (c) definivit: *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem legis evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum; sed ab hominibus in Ecclesia invectum, neque gratiam conferre, anathema sit.* Igitur, cum Matrimonium gratiam afferat, debent contrahentes in statu gratiæ ad illud celebrandum accedere, hoc est immunes a peccatis mortalibus; nam cum non institutum sit, ut justitiam tribuat, sed ut gratiæ incrementum det; ob id in statu gratiæ suscipi debet. Hinc qui peccati mortalis sibi conscius est, prius confiteri aut saltem elicere actum perfectæ contritionis debet; Sed quoniam hunc certæ personæ non tam facile eliciunt, hinc melius fuerit confiteri, & laudabile oppido, etiam sacrum Cibum sumere.

Sunt innumeræ de hoc Sacramento haud ad rem appositæ quæstiones: ob eam caussam ad alia, quæ auditoribus utiliora & captui eorum magis accommodata sunt, sermonem cogam. Ac primum de sponsalibus dicam: Sunt hæc mutuum virum inter & fœminam de matrimonio ineundo promissum. Jam quid hoc in loco de filiis ac filiabus dicam, O mei! qui diserto sese promisso despondent; quin de hoc quidquam Majoribus, quorum curæ commissi sunt, proponant? Peccant isti graviter adversus reverentiam Majoribus suis debitam; nam cum hoc modo Matrimonii ineundi obligationem subeant, consequi tandem Matrimonium ipsum debet: quod si cum ejusmodi persona contrahendum erit, adversus quam Majores justas & rationabiles exceptiones interponere possunt; quis, obsecro! non videt, ingentem discordiarum, scandalorum, turbarum, inimicitiarum ac peccatorum voraginem aperiri. Et profecto quæ gravior in Majores cogitari irreverentia potest, quam consilio eorum atque auctoritate neglecta ultro sibi arbitrium ac potestatem sumere obligandi se ad ducendum domum personam, ad contrahendum affinitatem cum persona, quæ quo loco apud Majores sit, ignoratur? . . . Nunquid hoc est illos cogere, ut in ædes, quam non volunt, personam admittant: ut contrahere affinitatem, quacum nolunt, persona debeant? Et hæc injuria Majoribus facta levis atque exigui ponderis esse videatur. . . . Sciatis, O filii ac filiæ! hujusmodi sponsionem peccati mortalis culpa nequaquam carere. Audio opponentem aliquem: Non istud facimus animo Genitores & Majores nostros offendendi, sed quod vereamur, ne nobis personam præ aliis omnibus adamatam negent. Ecce! Hoc ipsum vos gravis irreverentiæ tam reos facit, ut nulla vobis excusatio superesse videatur. Ecce! Quam mala fide agatis. Quod si istud veremini, prius Majoribus, cujus personæ amore ducamini, aut exponite aut si pars altera sponsionem urgeat, facite illam sub conditione, scilicet si nuptiæ vestræ etiam vestris Majoribus probentur: Atque in hoc casu curate, ut illi quam lenissime, vel parocho vel alio viro sapienti sequestrum agente, in partes vestras & ad dandum consensum pertrahantur. Etenim vel jure ac ratione nuptiis vestris ob multas, quæ accidere possunt, caussas vel immerito & ex mera morositate obsistunt? Si merito obsistunt, utique manifesto apparet gravis injuria, quam eis infertis; dum eos ad nuptias cum persona, quam jure rejiciunt, constituendas cogitis: Si autem immerito obsistunt, utique patet vobis via efficacium remediorum, quibus eos ad consensum inducatis, quem rationabiliter negare non possunt; siquidem persona, quam illis proponitis, nullam justam exceptionem contra se admittit. Immo si ea, quæ ex consilio docti confessarii erga Majores vestros præstanda didicistis, re

(b) *Matth. 19.* (c) *Sess. 24. can. 1.*

re præstiteritis (Sicubi in sententia semel suscepta, vos despondendi, perstare vultis) officium vestrum fecistis & omnium misericordiam vobis, tum quod in proponendo multa ratione tum quod erga Majores reverentia debita usi sitis, conciliastis: In Majores autem vestros imprudentiæ dedecus recidet; cum notum sit omnibus, quod, quando rationabiles exceptiones nullæ adduci possunt, sponsus & sponsa sese mutuo ex honesto & sincero amore, non ob viles & a sordido lucro haud alienos fines, eligere debeant. Concludamus itaque & dicamus: Priusquam vos expresso nuptiarum promisso obligetis, studete, ut Majores consensum præbeant, ut ne peccetis: Hunc ubi petieritis, & illi merito negant, acquiescite; secus, si vos despondetis, reverentiam illis debitam graviter infringitis. Si vero consensum immerito negant, vel tunc consulo, ut acquiescatis: Non desunt puellæ, non desunt juvenes. Quod si hoc meum concilium sequi detrectatis, culpam gravem non admittitis; si, postquam omnia, quæ decebant, pro captando Majorum assensu adhibuistis, & illi negare tamen perseverent, si (inquam) propositum vestrum tenetis, vos despondeatis & Matrimonium celebretis; Neque enim Majorum vestrorum imprudens & inconsiderata agendi ratio justæ petitioni vestræ notam culpæ inurere potest. Sed de hoc in Sermone LV. denuo agetur.

Dicentem aliquem audire mihi videor: Quæso! Pater! num post contracta sponsalia, scilicet post ultro citroque datum promissum, aliqua lasciva familiaritas (Non de congressu aut alio actu notabiliter impudico; sed de amplexibus, de contactibus pectoris, de osculis impuro affectui junctis loquor) licita esse potest? Quid petis, O chare! quid petis? . . . Nullus lascivus actus vel affectus licitus esse desponsatis potest, priusquam Matrimonium contrahant. Repones: At confessarius etiam Scriptoris cujusdam auctoritate nixus has familiaritates mihi permisit. Ad hæc ego libere respondeo: Confessarium tibi illas perperam permisisse & Scriptores licentiam hanc dantes toto cœlo errare. Quin adverte animum: Aliud est habere *jus in re*, & aliud habere *jus ad rem*; hoc est: Aliud est habere jus in re cum possessione illius; & Aliud, habere solum jus illam suo tempore habendi & possidendi: *Jus in re* habens est is, qui eam possidet & suam jam fecit: Habere autem jus illam suo tempore possidendi facit, ut quis illam nondum possideat sed tantum eam suo tempore possidendi jus habeat. Qui habet jus actualis possessionis, potest re illa pro libitu suo modis licitis uti: Is, qui habet solum jus illius possidendæ, nulla ratione uti illa potest; quamdiu illam non habet ac possidet. Sponsalia non dant jus ullum actuale seu possessionem personæ desponsatæ, sed dant solum jus illam suo tempore habendi & possidendi; hinc non dant jus ullum, illa ullo modo utendi. Claro & manifesto exemplo rem explico. Quidam *post elapsum* anni spatium agrum tibi daturum se pollicetur: Hæc promissio nil aliud facit, quam ut post annum ager ille tuus sit, quo tunc uti modis licitis (pro eo ut libet) poteris; nullo modo jus tibi ante annum elapsum fruges ex illo colligendi tribuit. Quare id? Quia nondum tuus est: Erit equidem post annum tuus ejusque frugibus & illis, quæ procreat, universis uti poteris; verum priusquam in possessionem tuam transeat & tuus esse incipiat, haud licet tibi quidquam ex illo auferre. Sic & in re nostra (Nam idem ipsissimum contractus genus est) quamdiu persona tibi desponsata per Matrimonium in tuam potestatem non devenit, debetur quidem illa tibi e. g. post annum ex hoc momento; sed intra hunc annum nefas tibi est ex illa oblectationem aliquam lascivam aut (etiam mentalem) impuram complacentiam, utut levissima videatur, percipere; quia nondum tua est. Debetur quidem tibi, sed nondum a te possidetur: Et ob hoc maxime, quia illam nondum habes & illa in tuam potestatem nondum venit, haud licet tibi aliquod delectamentum vel osculi unius lascive dati aut mentalis complacentiæ ex

illa

illa capere: quæ omnia tunc primum licere tibi poterunt, cum in illius possessionem veneris. Cognoscitis ex his, O mei! errorem apertissimum, aliter sive verbo sive scripto docentium: male aliter docentium & peccata mortalia nullo modo permittenda absque ulla ratione, & quia duplex jus (*in re* & *ad rem*) distinguere invicem haud norunt, permittentium: jus (inquam) ipsam personæ possessionem conferens, & jus collatum a sola ratione illam suo tempore possidendi: quod posterius personam quidem obligat, ut hujus vel illius suo tempore sit; nullo modo jus tribuit, illa ullo modo utendi: Uti nec illi, cui suo tempore ager debetur, intra annum ex agro quidquam colligere fas est. Hinc speciosæ ratiunculæ omnes, quas afferre contrarium sentientes solent, frustra sunt; quia duplicis hujus juris confusione & sinistra illius idea nituntur. Dant ergo vobis, O mei! Sponsalia jus personam suo tempore habendi, nil ultra: minime jus ex illa impuram voluptatem, utut leviorem, captandi, donec per Matrimonium vestra facta fuerit; quamvis de cetero illam interea temporis amore honesto & christiano, haud alio, diligere debeatis.

Atque ut personis desponsatis (Quæ est humana fragilitas) omnis in actus peccaminosos labendi via præcludatur, monent atque inculcant scriptores omnes, ut illæ solæ una non relinquantur, ne forte in sermones minus decentes erumpant, hos autem actiones indecoræ sequantur. Immo Deum timentes & vere christiani sponsi hanc cautionem ultro adhibent, ut sibi semper gravis persona quædam adsit, cujus severitas humanam infirmitatem continere intra limites fortius possit. Deinde si omni tempore cogitatio præsentiæ divinæ ad nos a peccatis immunes servandos efficax est, tum maxime sponsis invicem conversantibus necessaria atque utilis est. Curent illi præterea, ne visitationes vel justo crebrius fiant vel longius, quam par est, producantur. Placent hujus generis piæ curæ Deo & vos ad illius benedictiones post celebratum matrimonium recipiendas præparant; dum contra, Oh Deus! tot personæ sexus utriusque, quod desponsatæ hanc sui custodiam neglexerint, post multa peccata mortalia interius exteriusque invicem commissa ad celebrandum Matrimonium accedunt: unde bonos effectus suos (De his paulo post dicemus) producere Sacramentum non potest, cui tot impudicitiæ & graves culpæ præcesserunt. Dicet aliquis: Pater! Expiabo conscientiam sacra illarum confessione, priusquam Matrimonium contraham. Hoc quidem crediderim, O chare! nam si illas non confitereris, gravissimum sacrilegium admitteres Sacramentum in statu peccati mortalis suscipiens: Veruntamen ob id haud sequitur, illa peccata a te non patrata fuisse: haud sequitur, illa peccata indignum te non reddidisse divinarum gratiarum, quas accepisses, ut in pace conjugali viveres, si illa non perpetrasses?

Igitur, ubi tempus præfinitum advenit, post factas debitas denunciationes aut earum dispensationem gravi de caussa obtentam contrahitur Matrimonium, quod (Ut casus, ob quos sponsalia dissolvi possunt, Theologis discutiendos relinquam; quandoquidem hic non præcepta theologica trado) utpote Sacramentum vivorum & ad augmentandam gratiam institutum recipi (Uti dixi) in statu gratiæ, hoc est: cum conscientia a peccato mortali pura debet: At quo animo, quove consilio illud recipiendum? Ob justos, O mei! ob rectos & honestos fines, in quos a Deo institutum & a Christo Deo-homine ad sublimem veri Sacramenti dignitatem evectum fuit. Fines hi tres sunt, indicati a Catechismo Concilii Tridentini (d) *Prima igitur ratio est hæc ipsa diversi sexus naturæ instinctu expetita societas, mutui auxilii spe conciliata, ut alter, alterius ope adjutus, vitæ incommoda facilius ferre & senectutis imbecillitatem sustentare queat. Altera est procreationis appetitus, non tam quidem ob eam rem, ut bonorum & divitiarum hæredes relinquantur, quam ut veræ Fidei & Religionis culto-*

(d) *p. 2. c. 8, n. 13. & 14.*

cultores educentur. Tertia est, quæ post primi parentis lapsum ad alias caussas accessit, cum propter justitiæ, in qua homo conditus erat, amissionem appetitus rectæ rationi repugnare cœpit, ut scilicet qui sibi imbecillitatis conscius est nec carnis pugnam vult ferre, matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur. Ecce, O mei! finem triplicem, quo Matrimonii celebratio honesta ac religiosa efficitur: primo quidem desiderium habendæ insolubilis, fidæ, benevolæ & sinceræ societatis, qua ad præsentis vitæ molestias & senectutis incommoda ferenda juvemur: deinde vero desiderium sobolis procreandæ, ut cultornm veri Numinis numerus crescat: tertio denique desiderium se a libidinis peccatis & impuritatibus, sexto Decalogi præcepto vetitis, securum reddendi. Hinc concludit laudatus Catechismus: *Hæ igitur sunt caussæ, quarum aliquam sibi proponere quisque debet, qui pie & religiose, ut Sanctorum filios decet, nuptias velit contrahere.*

Adjungit tamen citatus Catechismus: *Quod si ad eas caussas aliæ etiam accedant, quibus homines inducti Matrimonium ineant, atque in habendo uxoris delectu hanc illi proponant, ut hæredis relinquendi desiderium, divitiæ, forma, generis splendor, morum similitudo; cujusmodi sane rationes damnandæ non sunt, cum matrimonii sanctitati non repugnent*, nec ab antiquis Ecclesiæ Patribus improbentur. Quod si autem quis Matrimonium contrahens nil aliud mente recogitet, quam ut libidinem suam in illa persona expleat & cum eadem carnalibus sese voluptatibus pro libitu suo demergat, huic maxime accidere potest, quod septem viris, quas sacra Raguelis filia successive habuit, accidit: quos omnes dæmonium occidit ob hoc præcipue; quod Matrimonium eo solum animo inierint, ut libidinem suam jumentorum instar explerent: Unde pro Matrimonii consummatione cubile vixdum ingressos dæmonium successive omnes septem enecuit. Percipite clarum S. Scripturæ locum, in quo Archangelus Raphael refert: hoc in caussa fuisse, cur miseri illi tam propudiosa morte sublati fuerint: *Ostendam tibi* (e) *qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium: Ii namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* Jam sic argumentari libet: Si Matrimonium eo tempore, quo illi nondum Sacramenti dignitas accesserat, ex solo satiandæ libidinis fine contractum tam grave supplicium septem illis viris conciliavit, ut a diabolo suffocati perierint; utique culpa gravis fuit. At si culpa gravis fuit contrahere ex hoc solo fine Matrimonium, quando nondum Sacramentum fuit; nonne culpa erit gravis id nunc facere, quando verum inter Fideles Sacramentum est? Quisquis igitur (Quod non crediderim) ex hoc solo abominabili fine Matrimonium contraxit, se in Confessione accuset doleatque ex animo: Quisquis autem Matrimonium contrahere cogitat, aut memoratos fines omnes aut saltem horum unum sibi propositum habeat, ut hac ratione dignum se reddat effectibus gratiæ, quæ ab iis recipitur, qui Matrimonium culpæ mortalis immunes & in statu amicorum Dei celebrant.

Effectus hujus gratiæ, præterquam quod ipsa in neo-nuptis novis gradibus augeatur, hi sunt, quod jus afferat conjugatis obtinendi auxilium Dei, *primo* ut se reciproco amore virtuose, scilicet in ordine ad salutem æternam, amore vero amicitiæ sinceræ & intimæ diligant: *secundo* ut fidem conjugalem sibi mutuo inviolatam servent, quin animum ad ullam alienam personam adjiciant aut ex illa voluptatem quærant: *tertio* ut prolem a Deo obtineant eamque christiane educent: *quarto* ut immodicam concupiscentiam frænent: *quinto* ut Matrimonii onera & incommoda tolerent, quæ regimen familiæ sibi conjuncta persæpe habet, tum ut soboles pro ratione status nutriatur, educetur &c. tum ob varias incidentes calamitates aut morborum aut immorigerorum filiorum aut zelotypiæ gravibus argumentis nixæ aut timoris de morte conjugis vel natorum & aliis fune-

(e) *Tob.* 6.

funeſtis caſibus, quæ evenire haud raro ſolent: Quæ omnia cum ſine auxilio divino utiliter ac convenienter vel fieri vel ſuſtineri nequeant; ob id per gratiam, quæ bene Sacramentum recipientibus conceditur, conferuntur auxilia divina ad hæc omnia virtuoſe vel præſtanda vel ferenda neceſſaria, dummodo conjugati ſeſe illorum non indignos parum chriſtiana vivendi ratione reddant.

Percurramus modo, O ſuaviſſimi! obiter paululum conjugatorum mores, qui noſtra ætate per Chriſtianitatem palam ac publice videntur; & tum cogitemus nobiscum, num in maxima conjugum parte vel levia effectuum hujus gratiæ veſtigia deprehendere ſit? Quis unquam credat, hanc gratiam cum memoratis auxiliis ineſſe in illis viris, qui, cum uxores ſuas amore ſincero, intimo, ſimili amori Chriſti erga Eccleſiam (Uti jubet Paulus (f) *Viri! diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam*) diligere deberent, eas tota die conviciis ac maledictis onerant, male tractant & quandoque etiam verberibus excipiunt? qui uxoribus neceſſaria alimenta non ſuppeditant aut tam difficiles ſe ac faſtidioſos in hoc præbent, ac ſi cani os devorandum projicerent; Et hæc, quia amorem erga illas amiſerunt, quem vel alii perſonæ vel luſui vel ebrietati vel aliis chriſtiano homine indignis vitiis addixerunt? . . . Quis credat, hunc erga viros amorem ineſſe in illis uxoribus, quæ, cum ex præcepto Dei a S. Paulo relato obedire viris, *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint* (g) deberent, dominationem ſibi uſurpant aut quidquid vanitas dictat, ſibi volunt, atque ob id nulla re ſatiari poſſunt: Aut quæ, quo magis ſui amantem eſſe virum deprehendunt, eo magis illum poſtulatis irrationabilibus & modis indignantibus fatigant, ſi is ea non facit, quæ facere nequit, quin rem familiarem labefactet? . . . Hiccine eſt amor ille chriſtianus, amor honeſtus, amor veræ amicitiæ, quem in conjugatis Sacramentum Matrimonii bene ſuſceptum alere debet? Hic amor faciat neceſſe eſt, ut ſe conjuges mutuo ſuſtineant; cum quivis habeat, quod in altero toleret: ut ſe mutuo adjuvent, ſolentur ſibique invicem ſuccurrant: Nequaquam ut offenſam offenſa, faſtidium faſtidio, contemptum contemptu rependant; qua re fit, ut concordia omnis ad ſolum Matrimonii uſum reſtringatur, concordia brutis animantibus potius quam chriſtianis digna.

Secundum gratiæ ſacramentalis Matrimonii effectum ſtatuimus, eſſe fidem conjugalem; qua in re attendere ſibi maxime conjuges debent, ne tranquillitatem animi ſui hoc ſuper argumento ulla ratione turbent, abſtinendo ſumma cura ab omni verbo, dicto, amicitia, officiorum viciſſitudine, immo (ut ſic dicam) omni oculorum conjectu, qui parti alteri ſuſpecti in alienam perſonam amoris indicio eſſe poteſt. Hæc fidelitas utrum inter Catholicos noſtris temporibus, quibus pro more ſeculi ac pro conſuetudine ex orco profecta tum fœminæ in amaſiorum, qui ipſis magis arrident, manibus relinquuntur tum viri alienis fœminis, quæ ſibi magis placuerint (Ut ipſi quidem aiunt) inſerviunt, & ſic totos annos vivitur: an, inquam, ſic vivendo fides conjugalis ſalva eſſe poſſit . . . novit Deus ille, qui mille S. Scripturæ locis viris aliarum uxorum, uxoribus aliorum virorum fugam inculcavit additis minis: ſecus ſi faciant, in mille eos peccata ruituros eſſe. Deus (inquam) novit, quæ morem tam periculoſum, tam ſcandaloſum, tam fidei conjugali exitioſum conſequi debeant; Sed & ii ipſi norunt, qui hoc licentiæ genus ſectantur, exercent & deteſtabili exemplo ſuo magis magisque confirmant: Hi, inquam, ipſi norunt, utrum minæ a Deo intentatæ eventu ipſo confirmentur nec ne. Norunt hoc præterea & noſſe omnino debent confeſſarii (Si tamen ſacro tribunali hujus generis viri ac fœminæ ſeſe ſiſtunt) verum quia ſacros hos miniſtros loqui nec decet nec licet, ob id illos quietos eſſe ſinamus. Interea vos, O chariſſimi! oro atque obteſtor, ut ne pernicioſiſſima hac conſuetudine, quamvis vulga-

(f) *Ephes.* 5. (g) *Ephes.* 5.

tissima maximeque nobilitata esse videatur, abripi vos permittatis; sin minus reos vos omnium peccatorum facere velitis, quæ sive maritus sive uxor, sive utrique, horrendæ licentiæ hujus genus sibi mutuo concedentes facile admittere possunt: Cum de cetero quilibet vir in uxore, & vice versa quælibet uxor in viro hæc perfidiæ pericula impedire, quantum moraliter fieri potest, sub gravi peccato teneantur; qua in re si notabiliter negligentes & remissi sunt, omissionis mortaliter peccaminosæ rei evadunt. Neque (Quod ad hoc attinet) sunt solidæ in partem contrariam sententiæ; Et quemadmodum pater aliquis mortalis omissionis reum se facit, si manifesta stupri pericula in filia e medio non tollit: ita & conjux mortalis omissionis culpam contrahit. si manifesta adulterii & aliarum impudicitiarum, ad hoc scelus accedentium, pericula in consorte pro viribus non tollit: Et deprehendent aliquando tales conjuges coram tribunali divino, quot peccatorum reos sese hac sua indulgentia fecerint, & utrum apud tremendum judicem prava consuetudine ac more seculi defendi queant.

Pergamus ulterius: Tertius gratiæ sacramentalis effectus est procreatio atque educatio liberorum ad legis christianæ præcepta. Et hoc loco quam amplus dicendi campus sese mihi aperit! Sed dicenda in illud tempus reservo, quo quartum Decalogi præceptum explicabo. Nunc hoc dixisse sufficiat: Effectum hujus gratiæ certe non habere eos parentes, qui proli suæ de necessario victu & convenienti institutione non prospiciunt; non quod prospicere re vera nequeant; sed quod id non possint ob vitia, quibus constringuntur: ob vitia vel præter status sui rationem se vestiendi ac ornandi vel saltandi ac tripudiandi vel immodice ludendi vel alendi personas, quibus thorus conjugalis magis magisque fœdatur. Hac re fit, ut filii, omnis officii exsortes, in quævis vitia præcipites ruant: & filiæ, dote carentes, *plus offerenti* pudicitiæ florem vendant; Ex hoc deinde fit, ut improbis hominibus, ut prostibulis, ut aliis personis, quæ non probis Catholicis tantum sed & Religionis catholicæ hostibus offendiculo sunt, urbes repleantur. Quod si vero educationem, quatenus illa ad animam pertinet, quæ ipsa pars officii patrii præcipua est, spectemus; certe res sanguineis deflenda lacrymis sese oculis offert: Videre scilicet innumeros parentes, quibus hoc educationis caput postremæ curæ est & qui, dum curant, ut nati artes aut scientias discant, quarum ope vitam commode ducant: contra parum aut nihil satagunt, ut nati veritatibus Fidei catholicæ imbuantur, multoque minus ut præcepta divina opere complere & Sacramentis pie uti sciant: quibus tamen rebus aditus illis ad vitam æternam tutior atque expeditior redderetur. Sed de hoc, ut monui, alio loco dicam.

Quartus memoratæ gratiæ effectus est effusæ libidinis moderatio. Nunquid effectus hic apparere, O mei! in illis poterit, qui se personarum maxime genialium servitio consecrant & soli cum solis, quantum libuerit, libere conversantur nullo præsente, qui eas custodire deberet? Hoc tam fieri non potest, quam fieri nequit, ut ignem, paleam & sarmenta aquæ loco adjiciens, restinguas. Quo modo concupiscentiæ moderaberis conversans cum personis, quæ sola sua præsentia fixis spectata oculis accendere eandem quam aptissime valent? Et quanto minus eidem temperabis, si & molles ac teneri sermones, si affectus demonstrationes quam maxime obstringentes, si amoris contestationes longe suavissimæ accesserint? . . . Hoc velle idem est ac si quis velit, ut ignis in glaciem coeat: contra unda glacialis ardescat. Hunc gratiæ effectum etiam ii conjugum non habent, qui ruptis modestiæ & honestatis repagulis omnibus ita inter se agunt, ut impudentissimæ libidinis impetus omnes explere videantur, petentes mutuo ea voluptatis genera, quæ vel ipsa lupanaria detestentur: Crimina, quæ in Christianis ne quidem timenda esse viderentur, nisi illa hos inter re vera obtinere, experi-


experientia quandoque monſtraret. Sed quoniam hi ſermones mei in quarumvis, ſors & caſtiſſimarum atque clauſtralium, perſonarum manus incidere poſſunt; hinc miſſis iis, quæ ad hoc caput attinent & ex ſapientibus doctisque confeſſariis intelligi queunt, ad quintum gratiæ ſacramentalis effectum pergamus.

Hic in eo conſiſtit, ut conjuges cum patientia mutuaque miſeratione onera ſtatus conjugalis ſuperius expoſita, quæ tum in gubernatione familiæ, tum in liberorum educatione tum variis infortuniis atque anguſtiis ſentiuntur, ferant: hoc eſt, mutuo ſe adjuvent, conſolentur & unitis viribus Dei majeſtatem exorent, quo illius ope adjuti omnes ſuas actiones ad legis chriſtianæ præcepta conforment. Quod ſi nunc multas ædes, maxime opificum tabernas & abjectæ plebis tuguria ingrederer, heu! quid viderem, quid audirem? Ah Deus! Omnia potius viderem quam mutuum ſuccurrendi ſtudium; Omnia potius audirem quam verba pia mutuo ſolantia ac confirmantia. At vero viderem atque audirem mutua convitia, clamores, rixas, maledicta & ſæpe neſcio quod odii, averſionis atque inteſtini belli genus, quo & liberi & propinqui & vicini offenduntur.

Noſtisne autem, O mei! quonam e fonte graviſſimæ hæ inter conjuges turbæ fluant, quæ Dei auxilium impediunt, ne gratia in Matrimonii celebratione accepta effectus ſuos procreet. Dicam hoc vobis, O mei! Atque utinam! bene intelligar & omnino perſuadeam. Malorum iſtorum omnium origo hæc, quod priusquam ſponſalia & poſt hæc Matrimonium contrahatur, dotes perſonæ thalamo jungendæ non attendantur: ſcilicet utrum Dei timore plena, utrum honeſtis & Chriſtiano dignis moribus, utrum ſaltem ſufficienti regendæ, ſuſtinendæ, adjuvandæ familiæ ſcientia prædita ſit; Sed enim quod his poſthabitis, vel quia exterior oris ſpecies rapit vel quia ampla dos allicit vel quia habendæ illuſtris cognationis ſtudium urget vel quia aliæ carnales, terrenæ & fallaces cauſſæ inducunt, Matrimonium promittatur atque contrahatur. Hinc eo vixdum celebrato, ſi in una vel altera parte vel in ambabus quædam pravæ animi qualitates (Uti ſunt dura & aſpera agendi ratio, obſtinatio, ambitio, alia prius haud cognita vitia, levitas mentis, nimia ira, cor alieno amore diviſum) aliaque, quæ intimæ concordiæ in conjugibus requiſitæ repugnant, deprehenduntur: ecce! confeſtim initi connubii pœnitentia animum ſubit: ecce! neſcio quæ antipathia oritur: ecce! memoratis a me graviſſimis turbis aditus ingens panditur. Itaque vos, O mei! qui connubium nondum iniiſtis, at inire cogitatis, vos (inquam) hoc primum ſatagite, ut quas animi dotes perſona a vobis ducenda habeat, certo intelligatis: utrum videlicet paulo ante memoratas habeat, quas & repetere juvat, nimirum indolem bonam, mores probos, conſcientiam timoratam: utrum ſit amatrix Sacramentorum: utrum ſit prudens, ſapiens ſufficienter apta. Non vos oris venuſtas, non agendi elegantia, non dotis amplitudo, non alia ſordida & temporalia incitamenta abripiant, quo minus cogitetis, vobis poſtea toto vitæ tempore decertandum fore cum uxore vel cum marito, qui vitam veſtram mille amaritudinibus, mille turbis, mille calamitatibus repleturus: qui vos in innumera cujusvis generis peccata non ſine præſentiſſimo ſalutis æternæ periculo conjecturus ſit. Atque ob id priusquam nuptias alicui ſpondetis, Deum continuis precibus per Mariæ interceſſionem exorate, ut vos doceat, utrum illa perſona vobis in conſortem pro vitæ ſpatio univerſo deſtinata ſit: & ſi non ſit, ut ipſe pactionem omnem deſtruat, uſquedum eam perſonam inveniatis, quam prævidet ſalutem veſtram æternam (Hanc omnibus vobis opto) adjuturam eſſe.







PARS TERTIA
DE
PRÆCEPTIS DECALOGI.

Post Sacramentorum expositionem Catechismus Concilii Tridentini ad Decalogum explanandum transit: Hoc ipsum nos quoque faciemus. Decalogus, O mei! significat decem verba sive decem præcepta legis divinæ: Hæc præcepta omni tempore ab ipso adeo mundi exortu homines obligarunt; cum sint præcepta juris naturalis & eas res imperent, contra quas agere malum est, idque essentialiter tale; ob quam caussam etiam indispensabilia appellantur. Verum quia malitia hominum, agere adversus præcepta hæc continuando, eadem culpanda oblivione vix non penitus deleverat, ob id Deus noster misericordissimus illa in duabus lapideis tabulis sua manu perscripta Moysi tradere constituit, ne humana nequitia eorundem ullo in posterum tempore oblivisceretur: Hæc eadem præcepta a Jesu Christo confirmata fuerunt, obligantque omnes mortales atque obligabunt omnes ad mundi interitum usque; cum sint præcepta de rebus ejusmodi, contra quas facere essentialiter malum & peccaminosum est (Ut superius monui) atque ob eam rem non obligare non possint. Et quamvis multa alia legis Mosaicæ præcepta amplius haud obligent, hæc tamen (quod dixi) obligant atque obligabunt: Quocirca scire debetis, O mei! in lege Mosaica tria præceptorum genera fuisse: unum moralium, alterum judicialium, tertium ceremonialium. Moralia præcepta sunt ipsa præcepta Decalogi, de quibus agimus, quæ hominem ad rectæ vitæ rationem & morum honestatem inducunt. Judicialia rectam caussarum cognitionem & populi Israelitici, qui tunc populus Dei erat, gubernationem docebant. Ceremonialia denique hominem ad certos ritus & ceremonias sacras cultum divinum spectantes, quibus legis nostræ christianæ mysteria significabantur, observandas dirigebant. Præcepta primi generis, nimirum moralia, retinentur & a Christo confirmata fuerunt, qui eadem omnibus legem christianam profitentibus injunxit. Præcepta judicialia a Christo arbitrio Ecclesiæ relicta fuerunt, ut hæc, pro eo ut opportunum judicaret, illa vel rejiceret vel adoptaret: Horum nonnulla Ecclesia retinuit, uti legem decimarum; plura alia abolevit. Præcepta denique ceremonialia plane omnia antiquata fuerunt; nam cum nil aliud, quam adventus Christi & mysteriorum ab illo operandorum significationem, continuerint, quandoquidem Christus in hunc mundum venit atque mysteria significata operatus est, ex sua natura cessarunt & abrogata fuerunt, adeo ut, illa observare, peccato ac superstitioni affine esset. Nos igitur de moralibus (scilicet iis, quæ Decalogo comprehenduntur) & post hæc de præceptis, quæ catholica christiana Ecclesia Fidelibus imposuit, agemus.

SER-

SERMO XLVI.

De primo præcepto Decalogi: EGO SUM DOMINUS DEUS TUUS &c. De obligatione actuum Fidei, Spei, & Charitatis.



Ut a primo Decalogi præcepto sermonis initia ducam, sciatis velim, O mei! hoc præceptum sibi velle, ut unus solus verus Deus agnoscatur eidemque debitus religionis cultus præstetur. Quis sit Deus hic, unus in essentia & trinus in personis, & quam dignus amore atque servitio sit, vobis sermone III. IV. & sequentibus exposui: Quo autem is maxime modo honoretur, docet S. Augustinus (a) dicens: *Deum Fide, Spe & Charitate colendum.* Atque ut his actibus eundem, prout decet, honoretis, primo loco vos docebo, quomodo actus isti (scilicet actus virtutum theologicarum) elici debeant. Neque vos audire hæc tædeat; Etenim certi sitis velim, me non in populares solum sed & cultiores personas incidisse, quæ, quamvis rudem & indigestam quandam harum trium virtutum notitiam habuerint, tamen revera, quid illæ sibi vellent, ignorarunt; cum tamen hæ virtutes verum Christianum constituant. Fides itaque (Ut vos sermone I. monui) est virtus misericordia Dei animabus nostris per Baptismum infusa, qua adjuvante veritates a Deo Ecclesiæ revelatas & ab Ecclesia nobis propositas ob id maxime credimus; quia a Deo revelatæ fuerunt, qui mentiri nescit sed verum semper dicit. Hinc Fidei actus elicitur, quando e. g. dicitur: *Credo SS. Trinitatem personarum in una sola essentia, & hoc credo; quia Deus revelavit & Ecclesia docet.* Unde si modo sciatis, hanc esse credulitatis caussam (scilicet revelationem Dei & doctrinam Ecclesiæ) etsi semper hæc omnia non recitetis, nihil refert; cum sufficiat dixisse: *Credo mysterium SS. Trinitatis &c.*

Spes quoque est virtus a Deo animabus nostris per sanctum Baptismum infusa, qua adjuvante nos vitam æternam in gloria cælesti obtenturos esse speramus, idque ob omnipotentiam Dei, qui nos juvare potest, & ob misericordiam Dei, qui nos propter merita Jesu Christi juvare vult, ut salutem per bona opera, ad quæ operanda ille nobis auxilium præstabit, consequamur. Hinc Spes, quam Fideles in patrocinio Mariæ & Sanctorum reponunt, omnis hac Dei omnipotentia & misericordia atque meritis Jesu Christi nititur, quarum rerum vi Maria & Sancti impetrant & impetrandi meritum habent. Hinc erit actus Spei, si dicas: *Spero in potentia & misericordia Dei, fore, ut per merita Christi salutem consequar: & hinc, ut non amplius peccem sed legem divinam servem.*

Charitas similiter virtus est a Deo animabus nostris per Baptismum infusa, qua adjuvante Deum super omnia diligimus ob infinitam illius bonitatem, quam nobis tot modis ostendit, & distincte in tribus mysteriis, Incarnationis scilicet, qua se Fratrem nostrum: Passionis, qua se Salvatorem nostrum: Eucharistiæ, qua se Cibum animarum nostrarum fecit; quorum mysteriorum quodlibet (Uti præteritis sermonibus exposui) infinitam quandam bonitatem atque amabilitatem in Deo nostro optimo maximo inesse prodit. Itaque Charitas diligit super omnia Deum hunc, quia sic amari ob infinitam suam bonitatem dignus est; &c.

(a) Enchrid. c. 3.

& dicit: Deus meus! ob tuam infinitam bonitatem ex toto corde meo super omnia te amo.

Jam ab obligationibus circa Fidem exordiamur; ac primum quidem ab articulis, quos credere adultus quilibet obligatur. Ante alia omnia duplex obligatio distingui debet, quam etiam alio loco explicavi, scilicet obligatio *Medii* & obligatio *Præcepti*: Obligatio *Medii* est, quæ sic obligat, ut, si non impletur, nec gratiæ divinæ nec salutis æternæ obtinendæ via ulla sit; unde non datur ignorantia, quæ defendere vel excusare apud Deum possit, utpote qui sic constituit. Obligatio *Præcepti* est, quæ sic obligat, ut, etsi non impleatur, fieri tamen quandoque possit, ut ignorantia (quippe non culpabilis) excuset. Igitur ut hanc distinctionem ad propositum argumentum traducamus; res explorata certaque omnibus est, quemlibet adultum sub peccato mortali & necessitate *Medii* scire ac credere: quod sit unus solus Deus auctor gratiæ & gloriæ, remunerans obedientes sibi, puniens offendentes se; Hinc, talis cum sit Deus ille, credi (Ut consequens est) debet, quod sit justus judex, præmians cultores legis suæ & ejusdem violatores castigans: Unde sequitur, & præmia æterna paradisi & pænas æternas inferni credi debere. Sic docuit Paulus affirmans (b) *Sine Fide impossibile est placere Deo; Credere enim oportet accedentem* per Fidem *ad Deum, quia est* auctor supernaturalis *& inquirentibus se* ex animo *remunerator sit.* Dixi: Credi debere, quod Deus sit auctor supernaturalis; nam, ut auctor naturalis, rationis naturalis ope cognoscitur, nec alius Fide ad id opus habet, quam is, qui argumenta, quibus Deus auctor esse naturalis demonstratur, ignorat: Contra ut auctor supernaturalis (nimirum ut auctor gratiæ & gloriæ) agnosci a nemine mortalium, nisi solius Fidei ope ac lumine, potest; cum lumen rationis naturalis naturæ limites transgredi & ad veritates se superiores (Uti sunt veritates supernaturales & a Deo revelatæ omnes) pertingere nunquam possit. Hæc ergo, quæ dixi, credi necessitate *Medii* debent, & sine hac Fide nullus adultus vel gratiam vel gloriam habere poterit; cum doctrinas contrarias sancta Sedes (*Innocentius XI. propos. 22.*) reprobarit.

Debet præterea quivis adultus distincte & formaliter credere eadem necessitate *Medii* duo præcipua legis christianæ mysteria: Primum, quod hic Deus, auctor & remunerator supernaturalis, unus sit in essentia & trinus in personis, quæ Pater, Filius, Spiritus sanctus dicuntur: quod mysterium Sermone IV. prolixe exposui: unde de illo quidquam hoc loco repetere supervacaneum duco. Secundum, quod Filius, secunda Trinitatis persona, humanitatem nostram (hoc est: animam & corpus virtute Spiritus sancti ex sanguine purissimo Mariæ Virginis formatum) assumpserit, ut in illa humanitate pateretur ac moreretur pro nobis in Paradisum, e quo æternum ejecti fueramus, reducendis. Hoc quoque mysterium Sermone XI. multis explicavi, atque ob id ulteriori illius explanatione supersedeo. Hæc duo mysteria teste S. Thoma, cui permulti alii Theologi consentiunt, credi ab adultis singulis necessitate Medii debent, adeo ut nec habere gratiam divinam nec pervenire ad gloriam possint, nisi hæc mysteria sciant & credant. Sic docuisse Christus dicens: *Qui non credit, jam judicatus est; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei* (c) At non solum ille non credit, qui credere detrectat, sed & is non credit, qui ignorat; cum credi distincte non possit, quod nescitur. Sic etiam Paulus affirmavit: *Non justificatur homo . . . nisi per fidem Jesu Christi* (d) Debet itaque homo cum fide Jesu Christi & consequenter cognoscere mysterium SS. Trinitatis, sine cujus cognitione mysterium Incarnationis bene credi non potest; uti omnibus patet: Hinc apposite S. Thomas (e) *Mysterium Incarnationis Christi explicite credi non potest, nisi fide Trinitatis; quia in mysterio Incarnationis Christi hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit & quod per gratiam*

(b) *Hebr. 11.* (c) *Joan. 3.* (d) *Galat. 2.* (e) *2. 2. q. 2. a. 7.*

tiam Spiritus sancti mundum renovaverit & quod de Spiritu sancto conceptus fuerit. Et in eodem loco concludit: *Post tempus gratiæ revelatæ tam majores quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi, præcipue quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur & publice proponuntur, sicuti sunt articuli Incarnationis.* Immo majus quid pertendit (f) magnus S. Augustinus (si eidem fidem habere voluerimus, uti habenda oppido est) atque affirmat: Esse Fidei dogma, etiam justos legis antiquæ non nisi per fidem in Christum justificationem & gratiam Dei esse consecutos: *Sine fide Incarnationis & Mortis & Resurrectionis Christi nec antiquos justos, ut justi essent, a peccatis potuisse mundari & Dei gratia justificari, veritas christiana non dubitat.* Jam si Augustinus contendit: sine cognitione & fide Incarnationis, Mortis ac Resurrectionis Christi venturi ne quidem in lege Mosaica peccatorum remissionem & gratiam Dei obtineri potuisse; quanto magis istud in lege christiana affirmari debet, postquam Christus mysteria illa omnia implevit ac consummavit: Ob eam rem Jobus ille præstans legis naturæ Sanctus (g) multo ante legem scriptam tempore belle confessus est: *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum salvatorem meum.*

Ex his sequitur, omnes adultos sub peccato mortali obligari, ut sciant & credant omnes Symboli apostolici articulos prima præsentis Operis parte a me explanatos. Non hoc ego, sed magnus Thomas magister ille meus affirmat (h) *Quantum ad prima credibilia, quæ sunt articuli Fidei, tenetur homo explicite credere, sicut & tenetur habere fidem.* At hi Fidei articuli sunt ipsi articuli Symboli Apostolorum; atque ob eam caussam is, qui illos saltem quoad rem & substantiam ignorat, in statu peccati mortalis versatur. Debent præterea sciri saltem ex necessitate *Præcepti* præcipuæ obligationes hominis Fidelis, nimirum præcepta Decalogi, præcepta Ecclesiæ & principalia status proprii officia. Rei hujus ratio evidens est; nam quemadmodum in statu peccati mortalis versatur, quisquis gravis momenti munus sibi arrogat, quin illius regulas seu præcipuas veritates calleat: ita etiam, cum veritates articulis Symboli comprehensæ & aliæ paulo ante memoratæ sint regulæ & veritates principales ad sectatorem christianæ legis pertinentes, ob id illas ignorans coram Deo gravis omissionis reatum contrahit, maxime in nostris oris, in quibus disci illas perfacile est, adeo ut illarum ignorantia ex nullo alio fonte, quam ex detestabili segnitie & omnimoda eorum, quæ Christianum constituere debent, officiorum negligentia fluere possit.

Debet præterea quivis adultus Catholicus nosse atque credere veritates ad septem Sacramenta & eorum efficaciam spectantes, saltem ad illa Sacramenta spectantes quæ pro ætatis suæ ratione recipere obligatur, & distinctius atque clarius Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ suo a me loco exposita. Debet insuper scire & credere veritates ad invocationem Virginis sacratissimæ & Sanctorum, ad cultum reliquiarum & imaginum sacrarum, ad purgatorium ac suffragia, quibus, uti etiam maxime Missæ sacrificio, animæ ibi detentæ adjuvari possunt, spectantes. Similiter scire debet, uti S. Thomas superius affirmavit, mysteria Christi, *quæ communiter in Ecclesia solemnizantur & publice proponuntur.*

Utinam nunc, O mei! ardor, spiritus & lacrymæ Oseæ (i) Prophetæ mihi adessent, quibus defectum hujus scientiæ rerum divinarum atque Fidei in permultis Catholicorum plangam! *Non enim est veritas . . . & non est scientia Dei in terra.* O charissimi Auditores! Quot, eheu! quot maxime de plebe homines reperire est, qui res a me allatas scitu necessarias penitus ignorant? Testes hujus rei appello Confessarios sacri officii sui diligentes: Hi dicant, in quot personas incidant, quæ non solum mysteria præcipuis solennitatibus ab Ecclesia celebrari solita, non solum veritates ad Sacramenta, quæ

(f) *Lib. de pecc. orig. c. 24.* (g) *Cap. 19.* (h) *2. 2. q. 1. a. 5.* (i) *Cap. 4.*

quæ recipiunt, ſpectantes, non ſolum Symboli capita nonnulla non norunt; ſed nequidem primores duos SS. Trinitatis, & Incarnationis, Paſſionis, Mortis ac Reſurrectionis Chriſti articulos ſciunt, adeo ut interrogatæ neſciant, quid reponant; quin prius cum animo ſuo multa recogitent, reſpondentes ſubinde tantum ex parte, aut pro veritatibus revelatis omnino falſa referentes? Heu! quot harum ſunt? . . . Et cum ad omnem fraudem, ad omne ſcelus, ad omnem dolum atque omnem iniquitatem doctæ exiſtant; eorum, quæ credenda atque ſperanda ſunt, aut nihil aut minimum callent!

Teſtes vocavi *Confeſſarios ſacri officii ſui diligentes*, non eos, qui nil aliud, quam confitentibus auſcultare & Abſolutionem impertire norunt; quin unquam vel raro admodum ora reſolvant, ut opportunas interrogationes interponant, ſummo tum ſuarum tum alienarum animarum damno. Non hos ego, ſed illos Confeſſariorum anteſtor, qui, ſi circumſtantiæ crudi, ignorantis, diſſoluti & pietate deſtituti Pœnitentis prudentem dubitationem afferunt, utrum is tum Medii tum Præcepti neceſſitate ſcienda ſciat, eundem amanter interrogant &, ſi illum a debita ſcientia vel omnino non vel parum bene inſtructum deprehenderint, aut confeſtim (ſi poſſunt) erudiunt aut in aliud magis commodum tempus erudiendum ſibi ſervant. Hos, inquam, hos teſtes voco deplorandæ rerum divinarum ignorantiæ, quæ in multis Catholicorum ad omnem ceteroquin nequitiam doctis obtinet: Ex quo malitioſa diſcendi omiſſio & execrabilis remedia, quibus æternum ſalventur, ſciendi negligentia videtur atque apparet. Hos (repeto) hos Confeſſariorum ſocios mihi advoco, ut cum Propheta Oſea plangamus: *Non enim eſt veritas . . . & non eſt ſcientia Dei in terra!*

Et poſtquam illos in planctus ſocietatem vocari, inſuper obſecro atque obteſtor, ut ſerio mecum admoneant eos, qui non ſupponenda (ſcilicet ſcienda, præſertim memoratos duos articulos, ab omnibus ſciri) temere ſupponentes, quin alia ratione ſe de hoc certos reddant, cuivis conſcientia, utut eam rudem, ignaram, perplexam, diſſolutam deprehendant, Abſolutionem libere impertiuntur. Scire iſti oppido debent: quemcunque duo myſteria hæc (nimirum SS. Trinitatis & Incarnationis) ignorantem Abſolutionis incapacem eſſe, uti Innocentius XI. ſancivit, reprobans doctrinam, quæ aſſerebat: *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium SS. Trinitatis & Incarnationis D. N. Jeſu Chriſti*; itemque doctrinam, quæ affirmabat: *Sufficit illa myſteria ſemel crediđiſſe* (k) Quæ cum ita ſint, cur Confeſſarii iſti, ſi ob qualitates Pœnitentis juſtam dubitandi cauſſam habent, rem actius non inveſtigant? Avertant Superi! ut ne hac inveſtigatione, quam propria ipſis conſcientia dictat, eo conſilio ſuperſedeant, ut rudis perſonæ inſtituendæ laborem divitent! aut expectabunt tales Confeſſarii forſitan, ut impolitiſſimi & diſſoluti ſemetipſos accuſent ac dicant: Neſcio iſta myſteria. Abſit, ut hoc fore credam! nam a talibus Pœnitentibus expectari iſtud moraliter nequit: Confeſſariorum ergo erit ſciſcitare ab illis, an hæc ſciant.

Quod ſi forte Pœnitentem interrogant & eundem laborare gravi hac ignorantia inveniunt, num brevis explicatio in flagranti facta ſufficiet, ut valide ac licite abſolvatur? Ut dicam, quod ſentio, cum multis Theologorum (quidquid contra alii aſſerant) affirmo, teneri confeſſarium, qui talem ignorantiam in Pœnitente animadvertit, ut non ſolum eundem Abſolutione non impertiat, niſi prius erudierit (Quod fieri poſt oraculum Innocentii XI. a me ſupra laudatum omnino debet) ſed ulterius ab illo quærat, utrum prævias confeſſiones cum eadem ignorantia peregerit: Et ſi Pœnitens affirmet, quem hoc affirmaturum moraliter certum eſt, tunc debet Confeſſarius eidem Abſolutionem non impertire ſed omnium Confeſſionum cum hac ignorantia peractarum repetitionem perſuadere; atque ob eam cauſſam debet Pœnitenti ſpatium & otium dare, ut con-

(k) *Propoſ. 64. & 65.*

conscientiam suam excutiat & Confessionem generalem suo tempore faciat. Sic cum multis gravissimis Theologis ego sentio inductus a ratione quadam, cui quæ digna responsio reddi queat, ignorantiam meam invenire nunquam potuisse profiteor. Ratio autem hæc est: Pœnitens, qui memorata mysteria ignorat ex oraculo Pontificio nunc in præsenti incapax Absolutionis est: & quare? quia laudata mysteria ignorat: nec absolvi valide potest, quia incapax est, nisi illa prius discat. Igitur τὸ nescire hæc mysteria facit hominem incapacem Absolutionis. Jam autem certum: hæc mysteria eundem etiam tunc ignorasse (uti fatetur) quando anteriores Confessiones peregit: Itaque & in illis Confessionibus incapax fuit Absolutionis; cum eadem ignorantia laborarit.

Illud autem exploratum: Absolutionem supra Subjectum incapax prolatam effectum suum non fortiri. Tenetur ergo repetere præteritas Confessiones; cum in illis tam incapax Absolutionis fuerit, quam modo est. Ratiocinium hoc clarum, perspicuum, manifestum, decretorium est, quod, quamvis illud contradicentes variis solutionibus labefactare conentur, nulla tamen harum elidi apud animum meum potuisse assevero. Concludamus itaque & dicta repetentes in unum colligamus: Debent omnes adulti necessitate *Medii* duo mysteria, SS. Trinitatis & Incarnationis &c. Christi scire: Debent præterea saltem necessitate *Præcepti* nosse reliquos omnes articulos Symboli, Sacramenta, præcepta Dei & Ecclesiæ, mysteria Christi, quorum solennis memoria in Ecclesia agitur. Quisquis sine harum rerum scientia Sacramenta suscipit, illicite suscipit ac peccat: Et quisquis sine cognitione duorum principalium mysteriorum confitetur, male atque invalide confitetur, quia Absolutionis capax non est, teneturque omnes Confessiones, quas hac ignorantia laborans fecit, repetere.

Jam de obligatione, qua quivis Christianus ad actus Fidei, Spei & Charitatis erga Deum eliciendos obstringitur. Atque, ut opiniones de hoc argumento a sancta Sede damnatas missas faciam & ne verbo quidem attingam, distinguere, O mei! duplicem caussam debetis, a qua eliciendorum horum actuum obligatio gignitur: Una est præceptum Dei, & hæc est caussa directa sive *per se*; secunda est casus aliquis, & hic dicitur caussa indirecta sive (ut Theologi aiunt) *per accidens*. Præceptum Dei directe ad hos actus, quippe Deum spectantes, obligat, quando homo discretionis seu rationis usum habere incipit; cum oppido conveniens sit, ut is primos suos affectus ad Creatorem, Redemptorem, principium suum & finem ultimum dirigat; Per verba autem: *Rationis usum habere incipit*, non temporis articulus mathematice acceptus sed enim moraliter consideratus, significatur. Præceptum Dei obligat insuper in fine vitæ, & hoc ob eandem, quam attuli, rationem; cum hoc tempus exigere maxime videatur, ut homo semper magis magisque agnoscat Deum & per hos actus ad illum se convertat. Consentiunt præterea multi graves auctores, esse obligationem divinam, ut homo saltem semel per annum memoratos actus eliciat, adeo ut mortalis adversus divinum præceptum omissionis culpam contrahat, si annum abire sinat, quin hos actus exerceat; id quod nonnullis argumentis confirmant. Nos vero, O mei! sequentes aliorum gravissimorum Theologorum opinionem, absit! ut nobis persuadeamus, quod parum Dei intersit elici hos actus, adeo ut illi satisfieri credamus, si una per annum vice eos exerceamus: Absit, ut cum Deo optimo & maximo tam parce atque jejune agamus: Dicamus potius, actus Fidei, Spei & Charitatis sæpius per anni spatia elici debere. Atque (Ut omnes tum veteris tum novi Testamenti, harum virtutum exercitium summopere inculcantes, textus: ut SS. Patrum continuum horum actuum usum injungentes sententias prætermeam) satis habeo docere vos, quæ potissimum meo judicio caussa & Scripturas sacras & SS. Patres ad exerci-

tium hoc tantopere inculcandum permoverit: Advertite animos, & eandem vobis, quam fieri poteſt, clariſſime proponam.

Nunquid, O mei! quivis Fidelis præcepto divino obligatur, ut a culpis mortalibus quam alieniſſimus vivat & gratiam Dei in anima ſervet? Quis de hoc dubitet; cum in hunc ſcopum omnia legis divinæ præcepta tendant. Jam ad finem hunc aſſequendum trium virtutum theologicarum exercitium principale remedium eſſe quis dubitet; quandoquidem hæ ſolæ Deum proxime ſeu immediate ſpectant, atque ob eam cauſſam theologicæ appellantur. Quomodo fieri poterit, ut Fidelis aliquis bona æterna digne æſtimet, ne caducis miſeræ hujus vitæ bonis nimio ſtudio inhæreſcat: ut tot peccatorum occaſiones incidentes devitet: ut ſeculi hujus pompam atque amplitudinem aſpernetur: ut carnis voluptates odio habeat: ut ad veram magnitudinem, quæ in cœlis poſſidetur, aſpiret & ſuaviſſimas atque innocentiſſimas paradiſi delicias concupiſcat? quomodo (inquam) fieri poterit, ut ſic homo Fidelis ſe gerat, ſin minus ſæpius per annum Fidem ſuam exſuſcitat: Et tamen ſine his Fidei ſenſibus fieri moraliter nequit, ut ſe homo immunem a peccatis mortalibus & in amicitia Dei conſervet. Quomodo fieri poterit, ut Fidelis a divina potentia & miſericordia obtineat illa gratiæ ſubſidia, quibus ad vincendas innumeras tum propriæ carnis tum ſecularium hominum, tum diaboli undique jugiter irruentes tentationes neceſſario opus habet, ſi illa a Deo una ſolum per annum vice ſperat; cum Deus gratiæ ſuæ præſidia cum ſpe conſequendi illa, quam nos habituri eſſemus, connexuerit teſte Propheta Rege: *Fiat miſericordia tua Domine! ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te* (l) Quomodo fieri poterit, ut Fidelis Deum rebus ceteris omnibus conſtanter anteferat & generoſe repellat occaſiones omnes, quæ ſibi offeruntur & quibus inducitur, ut Deo neglecto ſuo animo obſequatur (Occaſiones, inquam, vel bona temporalia illegitime acquirendi, vel ad honores & dignitates viis injuſtis graſſandi, vel vetitas delicias & indignas voluptates captandi) ſi Deum una ſolum per anni decurſum vice amat? . . . Aut creditis, O mei! illum unum unicum per annum Fidei, Spei & Charitatis actum tam efficacem tamque ardentem fore, ut nobis ad repellendos tot aſſultus, ad tot pugnas viriliter ſuſtinendas, ad tot difficultates ſuperandas ſatis virium ac virtutis daturus ſit, ne forte humana fragilitas ſuccumbat, ne humana cedat malitia, gratiaque Dei peccato mortali amittatur? Ex his apparet: quod, ſi quis divinum de virtutibus theologicis præceptum ad unum ſolum per anni ſpatia actum reſtrinxerit, is illud ita enervet, ut effectum, cujus gratia impoſitum fuit, moraliter loquendo nunquam habiturum ſit; cum fieri moraliter nequeat, ut una ſola per annum vice credens, una ſola per annum vice ſperans, una ſola per annum vice amans vel Fidei veritates menti imprimat, vel auxilia gratiæ obtineat, vel finis ſui ultimi amorem animo concipiat; quibus rebus ſeſe inter innumerabiles occaſiones, tentationes, difficultates cultorem legis divinæ & in ſtatu gratiæ illæſum conſervet. Itaque ſi eſt præceptum divinum, ut homo a peccatis mortalibus abſtineat & gratiam divinam ſartam tectamque conſervet: dicendum omnino: præceptum divinum quoque eſſe, ut homo memoratos actus ſæpius per annum eliciat; cum ſint remedia maxime neceſſaria, ut mortaliter non peccemus & in gratia Dei permaneamus.

His addo: Anne putatis, O mei! multam curam ineſſe in patre, qui, filium ſuum egregium pictorem facere volens, ſatis haberet, dummodo natus una per annum vice penicillum arriperet, eumque per telam duceret. Quid diceretis puto: Niſi ad crebrius exercitium pater filium adigat, ſolicitudinem quam ore jactat, re oſtendere haud videtur. Sciatis, O mei! non eſſe quidquam, quod Deus in Scripturis ſacris plus commendavit, quam memoratarum virtutum præcipue Charitatis (quod) *maximum* (m) *& primum mandatum* dicitur) exercitium atque

(l) *Pſalm.* 32. (m) *Matth.* 22.

atque usum, ut hac ratione filii sui (scilicet nos Fideles) egregii earundem virtutum, maxime charitatis, professores evaderent. At quomodo assirmari ex vero poterit, Deo cordi esse, ut nos memoratis virtutibus excellamus, si nos ad illarum exercitium non nisi una sola per annum vice obligat? Hæ sunt rationes, quibus quid responderem, me invenire nunquam potuisse consiteor.

Nihil hoc loco opponere juvat: Ecclesia semel in anno ad Confessionem obligat; hinc neque Deus sæpius ad memoratos actus obligat. Concesserim, Ecclesiam circa Confessionem sapienter nihil porro imperare; at Deum ad memoratos actus non porro obligare negarim: Sacramentum Confessionis intra annum per memoratos actus, maxime Charitatis in Deum, suppleri potest, qua homo gratiam, si amisit recuperet &, si possidet, confirmet. At memorati actus qua alia re suppleri possunt? Nulla omnino, nisi bene peracta Confessione. Ecce! itaque existeret anima vi præcepti divini iis destituta remediis, sine quibus fieri moraliter nequit, ut intra anni unius spatium non peccetur. Eliciamus itaque O mei! & sæpius eliciamus actus virtutum theologicarum saltem in solennitatibus atque præcipuis festis diebus: Et si, qui animæ suæ curam gerunt, illos quotidie eliciunt; vos saltem eo tempore elicite, quo sacro Missæ sacrificio interestis. Hoc, hoc tempus opportunissimum illos exercendi; cum augustissimum hoc sacrificium efficacia argumenta & graves caussas illos eliciendi præbeat. Etenim in illo habet Fides, quo se exerceat cogitans, quanta pro nobis Filius Dei passus sit; cum Missa ipsissimum sit in Calvaria peractum sacrificium solo immolandi modo diversum, & Eucharistia per antonomasiam Mysterium *Fdei* appelletur. Habet & Spes, quo se exerceat offerendo Patri æterno in hoc sacrificio Filium pro cujusvis generis gratiis & beneficiis obtinendis. Hab.. denique Charitas, quo se exerceat erga Deum tanto amore flagrantem, ut millies & millies quovis die immolandum se præbeat, quo amorem nobis testatum faciat, quocum pro nobis passus est, fierique insuper Cibus noster voluit, ut nobiscum in imis pectorum nostrorum recessibus sit.

At quanquam, O mei! divini præcepti reverentiæ quidquam derogatum nolim, optarim tamen, ut ad frequens horum actuum exercitium potius filialis vos amor, quem tantopere Deo nostro debemus, inducat. Ah! Ipsa ratione dictante effatis viri gravis, docti, sapientis fidem adhibere solemus, eademque animo lubenti sæpe commemoramus, idque eo impensius si horum repetitione voluptatem auctori creari intelligimus. Ah! In negotiis, quæ nobis magni momenti esse videntur, si a potentia, bonitate & fide gravis viri alicujus, qui suum nobis præsidium pollicitus est, pendemus, sæpius eidem fiduciam, quam in illius patrocinio reponimus, significamus, ut eundem ad opem præstandam magis obstringamus. Ah! si quis insignia nobis beneficia contulit, novisque in singulas horas argumentis charitatem suam demonstrare non cessat, eidem amoris sinceri actibus respondemus, novisque indies modis benevolentiam nostram significare studemus. Jam si cum hominibus, ipsa ratione & humanitate instigante, sic agimus: si fidem earum, quæ asserunt, rerum, si fiduciam protectionis illorum, si amorem erga illos (pro eo ut in gravibus negotiis bene de nobis meriti sunt) frequenter innovamus; nunquid convenientissimum putatis, saltem tantundem nos versus Deum facere in negotio omnium, quæ nobis occurrere possunt, summo, salutis nimirum æternæ? . . . Nunquid hanc esse caussam urgentissimam existimatis, ut sæpe actus eliciatis Fidei veritatum a Deo manifestatarum, quibus summa nostra felicitas nititur & quarum ductu in via salutis secure incedimus: ut sæpe actus eliciatis Spei in Deum, qui est omnipotens, misericordissimus & in promissis suis constantissimus protector: ut sæpe eliciatis actus Charitatis in Deum aman-

amantissimum, a cujus beneficentissima manu, quidquid in ordine sive naturæ sive gratiæ habemus ac possidemus, omne accepimus & a quo æternam beatitudinem nostram expectamus. Credamus itaque, O mei! in Deum firmiter, speremus in illo fortiter, amemus eundem efficaciter, & harum virtutum actus, quantum fieri potest, quam sæpissime exerceamus: Nullum actus isti incommodum, nullam molestiam, dispendium nullum nobis afferunt, immo solatium ac robur præstant & animum in ipso vero atque unico boni omnis centro conquiescere faciunt.

Alia ad memoratos actus obligans caussa est indirecta, quam & superius attuli & Theologi *per accidens* vocant: nimirum quando gravi nos tentatione invadi sentimus, & nos, si dictos actus elicimus, victoriam reportaturos; contra, si illos omittimus, in periculo pravi assensus esse cognoscimus. Hoc in casu ex S. Thomæ & Theologorum omnium sententia tenetur homo vel omnes vel unum horum actuum elicere, ut se a lapsu servet. Duo itaque gravium tentationum genera distinguamus, scilicet tentationes contra Fidem aut Spem aut Charitatem, & tentationes adversus aliquam virtutem v. g. castitatem. Primum genus tentationum actibus Fidei, Spei & Charitatis erga Deum repellitur, hisque actibus proprium est, eas repellere; & si periculum imminet adversus memoratas virtutes theologicas peccandi, elici actus earundem pro tentationum irruentium ratione debent: Hinc si quis graviter ad non credendum vel ad dubitandum de Fidei veritatibus tentatur, debet elicere actum Fidei de iis veritatibus, circa quas graviter tentatur: Et si quis in periculo desperationis versatur, debet elicere actus Spei: Et simili modo qui ad malevolentiam in Deum tentatur, tenetur elicere actus Charitatis erga eundem; Hoc enim (scilicet repellere directos suos inimicos) proprium est memoratarum virtutum. Indirecte autem ad eliciendos hos actus obligari dicimur, quando illos eo opportunos fore judicamus, ut ne in gravia peccata adversus alias virtutes morales labamur; e. g. quando quis graviter ad libidinem, ad vindictam aut aliud peccatum impellitur, & consensus periculum ingruere advertens deprehendit, se, si actus Fidei aut Spei aut Charitatis in Deum elicit, facilius a tentatione expediendum fore; talis ad hos actus exercendos obligatur. Immo hos actus cuivis tentato utilissimos esse ego adjecerim; quodnam enim tam durum ac forte adversus venenata tentationum tela scutum esse poterit, quam veritates de pœnis inferni cuilibet graviter peccanti intentatis, de paradiso cuivis viriliter certanti promisso, de ærumnis Christi ab ipso exantlatis, ut peccatum prosterneret, atque nos ad similes conflictus animaret, & quæ sunt alia hujus generis, animo proponere? . . . Ob id Paulus *Ephes. 6.* hortatur, ut confestim scutum Fidei arripiamus: *In omnibus sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere* (m) Quas præterea vires in omni tentatione Spes non affert, reducens menti promissa Dei, quibus fidem suam obstrinxit, se cuivis ob sui amorem decertanti & cedere nolenti invocatum præsto fore? *Invoca me*, ait per Prophetam (n) *in die tribulationis, eruam te & honorificabis me.* Atque similibus promissis tum vetus tum novum Testamentum scatet; Inter omnia vero illud Prophetæ Isaiæ (o) maxime elucet: *Noli timere! . . . Meus es tu; cum transieris per aquas tribulationum, tecum ero & flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris & flamma non ardebit in te; quia ego Dominus, Deus tuus, Sanctus Israel, Salvator tuus.* Jam quid longius a peccati consensu nos removet quam actualis Dei illud vetantis amor? Aut quis actus majori terrori esse dæmoniis potest, quam ille, quo homo se suum Deum ex toto corde diligere profitetur? Quis actus animam ad recipienda a Deo victoriæ adjumenta præparare melius poterit, quam ille, quo homo Deum ex animo super omnia alia amat? Paucis, ait Augustinus (p) *quanto*

(m) *Ephes. 6.* (n) *Psalm. 49.* (o) *cap. 43.* (p) *Conc. 27. in Psalm. 118.*

to magis regnat in unoquoque Dei Charitas, tanto minus ei dominatur iniquitas. Hinc homo, Deum super omnis diligere se profitens, cum Apostolo Paulo mentis ardore abreptus libere pronunciabit: *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Certus sum enim, quod neque mors, neque vita . . . neque creatura alia poterit nos separare a Charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (q) Concludens igitur vos exhortor, O mei! Asuescite, insignium trium virtutum harum (virtutum, quæ solis Christianis propriæ ac singulares sunt) actus quam id fieri potest, sæpissime elicere, saltem (Ut monui) dum Missæ sacrificio adstatis, uti etiam in omnibus adversis, angustiis, laboribus ac tentationibus in hujus miseræ vitæ curriculo irruentibus; & hoc modo præceptum explentes divinum mirabiles auxilii Superum & victoriarum de orco universo effectus referetis.

(q) *Rom. 8.*

SERMO XLVII.

De Charitate Proximo debita generatim, & speciatim de operibus misericordiæ spiritualis.

CUm Jesus Christus præceptum amandi Deum semper cum præcepto diligendi Proximum copulaverit, convenientissimum fore judico, ut, postquam de præcepto dilectionis Dei ad vos dixi, confestim ad præceptum amoris Proximi explanandum pergam; præcipue cum teste S. Thoma virtus Charitatis theologicæ, quæ Deum amat, eadem & Proximum amet, Deum quidem tanquam *objectum primarium*, Proximum vero tanquam *objectum secundarium.* Quæret aliquis a me, quod a Christo scriba ille quæsivit: *Et quis est meus Proximus* (a) Forsitan soli propinqui? Soli amici? Soli noti? Soli concives? Soli conterranei? Soli Christiani? . . . Ita, O mei! hos omnes & insuper omnes humanas creaturas, quas hic terrarum orbis habet, & Turcas & Judæos & Æthiopes & quidquid est uspiam hominum, cujuscunque Fidei aut Religionis sint, nomine Proximi Deus comprehendit, idque merito; Nunquid enim pro omnibus in universum mortalibus Filius Dei sanguinem suum longe pretiosissimum fudit ac mortuus est? Ita ex oraculo Pauli Fides testatur: *Pro omnibus mortuus est Christus* (b) Jam si Christum amor induxit, ut pro omnibus, (plane nullo excepto) sanguinem fuderit ac mortuus sit, nonne decuit velle eundem, ut amaremus omnes homines & ab omnibus omnes homines pro Proximis haberentur? Sunt ergo omnes creaturæ humanæ Proximus noster.

At qualem amorem habere erga Proximum debemus, ut huic præcepto faciamus satis? Respondeo, damnatam esse ab Innocentio XI. sententiam, quæ contendebat: Non esse necessarium, ut Proximus amore formali (hoc est: actibus internæ & cordialis benevolentiæ) diligatur, sed satisfieri præcepto huic, si solis signis exterioribus Proximo actus extrinsecæ benevolentiæ ostendantur: *Non tenemur diligere Proximum actu interno & formali. . . Præcepto Proximum diligendi satisfacere possumus per solus actus externos* (c) Hæ sententiæ jure merito reprobatæ & indignæ sunt, quæ ab auctoribus Christianis vulgatæ sint. Itaque ex præcepto divino diligere Proximum internis benevolentiæ actibus debemus, significando eidem

(a) *Luc. 10.* (b) *2. Corinth. 5.* (c) *Propos. 10. & 11.*

eidem hos etiam externis actibus pro temporum, locorum & personarum ratione. Hæc ob eam caussam dico, quod præceptum istud duos actus complectatur, quorum unum prohibet, alterum imperat: Actus, quem præceptum vetat, semper omni tempore, omni in loco, erga quamcunque personam prohibitus est consistitque in eo, ut nullo unquam tempore malum cuicunque Proximorum velimus: Actus, quem imperat, in eo consistit, ut Proximo bene velimus; & hic ad faciendos memoratos internos amoris actus & etiam externos, quibus amorem hunc suo tempore ac loco ostendamus, obligat; prout in hoc & sequenti sermone opportune explicare pergam, uti etiam quando de quinto Decalogi præcepto agetur.

Quomodo igitur amare Proximum debemus? Facilis & quam expeditissima ad hanc quæstionem responsio est; Docuit nos Christus Servator optimus diligendi Proximi modum, quando dixit: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (d) Jam videamus, quomodo nos Christus dilexerit? Diligens nos Christus non istud spectavit, ut fluxas seculi hujus delicias aut amplas vitæ præsentis divitias haberemus: non ut mundi hujus dignitates atque honores possideremus: minime vero ut sensuum ac corporis voluptatibus frueremur. Non hæc (inquam) Christus nos diligens spectavit; sed enim ut nos ad gratiam divinam & gloriam sempiternam comparandam aptos efficeret. Dilexit ergo nos in ordine ad virtutes sanctas, quibus inordinatos animi affectus compesceremus, domaremus concupiscentias, cum hostibus nostris spiritualibus decertaremus &, gratia divina auxiliante debitas ex illis victorias reportando, ad æternæ demum felicitatis portum appelleremus: Huc doctrina illius & prædicatio omnis, huc labores & ærumnæ omnes, huc vita illius omnis & mors ipsa spectavit. Idipsum ergo & noster in Proximum amor spectare debet monente S. Augustino (e) Diligendus a nobis Proximus, aut quia jam est in Deo aut, si non est, ut sit in illo & illi arctius constringatur: *Ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo.*

Hinc Doctor angelicus S. Thomas agens de ratione diligendi Proximi, ut amor noster sit actus charitatis erga ilium, cum reliquis Theologis tres conditiones assignat: Sunt hæ, advertite animos! sequentes; Amor in Proximum debet esse sanctus, justus, verus. Debet esse sanctus *ex parte finis: Ut scilicet aliquis diligat Proximum propter Deum, sicut se ipsum propter Deum debet diligere; ut sit dilectio Proximi sancta* (f) Debet esse justus *ex parte regulæ dilectionis: Ut scilicet aliquis non condescendat Proximo in aliquo malo sed solum in bonis, sicut & suæ voluntati satisfacere homo debet solum in bonis; ut sit dilectio Proximi justa.* Debet esse verus *ex parte rationis dilectionis: Ut scilicet non diligat aliquis Proximum propter propriam utilitatem vel delectationem, sed ea ratione, quod velit Proximo bonum, sicut vult bonum sibi ipsi; ut sit dilectio Proximi vera.* Ecce! quæ sit vera vis ac significatio præcepti divini, quo Proximum sicut nos ipsos diligere obstringimur: *Diliges Proximum tuum sicut te ipsum* (g) primo quidem bene illi volendo in ordine ad Deum & salutem animæ ejus: secundo vero obsecundando eidem in bonis solum rebus, nunquam in malis: tertio denique volendo illi bene propter illim ipsum, scilicet propter illius commodum & utilitatem, non propter tuum emolumentum, lucrum aut delectationem. At ecce! una lapidem Lydium, quo explorare licet, quam pauci sint, qui Proximum hoc per præceptum divinum imperato amore ament? Quin omnes hominum ordines ac status animis vestris percurrite; Ah! quam paucos reperietis, quorum amor in Proximum ad memoratas tres conditiones exactus sit, quæ tamen adesse omnino debent, eo ut Proximus amore charitatis ametur & præceptum impleatur? Heus! ille genitor amare filios suos creditur, quoniam illos litterarum præceptis bene imbui, ad omnimodam morum humanitatem

(d) *Joan.* 13. (e) *Serm.* 335. c. 2. (f) 2. 2. q. 44. a. 7. (g) *Matth.* 19.

tatem & officia ordini suo congrua erudiri curat: quoniam filias in honesta collocare matrimonia, ampla ornare dote & tum eruditione varia tum laboribus sexum muliebrem decentibus spectabiles reddere studet; dum contra aut parum aut nihil aut postremo loco curat, ut Fidei catholicæ scientia instruantur, ut Dei timor sanctus eorum in mentibus radices agat & in hunc finem illi sanctissima Sacramenta sub arbitrio pii doctique confessarii frequentent, ut a vitiis suis se corrigant (verbo) ut veri & bonæ frugis Christiani sint. Hujus farinæ genitores non amant amore charitatis, quia *non propter Deum* (ut S. Thomas) nec *ut Deus sit in illis* (uti S. Augustinus monet) amant: Multo minus vero dici hoc de parentibus poterit, si perniciosa quadam indulgentia pravos natorum affectus, lascivos amores, gaudia, plenas omnis licentiæ amicitias vitiaque fovent. Alius amare amicum dicitur; at si caussam amoris ex illo quæras, prompte respondebit: quia amicus meus urbanus, quia affabilis, quia officiosus, quia in omnes morigerus & obsequiosus est: Hinc etiam ego operam illi meam, quantum possum, dico. Verum, O bone! nunquid & pro illo oras; ut malam per nomen Dei, per nomen Christi, per sacrosancta Evangelia de re quavis levissima, immo & de nihilo jurandi consuetudinem dimittat? Nunquid eum a mala familiaritate, ab illa scandalosa servitute, a gaudiis illis, quibus in interitum se ipsum agit, retrahere conaris? Num eundem diligeres, si non tam urbanus, non tam officiosus, non tam ad obsecundandum in iis, quæ tibi petis, promptus esset? . . . Nequaquam! Erit itaque amor tuus amor naturalis, sensibilis, suis commodis serviens; at non erit amor ille, quem Deus imperat; quia non est *propter Deum*, nec *ut Deus sit in illo*, sed *propter propriam utilitatem*. Dicuntur invicem amare se & medullitus quidem duæ personæ, quæ carnali ac lascivo amore actæ mutuum sibi auxilium præstant, ut se in divina inimicitia conservent, ut Numen supremum offendant, ut thalami conjugalis jura violent, ut in infernum æterno præcipites eant. Est hic amor certe etiam bestiis communis, non tamen hoc sine discrimine, quod bestiæ determinatis temporibus, at mortales sua continuo libidine agantur: Est hic amor vero odio omnium, quæ cogitari possunt, pestilentissimo similis; quoniam animæ insidias struit, ut eandem una cum corpore infernalis carceris flammis æternum involvat: non jam amor charitatis, immo ne quidem amor cum humana ratione consentiens.

Diligendus itaque Proximus *sancte*, *juste*, *vere*: scilicet in ordine ad Deum, ut sit in gratia Dei, si nondum est; aut si est, ut in illa magis confirmetur: Diligendus (quod consequens est) Proximus sine præpostero obsequendi studio, scilicet quin eidem in rebus legi divinæ repugnantibus mos geratur: Diligendus denique non nostræ utilitatis caussa, sed propter se ipsum ac propter suum meritum. Quod si meritum ille non habet, habet certe Christus, qui sic eum diligi jubet: habet, quo ille emptus est, sanguis Christi. Et hic amor, quem *generalem* appellare placet, omnibus (nullo excepto) debetur: Exercetur autem orando pro omnibus, ut Infideles quidem ad Deum convertantur, Fideles autem (si peccatores sint) ad frugem se recipiant (si justi) magis magisque perficere se sanctis virtutibus studeant.

Aliud generalis hujus in omnes charitatis exercendæ remedium ac documentum nobis S. Augustinus præbet, desumptum ex verbis Pauli monentis (h) *Alter alterius onera portate; & sic adimplebitis legem Christi:* quæ verba S. Doctor (i) latius sic exponit: *Hujus dilectionis officium est, invicem onera portare; Id autem fit secundum diversa tempora & diversa genera infirmitatum. Verbi gratia: Iram fratris tui nunc portas, cum adversus eum non irascaris; ut rursus eo tempore, quo in te ira præoccupaverit, ille te lenitate sua supportet: loquacitatem tuam ille portat, tu illius pertinaciam charitate portare debes, donec illud in te & istud in illo vitium sano-*

P. *Cuniliati Catechista*. Q q

(h) *Galat.* 6. (i) *Libr.* 80. *quæst.* q 71.

fanetur. Pergit: *Accedit alia cogitatio . . . Nos homines sumus, & considerare debemus, quod ægritudinem sive corporis sive animi, quam in alio homine videmus, etiam nos habere potuimus & possumus; Hoc ergo exhibeamus illi, cujus infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis exhibere vellemus, si forte nos in ea essemus, & ipse non esset.* Prosequitur: *Deinde etiam illud cogitandum, nullum esse hominem, qui non possit habere aliquod bonum, quod tu nondum habes, etiamsi lateat, in quo possit te esse superior; quæ cogitatio ad contundendam edomandamque superbiam valet, ne arbitreris, quoniam tua quædam bona eminent & apparent, ideo alterum nulla habere, quæ lateant, & fortassis majoris ponderis bona, quibus te superat nescientem.* Ecce, O mei! caussas a S. Augustino allatas, quibus inducamini, ut Proximorum misereamini eisdemque promiscue bene velitis: ut alter alterius onera, pro lege dilectionis Proximi a Christo data implenda, portetis. Hinc concludit S. Doctor: *Istæ cogitationes deprimentes superbiam & acuentes charitatem faciunt onera fraterna invicem non solum æquo animo sed etiam libentissime sustineri.*

Ex his omnibus inferri debet, O mei! adversus præceptum de Proximo diligendo plus minusve peccare non solum eos, qui Proximum facto vel verbo offendunt, non solum eos, qui Proximo male volunt & eundem odio habent; sed etiam illos, qui de malo, quod Proximo accidit, *tanquam de malo Proximi* gaudent, Dixi: *tanquam de malo Proximi;* nam potest e. g. accidere, ut aliquis satis profligatus peccator gravi morbo corripiatur, quo eundem convertendum & a vitæ, quam duxit, pessimæ ratione avocandum fore speratur: Et sic morbus illius, non tanquam malum ipsius, sed tanquam opportunum animæ ejus remedium concipitur: In hoc casu gaudere de morbo Proximi ex solo fine futuræ ejus emendationis, non est gaudere de malo illius, sed de remedio ægrotantis animæ: Hinc non est peccatum, nec est gaudium de malo Proximi, sed potius de bono Proximi, quod inde eventurum speratur. Sic & de aliis similibus casibus sentite. Unde S. Gregorius M. ait (k) *Evenire plerumque solet, ut, non amissa charitate, & inimici nos ruina lætificet & rursum ejus gloria sine invidiæ culpa contristet; cum & ruente eo quosdam bene erigi credimus & proficiente illo plerosque injuste opprimi formidamus.* Peccat præterea adversus præceptum dilectionis Proximi, qui de morte vel alio gravi malo Proximi ob utilitates ex his casibus ad se redituras lætatur. Sic e. g. hic de morte propinqui sui, quæ re ipsa accidit, vel quam ingruere videt aut quam etiam mere cogitat, ob hæreditatem, cui imminet, lætatur: Sic alius gaudet, hunc de illo fastigio decidisse; quod jam ad id ascensus sibi pateat: Sic alius lætatur, hunc amisisse fautorem suum, cecidisse caussa sua aut munere suo, incœptum non peregisse; quod jam sibi rei illius occupandæ via pateat &c. Omnes hi graviter contra præceptum de diligendo Proximo delinquunt; nam quamvis de malo Proximi haud *absolute*, sed tantum quatenus id utilitatem sive realem sive speratam affert, lætentur: tamen de malo hoc gaudent, in quantum est remedium propriæ utilitatis: Hinc gaudium & in eo, quod Proximo accidit, malo & in utilitate consequenti vel expectata terminatur. Aliud esset de solo effectu, qui etiam aliis viis vel obtineri vel sperari potest, lætari, ceterum displicentiam habere in caussa; nimirum si quis lætatur, quod hæreditatem adipisci queat, quam etiam ex munere donatoris viventis adipisci potest: quod aditus ad illam dignitatem, officium vel via ad lucrum illud &c. pateat, qui aditus etiam pandi per liberam renunciationem possidentis potest: Tale gaudium non repugnat charitati; sed solum ob allatam rationem peccatur, si de his rebus tanquam de effectibus dictarum calamitatum gaudetur.

Verum, quoniam amor (si verus est) operatur, & (si quidem potest) bonum, quod Proximo efficaciter vult, hoc eidem & facit; ob id, quisquis Proximum vere diligit, dilectionem re ostendit, Proximum pro

(k) *Libr. 2. Moral. c. 11.*

pro ratione necessitatum ejus in iis, in quibus potest, adjuvando. In hunc finem numerantur opera tum spiritualis tum corporalis misericordiæ erga Proximum: Opera misericordiæ spiritualis ad Proximi animam, opera misericordiæ corporalis ad corpus illius proxime attinent, quamvis & hæc posteriora ultimato ad bonum animæ Proximi spectent; quoniam corporalibus illius necessitatibus eo solum succurritur, ne iis inductus indigens Proximus peccare contra animam suam ac Deum, sibi sumat.

Et quanquam persuasum habere plane debeam, sciri a vobis, O charissimi! memorata duplicis hujus misericordiæ opera, quippe quæ ex doctrinæ christianæ libellis docti estis; nihilominus Catechistæ munus esse quivis videt, eadem recensere. Ac primo quidem de spiritualibus agemus. Horum primum est, rudes & rerum ad animam ejusque salutem pertinentium ignaros docere; Est hoc actus charitatis, ad quem etiam ex justitia tenentur ii omnes, qui præsunt sive animabus, uti parochi: sive familiis, uti parentes respectu prolis: item heri respectu servorum, & rectores aliique collegiis, seminariis, scholis præfecti &c. respectu subditorum suorum. Ex charitate autem ad hunc actum tenentur Fideles omnes respectu eorum e Proximis, quos Fidei veritatum ignaros esse norunt, & qui ægre nancisci rerum istarum magistros possunt; adeo ut institutionis hujus omissio pro circumstantiis personarum, temporum & locorum plus minusve gravis evadere possit: Hinc ait S. Ambrosius (l) *Ut dives, qui peccuniam suam non impartit pauperibus; ita etiam qui doctrinæ suæ gratiam non dividit imperitis, haud mediocris reus est culpæ.*

Secundum est corrigere peccantes (m) Notandum hoc in loco, duplicem esse correctionem: unam, quæ ad emendationem Proximi spectat; & hæc est actus charitatis, de qua agimus diciturque *Admonitio*: alteram, quæ ad boni communis defensionem pertinet, atque ob id etiam pœnarum vi utitur; & hæc est actus justitiæ attinens ad solos Superiores respectu Inferiorum. Dicamus de primo correctionis genere, ad quam non solum Christi præcepto: *Vade & corripe eum* (n) sed etiam naturali jure obligamur; nam si lege naturali eleemosyna corporalis (Uti suo loco videbimus) imperatur, multo magis hæc spiritualis eleemosyna imperatur; cum hæc ad finem multo altiorem (scilicet animæ salutem) propositum sibi habeat, illa vero solum ad salutem corporis pertineat. Nihilominus quemadmodum eleemosyna corporalis non semper, sed pro ratione circumstantiarum & ut res postulant, obligat; ita & eleemosyna spiritualis solum pro locorum, temporum & modi ratione obligat: *Ubi debet, quando debet & secundum quod debet*, ait Doctor angelicus (o) Igitur si quando hæ se circumstantiæ dederint (scilicet si potest, si debet corrigi Proximus, & si spes non vana emendationis affulget) omitti correctio sine gravi culpa non potest. Difficultas omnis in eo vertitur, ut videamus, quando sub gravi peccato admonitio hæc fieri debeat? Non jam de superioribus & præsidentibus, sed de omnibus Fidelibus dico atque respondeo: Eo, ut sit obligatio Proximum sub gravi peccato admonendi, requiritur primo, ut culpa personæ corrigendæ gravis ac mortalis sit. Secundo, ut sit moraliter certum, Proximum peccasse vel peccaturum. Tertio, ut prudens & probabilis spes appareat secuturæ emendationis aut fructus alicujus, prout notat S. Thomas. Quarto obligat præceptum correctionis fraternæ, etsi spes non sit, fructum statim secuturum, dummodo post iteratas admonitiones secuturus speretur. Hinc S. Augustinus (p) *Solet evenire & frequenter accidit, ut ad horam contristetur, cum reprehenditur, & resistat & contendat; & tamen postea secum consideret in silentio . . . & deinceps non faciat illud, in quo juste reprehensus est.* Consentit S. Thomas dicens (q) Non intelligendum est, quod Proximus semel corripiatur sed bis aut ter & etiam pluries, quamdiu probabiliter spes remanet, quod secretius corripi possit. Quinto obligat,

Q q 2

(l) *Libr. 8. in Luc.* (m) *S. Thomas, 22. q. 33. a. 5.* (n) *Matth. 18.*
(o) *22. q. 33. a. 2.* (p) *Epist. 210.* (q) *Quæst. 3. de Verit. a. 2. ad 24.*

gat, quando Proximus haud alia via, quam si corrigatur, emendandus, aut non relapsurus, si admoneatur, creditur. Sexto obligat, si alii non adsint, qui hanc admonitionem faciant aut, quamvis adsint, tamen facere illam detrectant; quia tunc tu solus es obnoxius præcepto, cum reliqui reputentur, ac si non essent: qui tamen peccant, si ipsorum potius quam tuum munus fuerit Proximum corrigere. Septimo obligat præceptum hoc etiam in dubio, utrum admonitio quidquam profutura sit: dummodo credi prudenter possit, quod nihil obfutura sit; nam in hoc casu præceptum vim obligandi retinet. Hi sunt utplurimum casus, in quibus Fideles, qui aliis non præsunt, obligantur, ut Proximum (suum in Christo fratrem) admoneant. At vero Superiores, qui quovis modo aliis præsunt, arctius ad hoc obstringuntur tum ex charitate tum etiam ex justitia, respectu boni communis sive diœcesis sive civitatis sive parochiæ sive collegii sive familiæ sive alterius communitatis, cujus præfecturam gerunt. Horum enim munus esse (r) S. Thomas & Theologi contendunt, non solum corrigere peccata ultro occurrentia, sed etiam inquirere in vitam & actiones sibi subjectorum: *Illud quod debetur alicui determinatæ personæ, sive bonum spirituale sit sive corporale, oportet quod ei impendamus* (Notate bene) *non expectantes, quod nobis occurrat, sed debitam sollicitudinem habentes, ut eum inquiramus .... Unde qui habet specialiter curam alicujus, debet eum quærere, ad hoc ut eum corrigat de peccato.* Immo si admonendo nil promovet Superior, debet ob bonum communitatis vel familiæ, cui præsidet, vim & pœnas addere: *Correctio pertinens ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune & habet vim coactivam, non est dimittenda propter turbationem ejus, qui corripitur; tum quia, si propria sponte emendari nolit, cogendus est per pœnas, ut peccare desistat: tum etiam quia, si incorrigibilis sit, bono communi per hoc providetur; dum servatur ordo justitiæ, & unius exemplo alii deterrentur.* Jam hoc in loco heus! quantum est, quod secum recogitent, ii, qui alios curæ suæ commissos habent! nam isti tenentur, ut & in mores subditorum suorum inquirant, & ut eos, si delinquunt, admoneant, & in resistentes vim adhibeant, & in contumaces pœnis advertant ea tamen cum moderatione, quam & prudentia & jus status eorum conveniens postulat; secus violant hoc Christi de amore in Proximos præceptum.

Tertius misericordiæ spiritualis actus est bene consulere petentibus: Exercetur autem hic actus, dum consulimus, quæ animæ magis conducunt, & quæ ad veritatem, si illa evidenter non apparet, propius accedere videntur. Hic misericordiæ actus, etsi exerceri ab omnibus pro ratione talentorum & secundum regulas pietatis christianæ possit, non tamen temere exerceri a quocunque debet, maxime in materiis ad conscientiam spectantibus & exigentibus eam scientiam atque cognitionem, quæ plebi & personis indoctis haud propria esse solet. Hinc actus iste in materiis memoratis ad sacratas personas maxime attinet, Deo per Prophetam Malachiam (s) dicente: *Labia sacerdotis custodient scientiam & legem requirent ex ore ejus.* Et profecto tales deberent esse ministri altaris omnes; verum quoniam & in his multi sunt, qui scientia necessaria, qua dubia proposita solide dissolvant & consilia spiritualia petentis necessitatibus ascomodata dare queant, destituuntur; ob id consilium a doctis & piis confessariis petendum est. Dixi: *doctis & piis;* nam ad danda salubria consilia parum sine doctrina pietas, multoque minus doctrina sine pietate facit: de qua re sermone XLI. & XLII. satis sufficienterque dixi. Hinc in præsentiarum solis sancti Spiritus verbis monuisse vos volo: *Multi pacifici* (amici) *sint tibi; consiliarius autem sit tibi unus de mille* (t).

Quartus charitatis Proximo manifestandæ modus est solari afflictos & tribulatos. Sunt, O mei! afflictiones animæ & sunt afflictiones corporis: Priores sunt, quæ humanam fragilitatem ad Deum offendendum quo-

(r) 2. 2. q. 33. a. 2. (s) Cap. 2. (t) Eccli. 6.

quodam modo impellunt atque urgent, uti tentationes graviores: anguſtiæ ſpiritus ex variis adverſis caſibus, quibus remedium aut nullum aut difficulter reperitur, ortæ: aliæ ægritudines animi, quas perſonæ, quæ ſe Deo ex toto jam conſecrarunt, ſentire ſolent, uti ariditates, derelictiones, deſolationes terroresque moleſtiſſimi & multa alia (Ut paucis dicam) quæ animam ita opprimunt, ut illa ſtimulari ſeſe ac plane trudi videatur, ut in varia prava conſilia erumpat ſive abjiciendi ſpem in Deum, ſive murmurandi contra Deum, ſive cœptam virtutis viam deſerendi, ſive aliquid ſolatii actionibus illicitis ſibi parandi &c. &c. Et hi ſunt Afflicti illi, quos memorato charitatis actu conſolari oportet; nam Proximum ab infirmitatibus mere corporalibus & aliis ſiniſtris caſibus allevare pertinet (Uti videbimus) ad opera miſericordiæ corporalis. Quanquam autem hic ſolandi actus a quolibet Fideli pro ratione talenti accepti & ingenii capacitate (Uti ſuperius de Conſilio dixi) exerceri poſſit; non tamen omnibus datum, quavis afflictione preſſis ſolamen adhibere; nam pro genere (Ut ſic loquar) afflictionis apta quoque conſolatio interponenda. Et quamvis generale afflictis omnibus allevamentum ſit proponere pœnas, quas Chriſtus Servator noſter noſtri cauſſa pertulit: ſuſcitare fiduciam in Deum qui vere Pater noſter eſt & cujus ſine conſilio nulla nos invadere moleſtia poteſt; ſunt tamen afflictiones ejusmodi, quibus opportunum ſolatium afferre qui voluerit, multo rerum uſu exercitatus multaque doctrina inſtructus ſit oportet: quibus dotibus nativa quædam gravitas accedere debet, at illa ſuavis, efficax, facilis, hilaris & quæ pios ac fortes ſenſus ſecundum perſonæ afflictæ neceſſitatem inſtillare poſſit; quæ dona cum in permultis reperire non ſit (Uti experientia docet) ob id afflicti optatum ſolatium ex perſonis memoratas dotes habentibus & præſertim doctis, piis atque affabilibus (ſi fieri poteſt) ſibi quærant.

Quintus miſericordiæ ſpiritualis actus eſt, illatas injurias patienter tolerare; cui & ſextus jungitur, qui eſt, injuſte offendentibus ex animo ignoſcere. Non eſt, O mei! neque loci hujus neque temporis de dilectione inimicorum agere; cum omnes perbene ſciatis, de dilectione diſertum Chriſti ſupremi Domini noſtri præceptum extare, qui ſuo id exemplo in anteceſſum confirmavit ignoſcendo illis ſemper, quotquot majeſtatem ſuam vel offenderant vel calumniati fuerant vel male tractarant vel in crucem egerant, dignatus inſuper pro illis alta voce de cruce exorare & facinora contra ſe admiſſa, quantum potuerat, excuſare: Præceptum rationi ipſi maxime conſentaneum, quippe quod etiam a multis ex gentilibus Philoſophiæ moralis profeſſoribus exercitum fuiſſe legimus, qui iis, a quibus læſi fuerant, heroum in in modum ignoverunt eosque beneficiis cumularunt. Ob eam cauſſam non eſt, cur hoc in loco præceptum iſtud latius exponam. Explicandus ſolummodo actus charitatis, quem exercetis, & bonum ſpirituale, quod iis, qui quocunque modo injuſte vos lædunt injuriisque & malis afficiunt, confertis, ſi illis offenſas remittitis &, vos dare illarum veniam, eis aliquo modo ſignificetis. Statim opponet aliquis: Quomodo fieri poterit, ut, injurias mihi factas condonando, animæ offendentis bene faciam? . . . Iſtud vobis clare explico: An dubitare licet, O mei! quin magnum charitatis ſpiritualis genus foret, ſiquis exaſperatos inimicorum veſtrorum animos ad pacem conciliare conaretur, adeo ut illi omnem vindictæ ſenſum deponerent, de injuriis vobis factis dolerent, vosque inpoſterum diligere ſtatuerent? Foret hoc, dicetis puto, charitatis florentiſſimæ indicium; nam liberaret talis animas eorum a lethali affectione & eis in gratiam cum Deo redeundi viam ſterneret. Jam cui rei putatis vim majorem adſuturam, anne conatibus hujus viri boni, qui animos vos offendentium vel offendere parantium ſedaret, an vero ſi vos ipſi

ipsi lædentibus vos cognoscendum detis, quod illis omnes molestias & injurias factas ex animo remittatis? Quis dubitet (si vosmetipsi hanc veniam detis & dare vos manifestetis) hoc fore remedium omnium inter mortales, quæ cogitari possunt, longe efficacissimum? Quin hoc non solum eo proderit, ut in animis inimicorum vestrorum omne adversus vos conceptum odium restinguatur: ut ex illorum mentibus omnis vestræ reciprocæ iracundiæ metus, qui offendentis animum necessario exagitat & eundem mille interius suspicionibus, cautelis ac tumultibus differt, depellatur; sed eo etiam quam maxime valebit, ut inimici vestri compungantur: ut de malis illatis doleant videntes, vos tam prompta tam sincera acceptarum injuriarum condonatione legem Christi exactissime implere; Hinc dicere illi sibi cum animis suis cogentur: En! quam iste pio corde est: quam christiane sentit; dum a me læsus, offensus, vexatus ultro mihi ostendit, se nihil adversus me habere, se iræ meæ misericordiam adhibere, se suam mecum amicitiam prosequi velle: O animum vere christianum! Certe nollem pro cunctis mundi thesauris, illum offendisse! . . . Ecce! O mei! misericordiam spiritualem, quam injuriarum condonatio offendenti significata præstat! Ecce actum charitatis & quidem permagnæ, quæ est condonatio injuriarum! nam & charitatem in animo offendentis extinctam denuo accendit, & menti ejusdem tranquillitatem affert, dum omnem sinistram suspicionem tollit. Percipite, quam apposite ad ea, quæ dico, Spiritus sanctus Salomoni scribendum dictaverit (u) *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere; prunas enim congregabis super caput ejus: Dominus reddet tibi.* In quæ verba S. Augustinus (x) *Nam cum cœperit pœnitentiam agere, sensus rationalis, hoc est caput ipsius, incipit charitatis igne succendi: & qui prius quasi frigidus & phreneticus contra te consueverat iracundiam retinere, spirituali calore de tua bonitate succensus incipit toto corde diligere.*

Certe hoc Davidi a Saule vexato & ad mortem perquisito evenit: Davidi, qui, quamvis Regem Saul inscium secunda adeo vice in manus suas incidisse vidisset (primo quidem in spelunca Engaddi, in qua occidere eum tuto potuisset, at occidere noluit contentus, ei non advertenti oram chlamydis abscidisse: secundo vero, quando in tentorio dormienti lanceam ad lectum ejus hærentem & scyphum aquæ in tabula repositum abstulisse satis habuit) tamen charitatem in parcendo a se adhibitam Sauli ambabus vicibus manifestare voluit, ostendens procul oram rescissam vestis & lanceam unacum scypho: documenta sat certa eorum, quæ dicebat, scilicet quod Regem in manu sua habuerit & tamen eidem pepercerit. At ambabus quoque vicibus commotus atque compunctus Saul extitit, & ut primum casum audivit, Davidi dixit (y) *Justior tu es quam ego; tu enim tribuisti mihi bona, ego autem rediddi tibi mala . . . sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo, quod hodie operatus es in me.* Ecce effectum pietatis cum hoste habitæ, scilicet quod ille placetur, commoveatur, compungatur! Similiter in secundo casu, quando David lanceam & scyphum, invicta factæ vitæ veniæ documenta, Sauli exhibuisset, dixit: *Peccavi! revertere, fili mi David! nequaquam ultra male tibi faciam . . . apparet enim, quod stulte egerim.* Videte iterum, O mei! effectum remissionis injuriarum ab aliis acceptarum, & pro certo habete, hunc misericordiæ actum eorum, quæ facere potestis, præcipuum ac præstantissimum esse; quo ipso legem a Christo tantopere commendatam revera implebitis.

Neque ob id credatis velim, obligari vos hac remissione eo, ut justam damnorum ab iis, qui vos sive quoad famam sive quoad res sive quoad honorem læserunt, acceptorum reparationem non petatis. Nequaquam istud: Optime enim cum remissione injuriarum prætensio vestra convenit. Unde remittentes offensam injuriamve & hanc vos remittere læsori ostendentes, de cetero jus habe-

(u) *Prov. 25.* (x) *Serm. 163.* (y) *1. Reg. 24. 26.*

habetis eundem monendi aut curandi ut moneatur, quo damnum vobis illatum compenset: Imo postquam modis convenientibus quibusvis usi fueritis, facultatem habetis etiam viis juris utendi, nunquam id tamen mala mente, ut Proximo molestiam faciatis, sed justo tantum consilio damna vestra reparandi: Ita cum S. Thoma Theologi omnes sentiunt. Sed quoniam de hoc argumento accuratius dicendum, ubi de quinto Decalogi præcepto sermo occurret; ob id ad septimum misericordiæ spiritualis opus, quod est orare pro vivis & defunctis, brevibus explicandum pergo.

Videtis utique, opus hoc, cum spirituale sit, ad bonum Proximi viventis spirituale, tanquam ad scopum suum præcipuum, spectare. Exercetur autem orando divinam Majestatem, ut Infidelibus non baptizatis lumen sanctæ Fidei; hæreticis reditum ad sanctam Ecclesiam catholicam, a qua defecerunt; peccatoribus verum & sincerum dolorem; justis profectum in virtutibus christianis concedat. Nihilominus etiam oratio pro bono temporali Proximi (ut sive sanatus a morbis sive liberatus ab angustiis sive facultatibus statui suo congruis instructus majori mentis cum quiete saluti animæ suæ studeat) misericordiæ spiritualis terminos non transgreditur; cum finis hujus orationis & scopus præcipuus sit gloria Dei & profectus animarum. Jam hic misericordiæ spiritualis erga Proximum actus omnibus, divitibus æque ac pauperibus, exercitu facilis, fors & principalis est respectu Proximi in genere sumpti: Hinc, quisquis spiritu Christianismi agitur, omittere illum suis in orationibus non debet: scilicet ut, postquam suam animam Deo commendavit, etiam animas Proximorum suorum omnium modis dictis eidem commendet. Quod vero ad Proximos defunctos attinet; nostis probe modos, illis tum per celebrationem Missarum tum per eleemosynas tum per preces Deo in suffragium oblatas succurrendi omnes: Jam ab hoc orationum suffragio nemo est, qui se subtrahere possit; cum per illas liceat applicare defunctis omnes applicabiles Indulgentias: uti sunt omnes Indulgentiæ Confraternitatis SS. Rosarii, & aliæ. Studete itaque, O mei, pro ratione talentorum & facultatum vestrarum memoratis misericordiæ operibus, quibus Deo verum in Proximos amorem, a Christo tantopere commendatum, testatum facietis.

SERMO XLVIII.

De charitate Proximi per opera misericordiæ corporalis manifestata.

Superant adhuc explicanda, O mei! opera misericordiæ corporalis, scilicet ea, quæ ad sublevandum corpus & vitam temporalem Proximi spectant. Sunt illa, esurientes pascere: potum dare sitientibus: recipere peregrinos hospitio: visitare ægrotos: nudos operire: redimere captivos: mortuos sepelire. Nos hæc omnia uno eleemosynæ corporalis nomine complectemur; cum actiones hæ omnes vere corporalis eleemosyna, Proximo tum viventi tum defuncto facta, sint.

Atque ut statim initio cognoscatis, quanti referat, hoc eleemosynarum corporalium genus Proximo impendere, ea in memoriam reducatis velim, quæ Christus ipse in sancto suo Evangelio dixit; quando de suprema mundi die & sermone a se tunc tam cum electis quam

quam cum rebrobis habendo loquens judicium omne in sola disquisitione de harum corporalium eleemosynarum distributione constituit, illas ex ordine recensens tandemque concludens: se malos condemnaturum; quod illi hæc misericordiæ opera (cum potuissent) non fecerint; bonos autem æternis sedibus recepturum; quod illi hæc, exacte & ut par erat, exercuerint: eleemosynas has Proximo factas ut sibi factas, & Proximo non factas ut sibi non factas reputans. Magna profecto res, O mei! Haud dubium, quin in judicio extremo non solum de his corporalibus eleemosynis, uti Fides & Evangelium ipsum dictat, sed etiam de omni peccato immo & de otioso verbo uno (*Dico vobis, quoniam* (a) *omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*) uti etiam de omnibus operibus bonis discussio instituenda sit. Nihilominus Christus hoc Evangelii S. Matthæi capite instituendam in finali judicio discussionem ad hæc misericordiæ erga Proximum opera restrinxit.

Etenim quid dicit in Evangelio suo? *Quod uni ex minimis* (b) *meis fecistis, mihi fecistis.* Magnum quid certe, ait S. Cyprianus (c) Doctor, Episcopus & Martyr: Eleemosyna *promeretur Christum judicem, Deum computat debitorem.* Immo, pergit (d) S. Augustinus, faciens eleemosynam fœneratur Domino: *Damus in usuram, sed Deo non homini; ei damus, qui dedit, quod demus; & pro modicis rebus, pro frivolis, pro mortalibus, pro putrilibus, pro terrenis incorruptibilia, æterna, sine fine manentia* rependit. *Quid plura dicturus sum? Se promittit, qui promittit. . . Eme illum ab illo*, se sic vendente.

In eandem sententiam ante S. Augustinum S. Ambrosius (e) scripsit: Discimus, ait, ex Scripturis sacris, eum, qui pauperibus misericordiam adhibet, Domino fœnerari testante Salomone (f) *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* In quæ verba S. Doctor: *Ecce usura laudabilis! Putatis, quod hominem subtraham vobis debitorem? Deum provideo; Christum subrogo; illum demonstro, qui vos fraudare non possit: Fœnerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis; ille adstringitur & tenetur; ille scribit, quidquid egenus acceperit: Evangelium ejus cautio est; ille promittit pro omnibus indigentibus; ille dicit fidem: Quid dubitas dare? Si quis vobis*, pergit idem, *dives hujus seculi offeratur, qui sine promittat pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam. Pauper est vobis Dominus cœli & conditor mundi hujus; & adhuc deliberatis: Quem ditiorem quæratis fidejussorem?* Non video, qui argumentari solidius possit! Nam si viro alicui prædiviti, quem & debitis solvendis parem & exactæ in solvendo diligentiæ esse novimus, pecuniam in pingue fœnus quam libentissime damus; quanto magis fœnerari Domino debemus, qui se in suis Scripturis eorum, quæ pauperibus dantur, debitorem facit?

Fortassis dicet aliquis, nec male: Vera sunt, Pater! quæ memoras, cuncta in illis nimirum hominibus, qui eleemosynam in statu gratiæ faciunt: quorum opera bona, cum accepta sint Deo, etiam æternis præmiis ab ipso eleemosynam facienti promissis idonea sunt. At qui eleemosynam in statu peccati mortalis facit, cujus opera Fide testante opera mortua, nec unquam aliquod meritum coram Deo habitura sunt, quid præmii hic sibi expectet? . . . Nihil præpropere dicamus, O chare! Sunt vera, quæ dicis & concedere, ea, quæ affers omnino tibi debeo. At repono: Ob eam caussam peccatorem a facienda eleemosyna abstinere nullo modo debere; Nam etsi Theologi omnes sancta Fide docti consentiant, bona opera peccatoris, mortalis culpæ rei, jus meriti coram divina justitia nec habere nec habitura esse: tamen illi ipsi Theologi eadem sancta Fide docti memoratis operibus concedunt vim impetrandi a divina misericordia gratiam conversionis: gratiam omnium, quas peccator expectet, summam. Quod si vero hanc vim & impetrandi a Deo beneficia efficaciam omne opus bonum a peccatore peractum certe habet; eandem profecto eleemosyna quam certissimo habebit, de qua

(a) *Matth. 12.* (b) *Matth. 25.* (c) *Lib. de Oper. & Eleemos.* (d) *Serm. 42.* (e) *Libr. de Tobia c. 16.* (f) *Prov. 19.*

qua tam diserte SS. Scripturæ meminerunt. Aliquot solum loca, clara illa & evidentia, in medium adducam: Primo occurrit testimonium Raphaelis Archangeli ad Tobiam, ut eundem ad hunc misericordiæ actum magis magisque extimularet, dicentis: *Eleemosyna a morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam* (g) Ac si diceret (Ut locum hunc omnes probe intelligatis) *Eleemosyna a morte liberat.* Hoc cum accipi de morte temporali, cui omnes subjacemus, non possit; accipi utique de morte æterna debet. *Et ipsa est, quæ purgat peccata;* Hoc cum formaliter & proprie intelligi non possit; quoniam sola habitualis sanctificans gratia istud teste Fide præstat, sequitur intelligi dispositive debere, quatenus eleemosyna impedimenta tollit ab anima, ut illa impetret a misericordiæ pleno Domino auxilia, quibus se a peccatis purget. *Et facit invenire misericordiam & vitam æternam*, quatenus Deus misericordia in pauperes adhibita commotus etiam ipse misericordiam impendere eleemosynam facienti decernit, ut de peccatis suis doleat & sic contritus salutem æternam consequatur. Idem, quod Raphael, Tobias quoque (h) senior filium suum Tobiam juniorem docuit: *Eleemosyna ab omni peccato & a morte liberat*, quatenus nobis auxilia impetrat, quibus ab omni peccato expediamur, *& non patietur animam ire in tenebras*; quia peccatori gratiam pœnitentiæ obtinebit. Num firmiora verbi divini testimonia, quibus eleemosynæ bene factæ pro impetranda conversionis gratia & salute æterna virtus manifestetur, adduci in medium poterunt? . . . Alius se offert S. Scripturæ locus, in quo Spiritus sanctus ait: Sicut *ignem ardentem extinguit aqua*, sic *& eleemosyna resistit peccatis: & Deus prospector est ejus, qui reddit gratiam: meminit ejus in posterum, & in tempore casus sui* (mortis) *inveniet firmamentum*: Et alibi ait: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit*, ut *ab omni malo* serveris. At nullum sermonis finem invenirem si omnia S. Scripturæ loca, ex quibus eleemosynæ bene factæ pro depellendo peccato vis atque efficacia apparet, recensere vellem. Audiamus judicem nostrum Christum: *Date eleemosynam & ecce! omnia munda sunt vobis* (i) ac si diceret: facite eleemosynam eo, quo par est, modo; & si peccatorum venialium rei estis, mundabimini; si vero peccatis mortalibus gravati estis, faciet eleemosyna modo, quo par est, facta, ut auxilia agendæ pœnitentiæ obtineatis.

Quæret aliquis: Pater! quare dicis: *Eleemosyna facta eo, quo par est, modo?* Repono: Eo ut eleemosyna peccatori gratiam emendationis a peccatis mortalibus & doloris impetret, fieri illa a peccatore in hunc ipsum finem debet. Clarius me explico: Attendite! Peccator in statu peccati mortalis constitutus, dum eleemosynam facit, varios fines sibi propositos habere potest. Alius eleemosynam solius ostentationis gratia facere potest, ut largus in pauperes esse videatur: Et hanc quisque videt esse vanitatem vel philosopho, nedum Christiano, indignam. Alius eleemosynam facere potest, ut egenum ab angustiis suis recreet (Hunc maxime finem virtus misericordiæ spectat) motus innata quadam miseratione & indole ad misericordiam prona: Est hic actus bonus & honestus, qui etsi quandam beneficii alicujus a Deo impetrandi virtutem habeat, tamen non habet vim illam omnem, de qua diximus. Alius eleemosynam facere potest, ut Deus sibi concedat auxilia se a peccatis suis bonæ & dolorosæ Confessionis ope liberandi, abrumpendi illam peccaminosam servitutem, ab illa lasciva amicitia recedendi, deserendi illud peccaminosum lusus genus aut pravam jurandi per Dei nomen consuetudinem &c. Et hi sunt peccatores illi, de quibus Scripturæ laudata testimonia agunt: quibus eleemosyna, si illam hoc pio consilio facere pergunt, doloris & conversionis gratiam impetrabit. Est præterea alius finis, quem vereor, ne multi peccatorum respiciant: quem, etsi nonnulli malitiam ejus non ita per-

(g) Tob. 12. (h) Cap. 4. (i) Luc. 11.

perſpiciant, tamen actu propoſitum ſibi tenent, ii nimirum, qui perſcripta in S. Scripturis eleemoſynæ encomia ſceintes eandem faciunt, ut ſe pœnis peccatorum ſuorum ſubducant, tacitum Conſilium animo verſantes proſequendi criminoſas ſuas voluptates, freti miſericordia, qua erga miſeros utuntur, volentes quodammodo cohibere divinam juſtitiam, ne ab illa aut morte improviſa tollantur aut alia gravi pœna corripiantur: Hinc maturare converſionem ſuam ceſſant, dicentes ſibi cum animis ſuis: Eſt nobis ſcutum eleemoſynarum noſtrarum, hæ nos a furore iræ divinæ defendent: Et ſic cumulare peccata pergunt. In hos fluminis inſtar *Serm. 39.* invehitur S. Auguſtinus: *Eleemoſynæ illis proſunt, qui vitam mutaverunt; das enim Chriſto egenti, ut peccata tua redimas præterita; nam ſi ideo das, ut liceat tibi ſemper impune peccare, non paſcis Chriſtum, ſed judicem corrumpere conaris.* Intelligite hoc, O voluptuoſi! qui de eleemoſynis confiſi libidinibus vos veſtris contaminare, animo tranquillo pergitis: *Judicem corrumpere conamini.* Intelligite hoc, Vos! qui mercedem operariorum defraudatis: qui, ut cupiditates veſtras expleatis, creditores expectando langueſcere facitis; ſi Eleemonam datis, ut veſtras injuſtitias proſequamini, *judicem corrumpere conamini.* Intelligite hoc & dedocemini errorem veſtrum, O fœminæ! quæ mentem mille amoribus & amicitiis diſtractam habetis: quæ omnium vos intuentium animos turpi flamma accendere ſtudetis: quæ fidem conjugalem procul ab animo expuliſtis: quæ propter Eleemoſynam, quam facitis, in peſſimis conſiliis veſtris tutas vos atque ſecuras creditis: *Judicem corrumpere conamini.* Intelligat hoc omnis peccator, qui fraudulento iſto animo Eleemoſynam diſtribuit: *Chriſtum non paſcitis* in pauperibus ſuis, *ſed judicem corrumpere conamini*; *Ergo*, monet idem S. Doctor, *ad hoc facite eleemoſynas, ut veſtræ orationes exaudiantur, & adjuvet vos Deus ad vitam in melius commutandam . . . ut per eleemoſynas deleantur peccata veſtra præterita & futura bona veniant ſempiterna.*

Hucusque, O mei! de eleemoſyna facienda quaſi exhortando dixi: jam ſubdere debeo, Eleemoſynam etiam imperari a Deo ſub gravi peccato illis, quibus ad eam faciendam facultates adſunt. Hoc probatur primo increpationibus, quas Chriſtus in damnandos ſe adhibiturum (k) *Eſurivi & non dediſtis mihi manducare: Sitivi & non dediſtis mihi &c.* ſeque ob hoc reprobos æternis ſuppliciis addicturum fore prædixit. Jam certum manet, non mitti quenquam in gehennam niſi propter violationem præcepti graviter obligantis: Eleemoſynæ ergo præceptum ſub peccato mortali obligat. Aliam rationem affert S. Thomas (l) cui omnes Theologi concinunt: Certum eſt, præceptum dilectionis Proximi præceptum grave eſſe; debet ergo cadere ſub hoc præceptum id, ſine quo amor Proximi ſubſiſtere non poteſt. Certum inſuper, non ſufficere, ut Proximo bene velimus, ſed & facere eidem bene, ſi poſſumus, debemus: *Ad hoc autem quod velimus & operemur bonum alicujus, requiritur, quod ejus neceſſitati ſubveniatur; quod fit per eleemoſynarum largitionem: & ideo eleemoſynarum largitio eſt in præcepto.*

Notandum tamen primo, hoc præcepto non omnes ex æquo obligari, nec præceptum hoc ad bona noſtra temporalia omnia extendi. Atque ob iſtud dixi: *Si dari eleemoſyna poteſt.* Notandum ſecundo, præceptum hoc non in quavis Proximi neceſſitate ſub gravi peccato obligare. Hinc opus eſt, ut in faciente Eleemoſynam tria bonorum temporalium genera, & in accipiente Eleemoſynam triplex neceſſitatis genus diſtinguamus. Bona in faciente Eleemoſynam vel ſunt neceſſaria (Doctrina hæc omnis e S. Thoma (m) deſumpta eſt) ad ipſius & eorum, quos ſuſtentare debet, alituram; & de his bonis (regulariter loquendo) Eleemoſynam facere non tenetur: *Et de tali neceſſario omnino eleemoſyna dari non debet*, niſi in quodam rariſſimo caſu, quem adducere ſuper-

(k) *Matth.* 25. (l) 2. 2. q. 32. a. 5. (m) 2. 2. q. 32. a. 6.

supervacuum arbitror. Vel sunt necessaria ad illius &, qui illius sunt, statum jure acquisitum tuendum, ita ut sine illis in hoc statu decenter se conservare non possit, quamvis haud talis præcise bonorum quantitas exigatur; cum status iste pro incidentibus circumstantiis plus minusve sibi postulet: Et *de hujusmodi Eleemosynam dare est bonum, & non cadit sub præcepto sed sub consilio.* Vel sunt superflua ad præsentem statum illius &, qui illius sunt: atque ad ista bona præceptum eleemosynæ obligans pertinet, dicente Christo (n) *Quod superest, date Eleemosynam.* Dixi: *superflua ad statum præsentem;* nam si cupiditas se extollendi atque crescendi & ad præstantiorem vitæ conditionem transeundi auditur; novi optime, nunquam fore, ut quidquam superfluum reputetur. Atque ob eam rem Innocentius XI. reprobavit sententiam (o) dicentium: vix inveniri quenquam, cui bona superflua sint. Intelligi itaque præceptum eleemosynæ de bonis ad statum præsentem superfluis debet, minime vero de superfluis ad eas conditiones & fortunas, ad quas aliquis vel ambitione vel avaritia vel alia animi affectione actus aspirat.

Triplex pariter est necessitas Proximi: Prima dicitur *extrema*, in qua e. g. Proximus de vita sua aut alio bono, quod cum vita æque valet, nimirum (Ut gravissimos Theologos sequar) de fama irreparabiliter perdenda, de libertate in æternum amittenda, de ambobus oculis deperdendis &c. periclitatur. In his necessitatibus quilibet sub gravi peccato ad eleemosynam non solum ex bonis superfluis sed etiam ex bonis ad statum suum integre & decenter sustinendum necessariis obligatur; nam illa status proprii decens & integra conservatio bonum vita Proximi, extrema necessitate oppressi, inferius est; uti omnibus patet. Tenetur itaque quilibet, ut Proximo in tali necessitate constituto etiam cum dispendio eorum, quæ statum proprium decent, subveniat. Secunda necessitas dicitur *gravis*, facitque, ut homo non sine magna difficultate vitam toleret aut cadere de statu suo juste acquisito debeat, quo vitam servet: aut quando longa Proximo infirmitas toleranda vel diuturna fames sustinenda est. Verbo: Necessitas gravis est illa, quæ facit, ut homo, nisi ei subveniatur, vitam multum molestam ac gravem ducere debeat. In tali necessitate obligatur quivis sub gravi peccato, ut eleemosynam ex bonis ad statum præsentem superfluis faciat; Percipite verba S. Thomæ, cum quo multi Theologorum consentiunt: *Est* (p) *aliquod tempus, in quo mortaliter peccat, qui Eleemosynam dare omittit; Ex parte quidem accipientis, cum apparet evidens & urgens necessitas* (Non dicit: extrema, sed urgens; scilicet gravis) *nec apparet in promptu, qui ei subveniat; Ex parte vero dantis, cum habet superflua, quæ secundum statum præsentem non sunt necessaria. Nec oportet considerare omnes casus, qui possunt contingere in infinitum .... sed debet considerari superfluum & necessarium secundum ea, quæ probabiliter & in pluribus occurrunt.* Secundo obligatur quivis, ut huic gravi necessitati Proximi succurrat etiam ex bonis ad integram status sui conservationem necessariis, scilicet circumcidendo aliquantum solitum splendorem; nam qui nihil consueti splendoris recidere vult, ut Proximo in urgenti necessitate posito & non habenti, qui ei succurrant, succurat, se charitate a Christo nobis commendata carere ostendit; Etenim quomodo coram tribunali Christi reus non sit, qui, cum magno & famulorum & sonipedum & aliarum rerum comitatu incedat, nihil horum dimittere vult, & Proximum graves inter angustias elanguescere crudelis sinit? *Quomodo charitas Dei manet in illo*, ait S. Joannes (q) Et quid juvant omnes ambitionis prætextus, inquit S. Thomas (r) *Talis decentia non consistit in indivisibilibus; quia multis additis homo non excedit status sui conditionem, multis etiam subtractis condit o qui status decenter conservatur.* Tertia necessitas dicitur *communis*, affertque in rebus ad victum necessariis, & statui personæ aliquod incommodum; sed tamen vitam nec satis mole-

stam

(n) *Luc. 11.* (o) *Propos. 12.* (p) *2. 2. q. 32. a. 5.* (b) *1. Joan. 3.* (r) *In 4. Dist. 15. q. 2. a. 4.*

ftam nec fatis miferam refpectu perfonæ indigentis efficit, ex quo illa de ftatu fuo decidat; adeo ut laborando aut mendicando profpicere fibi de victu fufficienti poffit: Hæc eft neceffitas eorum, quibus vel multum laborandi vel mendicandi onus impofitum eft. In tali neceffitate debet quivis fub gravi peccato per eleemofynam fubvenire Proximo ex bonis ad ftatum proprium & illius decentem confervationem fuperfluis; uti poft S. Thomam Theologi docent: *Illud autem quod neceffarium reputatur ad aliquid, quod eft ultra decentiam ftatus, debet in eleemofynam difpenfari, & hoc cadit fub præcepto.* Ratio eft manifefta; nam, ait idem S. Doctor, divifio bonorum facta, poftquam genus mortalium multiplicari cœpit (ut fit divifio jufta & accepta Deo) fine damno vel præjudicio pauperum facta fuit; fecus effet injufta. Fuit ergo facta cum hac tacita conditione, ut pauperibus ea faltem bona erogari deberent, quæ perfonis illa poffidentibus & ftatui earum fuperflua effent. Atque ob eam rem non folum vi præcepti divini fed etiam vi juris naturalis pauperibus debentur bona ftatui fuperflua: Quo loco doctrinam S. Thomæ bene mentibus infixam veftris habeatis velim, nimirum Superfluum intelligi *fecundum ftatum præfentem* debere, non fecundum alios ftatus, quos vanitas & ambitio dictare poffunt.

Quod fi hæc ita funt, quod putatis reos effe omiffæ eleemofynæ ftricte debitæ? Quid, O mei! fentiendum de iis, qui facultates & pecunias accumulare non ceffant futili illo errore feducti: Poft mortem curabo, ut eleemofynæ difpenfentur; poft mortem hæc, illa pia opera fieri faciam: Interim in vita eleemofynas aut nullas aut obligationi, quam habent, non refpondentes erogant. Vivunt hi, ut Theologi jure docent, in ftatu culpæ mortalis; quia violant præceptum in vita graviter obligans: Et fic Patres fancti omnes fentiunt, quorum quisque in inculcanda eleemofyna priores fibi ferre velle videtur. Duos folos multis pares audite, O mei! Prior eft Ambrofius (s) magnus ille S. Auguftini pater fpiritualis. Hunc audite & contremifcite: *Grandis culpa eft, fi te fciente Fidelis egeat; fi fcias, eum fame laborare, ærumnam perpeti, præfertim fi mendicare erubefcit; & non adjuves.* Gravis ergo culpa erit non facere (fi poffis) in vita eleemofynam, non fubvenire famelicis, non allevare afflictos, præfertim eos, quos a mendicando pudor retrahit, qui vulgo *pauperes verecundi* dici folent. Audite & fancti hujus viri filium fpiritualem S. Auguftinum (t) *Efurit frater tuus, in neceffitate pofitus a creditore anguftatur; non habet ipfe, habes tu . . . Quid ad me pertinet, forte dicis; Ego daturus fum pecuniam meam, ne ille moleftiam patiatur? Si hoc tibi refponderit cor tuum, dilectio Patris in eo non eft.* Erit itaque culpa mortalis non curare (fi potes) in vita, ut Proximus ab anguftiis relevetur. Jam quot funt, eheu! huic peccato affines, quibus fat nota fames, anguftia & calamitas ingens Proximi, præfertim certarum familiarum, quas mendicare haud fas: quæ dum una ex parte miferando pudore anguntur ex altera vero omnimoda rerum inopia premuntur, vitam omnium tum animi tum corporis miferiarum plenam trahunt: Et duri ifti fubvenire hisce perfonis plane negligentes, immo & eos, qui pro his egenis fupplicatum accedunt, faftidiofo fupercilio repellentes omnia convivando, faltando, munufcula lenonia præbendo, ludendo & ejusmodi perfonas, a quibus cum divite epulone in infernum æternum præcipites agantur, alendo effundunt. Quid prodeft infelicibus hisce, ubi ad vitæ finem pervenerint, pauperum, quos vivi nihil curarunt, in gratiam pia fcribere legata? . . Relinquo illi pio loco: Relinquo, ut pauperibus parochiæ difpenfentur, has & has pecunias &c. Relinquas: non relinquas; Velis: nolis; Omnia relinquenda. *Quoniam fi interieris, non fumes omnia* (u) Non improbans hæc dico; Etenim valde probo, ea, quæ durante vita non fecifti, a te faltem in vitæ exitu fieri. Iftud folum volo: te, ut piæ iftæ difpofitiones te juvent, illis fince-

(s) *Libr. 1. de Offic. c. 3.* (t) *Tract. 5. in Joan.* (u) *Pfalm. 48.*

ſincerum dolorem de præterita in pauperes duritia & firmum, ſi Deus vitæ gratiam fecerit, debitas eleemoſynas ante mortem faciendi propoſitum addere debere.

Audiamus modo illos, qui eleemoſynam bene faciunt, ut iisdem animos addamus. Pater! inquiunt, omnibus eleemoſynam facere non poſſumus: Vellemus itaque reſcire, quæ Deo gratior detur. Huic quæſtioni reſpondet S. Auguſtinus (x) *Cum non poſſis omnibus prodeſſe, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum & temporum & quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius tibi quaſi quadam ſorte junguntur.* Et S. Thomas ait (y) *Parentes in recompenſandis beneficiis ſunt omnibus aliis præferendi . . . In aliis autem eſt æſtimatio habenda & conjunctionis & beneficii ſuſcepti; quæ ſimiliter non poteſt communi regula determinari . . . Non poteſt univerſali regula determinari, cui ſit magis ſubveniendum; quia ſunt diverſi gradus & indigentiæ & propinquitatis: ſed hoc requirit prudens judicium.* Reſpicite ergo, O mei! ad gradus conſanguinitatis vel affinitatis, ad gradus indigentiæ & beneficiorum acceptorum. Poſt hos (Ut de egenis vobis ſanguine non cohærentibus dicam) ſatagite iis pauperum bene facere, quos amicos Dei eſſe prudenter creditis. Monuit hoc Spiritus ſanctus dicens: *Benefac juſto & invenies retributionem magnam* (z) Hujus generis ſunt illæ pauperes puellæ, illæ egenæ viduæ, quæ, ut ne Deum offendant & offendi faciant, mille inter anguſtias langueſcere amant: O ſanctam, o Deo gratiſſimam eleemoſynam, quæ his impenditur! Quidni? Etenim per hanc & offenſæ majeſtatis divinæ præpediuntur & ſaluti optimarum nec levibus ærumnis preſſarum animarum conſulitur. Itaque ſi prodeſſe omnibus non poteſtis, primo loco iis proſpicite (Repeto) quos amicos Numinis creditis, & iis, qui, ut ne Deum offendant, variis miſeriis tabeſcunt. Secundo loco illis ſuccurrite, quos ſuperius *pauperes verecundos* vocavi, qui præ pudore ſtipem rogare publice non audent: *Præſertim qui mendicare erubeſcat;* quod ipſum S. Auguſtinus inculcat (aa) de hujusmodi egenis dicens: *Tanto magis tibi vigilandum eſt, ut præoccupes petiturum.* Ita etiam S. Leo Magnus monet (bb) *ſollicita benignitate vigilandum eſt, ut, quem modeſtia tegit & verecundia præpedit, invenire poſſimus. Sunt enim, qui palam poſcere ea, quibus indigent, erubeſcunt & malunt miſeria tacitæ egeſtatis affligi, quam publica petitione confundi. Intelligendi ergo iſti ſunt & ab occulta neceſſitate ſublevandi, ut hoc ipſo amplius gaudeant; cum & paupertati eorum conſultum fuerit & pudori.*

Quæret alius: Quantum de facultatibus meis erogare pauperibus debeo? Primum reſpondeo id, quod ſuperius ex ſententia Theologorum omnium dixi: Erogare debes, quidquid ſtatui tuo præſenti & ei decenter tenendo ſuperfluum eſt; Et hoc de præcepto. Quod ſi ſuperflui nihil, quod des habes; ſed ex maſſa totius ſubſtantiæ tuæ portionem pauperibus Chriſti aſſignare vis (Semper in hoc loco caſus extremæ & urgentis neceſſitatis excipio) cum S. Auguſtino (cc) moneo, ut aliquid fixum ſive ex annuis ſive ex menſtruis ſive ex quotidianis redditibus tuis deſtines: *Præcidite ergo aliquid, & deputate aliquid fixum vel ex annuis fructibus vel ex quotidianis quæſtibus veſtris.* Secundo, quod ad quantitatem attinet, docet idem S Auguſtinus: Cogita, quod Eccleſiæ decimas dare conſueveris; Ergo ſaltem & decimas de ſubſtantiis tuis in eleemoſynas diſpenſa: *Decimas vis; Decimas exime*; quamvis cogitare debes, & Phariſæum decimas promto animo dediſſe: *Decimas do omnium quæ poſſideo.* Repeto ergo cum S. Auguſtino: *Decimas exime! quanquam parum ſit. Phariſæus, ſuper quem debet abundare juſtitia tua* (dd) *decimas dat: tu autem nec milleſſimam das; Quomodo ſuperabis eum, cui non æquaris?* Hactenus verba S. Auguſtini, ex quibus colligere poteſtis, quantum erogare in eleemoſynam debeatis; cum in hoc puncto nulla determina-

(x) *Libr. 1. de Doctr. chriſt. c. 8.* (y) *22. q. 32. a. 9.* (z) *Eccl. 12.* (aa) *In Pſalm. 103. ſerm. 3.* (bb) *Serm. 8. de Coll. & Eleemoſ. c. 3.* (cc) *In Pſalm. 148.* (dd) *Matth. 5.*

ta regula præscribi possit: quoniam & ad multas eleemosynam dantis circumstantias & ad variam accipientium indigentiam & ad multitudinem pauperum & ad magnitudinem miseriæ eorum haberi respectus debet. Hinc christiana prudentia opus, quæ se nec propria decipi utilitate nec excæcari avaritia patiatur: satius erit te in dando nimium ac quasi prodigum, quam modicum & parcum esse. Concludam itaque sermonem hunc documento spiritus sancti per os Tobiæ tradito hac de re filium sic cohortantis (ee) *Ex substantia tua fac eleemosynam . . . Quomodo potueris, ita esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum impertiri stude.* Sic & vos, o mei! exercete opera misericordiæ: facite eleemosynam pro ratione facultatum vestrarum: Multa date, si Deus multum dedit; parum date, si Deus parum dedit: Quod si quis nec multum nec parum habet, adeo ut ipsus familiam suam ægre sustentet, offerat Deo ex monito S. Augustini bonum & sincerum desiderium dandi (ff) si posset: *Si potes dare, da: si non potes, affabilem te præsta. Coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenerit facultatem.*

(ee) *Tob. 4.* (ff) *In Psalm. 103.*

SERMO XLIX.

De Oratione.

Post actus virtutum theologicarum primo Decalogi præcepto imperatos, quibus cultus Deo debitus (uti cum S. Augustino vidimus) exercetur, interque reliquos Religionis actus ad Dei cultum spectantes occurrit actus orationis, quæ Deo offertur, ut divina auxilia ad adipiscendam salutem æternam necessaria & quidquid ad hanc facere potest, obtineamus. Quamvis autem Catechismus Concilii Tridentini de Oratione in postrema parte agat: ego tamen de illa (tanquam actu Religionis ad primum præceptum pertinente) hoc loco differere decrevi.

Itaque quid est Oratio? *Oratio est*, teste S. Basilio (a) *boni cujuspiam petitio; quæ ad Deum a piis effunditur.* Jam primum omnium sciatis velim, o charissimi! quod facere orationem (hoc est: Deum pro necessitatibus animæ exorare, ut illa beatitudine æterna potiatur) res plane atque omnino necessaria sit; nam (uti observat S. Thomas) quanquam Deus multa nobis auxilia non exoratus concedere soleat, quæ inter etiam hoc est, quod nos ad preces fundendas excitet: tamen multa alia auxilia concedere non vult nisi exoratus. Hinc quemadmodum voluit, ut per bona opera salutem æternam consequamur, sine quibus nullus salvabitur; ita multas gratias ad salutem sempiternam necessarias largiri nobis constituit ea conditione: si illa petamus; & quemadmodum si bona opera non facimus, salutem non consequimur; ita si ista salutis adjumenta non exposcimus, nec hæc nec illam obtinemus (b) *Opportet homines agere aliqua - - - ut per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem a Deo dispositum - - - & propter hoc oramus, ut id impetremus, quod Deus dispofuit per orationes esse implendum.* Quis non videt, o mei! quantopere necessaria nobis divinæ gratiæ auxilia in hac misera vita, quam Jobus quandam perpetuam militiam nuncupavit, sint; siquidem bellum continuum, quod nobis trias spiritualium inimicorum nostrorum

(a) *Homil. in S. Julit.* (b) *2. 2. q. 83. a 2.*

rum (Diabolus, caro, mundus) faciunt: si pravarum affectionum, quæ nos pro sua in malum pronitate modo ad hoc, modo ad illud facinus trahere conantur, tumultus ac perturbationes. si rerum contrarias vicissitudines, quibus vita nostra omnis jugiter obnoxia est; spectentur. Hinc incessanter confugere ad Deum nostrum per orationem debemus, ne a recto tramite deflectamus, ne irruentibus tentationibus cedamus, ne nostra nos infirmitate supplantari in damnum animarum nostrarum sinamus. *Orandum est*, ait S. Augustinus (c) *ne succumbat infirmitas*: hinc amantissimus Servator ipse monere nos voluit: *oportet semper orare & non deficere* (d) In eandem sententiam S. Paulus loquitur; *Sine intermissione orate* (e) Et alio in loco dicit: *Volo viros orare in omni loco, similiter & mulieres.* (f)

Neque dicere juvat: inter tot difficultates: tentationes atque occasiones medii consistimus, ut moraliter, impossibile sit non labi. Nihil, o mei! hæc dixisse juvat: equidem do: multas esse occasiones, tentationes ac casus superatu difficiles multos, imo & superiores viribus nostris naturalibus, at nequaquam illis viribus ac robore illo, quod Deus nobis per gratiæ suæ auxilia addit: quod ipsum impertiri nobis ille & paratissimus est & ex fide nobis in id data obstrictus, si a nobis invocatur; cum sit fidei articulus, Deum nunquam permittere, ut tentationes, occasiones &c. (Ultro volitas & eas, quibus sponte nostra nos implicamus, excipio) vires nobis a se concessas superent: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* (g) Hinc subdit S. Augustinus: *Non igitur Deus impossibilia jubet; sed jubendo admonet, & facere quod possis & petere quod non possis.* (h) Quamobrem *ubi difficultatem aliquam* sentitis, *fidelissimis & perseverantissimis precibus & misericordiæ operibus facilitatem a Domino impetrare* persistatis. (i)

Opponentem aliquem audire mihi videor: dixisti, Pater! verbis Christi: *oportet semper orare*, item verbis S. Pauli: *Sine intermissione orate*; at quis est, qui hoc facere queat? Respondet S. Augustinus (k) *Ipsum desiderium tuum* placendi Deo, Deum glorificandi, animam tuam salvandi, *oratio tua est*: *Et si continuum desiderium, continua oratio - - - si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare: continuum desiderium continua vox tua est.* Nemo est, qui nesciat hominem pro varia conditionum & officiorum ratione vacare orationi semper haud posse; sed enim, postquam tempus conveniens orationi dicavit, animum ad munus suum, ad domesticas curas, ad alias res mille convertere debere: quomodo ergo semper & sine intermissione orare poterit? Audistis ab Augustino. Repete sæpius desiderium placendi Deo, eum nunquam amplius offendendi, salvandi animam tuam, similiumque rerum; & ecce! ait Augustinus, semper oras, qui semper desideras; quoniam desiderium tuum quædam virtualiter continuata oratio est: *continuum desiderium tuum, continua vox tua est.* Hinc idem S. Augustinus meminit optimæ consuetudinis veterum Patrum; qui labores inter & externas occupationes crebris brevibus invocationibus utebantur easque, ceu totidem plenas amoris sagittas, in cælum evibrabant; quibus verum fieret, eos semper orare, & quibus preces per longas temporis moras prius fusas quodammodo innovarent (l) *Orationes habere sed eas tamen brevissimas & raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat atque hebetetur intentio.* Imo Cassianus magnus ille vitæ spiritualis Magister, quem continua lectione S. Thomas in sui ædificationem trivit, affirmat: sanctos ævi sui Monachos his crebris jaculatoriis precibus majorem quam longæ orationi utilitatem adscripsisse; tum quod mentem cum Deo conjunctam servarent, tum quod eandem adversus diabolicas tentationes munirent: *Utilius censent, breves quidem sed creberrimas orationes fieri; illud quidem ut frequentius Dominum deprecantes jugiter eidem cohærere possimus, hoc vero ut insidian-*

(c) *Tract. 53. in Joan.* (d) *Luc. 18.* (e) *1. Thessal. 5.* (f) *1. Timoth. 2.* (g) *1. Corinth. 10.* (h) *Libr. de Nat. & Grat. c. 43.* (i) *Ibid. c. 68.* (k) *Enarr. in Psalm. 37.* (l) *Epist. 130*

fidiantis diaboli jacula succincta brevitate vitemus (m) Ecce vobis, o mei! modum semper & frequenter orandi?

Jam, o mei! quid mirum, si populum christianum tam profligatam vitæ rationem sequi & legem divinam infringere in modum scelestissimum cernimus? Cum inter Fideles, qui ab oratione maxime abhorrent; quæ tamen nobis omnino necessaria est, ut nos a peccatis immunes & in gratia Dei conservemus. Hoc tantæ calamitatis causa præcipua: non exorant Dominum, non invocant, in postremis habent supplicare Domino, ut conscientias eorum a peccatis præteritis liberet, a futuris immunes conservet. Hinc fit, ut ex malis pejores fiant & continuo inferni in faucibus hæreant æterna pernicie involvendi.

Audio obloquentem: Oramus, Pater! nec dies præterit, quin has illasve preces fundamus; at nullum inde fructum colligimus. Quid tibi hac objectione vis, O chare! Num forsitan Deum duri ad exaudiendum cordis tacite insimulare cogitas? Foret hoc profecto blasphemia præ reliquis cunctis tum misericordiæ tum fidelitati divinæ máxime injuriosa: misericordiæ quidem, utpote quæ ad benefaciendum nobis paratissima est; cujus rei jugia & evidentia argumenta habemus, si vel solas injurias cogitemus, quas Deus in singulos dies a creaturis suis accipit, quin tamen eas conservare, eis prospicere ac benefacere, eas tolerare unquam desinat: fidelitati vero, cum mille S. Scripturæ in locis suam nobis fidem obstrinxerit, se nos exauditurum præsertim in rebus ad bonum animæ spectantibus; *Invoca me in die tribulationis: eruam te* (n) *Antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus ego audiam.* (o) *cum invocarem*, ait David (p) *exaudivit me Deus.* Et iterum: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.* (q) Et quid Jesus ait: *Petite & dabitur vobis; quærite & invenietis: pulsate & aperietur vobis: omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulsanti aperietur.* (r) Certe finem dicendi nullum facerem, si omnia Dei nostri optimi de exaudiendis supplicantibus promissa afferre vellem. Igitur si non accipitis; o mei! in vobis situs est error: *Petitis & non accipitis* (En! quid per os S. Jacobi Apostoli (s) Spiritus sanctus vobis respondeat (*eoquod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.* Tria igitur expendamus: quis oret? de quibus oret? quomodo oret? Et videbimus eum non accipere; quia male petit.

Quis orat? Peccator onustus peccatis, qui nihil suam indignitatem cogitans, nihil de admissis sceleribus dolens accedit ad Deum, petiturus bona temporalia: videlicet sanitatem, sobolem, litis victoriam, bonum incæptorum eventum similiaque: Et cum primo loco veniam suarum culparum auxiliaque conversionis petere deberet, jam gratias & beneficia sibi temerarius poscit. Nunquid putatis, O mei! hujus preces exaudiri debere a Domino? . . . *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*, ait Spiritus sanctus (t) Hujus oratio non solum non audietur sed & execrabitur. Attendite animis, O suavissimi! respondete mihi. Si quis subditus multarum & gravium adversus regem suum injuriarum reus in eam necessitatem deveniret, ut magni momenti beneficium accipere sibi ab illo deberet: atque ob eam rem se regi sisteret illud petiturus, quin prius gratum & de injuriis illatis dolentem animum haud dubiis signis ostenderet, sed continuo diceret: Rex! Egeo in hac illave re, quæ multum me sollicitum habet, gratia & favore tuo. Quo vultu hunc talem a rege toties graviter læso excipiendum putatis? Quid? Regem dicturum ac merito dicturum existimo, Quid? Subire conspectum meum temerarius audes, ut gratias tibi petas; cum te justæ indignationi meæ & pœnis, quas criminibus tuis meruisti, obnoxium esse scias? Veniam delictorum ne verbulo postulasti; & gratias tibi exposcis: ac si subditorum fidissimus optimeque de me meritus esses. Apage hinc! Indignus es, qui coram me adstes, Num levius quid Rex optimus faciat,

(m) *Libr. 2. de Instit. cœnob. c. 10.* (n) *Psalm. 49.* (o) *Isai. 65.* (p) *Psalm. 4.* (q) *Psalm. 144.* (r) *Luc. 11.* (s) *Cap. 4.* (t) *Prov. 28.*

faciat. O mei! Nunquid inter mansuetudinis miracula computari deberet, Regem perduelli huic capitale supplicium distulisse? Quidni? Reus est hic multorum gravium criminum adversus Regem suum admissorum; & jam beneficia ac gratias petit, quin vel verbo prodat, se suorum scelerum pœnitentia agi . . . . Audite hoc in loco S. Augustinum, qui fortissimam hanc considerationem mihi suggessit: *Cum quis odio dignus sit, qua fronte gratiam requirit? Cui pœna debetur, qua temeritate gratiam deposcit? Lacessit judicem, qui postposita satisfactione delicti quærit præmiis honorari*; cum teste S. Scriptura *odio* sint *Deo impius & impietas ejus* (u) Huc spectat documentum Spiritus sancti (x.) *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* In quem melius verba hæc quadrant, quam in hostem Dei: qualis maxime est peccator sistens se conspectui Dei, ut gratias petat, quin prius se, injuriarum illatarum veniam poscendo, præparet? Nunquid hoc est, tentare Dominum & post tot graves injurias eidem dicere: Domine! fac mihi hanc gratiam; Domine! oro hoc, illud beneficium. Apage! *Lacessit judicem, qui postposita satisfactione delicti quærit præmiis honorari.* Conficiamus itaque & dicamus: Qui in peccati mortalis statu est, prius, quam Deum oret, veniam ex animo petat & tunc preces suas offerat, ut exaudiatur; cum Deus ipse pronunciaverit, se aliter nos non exauditurum: *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam*: quare? *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* (y) Per manus intelliguntur opera humana: Et qui has sordidatas habet non solum sanguine ex vindicta, mercede fraudata, creditoribus expectando suspensis & violentiis variis; sed etiam ex impudicitiis, scandalosis amicitiis, amoribus adulterinis, obscœnis sermonibus, continuis per sancta Dei, Christi, Evangeliorum & Mariæ nomina juramentis sine ulla consideratione, verane an falsa confirmentur, prolatis: Qui manus sic sordidatas habet, nunquid hic exaudietur, nisi prius pœnitens veniam rogarit? . . . Negat id Dominus: *Non exaudiam*, ait, *non exaudiam*. Igitur, qui peccati mortalis reus est, prius-quam alias sibi gratias petat, gratiam veræ pœnitentiæ poscat ac doleat: Et tunc reliqua sibi postulet; nam quamvis fieri possit, ut etiam sine prævia pœnitentia exaudiatur, istud tamen fieri ut plurimum haud solet.

Quod ut melius recteque intelligatis, notetis velim: Duplex pretium in Oratione considerari posse, unum pretium Meriti, alterum pretium Impetrationis. Pretium Impetrationis nititur misericordia Dei & supplicantis de eadem misericordia fiducia. Peccator, qui caret gratia quippe peccato mortali obnoxius, non habet pretium justitiæ, quia nullum habet meritum in oratione sua immo potius demeritum; cum sit hostis Dei: nihilominus habet aliquod pretium impetrationis, quod (Ut dixi) infinita Dei misericordia nititur, quæ etiam hostibus suis bene facere solet & hos ipsa ultro excitat, ut sibi in necessitatibus supplicent. Hinc peccator confugere ad Dei misericordiam pro impetrando auxilio non omittat etiam in necessitatibus temporalibus, in quibus ab illa infinita misericordia, a qua memoratum auxilium impetrare potest, movetur; quamvis (Ut Scriptorum auctoritates & allatæ rationes monstrant) multo facilius impetraturus sit, quæ optat; si pœnitens aut gratiæ statui restitutus petit, quam si in alio statu est, quo indignus redditur, qui exaudiatur. Hæc doctrina omnis S. Thomæ est: Hoc totum, quod adductis argumentis comprobare volui.

Jam expendamus, de quibus oret; quod alterum caput est, cur preces non exaudiantur (Semper de peccatore gravium culparum reo loquor) Quid is sibi petit? Petit utplurimum beneficia temporalia, uti superius monui; nunquam aut rarissime petit gratiam se emendandi, de peccatis suis acerbe dolendi, mutandi vitam, Deum amplius non offendendi? Jam qui placere Deo oratio ista possit? Orare de sanitate recuperanda, de lucro, de hæreditate, de dignitate, de sobo-

(u) *Sap.* 14. (x) *Eccli.* 18. (y) *Isai.* 1.

sobole procreanda similibusque rebus; & cum plenus sis peccatis, raro aut nunquam orare, ut ab his libereris: Qui, repeto, Deo esse grata oratio hæc possit? *Si Deum*, ait S. Augustinus (z) *propterea invocas, ut veniat ad te pecunia, ut veniat ad te hæreditas, ut veniat ad te secularis dignitas; illa invocas, quæ vis, ut veniant ad te: Sed Deum tibi adjutorem ponis cupiditatum, non exauditorem* bonorum *desideriorum.* Heus! *multi clamant ad Dominum pro divitiis acquirendis damnisque evitandis, pro suorum salute* (aa) *pro stabilitate domus suæ, pro felicitate temporali, pro dignitate seculi, postremo pro ipsa etiam salute corporis, quæ patrimonium est pauperis: Pro his atque pro hujusmodi rebus multi clamant ad Dominum, vix quisquam propter ipsum Dominum.* Hoc in caussa est, cur non exaudiantur; nam cum Dei gratia, quippe peccatis gravati mortalibus, indigeant & Deum ejusque gratiam nihil curent, sed solis rebus temporariis toti inhærescant, ob id Dominus preces eorum surda repellit aure: *Vere*, ait S. Augustinus, *vere tunc tibi attendit, quando ipsum quæris, non quando per ipsum aliud quæris.* Igitur qui in peccato est, primo loco Deum ipsum, gratiam mores emendandi, de peccatis dolendi, Deum non amplius offendendi quærat: Sic Deum primo loco quæret; Et tunc reliqua petat. Neque credatis, hoc peccatoribus solum faciendum esse; Illi quoque hoc facere debent, qui se Dei gratiæ compotes esse sperant: Præcipuum, quod sibi etiam hi orent, sit ipse Deus, scilicet continuatio misericordiarum ejus (ut illum nunquam offendant) & profectus animarum: Ob eam caussam omnes, quas posthæc petent, res temporales in hunc finem petent; nimirum ad majorem gloriam Dei & meliorem animarum suarum profectum, ut in statu suo tranquille vivant & laqueos, quibus ad offendendum Deum trahantur, evadant.

Neque ex iis, quæ hucusque dicta sunt, quisquam colligat, non nisi spiritualia posci a Deo debere. Nequaquam istud: Hoc colligatis velim, primo loco & absolute gratias ad animæ bonum facientes petendas esse; cum Deus velit, ut has nobis a se petamus: secundo vero loco gratias & beneficia temporalia postulanda esse; Sed quia haud scimus, utrum illa bona temporalia ad salutem animarum nostrarum conducant necne? ob id illa petentes subjungere debemus: Deus! hoc, illud peto, si ad gloriam tuam, ad animæ meæ salutem facit. Audite, quam apte ea, quæ dixi, S Augustinus confirmet (bb) *Ipse Salvator est, non solum quando facit quod petimus, verum etiam quando non facit; quoniam, quod videt peti contra salutem non faciendo, potius se exhibet Salvatorem. Novit medicus, quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus; & ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem. In his ergo*, concludit S. Doctor, *temporalibus, Fratres! non petatis aliquid quasi fixum, sed quod vobis Deus* (cc) *expedire scit: Quid enim vobis expediat, omnino nescitis; Aliquando quod putatis prodesse, obest: & quod putatis obesse, hoc prodest. Ægri enim estis: Nolite medico dictare, quæ vobis velit, medicamenta apponere. ... Non recedit ægrotus a manibus medici, non det consilium medico; Ea sunt omnia ista temporalia.* Petamus ergo, O mei! bona temporalia, at ea conditione petamus, si nobis expediunt, haud alia.

Pergamus ad tertium caput, nimirum ad modum orandi. Et in hoc, O mei! in hoc quam a multis erratur: Atque ob id illi, etsi sint in statu gratiæ, orando nihil promovent. Modus fructuose orandi primum exigit mentis attentionem sive ad ea quæ dicuntur, sive ad Deum præsentem, cum ubique sit, sive ad gratiam, quæ petitur, ita ut nulla distractio advertenter admittatur; nam oratio distractionibus advertenter & deliberato admissis maculata Deum non solum non ad misericordiam impendendam sed etiam ad pœnam infligendam provocat; cum distractiones istæ totidem peccata venialia, & quidem e gravioribus, sint. Atque ut irreverentiæ magnitudinem cognoscatis, quam, qui animo sponte aut ex magna negligentia distracto orat, in Deum admittit, ad sequentem considerationem S. Augustini (dd) attendi-

(z) *Enarrat. in Psalm. 85.* (aa) *Enarrat. in Psalm. 71.* (bb) *Tract. 73. in Joan.*
(cc) *Enarr. in Psalm. 53.* (dd) *Enarr. in Psalm. 85.*

tendite: *Quis enim est homo, cum quo si cæperit amicus ejus colloqui & voluerit ille respondere collocutioni ejus, & viderit eum averti a se & aliud loqui ad alium* (Addam ego: circumferre hinc inde per cubile oculos: jam hanc picturam, jam illam statuam aut armarium accuratius intueri nihil recogitantem, quid adstanti loquatur) *quis hoc ferat? Aut si forte interpelles judicem* vel Regem quendam pro impetranda gratia, *& constituas eum loco, ut te audiat; Et subito cum ad eum loqueris, dimittas eum & incipias fabulari cum amico tuo; quando te tolerat?* Sic ferme agunt Fideles, qui animo distracto Deum orant, mentem aliorsum & ad res haud oportunas deflectentes: Colloquentes cum Deo tergum ei vertunt, scilicet cogitationes suas avertunt & easdem (Ut sic dicam) alienis rebus demergunt. Hunc in modum orantes non solum nullas a Deo obtinent gratias, sed novis eundem injuriis lædunt: *Vis Deum esse memorem tui, cum rogas,* ait S. Cyprianus (ee) *quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est, quando oras Deum, majestatem Dei negligentia orationis offendere.* Aliud foret, si inadvertenter & præter intentionem (Ut aiunt) mens ex humana fragilitate alio dilabatur; In hoc casu dummodo quis ad orandum eo animo accessit, velle se Orationem attente facere, & ut primum distrahi se in diversa sentit, mentem confestim revocet; talis non volita, non animadversa distractio orationi nihil officit, sed enim Deus humanæ infirmitatis, orationem (quam fieri potest) attentissime facere curantis miseretur. Audite iterum Augustinum (ff) *Desperandumne est de genere humano & dicendum, ad damnationem pertinere omnem hominem, cui subrepserit aliqua cogitatio oranti & interruperit orationem ipsius? Nequaquam. Magna est misericordia Domini; Dicamus ergo: Lætifica animam servi tui, quoniam ad te animam meam levavi; Et quomodo eam levavi? Quomodo potui; quomodo tu vires dedisti; Quomodo eam fugientem apprehendere valui.* Non id volumus, O mei! ut nullæ vobis distradiones veniant; Sed enim hoc postulamus, ut eas expellatis, & si præter voluntatem attentio mentis vos relinquat, eandem (ut primum animadvertitis) revocetis; cum Deus involuntariis distractionibus istis indulgere pro sua misericordia consueverit.

Alia bene orandi conditio est perseverantia in orando, hoc est: ut non fastidiatis repetere preces vestras etiam sæpius per diem aut quovis saltem die. Perseverantiæ hujus necessitatem duabus parabolis Christus manifestavit: Una est parabola viduæ, quæ volens a judice jus in adversarium dici & a duro illo nec timente Deum judice repulsa; tamen, quod illius opem sibi multum necessariam esse dignosceret, orare non destitit, donec exaudita fuit: Et subjecit Christus: Si sic judex iniquus contra viduæ adversarium fecit, nunquid magis sic suis Deus faciet die ac nocte clamantibus ad se: *Audite, quid judex iniquitatis dicit; Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte* (gg) Altera parabola est amici, qui, cum cibo indigeret, quem hospiti supervenienti apponeret, nocte amicum suum accessit, ut tres panes ab eo acciperet; at illo, quod jam in lectum sese recepisset, negante pulsare fores non cessavit, donec eundem commovit, ut e lecto surgeret petitisque annueret: Idem faciet, subjecit Christus, vobis Deus: *Si ille perseveravit pulsans, dico vobis . . . . dabit illi, quotquot habet necessarios; Idcirco ego dico vobis . . . Omnis qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur* (hh) Et profecto, O mei! num multum anxius de obtinendo beneficio aliquo dici is potest, qui si statim non auditur, orare cessat? Neutiquam: obtinendi sollicitudo iteratis precibus proditur. Ita & nos, O mei! si vero hujus vel illius gratiæ obtinendæ, hujus vel illius tentationis superandæ, hujus vel illius pravæ affectionis subjugandæ, hujus vel illius peccati exuendi desiderio agimur; replicare, instare, pulsare continenter debemus: Et aperietur nobis. Hinc apposite David ait: Benedictus Deus, qui non permisit me ab oratione cessare; unde factum,

(ee) *Libr. de Orat. Domin.* (ff) *Enarr. in Psalm. 85.* (gg) *Luc. 18.* (hh) *Luc. 11.*

ctum, ut optatam mihi misericordiam suam impenderit: *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam & misericordiam suam a me* (ii) *Ergo*, concludit S. Augustinus (kk) *non deficiamus ab oratione; Ille, quod concessurus est, etsi differt, non aufert: Cum videris non amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est amota a te misericordia ejus.*

Sunt alia tria, quæ vos moneam, O mei! ut oratio vestra efficax sit. Primum, ut orationis vestræ partem gratiis Deo pro innumerabilibus donis, quæ jugiter ab illo accipitis, agendis impendatis; tum quia hac ratione gratos vos erga insignem adeo benefactorem ostendetis, tum quia animos vestros ad recipienda nova beneficia præparabitis: Ob id observetis velim, in celebratione Missæ (magni illius sacrificii, quod Deo inter alios fines pro beneficiis tum omnibus in universum Fidelibus tum cuivis privatim, pro quo applicatur, necessariis obtinendis immolatur) plebem Fidelium ad agendas Deo grates his verbis invitari: *Gratias agamus Domino Deo nostro*; Et populus per ministrum respondet: *Dignum & justum est.* Subditque omnium nomine Sacerdos: *Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus &c.* Et post finitam solenni hac gratiarum actione Præfationem in *Memento* tum sibi tum aliis gratias & beneficia a Deo submissa voce orat. Jam hoc ipsum nos ad exemplum S. Matris Ecclesiæ facere &, priusquam Deo postulata ac vota nostra exponimus, aut priusquam preces finimus, grates eidem de innumerabilibus acceptis beneficiis agere debemus; tum ut gratos & memores nos esse misericordiarum ejus ostendamus, tum ut eundem ad nos adjuvandos inclinatiorem reddamus. Et profecto quis est, qui insignibus a principe quodam beneficiis affectus, antequam nova sibi petit, vivam præteritorum memoriam eidem non significet atque eum ad novas, quas optat, gratias concedendas repetita gratiarum actione non inducat? Nemo aliter fecerit, qui prudenter & debitis modis petere voluerit. Hic certe modus petendi est a viris sanctis in S. Scriptura observatus; prout multis in locis videre licet, in quibus Moyses pro populo curæ suæ commisso exoravit: Semper is Dominum de præteritis populo Israelitico concessis beneficiis admonere studuit: & hunc morem illius in populi memorati regimine successores ad ultima usque tempora, scilicet usque ad Macchabæorum imperium, sibi retinuerunt; id quod facile cognoscere poterit, qui in S. Scripturis nonnihil versatus fuerit: Semper illi suæ de novis beneficiis accipiendis orationi gratam præteritarum gratiarum memoriam conjunxerunt. Hinc S. Bernardus: *Felix, qui ad singula dona gratiæ* (ll) *redit ad eum, in quo est plenitudo omnium gratiarum; cui dum pro acceptis nos non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut majora accipere mereamur: Omnino enim nos a profectu conversationis sola impedit ingratitudo nostra, dum quodammodo amissum reputans dator, quod ingratus accepit, cavet sibi de cetero, ne tanto plura amitteret, quanto plura conferret ingrato.*

Alterum, quod moneam, est, ut gratias, quas vobis optatis, per infinita Jesu Christi merita petatis. Ipse Servator gnarus, quantum pondus precibus nostris accedat, si Deo per sua merita offerantur, in pluribus S. Evangelii locis monuit, ut peteremus in nomine ejus: *In nomine meo*, quod idem sonat ac *per merita mea:* Hinc in quodam loco diserte pronunciavit, quin preces nostras ad aliquam vel materiæ vel temporis vel loci circumstantiam restrinxerit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (mm) Et alibi ait: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam* (nn) Hinc Ecclesia sancta Dei a Spiritu sancto docta suas ad Patrem æternum orationes hac obsecrationis formula perpetuo concludit: *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*, vel: *Per Christum Dominum nostrum.* Sic nos quoque, O mei! faciamus Deoque dicamus: Deus meus! humiliter hoc, illud a te peto per Jesum Christum, per illius infini-

(ii) *Psalm. 65.* (kk) *Enarr. in Psalm. 66.* (ll) *Serm. 27. de Divers.*
(mm) *Joan. 16.* (nn) *Joan. 14.*

finita merita &c. Huic orandi formulæ tempus, O mei! longe accommodatiſſimum eſſe videtur, quando Miſſæ intereſtis, poſt Conſecrationem, & dum in altari ipſe idem Chriſtus pro nobis omnibus immolatus adeſt: Hoc maxime tempus opportunum eſt, quo Patri æterno dicatis: Deus meus! peto hanc, illam gratiam per merita victimæ modo pro me mactatæ, per hunc Jeſum, qui in altari pro anima mea incruento modo immolatus adeſt: Miſerere, Deus meus! miſerere egentis animæ meæ propter corpus, ſanguinem. merita hujus Filii tui in animæ meæ miſeræ ſalutem immolati. Et poſt hæc petite animæ veſtræ, O mei! quasvis memoriæ occurrentes gratias, maxime gratiam Deum nunquam offendendi ſed potius ex toto corde amandi.

Poſtremum, quod moneam, eſt, ut in orationibus veſtris interceſſionem Sanctorum interponatis, maxime virginis deiparæ Mariæ & S. Angeli tutelaris; Mariæ, quippe quæ, nobis in Matrem a Chriſto data, omnes tanquam filios ſuos adoptivos excepit; S. Angeli Cuſtodis, utpote cujus curæ animas veſtras Dominus tradidit; ex quo ex utero Matris egreſſæ ſunt usque ad tempus, quo illæ ab eodem ad tribunal judicis reducentur. Hac duplici, Mariæ & poſt hanc Angeli Cuſtodis, interceſſione uti vos plurimum juvat, quemadmodum & reliquorum Sanctorum, ut ſuis orationibus, quæ multum apud Deum valent, quippe a perſonis Deo certe acceptis profectæ, infirmitatem ſublevent veſtram. Proh! quanta animi cum fiducia preces noſtras regi terreno dirigimus, ſi illas vir aulicus principi gratioſus, multoque magis ſi Mater principis amatiſſima ſua auctoritate ſecundent? Certe manibus jam tenere, quæ petimus, nobis videmur. De invocatione Mariæ Sermone XIII, quo vos remitto, dixi; unde hic longiori ſermone vos tenere haud opus. Conſueſcite itaque invocare Sanctos, præſertim Mariam & S. Angelum Cuſtodem veſtrum, ut pro ſua miſericordia, charitate ac humilitate levidenſes preces veſtras Deo oblatas ſuis interceſſionibus fulcire dignentur, quo ille, uti Eccleſia in feſto omnium Sanctorum precatur, *deſideratam* vobis *ſuæ propitiationis abundantiam multiplicatis* tam dignis & bene meritis *interceſſoribus largiatur*, Amen.



SERMO L.

De Oratione Dominica.

CUm Oratio Dominica a Chriſto condita nobisque tradita ſit, ut orare volentes eandem recitaremus: *Cum oratis, dicite: Pater noſter &c.* (a) mox intelligitis, puto, O mei! quam excellens illa eſſe, & quanti fieri a nobis debeat; nimirum ſi auctor illius ſpectetur, quo ſanctior, doctior, noſtrorum commodorum ſtudioſior cogitari haud poteſt. *Jam prædixerat*, ait S. Cyprianus vetuſtus Martyr & Epiſcopus (b) *horam venire* (Venit hora & (c) nunc eſt) *quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate, & implevit, quod ante promiſit* condens Orationem hanc & uſum illius injungens: *Sic ergo vos orabitis, Pater noſter &c.* (d) *Quæ enim poteſt eſſe magis ſpiritualis Oratio, quam quæ vere a Chriſto nobis data eſt, a quo nobis & Spiritus ſanctus miſſus eſt? Quæ vera magis apud Patrem precatio, quam quæ a Filio, qui eſt Veritas, de ejus ore prolata eſt? Oremus itaque, Fratres dilectiſſimi! ſicut magiſter Deus docuit.* Accepta, *amica & familiaris Oratio, Deum de ſuo rogare, ad aures ejus aſcendere Ora-*

(a) *Luc. 11.* (b) *Libr. de Orat. Dom.* (c) *Joan. 4.* (d) *Matth. 6.*

Orationem Christi! Recognoscat Pater Filii sui verba, cum precem facimus, & cum ipsum habeamus apud Patrem advocatum pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba promamus; nam cum dicat, quodcunque petierimus a Patre in nomine ejus, dabit nobis: quanto efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione?

Nunquid ex hac firmissima argumentatione tanti Doctoris, Episcopi, Martyris & Sancti vis atque efficacia permagna evidenter apparet, qua apud Deum nostrum hæc Dominica oratio pollet vel ob id solum, quod Christum auctorem habeat; qua tum ipsi tum augustissimæ Trinitati supplicamus? Edicite quæso, O mei! si nobis principis nostri, ceteroquin ad tribuenda beneficia proni, perpetua beneficentia indigentibus ille diceret: si quam vobis optatis gratiam, sequens memoriale mihi offeratis velim; & subinde illud verbotenus dictaret: quanta cum fiducia, quam firmo animo gratiam nobis necessariam data occasione petituri essemus, dictatum ab ipso memoriale exhibentes? At sic vere in casu nostro res se habet; nam dum ad Christum recitantes Orationem Dominicam accedimus, offerrimus illi eam ipsam Orationem, quam nobis, ut a se exaudiremur, dictavit: Quanta ergo obtinendi beneficii cum fiducia, quanta cum devotione hanc illi offerre debemus? Nequeo mihi hoc in loco temperare, quin exiguam multorum christianorum in recitanda hac sancta Oratione devotionem, magnamque negligentiam incusem; cum sint quidam, qui vix una per diem vice illam recitent: alii rarius etiam eadem utantur: plurimi mente distractissima planeque indevota eandem faciant; cum tamen Oratio hæc quoddam perfugii genus nobis esse deberet, quo uti in omnibus nostris tum corporis tum spiritus necessitatibus deberemus. Quod si eandem, quando & quomodo oportet: recitaremus: scilicet, hanc esse orationem dictatam a Christo ut exaudiamur, recogitantes & viva fide tenentes, hanc esse Servatori gratissimam quippe fætum divinæ mentis suæ & oris sui sacratissimi partum; utique eandem ea, qua fieri debet, ratione recitaremus. Quid opus, ait S. Augustinus, multum in excogitandis aliis precationum formulis laborare; cum hæc Oratio norma sit omnium, quæ haberi queunt, desideriorum & rerum; quæ jure peti possunt, omnium complimentum, adeo ut vix liceat aliud quidquam, quam quod hac oratione continetur, orare. (e) *Verba, quæ Dominus noster JEsus Christus in hac oratione docuit, forma est desideriorum: Non tibi licet petere aliud, quam quod tibi scriptum est. Quisquis autem*, pergit (f) *id dicit, quod ad istam evangelicam precem pertinere non possit, etiamsi non illicite orat, carnaliter orat; quod, nescio, quemadmodum non dicatur illicite, quandoquidem spiritu renatos non nisi spiritualiter decet orare.* Quod ut ita esse cognoscatis, agite! divinam hanc Orationem brevi expositione illustrare aggrediamur.

Incipit Oratio hæc ab invocatione, ah! quam mirabili, quam amoris plena! *Pater noster, qui es in cælis.* Nunquid, O mei! desuerunt JEsu tituli, quos Deo imponeret, quibus illum in hac Oratione invocaremus? Potuisset utique exordium a titulo Creatoris, Monarchæ, Conservatoris, Gubernatoris, Judicis inappellabilis, Benefactoris egregii, Domini supremi, & similibus, qui omnes Deo & verissime & maxime conveniunt, ducere. At noluit; elegit ex omnibus titulum teneritudinis, amoris, fiduciæ, suavitatis & jucunditatis plenissimum, titulum videlicet Patris: *Quanta*, ait S. Cyprianus (g) *Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis ejus & bonitatis ubertas! qui sic nos voluerit Orationem celebrare in conspectu Dei, ut Deum Patrem vocemus; ut Christus Dei Filius, sic & nos Dei filios nuncupemus: quod nemo nostrum in Oratione auderet attingere, nisi ipse nos sic permisisset orare.*

Jam, O mei! inchoans JEsus Orationem Dominicam suavi Patris titulo quid, putatis, sibi voluit? Voluit profecto amorem atque fiduciam in nobis excitare; at si-

(e) *Serm. 56.* (f) *Libr. de Perf. justit. c. 8.* (g) *Libr. de Orat. Domin.*

ſimul voluit, ait S. Cyprianus, ut nos veros Dei filios præberemus: *Meminiſſe itaque, Fratres dilectiſſimi! & ſcire debemus, quia, quando Patrem Deum dicimus, quaſi filii Dei agere debemus, ut quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, ſic ſibi placeat & ille de nobis.* Jam quæ ſunt filii erga patrem officia: Tria horum Theologia moralis recenſet, officium amoris, officium reverentiæ, officium obedientiæ. Et circa hæc officia quomodo multi Chriſtianorum erga Deum ſeſe gerunt? Num dici ex vero poterit, eos Deum amare, qui per peccatum mortale partem vitæ maximam in ſtatu capitalium hoſtium Dei vivunt, qui gravia ſcelera modis innummeris (tum per impudicitias, turpia vel agendo vel cogitando vel loquendo; tum per injuſtitias erga Proximum, hunc vel calumniando vel graviter adverſus eundem murmurando vel occulta ejus delicta manifeſtando vel creditoribus dure reſpondendo & ſolutionem æris alieni protrahendo: tum per mille alia ſimilia) committere pro nihilo habent? . . . Hiccine amor erga tam bonum, tam dignum Patrem! Jam quæ reverentia erga eundem adhibetur, dum ſanctum & tremendum nomen illius ad ſingula quaſi verba: dum nomen Chriſti Evangelii: Crucis in juramentis & blaſphemiis execrabilibus uſurpatur? Hæccine reverentia erga divinum, quem invocamus, Patrem! . . . Obedientia autem ſanctæ legi ejus præſtanda quot modis in ſingulos dies & quam graviter violatur? Tot certe modis quot peccata mortalia committuntur. Sic agere, O mei! filiorum, & non potius implacabilium atque ſævorum hoſtium ſit? Nunquid ille nobis, *Patris noſtri* nomine ſe compellantibus, exprobare jure meritiſſimo poterit; Mentiris indignus, falſo me Patrem vocas; cum mecum ut efferus hoſtis non ut filius, agas! Quisquis igitur in tam infelici ſtatu verſatur, ut facilius exaudiatur, priusquam Deo ſe ſiſtat dicturus *Pater noſter*, dolere de peccatis ſuis ſtudeat & pænitens cum filio prodigo clamet: *Pater! peccavi in cælum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus* (h)

Subditur: *Qui es in cælis.* Non hoc dicimus, ac ſi Deus per ſuam eſſentiam, præſentiam & potentiam (Quod ſermone IV. docui) ubique locorum non eſſet; ſed quia Deus iis maxime præſens eſt, qui ſancte vivunt. & hi præcipue ſunt, qui in cælis converſantur: Appoſite S. Auguſtinus (i) *Deo dicimus*, inquit, *Pater noſter, qui es in cælis! non quia ibi eſt & hic non eſt, qui præſentia incorporea ubique eſt totus; ſed quia in eis habitare dicitur, quorum pietati adeſt: & hi maxime in cælis ſunt: ubi etiam noſtra Converſatio eſt, ſi nos os noſtrum veraciter ſurſum cor habere reſpondeat.* Vult ergo Dominus a nobis tanquam Pater in cælis exiſtens invocari, in quibus magnificentiæ ſuæ ſplendorem iis oſtendit, qui ſe quaſi veros filios geſſerunt, ut nos quoque ad beatam hanc & æternam manſionem aſpirantes cogitaremus, nos, ut illo pertingamus, quaſi filios non quaſi hoſtes vivere debere.

Invocationem excipit prima petitio, quæ eſt: *Sanctificetur nomen tuum*; in quæ verba S. Auguſtinus (k) *Primum omnium, quæ petuntur, hoc eſt: ſanctificetur nomen tuum; quod non ſic petitur, quaſi non ſit ſanctum nomen Dei, ſed ut ſanctum habeatur ab hominibus, id eſt: ita illis innoteſcat Deus, ut non exſtiment aliquid ſanctius, quod magis offendere timeant.* Oramus itaque, ut Deus primo a nobis, qui eum invocamus, cognoſcatur per exactam voluntatis ſuæ ſanctiſſimæ obedientiam: deinde ut agnoſcatur idem a paganis, qui eum non confitentur; ab heterodoxis, qui blaſphemiis ſuis hæreticis illius nomen proſcrindunt; a peccatoribus fidem habentibus, qui tot illum modis offendunt: denique ut a Juſtis, qui fideliter eidem deſerviunt, indies magis ac magis glorificetur. Hinc omnes nos, O mei! pro ſtatus ratione ſatagere & vitæ noſtræ & moribus & converſatione & muneribus noſtris debemus, ut Majeſtas divina per bonum, quod præbemus, exemplum glorificetur & bo-

(h) *Luc. 15.* (i) *Epiſt. 120.* (k) *Libr. 2. de Serm. Dom. in monte c. 5.*

boni ad se magis perficiendum, peccatores ad resipiscendum, hæretici ad redeundum in Ecclesiæ sanctæ gremium, pagani ad amplectendam fidem catholicam inducantur. In hunc sensum petitionem hanc Catechismus Romanus (l) paucis interpretatur, verbis Christi finiens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*, (m) itemque S. Petri (n) *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, . . . ut ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum.*

Jam, O mei! Num petitionem hanc in ore multorum ætatis nostræ Christianorum bene sonare existimatis: Christianorum (inquam) qui scandalose vivendo non solum Dei gloriam non promovent, sed etiam eos, a quibus videntur, noscuntur aut familiarius adhibentur, provocant atque inducunt, ut (quod ipsi faciunt) etiam hi Deum graviter lædant? Qua fronte dicere poterit: *Sanctificetur nomen tuum*, ille, qui & invitando & munuscula dando & aliis modis alieno pudori insidiatur? Qui blasphemias in sacratum Dei nomen & execrationes ore scelerato vomit? Qui sermonibus obscœnis & verbis ambiguis in aliorum animis abominabiles complacentias excitat? qui certas ædes ingrediens & egrediens... qui certas personas alens... qui cum certis fœminis conversans videri nihil erubescit? qui detestabilem, quæ per universam propemodum Europam catholicam increbrescit, consuetudinem sequendo omnia conjugalis fidei repagula e medio tollit, uxorem in moralem violandæ fidelitatis necessitatem adducens? qui pauperes mercenarios, suum petentes, modis severissimis expellere consuevit? qui (Paucis dicam) ita vivit, ut non solum non Catholicus, sed ne quidem civilis honestatis studiosus esse comprobetur? Hinc pessimorum horum morum, per totam jam Christianitatem invalescentium, fama non solum ad finitimas regiones, sed etiam incredulorum & paganorum terras dimanante hi in veritates catholicas quasi triumphando insurgunt, deridentes illas tanquam spretas & conculcatas ab iis ipsis, qui has profiteri se jactant: id quod sermone XXII. vobis ostendi. Merito de his Paulus (o) dixit: *Nomen Dei propter vos blasphematur inter gentes.* Ah, O suavissimi! si & nos aliquando horum in numero fuimus, doleamus ex animo modisque omnibus in posterum satagamus, ut nostro, per petitionem primam monstrato, desiderio (scilicet ut sanctum nomen Dei sanctificetur & glorificetur) opera nostra respondeant, opera boni exempli, opera ædificantia, opera, qualia a vero Catholico postulantur.

Secunda petitio est: *Adveniat regnum tuum.* Hac petitione id præcipue oramus, ut nos Deus dignos faciat, qui cum ipso in æterno ejus regno regnemus. *In eo, quod dicimus: Adveniat regnum tuum*, ait S. Augustinus (p) *desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, ut nobis veniat, atque in eo regnare mereamur.* Non solum itaque oramus, ut paradisus nobis adveniat, sed etiam ut hoc digni efficiamur; quippe qui non nisi dignis dandus est: Hinc alio in loco S. Augustinus (q) *Optare & orare, ut veniat regnum ejus, nihil aliud est, quam optare ab illo, ut dignos nos faciat regno suo . . . Hoc enim rogamus, ut bonos nos faciat; tunc enim veniet nobis regnum ejus.* Unde ex sententia S. Augustini & reliquorum Patrum duplex Dei regnum nobis petimus, videlicet regnum sanctæ ejus gratiæ in hac vita, sine quo opera paradisi meritoria effici non possunt: & regnum paradisi post hanc vitam, quod per dictam gratiam & bona opera ab illa profluentia meruimus.

Jam dispiciat unusquisque nostrum, O mei! utrum sic vivat, ut regnum hoc, quod secunda petitione a Deo orat, consequi possit? Audiamus Paulum & tum videbimus, quot horum, qui petitionem hanc proferunt, illius effectum nunquam obtenturi sint: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare, Neque fornicari, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Ita Paulus ad Corinthios (r) Et in eadem epistola replicat:

(l) *part.* 4. *c.* 10. (m) *Matth.* 5. (n) 1. *cap.* 2. (o) *Roman.* 2.
(p) *Epist.* 130. (q) *Serm.* 58. (r) 1. *cap.* 6. & 15.

plicat: *Hoc autem dico, Fratres! quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Dicetis: quæ sunt opera carnis & sanguinis? Ecce idem Apostolus in alia epistola (s) illa pandit: *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Jam computate vobiscum, O mei! quot sint, qui alicui ex his peccaminosis operibus affines, maximamque vitæ partem peccatorum mortalium rei non existant; & hinc colligite, quot dicentium: *Adveniat regnum tuum*, eo intraturi non sint? Etenim aliud est, quenquam casu fortuito in peccatum mortale labi, atque illico talis status horrore percitum veniam a Deo humiliter petentem confiteri (Hunc ad petitum regnum pervenire non tam arduum atque difficile) Iterum aliud est, vivere quenquam majorem anni & vitæ partem in statu unius vel plurium mortalium peccatorum: De hoc verum fiet, quod *regnum Dei non possidebit*; nam, dum & regni gratiæ divinæ in se ipso & operum regnum cœleste promerentium vacuus existit, in præsentissimo æterni interitus discrimine versatur.

Tertia petitio est: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*; In quæ verba S. Cyprianus (t) *Oramus, non ut Deus faciat quod vult; sed ut faciamus, quod Deus vult: nam Deo quis resistet, quo minus, quod velit, faciat? Sed quia nobis a diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus & petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei.*

Sed ut melius intelligatis, quomodo fieri in nobis voluntas Dei & voluntas nostra cum voluntate divina conformari debeat, necesse est, O mei! ut doctrinam S. Thomæ vobis exponam, cujus ope Deo volente subjectionem, quam nos divinæ voluntati debemus, & integrum hujus tertiæ petitionis sensum penitus cognoscetis. Considerat S. Doctor unicam & simplicissimam Dei voluntatem dupliciter; primam, quatenus significat quod vult: alteram, quatenus sibi complacet de eo, quod, quæ vult, fiant: Priorem vocat *Voluntatem signi*, posteriorem *Voluntatem beneplaciti*: *Voluntas* significans seu *signi* manifestatur per præcepta, per quæ Deus hæc, illa fieri jubet vel fieri prohibet, uti & dum nonnulla per modum consilii suggerit. Hinc quædam absolute imperat Dominus, quædam absolute vetat, quædam solum consulit. Quæ absolute imperat, sunt præcepta hoc vel illud faciendi e. g. se amandi, sibi credendi, in se sperandi, se invocandi & similia. Quæ absolute prohibet, sunt quævis peccata. Hæc *voluntas* significata sive *signi* impletur in nobis per obedientiam faciendo id, quod nobis imperatum: & non faciendo, quod prohibitum. *Voluntas beneplaciti* apparet in iis rebus, quæ eveniunt; cum nulla res in tota hac rerum universitate accidere possit, quæ non sit a divina voluntate vel volita vel permissa, ut ait S. Augustinus. Res volitæ sunt omnia bona, immo etiam mala omnia meræ pœnæ: bona sunt e. g. conversio hujus illiusve peccatoris, sanitas hujus vel illius infirmi & similia: mala meræ pœnæ volita sunt infirmitas hujus illiusve hominis, grando, siccitas & similia. Res autem mere permissæ ex occultis sanctissimis juxta ac justissimis finibus sola sunt peccata, quæ Deus non semper impedit ob caussas, quas adorare potius quam temere scrutari præstat: Hæc *voluntas beneplaciti* in nobis impletur, dum nobis de rebus bonis complacemus: in rebus meræ pœnæ humiliter nos Deo permittimus: in peccatis mere permissis illius consilia reveremur. Hæc doctrina omnis e S. Thoma, quem Theologi communiter sequuntur, desumpta est.

Jam videte, O mei! quid hac tertia petitione: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*, velimus. Petimus gratiam, qua juvante legi sanctæ Domini pareamus (faciendo omnia, quæ ille, ut a nobis fierent, velle se per eandem significavit) videlicet gratiam

(s) *Galat. 5.* (t) *Libr. de Orat. Domin.*

gratiam faciendi cuncta, quæ fieri a nobis vult; & nullo unquam tempore faciendi ea, quæ fieri a nobis prohibet; insuper faciendi ea, ad quæ nos non obligat, attamen quæ consulit, ut faciamus; uti sunt opera bona *de consilio & supererogatoria*. Atque hac ratione petimus, ut in nobis voluntas Domini significata seu *voluntas signi* impleatur. Petimus præterea gratiam accomodandi voluntatem nostram ad divinam *voluntatem beneplaciti* & præsertim in rebus pœnalibus in nobis a Deo volitis, quas ille semper in majus nostrum commodum & emolumentum vult; petimus nimirum gratiam ad divinam voluntatem nos conformandi in infirmitatibus, in casibus adversis & aliis rebus, quæ naturæ humanæ injucundæ accidunt; non quidem quod nobis haud liceat modis honestis ea mala depellere: Nequaquam; Immo placet Domino, si expedire nos ab iis licitis modis satagimus: sed enim ut, si videmus velle ipsum, ut illa curas nostras eludentia molestare nos pergant, divinis nos consiliis subjiciamus & patienter eas pœnalitates in nobis admittamus, quas ipse in nobis in nostram utilitatem esse vult. Petimus denique gratiam adorandi corde trementi & humiliato consilia Domini in permittendo tot mortales culpas, non quod omnibus nervis impedire illas non contendamus: Nequaquam; Immo placent Domino zelus noster nostrique conatus in impediendo, ne ille vel a nobis vel ab aliis offendatur: sed enim ut, si curas & preces nostras Deo in hunc sanctum finem oblatas optato eventu carere advertimus, non indignemur, non contristemur, non desperemus; immo immensum judiciorum ejus sacratissimorum & justissimorum abyssum adoremus; quin de memorata sollicitudine remittamus, & orando & agendo, ne Deus vel a nobis vel ab aliis lædatur: quæ oratio si continuabitur, certe in bonum supplicantis & etiam aliorum propter infinitam Dei misericordiam audietur. Hæc sunt quæ tertia petitione oramus; quam cum Beati in cœlis modo perfectissimo impleant, ob id petimus, ut eodem modo illa a nobis & aliis in hac terra impleatur.

Petitio quarta habet: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Nomine panis intelligi secundum SS. Patrum interpretationem tum panis & victus naturalis tum panis supernaturalis (scilicet Christus in SS. Eucharistia) potest. Primo de pane & victu naturali dicamus, verbaque singula accurate expendamus; cum non sine gravi ratione a Christo ita posita fuerint. Petimus itaque *panem nostrum*, quippe nostrum ex dono Dei effectum: Petimus *panem* scilicet alimenta necessaria & panem statui cujusque convenientem, non superfluum, non voluptati servientem &c: Petimus *panem quotidianum*; quia etiam temporali divinæ misericordiæ sustentatione jugiter indigemus, & cum vita nostra fluxa atque incerta sit, petimus illum pro præsenti die, in quam nobis Dominus vitam concessit: *Da hodie*, quin eundem in longius tempus petere audeamus, prompti & in crastinam diem illum denuo poscere, si superstites fuerimus. Hæc est significatio quartæ petitionis ex mente Catechismi (u) Romani & sensu SS. Patrum, in quantum illa de pane naturali accipitur. Ex his colligitur, quam alieni sint a spiritu hujus petitionis a Christo nobis traditæ ii mortalium, qui prædia prædiis, immobilia immobilibus cumulando satiari nunquam possunt (His sequentes minas Isaias (x) Propheta intentat: *Væ! qui conjungitis domum ad domum & agrum agro copulatis usque ad terminum loci? Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?*) multoque magis ii, qui panem non suum sed alienum comedunt, scilicet quem per mercedes retentas aut alienas facultates modis aliis illicitis raptas sibi paraverunt: His minitatur Dominus (y) *Divitias, quas devoravit, evomet & de ventre illius extrahet eas Deus.*

Nomine panis intelligitur insuper SS. Eucharistia: Sic docet S. Cyprians, cui alii Patres consentiunt, idque ob vim verbi: *supersubstantialem*, quod in Evangelio S. Matthæi (z) additum legitur: *Panem nostrum* super-

(u) *part. 4. c. 13.* (x) *cap. 5.* (y) *Job. 20.* (z) *cap. 6.*

superſubſtantialem *da nobis hodie*; Epithetum, quod nulli alteri cibo aptius congruit, quam Chriſto, qui de ſe ipſo dixit: *Ego ſum panis vitæ*, & de carne ſua pronunciavit: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt.* Hinc prior S. Cyprianus dixit (aa) *Sic panem noſtrum vocamus, quia Chriſtus . . . noſter panis eſt:* Et poſt hunc S. Hieronymus ſcripſit (bb) *Poſſumus ſuperſubſtantialem panem & aliter intelligere, qui ſuper omnes ſubſtantias ſit & univerſas ſuperet creaturas.* Quod ſi omnia creata ſuperat, alius eſſe non poteſt quam panis ille, qui eſt Deus-homo, ſcilicet Jeſus Chriſtus. Petimus itaque una cum pane naturali ſupernaturalem, videlicet ut nobis Dominus recipere SS. Euchariſtiam concedat. Hinc S. Cyprianus: *Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne, qui in Chriſto ſumus & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviori delicto, dum abſtenti & non communicantes a cæleſti pane prohibemur, a Chriſti corpore ſeparemur.* Idem diſtinctius affirmat S. Auguſtinus (cc) *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, Euchariſtiam tuam, quotidianum cibum; Norunt enim Fideles, quid accipiant, & bonum eſt eis accipere panem quotidianum huic tempori neceſſarium. Pro ſe rogant, ut boni ſiant, ut in bonitate & fide & vita bona perſeverent: Hoc optant, hoc orant; quia ſi non perſeveraverint in vita bona, ſeparabuntur ab illo Pane. Ergo, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, quid eſt? Sic vivamus, ut ab altari tuo non ſeparemur.* Petamus igitur præter panem naturalem etiam divinum, ut nunquam ab amore & conjunctione amatiſſimi Redemptoris noſtri ſeparemur.

Petitio quinta eſt: *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Hoc loco nomine debitorum veniunt offenſæ, injuriæ, peccata adverſus Deum commiſſa; uti clare S. Lucas (dd) dicit: *Et dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis.* Jam noſtis, O mei! peccata, quæ adverſus Deum committimus, alia gravia & mortalia, alia levia & venialia eſſe. Peccata venialia devota recitatione hujus petitionis delentur: *Delet omnino*, ait S. Auguſtinus (ee) *hæc Oratio minima & quotidiana peccata.* Peccata gravia vero hac Oratione non delentur; cum ad eorum veniam obtinendam vel contritionis perfectæ actus vel actus veræ attritionis cum Confeſſione Sacramentali conjunctæ requiratur (Uti ſermonibus XL. & XLI. expoſui) Quamvis autem Oratio hæc culpas mortales non deleat, tamen eſt remedium (ſi debita cum devotione recitatur) efficaciſſimum ad obtinenda gratiæ auxilia, quibus adjuti de peccatis lethalibus ex animo doleamus, & præſertim (Uti ſubjungit S. Auguſtinus) ſi ex amore Dei offenſas & injurias nobis factas vere dimittimus: *Delet & illa, a quibus vita Fidelium, etiam ſcelerate geſta ſed pœnitendo in melius mutata, diſcedit; ſi quemadmodum veraciter dicitur: Dimitte nobis debita noſtra . . . ita veraciter dicatur: Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, id eſt: ſi fiat, quod dicitur.*

Multum igitur nobis, O dilectiſſimi! hæc conditio, hoc pactum a Jeſu Chriſto huic maximi momenti petitioni inſertum attendendum eſt: dixi: *maximi momenti petitioni*; quia veniam peccatorum petimus, & inſuper, ut ſic nobis dimittat Dominus peccata noſtra, quemadmodum nos peccata ab aliis contra nos admiſſa condonamus. Ex quo ſequitur, nosmetipſos legem ferre, ſecundum quam nobis peccata noſtra a Deo remittantur, vel non: *Sponſionem facimus*, ait S. Auguſtinus (ff) *cum Deo, pactum & placitum. Hoc tibi dicit Dominus: Dimitte & dimitto. . . Non dimiſiſti; tu contra te tenes, non ego. . . Nullo modo tibi nocere poteſt ſæviens inimicus, quantum tibi noces, ſi non diligis inimicum.* Et ecce hujus aſſertionis cauſſam! *Ille* (inimicus) *enim*, pergit idem S. Doctor, *nocere poteſt aut villæ tuæ aut pecori tuo aut ſervo tuo aut filio tuo aut conjugi tuæ aut, ut multum, ſi illi data fuerit poteſtas, carni tuæ, Nunquid, quomodo tu? Animæ tuæ.* Itaque tibi petenti, ut dimittatur tibi ſicut tu dimittis, non dimittetur, niſi dimiſeris.

(aa) *Libr. de Orat. Domin.* (bb) *In Cap. 6. Matth.* (cc) *Serm. 58.* (dd) *Cap. 11.* (ee) *Enchir. c. 71.* (ff) *Serm. 66.*

Dicet aliquis: Nolo dimittere; Ergone ob id omittere debeo hanc Orationem, ut ne Deum ad non dandam veniam obstringam? Huic quæstioni cum eodem S. Augustino (gg) respondeo: *Nescio, quid faciam: nescio, quid dicam. Dicturus enim vobis sum: si non diligitis inimicos vestros, nolite orare? Non audeo; Immo, ut diligatis, orate! Sed nunquid vobis dicturus sum: si non diligitis inimicos vestros, nolite in Oratione Dominica dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? Puta quod dico: Nolite dicere. Si non dixeritis, non dimittuntur: Si dixeritis & non feceritis, non dimittuntur. Ergo dicendum est & faciendum, ut dimittantur.* Sic igitur facite: Orate, dicite petitionem hanc simulque implete; & hac ratione ex amore Dei injurias dimittentibus vobis quoque dimittetur.

Sexta petitio sic sonat: *Et ne nos inducas in tentationem.* Post exoratam peccatorum admissorum veniam in hac petitione rogamus, ut a peccatis futuris incolumes servemur. Non hoc intelligi debet, ac si Deus tentationes excitet vel promoveat. Nequaquam, O mei! *Nemo*, ex oraculo Fidei a S. Jacobo edito (hh) *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est* (Nunquam tentat ad malum) *ipse autem neminem tentat.* Petimus igitur his verbis, ne permittat Deus, ut tentemur: & (si tentari nos in nostram utilitatem, quæ est hujus suæ permissionis scopus, permiserit) ut nobis sua gratia adsit, ne tentationibus cedamus sed illas superemus. Sic petitionem hanc SS. Patres cuncti explicant, quorum omnium nomine S. Augustinus (ii) ait: *Ne deserat ergo nos, ideo dicimus: Et ne nos inducas in tentationem.*

Opponet aliquis: Quare Deus tentationes, prout posset, non impedit sed permittit? Permittit, O suavissimi! Deus tentationes ob fines plane sanctissimos: Primo, ut superbia nostra deprimatur, dum nostram miseriam in tentationibus cognoscimus, quibus succumberemus, nisi misericorditer juvaremur a Deo, qui fideliter omnibus se in tentatione invocantibus succurrit nec permittit, ut tentatio vires nobis a gratia sua subministratas excedat; uti Paulus dogmatice pronunciavit (kk) *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Apposite ad rem S. Cyprianus (ll) ait: *Admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus; ne quis se insolenter extollat.* Secundo, ut Regnum cœlorum quasi certando acquiramus; nam cum Dominus adultis gloriam, veluti coronam, dare decreverit: *Reposita est mihi corona justitiæ* (mm) Corona autem prælia bene gesta & prævias ex hostibus victorias supponat; nisi tentaremur, nec victoriæ, quas reportaremus, essent, nec gloriam tanquam coronam, obtineremus. Neque est, cur hostium nostrorum viribus exterreamur; quippe quas ipsi in nos non pro modo odii, quo nos persequuntur, nec pro suo arbitrio exercent, sed enim solummodo pro eo, ut ipsis a Domino qui summum rerum omnium imperium habet, concessum fuerit. Hinc S. Augustinus (nn) *Nullus metuatur hostis extrinsecus... Quid tibi facturus est tentator extraneus, sive diabolus sive minister diaboli? . . . Pugna, pugna! Qui te regeneravit, judex est, proposuit luctam, parat coronam; sed quia sine dubio vinceris, si illum adjutorem non habueris... ideo ponis in oratione: Ne nos inferas in tentationem.* Repetite itaque, O dilectissimi! petitionem hanc, ubi tentationibus infestamini; dicite Christo: Domine! tuis te verbis exoro: Ah! *Ne nos inducas in tentationem:* Longe a me tentationes averte &, si illis invadi me in meam utilitatem permittis, assiste, ut vincam.

Dixi: Permittere Deum, ut tentationes nos invadant sive a diabolo sive a concupiscentia excitatæ, quas de cetero non volumus, nec quærimus, immo & fugimus. Verum quid de illis tentationibus dicam, quibus se permulti sponte ac ultro exponunt, quibus absque ulla formidine pro sua voluntate occurrunt? De hujusmodi hominibus aliter sentiendum; cum de his & Scripturæ sacræ & SS. Patres aliter sentiant. Nonne, O mei!

(gg) *Serm 5.* (hh) *Cap. 1.* (ii) *Serm. 37.* (kk) *1. Corinth. 10.* (ll) *Libr. de Orat. Dom.* (mm) *2. Timoth. 4.* (nn) *Serm. 57.*

mei! distinguitis inter illum, qui cum persona quadam aut necessitatis aut decori gratia agens erga illam accendi se sentit paratus ceteroquin, si posset, confestim ab illa secedere: & inter illum, qui voluntatis propensione erga aliquam personam inclinari se advertens, nulla aut necessitatis aut decori urgente ratione ultro ad eam visitandam, contemplandam, variis sermonibus detinendam &c. accedit: Nonne hos duos tentatos invicem distinguitis? Pater! dicentes vos audire mihi videor, quis non videt, multum hos duos inter discriminis intercedere: De priori dici ex vero potest, quod contra voluntatem suam tentetur; dum posterior tentationem sponte exquirit, & de hoc dici potest, quod tentari ultro velit; cum absque ulla necessitate tentationis objectum inquirat. Egregie respondistis, O mei! Jam insuper quaero ex vobis? Anne cogitatis, Deum auxilia sua his duobus tentatis æqualiter largiturum esse? O Pater! dicetis, prior omni culpa caret, nullo modo tentationem adjuvat; cum sive status sive muneris sui ratione adigatur, ut cum illa persona agat, quacum, si aliter posset, acturus non esset: Hinc vero simile est, Deum, in auxilium vocatum, pro sua infinita misericordia ei adfuturum. At ille alter, quia tentari ultro vult & absque ulla ratione seipsum occasioni ac tentationi sponte objicit, haud dignus ope divina esse videtur; cum Deus in tot S. Scripturæ locis prohibeat, ne quis se in occasionem peccandi ultro inferat. Respondistis, O mei! pro eo ut homines rationis & Fidei lumine illustratos decet. Itaque speret in Domino nec formidet diabolum, qui incidentes tentationes, occasiones & pericula peccandi ex animo abhorret easque pro viribus declinat. At timeat certe casumque sibi expectet, qui tentationibus, objectis illas excitantibus, occasionibus illas promoventibus sese ultro offert; nam his, tantum abest, ut Dominus opem suam promiserit, ut potius casum eisdem denunciarit. Ita inter alia S. Scripturæ loca dico illa notissima oracula Spiritus sancti monent: *Qui amat periculum, in illo peribit* (oo) Et: *Immisit in rete pedes suos, tenebitur planta illius laqueo* (pp).

Postrema petitio est: *Sed libera nos a malo.* Videtis, O mei! hanc petitionem quoddam quasi complementum antecedentis esse; nam, postquam liberari a tentationibus & adjuvari in illis divino auxilio postulavimus, petitio completur, dum oramus, ut liberemur a malo. Cum autem malorum omnium maximum sit peccatum, ob id primo loco oramus liberari ab hoc, secundo dein loco ab omnibus reliquis malis, contra quæ defendere nos Deus ut velit, rogamus: *Libera nos a malo*, ait S. Cyprianus, *Nihil remanet, quod ultra adhuc debeat postulari; quando semel protectionem Dei adversus malum petamus: qua impetrata contra omnia, quæ diabolus & mundus operantur, securi stamus ac tuti.* Verum quemadmodum Deus teste S. Thoma semper annuit precibus modo debito, scilicet devote & perseveranter, exorantis pro liberatione a peccatis; ita non semper exaudit preces liberari a malis corporalibus vel temporalibus poscentis: Atque ob id maxime non exaudit, quia si exaudiret, salus nostra æterna & major utilitas impediretur (Id quod sermone superiori ostendi) Hinc in levioribus non exaudiens Dominus in gravioribus nos audit. Concludamus cum S. Augustino (qq) *Novit, quando det, cui det: quando auferat, cui auferat; Pete tu in hoc tempore, quod tibi prosit in posterum; Pete, quod te adjuvet in æternum.* Petamus itaque, O mei! viva cum fide & firma spe, liberari a malo culpæ seu peccati: Petamus etiam liberari a reliquis malis temporariis & corporalibus; verum addamus debitam & Christiano dignam conditionem, si ita gloriæ divinæ atque saluti animarum nostrarum proficuum sit: Et hac ratione commovebimus Dominum, ut nobis etiam liberationem a malis corporalibus lubentibus concedat; prout pollicitus est, dicens: *Quærite primum Regnum Dei* salutem vestram) *& justitiam ejus* (ut juste vivatis) *& hæc omnia* (rr) *adjicientur vobis.*

(oo) *Eccli 3.* (pp) *Job. 18.* (qq) *Enarr. in Psalm. 53.* (rr) *Matth. 6.*

ORATIO DOMINICA

Meditatione digesta.

Pater noster. Oh miram atque ineffabilem divinæ Majestatis suavitatem! Quis unquam, Domine Jesu! suas Deo preces oblaturus hac exordiri invocatione ausus fuisset: *Pater noster?* Significaverat ipse quoque in Prophetarum eloquiis, se nostrum esse Parentem, *qui possedit, fecit & creavit nos:* significaverat, nos *gestari ab ejus utero, atque portari ab ejus vulva*, immo ad ejus *ubera pendentes* ulnis illius sustineri, ut nedum patris eximiam dilectionem, verum etiam tenerrimæ matris viscera erga nos se habere manifestaret. Tu quoque, Domine Jesu! Deum ita nostrum esse Patrem declarasti, ut ipsius comparatione interdixeris quenquam a nobis patrem super terram vocari. Veruntamen nemo unquam nostrum preces effusurus ita exordiri ausus fuisset: *Pater noster*, ne vocem, quam aliquando ex ineffabili dignatione sibi divina Majestas adscribere complacuit, arroganter nos usurpare videremur, & ne, quod ex illius ore auditum infinitæ charitatis indicium prætulit, a nobis sponte prolatum temerarii ausus nos condemnaret. Quot namque voces eædemque divina Majestate dignæ nobis seligendæ supererant, quibus illam invocaremus? Dei, Domini, Conditoris, Gubernatoris & Judicis, ut, ceteras, quæ ineffabilibus ejus attributis respondent, omittam? Nihilominus, Domine Jesu! ut etiam in hoc cogitationes nostras a cogitationibus tuis longe diversas esse probares, preces nostras ita esse inchoandas docuisti: *Pater noster.* Oh invocationem, quæ vel ex lapideo corde amorem, spem, fidentiam eliciat! Ad Patrem eumque omnipotentem quis fidenter non accedat? Omnipotenti nullum est impossibile verbum: Patri omne justum filii desiderium est acceptabile: in omnipotente securus sum de potestate tribuendi: In Patre de voluntate largiendi: Omnipotentem potestas impellit: Patrem amor trahit.

Verum *Pater* est non quocunque modo sed *noster*, videlicet pro nobis vigil, quia *non dormitabit neque dormiet, qui custodit nos:* pro nobis sollicitus, quia *ad adjuvandum nos festinat*, immo cujus aures etiam desideria cordis audiunt: Vere igitur *Pater noster.* At suavissime Deus! qui Pater noster appellari voluisti, nos quoque esse filios ut recogitemus, admones; Omnia proinde, quæ a filiis patri debentur, officia ut tibi reddantur exposcis: amor, reverentia, obedientia. Heu dulcissime Pater! vere confusio faciei meæ cooperuit me hæc filiorum debita recensentem. Tu erga me patris officia amantissimi diligendo, instruendo, pascendo cumulatissime explevisti: Quam magna dilectione es me prosecutus, Pater piissime! ex nihilo me traxisti creatione, de nihilo eductum servasti conservatione, conditum & servatum ad salutem æternam refecisti redemptione. Insignia quidem sunt hæc & ceterorum bases beneficiorum; at omnibus communia sunt: Magis peculiaria recolam; In gremio veræ Ecclesiæ nasci me voluisti, Baptismatis lavacro expiari, incorrupta doctrina Fidei imbui, a te non semel aversum misericorditer expectasti; adoptione tua (ut spero) iterum atque iterum donasti. Verum & hæc præstantissima beneficia, licet non omnium, sunt tamen plurimorum. Supersunt adhuc vere specialissima, quibus me locupletare dignatus es: Vix pubertatem ingressum atque a pietate devium ad te revocasti, religiosi instituti propositum omnino aversantem me repente ad illud amplectendum accendisti, instituto vere sancto tuæque Genitrici acceptissimo adscripsisti, plena status assumpti voluptate donasti, innumerabilibus beneficiis cumulasti, ad sacrosanctum altaris ministerium evexisti, dispensatorem denique Sacramentorum tuorum effecisti. O Pater amantissime! nonne sunt hæc certissima specialis paternæ dilectionis insignia, nonne providentiæ erga me tuæ clarissima pignora? *Venite* igitur, *venite, audite (& narrabo) omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ*, quantaque munificentia erga me amantissimi patris officia Deus noster expleverit. Non sic ego, Deus meus! debita filiorum officia persolvi: Heu! tu nosti, quoties in seculo degens pro reverentia tibi irrogarim injurias, pro amore tibi debito quot offensas intulerim, pro obedientia tibi præstanda quot peccata commiserim! Ita prævaricator legis effectus te Patrem amantissimum Deumque meum inhonoravi. Religioni deinde adscriptus tu nosti, quomodo beneficiis a te mihi collatis abusus sim, multis te offensis affecerim, neque donis tuis eximiis (prout tenebar) usus fuerim. Quid itaque mihi superest, nisi illud præstare, quod in prodigi filii suavissima parabola mihi agendum significasti, nempe surgere atque ad te venire Patrem meum, oculisque lacrymantibus & facie in terram demissa dolentique corde proferre: *Pater!* Heu, Pater mi amantissime! *peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus*, immo neque accenseri

censeri mercenariis tuis: Itaque *non secundum peccata mea facias mihi neque secundum iniquitates meas mihi retribuas! Domine, ne memineris iniquitatum* mearum *antiquarum! Cito anticipent* me *misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nimis! Adjuva* me Deus *salutaris noster & propter gloriam nominis tui libera me & propitius esto peccatis meis propter nomen tuum* suavissimum Patris!

Qui es in cœlis, immo es ubique; *si* enim *descendero in infernum, ades: & si habitavero in extremis maris, manus tua deducet me & tenebit me dextera tua.* Cum igitur per immensitatem tuam ubique adsis, cur potius te in cœlis existentem ut invocemus, mandasti? Ut iterum paternam tuam dilectionem significares; Cum enim in cœlis maxime thesauros tuæ bonitatis effundas ibique dilectis tuis paratas serves æternas beatasque mansiones, ibi te absque velamine clare intuendum exhibeas, ibi tandem Beatorum spiritus perenni felicitate repleas: idcirco in cœlis potius quam alibi te residere significas; in cælis (inquam) ut in nobis filiis tuis ardens desiderium veniendi ad te excites, & ut moræ impatientes cupiamus dissolvi & esse tecum: ut nobis a te Patre amantissimo hæreditatem constitutam esse sciamus, atque cohæredes Christi omnium primogeniti quamprimum effici optemus. Cum autem eo perveniendi nulla alia sit via præter Jesum, nemo illuc ascendet, qui a via ista declinaverit: In ea progredi nil aliud est, quam mores nostros (quoad fieri potest) Christo conformare. Heu! Pater pientissime, tu scis, quantum inde aberraverim? Et vere *sicut ovis quæ periit* perditionis lubricum in seculo degens pluries intravi, a quo infinita pietas tua me proripiens in vere sanctam B. P. Dominici familiam cooptatum ad salutis semitam misericorditer reduxit: An autem in hac via (prout opus est) gradiar, si cuique vel serventissimo incertum, mihi te modice diligenti incertissimum. Id conjicere possem, si in me Christi imaginem utcunque expressam viderem; quos namque prædestinasti, conformes fieri voluisti imaginis filii tui: Verum, Pater sancte! imaginem Jesu vel in me non invenio vel adeo deformatam, ut vix discerni queat! Ipse summæ sanctitatis exemplar, omnium perfectionum cumulus cunctarumque virtutum centrum, singulæ ejus actiones perfectissimæ rectitudinis regulæ. Ego peccatorum sentina, tepiditatis imago & omnium cumulus miseriarum, ego ille a Joanne indicatus *miser, miserabilis, pauper, cæcus & nudus*, indiguus proinde, qui in regnum cœlorum admittar. Fac igitur, Pater pientissime! ut in viam sanctitatis regressus ferventer ac constanter incedam viamque mandatorum tuorum inoffenso pede percurram, Christi imitationi indesinenter incumbam, sicque, mi Pater! ad te valeam pervenire, atque in cælis, ubi singulari effusaque beneficentia regnas, in æternum collocari promerear, ut ibi a me incessanter,

Sanctificetur nomen tuum, quod est *laudabile & gloriosum & superexaltatum in secula: Nomen tuum*, Deus! qui es omnium *alpha & omega, principium & finis, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Sanctificetur* itaque *nomen tuum:* sanctificetur ab omnibus rationis usu donatis: sanctificetur attenta mente & puro corde, opere & lingua, corpore & spiritu. Eja, Pater sanctissime! *sanctificetur nomen tuum* præcipue a me, qui toties illud inhonoravi, qui ejus gloriam (prout tenebar) non quæsivi, qui debitam eidem reverentiam non rependi. *Sanctificetur* a me per inviolabilem mandatorum tuorum obedientiam, per sollicitam instituti mei observantiam, per rectissimam cordis mei intentionem affectuumque meorum ad te semper tendentium perfectam conversionem. Et cur nomen tuum glorificare negligam, si infinita misericordia disposuisti, ut quidquid ad gloriam tui nominis agerem, in meam quoque gloriam redundaret æternam, & quo magis ad tuam promovendam inardescerem, meam pariter magis augerem? Itaque voluisti, ut rem tuam gerentes æque nostram ageremus, immo nonnisi nostram agentes tuam perficere valeremus, & quo magis terrenam gloriam contemnere niteremur, eo magis gloria tua, quæ vera gloria est, locupletaremur. Oh miram Patris nostri benignitatem! Nonne *tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi?* Si ergo tua tibique innumerabilibus titulis debita; cur ea tam large remuneraris? O bonitatem! O clementiam! O dilectionem! *Recordatus es, quoniam pulvis sumus* atque in bonum nostrum maxime propensi: Ne igitur a procuranda gloria tua & debito nostro adimplendo averteremur, infinita charitas tua ita utrumque composuit, ut non nisi tuam quærendo gloriam salutem nostram consequeremur, & quanto magis ob tui nominis gloriam despiceremus hominum famam, tanto magis gloria tua cumulari mereamur, & ita sanctificando nomini tuo toti addiceremur, ut inde nobis

Adveniat regnum tuum. Ita, Pater! nobis adveniat regnum tuum quod est *regnum omnium seculorum;* regnum, in quo cuncta quæ optare possumus, reperiuntur; regnum omnium bonorum aggregatione perfectum; regnum Electis tuis ab æterno constitutum, ubi te infinitum lumen absque velamine manifestas, ubi te fruendum absque interruptione concedis; regnum, in quo Jesu Christi amabilissima præsentia perenniter jucundabimur, ubi Mariæ suavissimo aspectu perfruemur, ubi cunctorum Electorum æterna conversatione lætabimur; regnum, de quo *gloriosa dicta sunt*, quæ tamen in cor hominis viatoris ascendere non possunt. Cum autem ut tuum in me regnum adveniat, necesse sit ut alterum regnum tuum hic interim quæram, regnum scilicet gratiæ tuæ, quæ mei penitus dominetur, da, quæso Pater dilectissime! ut hoc mihi regnum adveniat, si forte mihi deesset: illudque immobi-

immobiliter confirma & adauge, si mihi jam insit. At cum utriusque acquisitio regni vim patiatur & violenti rapiant illud, fac, Pater sancte! ut mihimetipsi vim inferam in coercendis, abdicandis rejiciendisque omnibus: quæ quovis modo regni tui assecutionem prohibere possent, omnemque sollicitudinem & studium impendam in acquirendis virtutibus, quas postulat status institutique a me assumpti perfectio. Hinc gratiæ tuæ regnum inexpugnabilibus augeatur præsidiis regnumque gloriæ tuæ celerius & exuberantius adveniat; quod utique adveniet, si a me

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra: Et quemadmodum in cœlis integre, lætanter & jugiter voluntas tua sanctissima impletur; ita ad amussim a me impleatur in terra. Integre; ut nihil eorum, quæ tibi displicent, admittam: quæ autem tibi placita sunt, incunctanter amplectar eoque avidius, quo tibi gratiora esse compererim. Lætanter; *hilarem enim datorem* diligis: Præsta igitur, sancte Pater! ut mente firma, spiritu prompto animoque volente tibi gratificer. Jugiter demum; ut nulla oblectatione nullaque vi a beneplacito tuo perficiendo dimovear: *Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia* separare me valeat vel modicum retardare a voluntate tua sanctissima adimplenda. Quid enim justius, quam in omnibus & per omnia voluntati me tuæ conformare, quæ omnipotens est in virtute, infallibilis in efficacitate, sapientissima in dispositione, justissima in fine, quem respicit, suavissima in modo, quem adhibet? Cum igitur nemo sit, *qui possit resistere voluntati tuæ* ipsaque non nisi quod sanctum est, noverit velle; cur insipiens ego irrito plane conatu magnaque animæ pernicie declinare tentabo, quæ tu, Pater! circa me fieri voluisti; & cur æquo animo ea non amplectar, quæ etiam reluctante me infallibiliter sunt eventura? Cur filiali promptitudine tibi non obsequar in omnibus iis, quæ sanctissima voluntate tua mihi agenda proponis & quæ (nisi deficiam in via) tibi Deo me clarum, Sanctis tuis acceptum, hominibus venerandum, dæmonibus formidolosum, immaculatum in via, beatum in patria sunt reddittura. Fiat igitur, Pater sanctissime! fiat in me jugiter, amanter, lætanter, integre voluntas tua, sicut in cælo fit a Cælitibus.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; primo supersubstantialem, videlicet carnem Servatoris mei Jesu Christi, quam mihi quotidie sumendam ineffabili charitate tribuisti: Da mihi, Pater! panem illum vere divinum & supersubstantialem ita comedere, ut spiritualiter reficiar & enutriar atque in fortitudine cibi istius perveniam ad montem Dei: Quamobrem fac, Pater piissime! ut ipsi semper adhæream per ardentissimum charitatis affectum, semper in eo maneam & ipse in me, illi unice vivam & mystice in illum transmuter, demum per ipsum ad vitam perveniam sempiternam. Da quoque, dulcissime Pater! panem quotidianum victui meo necessarium, remove superflua & quæcunque tepescendi in amore tuo aditum aperire quoquo modo possent, necessariis autem ut ita utar tanquam non utens; *præterit enim figura hujus mundi,* nulla illorum sollicitudine tangar, immo omnibus abrenuntiem, si ita sit placitum ante te: *Quid enim volui super terram, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum?* Da igitur, si tibi placet, mihi hodie necessaria: Et si omnibus persuades, ne de crastino cogitent; nonne maxime dedeceret me solenni paupertatis voto obstrictum atque aliorum curis alendum pro crastino esse victu sollicitum? Quandoquidem si das *escam omni carni & aperiendo manum tuam imples omne animal benedictione*, & ne unus quidem *passer est in oblivione coram te!* deeritne providentia tua illio in te confidenti, quique omnibus renunciatis se totum tibi devovit? Da igitur panem hodie & quantitate & qualitate, qua ceteri aluntur pauperes, nec quidquam peculiare requiram; immo eorum, quæ mihi dantur, pauperes participes faciam: Et utinam a sapidioribus abstineam!

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si *in multis offendimus omnes*, certe ego in plurimis: si omnibus supplicandum est, ut eorum peccata dimittas, mihi profecto de profundis clamandum, ut deleas iniquitates meas. Dimitte igitur, Pater mi! debita mea, de quibus doleo ex toto corde propter te super omnia dilectum, quæque super mala omnia detestor; nam *tibi soli peccavi* summo bono, Patri dulcissimo, Deoque optimo maximo, & *malum coram te feci.* Heu! cur non potius ante consumptus & morte vel acerbissima abreptus sum, quam talia pepetrarem! Cum autem sanctissime statueris, neminem esse delictorum suorum veniam impetraturum, nisi de corde suo remiserit debita fratribus suis; tametsi nihil mihi in hoc conscius sim, profiteor, me omnes ut vere fratres amplecti, eundemque animum & dilectionem erga eos me habere expeto, qualem ut tu, Deus meus! erga me habeas, efflagito. Et tum in ceteris tum in hoc omnium gravissimo charitatis præcepto

Ne nos inducas in tentationem: Jam certus sum, fidelissime Pater! quod nunquam permittas nos tentari supra id, quod possumus; immo quod facias *cum tentatione proventum.* Concede itaque, ut ego, declinans mortem animæ ascendentem per fenestras, sensus meos ita coerceam, ut sedula vigilantia a quacunque peccandi occasione eosdem avertam. Et si aliqua tentatione me vexari permiseris, *non ego sed gratia* tua *mecum* victrix evadat; ut & ego canere possim: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera*

Domi-

Domini fecit virtutem, & usque ad mortem pro justitia certando coronari merear in sempiternum.

Libera igitur *nos a malo*, primo quidem cujuslibet culpæ mortalis, deinde & omnium venialium (quoad humanæ fragilitati permittitur) proindeque a malo tum æternorum suppliciorum tum etiam pœnarum in altera vita purgantium, quas (si tibi placet) in alias commuta auxilio gratiæ tuæ in hac vita sustinendas; ut in hora exitus mei magis expeditus inveniar ad æternam gloriam consequendam, ubi laudes una cum omnibus Electis tuis tibi persolvam in secula seculorum, Amen.



SERMO LI.

De secundo Decalogi præcepto: NON ASSUMES NOMEN DOMINI TUI IN VANUM. De non jurando in vanum.

POst primum præceptum, in quo injungitur, ut Deum honoremus, quam convenientissime secundum ponitur, in quo prohibetur, ne eundem inhonoremus, maxime abutendo in vanum sanctissimo & adorandissimo illius nomine: *Non assumes nomen Dei tui in vanum; nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra:* quibus verbis pœna indicatur a Deo nomine suo, maxime per perjuria, abuti ausuris infligenda.

Est itaque juramentum invocatio Dei in testem rei alicujus gestæ vel gerendæ. At magis placet definitio S. Antonini, quippe quæ solitos jurandi modos omnes tacite complectitur: Ait ergo (a) *Juramentum est affirmatio vel negatio de aliquo, scilicet de facto vel faciendo, sacræ rei attestatione firmata.* His verbis primo S. Doctor cum Theologis omnibus duplex denotat juramentum, assertorium & promissorium. Assertorium est, quod asserit, hoc se ita habere vel non habere, v. g. Juro, hoc mihi deberi vel non deberi. Promissorium est, quod promittit, hoc fore vel non fore, v. g. Juro, me hoc soluturum vel non soluturum. Ostendit præterea S. Doctor, juramentum fieri non solum invocando sanctum nomen Dei aut Christi, sed etiam invocando quamvis aliam rem, in qua Majestas divina distincte apparet, aut invocando rem aliquam creatam, at hanc tanquam creaturam Dei. Ecce! Exempla juramentorum, in quibus Deus testis appellatur: *Per Deum, per Christum, per SS. Evangelia, per Crucem* & alias res spectantes ad Deum sive Christum: ita etiam *per Baptismum* aut aliud Sacramentum, *per veritatem Dei, per vitam Dei*, videlicet *Vivat Deus, Quam verax est Deus, Deum testor, coram Deo dico &c.* Res creatæ deinde, in quibus Majestas divina peculiariter resplendet, sunt Virgo sacratissima & Sancti Dei omnes, in quibus tacite Deus invocatur: Et si juramentum falsum editur, præter injuriam quæ Deo fit, etiam Virgo sanctissima aut Sanctus ille gravi injuria læditur; dum testis falsi vocatur, habetque perjurium tale duplicem malitiæ speciem: unam contra Deum, alteram contra Virginem Deiparam aut Sanctum: unam adversus virtutem latriæ, quæ ad Deum pertinet, alteram adversus virtutem hyperduliæ, quæ ad Virginem, aut duliæ, quæ ad Sanctos spectat. Reliquæ creaturæ, in quibus Majestas Dei maxime apparet, sunt Anima, Cœli, Elementa: Hinc si quis dicit: *per animam meam, per hoc cœlum Dei, per hanc aquam Dei, per hunc ignem Dei*, & (paucis) si quis alia creatura ad juramentum utitur, maxime si addit vocem: *Dei*, v. g. *per hunc panem Dei, per hoc vinum Dei, per hanc vel illam rem Dei*, jurat; cum Deum in illa re, tanquam re a Deo condita, invocet. Ast quid de illa nostris in oris maxime

(a) P. 2. tit. 10. c. 5.

me usitata loquendi formula sentiendum videlicet: *In animam meam*? Num ista formula juramentum constituit, nec ne? Repono: illam, si trutina theologica pensitetur, constituere juramentum; quod idem sonare videatur ac *per Animam meam*: verum siquis hanc formulam proferens nil aliud intendit quam dicere: *quantum in anima mea sentio*, quod idem est ac dicere: *quantum in conscientia mea sentio*, talis mea sententia non facit juramentum, quod tamen facit dicens: *per Animam meam*, In hoc sensu Apostolus dixit (b) *Deum invoco in animam meam*: atque isto in loco monere vos debeo, quod siquis juramentum facere intendit, quocunque modo aut quacunque formula id faciat, semper juramentum fit; cum ubi facere juramentum semel intenderit, in ejus arbitrio sit, illud, quomodo vult, facere.

Est & aliud juramenti genus, quod execratorium seu imprecatorium dicitur, quo (uti ait S. Thomas) Deum testem simul ac judicem invocamus, ita ut ille, si verum non sit, quod affirmamus, aut si non faciamus, quæ facturos nos affirmamus, gravi pæna sive in nos sive in alios animadvertat, v. g. si quis dicat: *Deus vita me privet, Deus me puniat, Deus non me adjuvet! Deus non faciat percipere me gaudium ex liberis! si res ita non est*, aut *si hoc non fecero*, & similia, quibus malum sive nobis sive aliis imprecamur: atque in his juramentis mentiri non solum debitam Deo reverentiam graviter lædit virtutique religionis adversatur, sed etiam charitati christianæ nobis & aliis, quibus male precamur, debitæ vehementer repugnat: *Deus manifestat verum*, ait S. Thomas (c) . . . *alio modo per pœnam mentientis*, *& tunc est judex simul & testis* . . . *Et ideo* . . . *alius est jurandi modus per execrationem*, *dum scilicet aliquis se vel aliquid ad se pertinens ad pœnam obligat*, *nisi sit verum*, *quod dicit*.

Quid igitur requiritur eo, ut jurare non sit peccatum? Requiruntur tria: videlicet, ut juramentum fiat in veritate, in justitia & judicio. Singula ex ordine pandamus. Ad juramentum inevitabiliter requiritur veritas, scilicet ut verum sit, quod affirmatur, vel negatur, aut (si aliquid faciendum promittitur (ut quis habeat veram illud faciendi voluntatem: nam si juramento veritas defuerit, semper est peccatum mortale. Qua in re permulti se ipsos decipiunt cogitantes, juramentum falso factum, si veritas exigui aut nullius momenti sit, non esse peccatum mortale. Falluntur hi magnopere; cum tale juramentum semper sit peccatum mortale, tametsi falsum juramento firmatum nullius ponderis sit. Hinc si quis dicat, v. g. se merendam sumpsisse: quam non sumpsit: aut vidisse se volantem per aera quandam volucrem, quam non vidit, peccat mortaliter; cum semper gravis Deo injuria accedat, si falsæ rei testis invocatur, utut illa res exiguissima sit. Ob eam causam doctrina contrarium affirmans & contendens: falsum in materia levi non esse peccatum mortale; ab Ecclesia proscripta fuit. (d) Peccat præterea mortaliter non solum, qui falsum scienter juramento confirmat, sed etiam qui sine debita consideratione jurat credens, verum esse, quod jurejurando comprobat; cum falsum sit: aut falsum credens, quod verum est. Etenim nunquam jurandum est, nisi certitudo firmandæ juramento rei habeatur; nec sufficit eam sine gravibus caussis pro certâ credere. Ita S. Augustinus, cui Theologi omnes concinunt (e) *Homines falsum jurant, vel cum fallunt vel cum falluntur: Aut enim putat homo, verum esse quod falsum est, & temere jurat; Aut scit aut putat falsum esse, & tamen pro vero jurat, & nihilominus cum scelere jurat:* Nunquam itaque juramento assertorio utendum, nisi prudens & moralis certitudo adsit, rem sic esse, uti juratur. Similiter nefas jurare cum restrictione mentali, e. g. si ex aliquo quæras, utrum hoc habeat, & ille juret, se id non habere, cogitans secum, se id non habere in tergo, cum tamen domi habeat. Hoc verum mendacium est, & qui sic jurat, perjurii se reum facit: Ita definivit S. Sedes, Innocentio XI. *propositiones 26. 27.* &

(b) *2. Corinth. 1.* (c) *2. 2. q. 89. a. 1. ad 3.* (d) *Prop. 24. damn. ab Innoc. IX.* (e) *Serm. 180.*

& 28. contrariam sententiam propugnantes condemnante. Sed nec verbis ambiguis, in sensu minus usitato intellectis, jurare licet, e. g. siquis interrogatus, utrum habeat canes, juraret se nullos habere, intelligens non de canibus quadrupedibus, sed de canibus marinis. Hic talis perjurium admittit, cum animus fallendi & non respondendi ad mentem interrogantis in eo manifeste appareat. Hinc S. Augustinus ait (f) *Non secundum verba jurantis, sed secundum exspectationem illius, cui juratur, quam novit ille, qui jurat, fidem jurationis impleri.* Et S. Thomas (g) *Quando non est eadem jurantis intentio & ejus, cui jurat; si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum ejus, cui juramentum præstatur: si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem jurantis; Unde S. Gregor. libr. 21. Moral. c. 7. ait: Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant: divina vero judicia talia & audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Apud homines cor ex verbis, apud Deum vero verba pensantur ex corde.*

Est aliud juramenti genus, quod promissorium dicitur, quo quis jurat, velle se facere hanc vel illam rem. In hoc juramenti genere variis modis mortaliter peccatur; primo siquis jurans, velle se hoc facere, non habet voluntatem faciendi, & in hoc consistit perjurium assertorium: secundo si quis jurat se facturum aliquid, quod non est in sua potestate, & hinc probabiliter futurum non est, v. g. Juro me tibi soluturum debitam pecuniam omnem crastina die; cum sciam me non habiturum, unde exsolvam; aut etiam, si habens non exsolvo: Aliud esset, si habenti, unde solverem, pecunia inopinato furto auferretur; & tunc perjurium non admitterem. Ita S. Thomas: *Quicunque jurat aliquid se facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc quod veritas impleatur . . . si est talis res, quæ in ejus potestate non fuit, deest juramento discretionis judicium, nisi forte quod erat ei possibile, quando juravit, reddatur ei impossibile per aliquem eventum: puta cum aliquis jurat, se pecuniam soluturum, quæ ei postmodum vi vel furto subtrahitur; tunc enim videtur excusatus a faciendo, quod juravit, licet teneatur facere, quod in se est.*

Dicet aliquis: Pater! si talis non solveret omne debitum, sed exiguam illius partem insolutam relinqueret, an reus perjurii foret? Ego cum multis Theologis sic existimo: hunc non quidem grave attamen veniale perjurium admittere; Ratio hæc est: Veritas promissa est veritas exequibilis & divisibilis; nam veritas hujus juramenti promissorii vertitur in exsecutione solutionis, quæ solutio in plures partes divisibilis est: unde si solum exiguam partem insolutam relinquit, non videtur esse materia perjurii gravis; cum talis jam quasi totum residuum impleverit. Aliter sentiendum, si materia levis tota juramenti materia est, v. g. Debeo tibi dare tres solidos: & juro me tibi illos cras daturum: si possum dare, nec do, ex multorum Theologorum sententia graviter perjurus sum; quia tunc juramento assertorio omnis veritas, quæ ceteroquin ad juramentum requiritur, decedit. Et ad hanc sententiam accedere propius videtur S. Thomas, qui constanter affirmat, esse peccatum mortale, quando *juramento promissorio veritas deest.* (h) At in hoc posteriori casu veritas ex toto deesset; dum contra in priori tantum ex parte levissima deesse videtur.

Secunda, ad quodvis juramentum requisita conditio, est justitia: scilicet ut de rebus bonis, nunquam de illicitis juretur. Et quoniam hoc utplurimum in juramento promissorio accidere solet; ob id mortaliter perjurat, qui jurat se facturum rem graviter peccaminosam, v. g. *Juro per Deum, me hunc fuste mulctaturum: Juro per Deum, me huic non soluturum, Moriar, si ei solvero,* & quæ sunt res similes illicitæ. Ratio est; quia Deus in testem vocatur rei alicujus, qua graviter læditur. Utrum vero mortaliter quoque peccet is, qui jurat facturum se rem venialiter peccaminosam, non cosentiunt Theologi

(f) Epist. 125. (g) 2. 2. q. 89. a. 7. (h) 2. 2. q. 89. a. 7.

logi: Permulti cum Card. Cajetano id negant affirmantes, juramentum hujusmodi tantum veniale esse; quia Deo haud gravis jnjuria accedit, si testis faciendæ actionis venialiter peccaminosæ appellatur: Quisquis igitur hoc persuasum sibi habet, venialiter tantum peccat. At illi, qui cum aliis Doctoribus aliter sentiunt, graviter peccant, cum persuadere sibi nequeant, haud grave esse erga divinam Majestatem irreverentiæ genus Deum vocare testem faciendæ rei alicujus, qua ille (utut venialiter) offendatur: nec etiam credant, levem Regi injuriam a subdito fieri, qui eundem testem appellaret faciendæ rei alicujus: qua lex Principis vel imperans vel prohibens leviter violaretur.

Jurans se admissurum peccatum aliquod sive grave sive leve, absit! ut credat se ad illud patrandum obligari, immo abstinere ab illo debet; quia juramentum nunquam obligat ad patranda ea, quæ Deo displicent: Et si juramentum suum implet, novum peccatum sive mortale sive veniale addit peccato illi, quod jurando de malo patrando commisit. Igitur juramentum, quando ex illius impletione malum aliquod oriturum est, non observandum est, nec ob id perjurus eris: *Si aliquid forte* (i) *incautius nos jurasse contigerit, quod observatum pejorem vergat in exitum, illud consilio salubriore mutandum noverimus.* Hinc non solum, qui facturum se aliquod peccatum vel mortale vel veniale juravit; sed etiam iis, qui se pium aut aliud *de consilio* opus non facturum (v. g. non se stipe adjuturum hanc vel illam inopem familiam) juravit, juramentum suum exsequi non debet, nisi forte ob alias circumstantias magis expediat stipe illam familiam non juvare, quam juvare. Qui se statum religiosum non amplexurum juravit, potest illum amplecti, si se vere eo a Deo vocari sentit, ut ad religionem disciplinæ regularis observantia morumque integritate in Fidelium ædificationem bene constitutam nomen det: sic etiam in aliis similibus casibus. Unde S. Thomas (k) *Juramentum non est servandum in eo casu, quo est peccatum vel boni impedimentum.* Et iterum: *Ille qui jurat, se non intraturum Religionem vel non daturum eleemosynam vel aliquid hujusmodi, jurando perjurium incurrit propter defectum judicii: & ideo, quando facit, quod melius est, non est perjurium sed perjurio contrarium; contrarium enim ejus, quod facit, sub juramento cadere non poterat.*

Hinc advertite tertiam ad juramentum necessariam conditionem, quæ est Judicium: videlicet prudentia & circumspectio, ut juretur ob necessitatem jurandi. Quid ergo erit de illo, qui absque ulla necessitate jurat? Respondeo cum Theologis omnibus: eum, si in veritate aut de facienda re honesta jurat, mortaliter non peccare: Id quod tamen ex vero solum de illo dicitur, qui jurandi consuetudinem non habet & qui sine necessitate raro jurat, attamen in veritate aut de re non mala. Ast qui habet consuetudinem sæpius per diem jurandi (Uti permultos non sine gravi piorum Christianorum horrore atque offensione tota die audire est, qui continuo sine ulla recogitatione per Deum, per Christum, per sancta Evangelia, per Crucem, per Mariam, per Sanctos & modis aliis superius allatis, etiam imprecatoriis, jurant) quoties jurat, toties mortaliter peccat. Ex quo sequitur, multos Christianorum unius diei spatio facile centies in hac materia peccare; quia facile centies una die jurant. Ratio evidens est; quia jurant, quin prius recogitent, verane an falsa jurent, an de licitis vel illicitis rebus jurent. Et ecce! quoties sine prævia hac recogitatione jurant, toties perjurant; quia jurant, quin considerent, verane an falsa, licitane an illicita jurent. At, inquies, Pater! Ob hoc ipsum, quia ex mera consuetudine & non advertentes jurant, excusari a peccato mortali videntur. Verum ego sententiam S. Thomæ sequens affirmo: Ob hoc ipsum, quia ex consuetudine & non advertentes jurant, eos gravius peccare; nam cum sub gravi peccato ad exuendam hanc peccaminosam

(i) *Can.* Si aliquid, *causs.* 22. *q.* 4.

(k) 2. 2. *q.* 89. *a.* 7.

nosam consuetudinem teneantur, & ipsi hanc exuere nihil studeant, en! omnia eorum juramenta voluntaria sunt in caussa volita, videlicet in consuetudine; quia non solum hanc destruere non satagunt, sed etiam magis ac magis confirmant atque corroborant. Hinc S. Thomas (l) *Quando homo peccat ex habitu vitioso, necesse est quod ex certa malitia peccet; quia cuique, habenti habitum, est per se diligibile id, quod est ei conveniens secundum proprium habitum; quia sic fit ei quodammodo naturale, secundum quod consuetudo & habitus vertitur in naturam: Hoc autem quod est alicui conveniens secundum habitum vitiosum, est id, quod excludit bonum spirituale, ut adipiscatur bonum, quod est ei secundum habitum conveniens, & hoc est ex certa malitia peccare: Unde manifestum est, quod, quicunque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia.*

Atque ex his apparet, quam longe a mente S. Doctoris aberrent ii confessariorum, qui vel ex toto vel ex parte peccatores, absque ulla reflexione perjurando, peccantes excusant propter vim pravi habitus vitiose contracti; nam cum habitum hunc multis actibus vitiosis voluntarie positis contraxerint, voluntarie generarunt caussam hujus, in jurando sine reflexione ulla, facilitatis; atque ob id omnia illa non advertenter facta juramenta non possunt non esse voluntaria & peccaminosa in caussa voluntarie generata. Apparet hoc manifeste ex argumento firmissimo *a contrario* seu (Ut dici solet) *ab opposito* sumpto. Attendite! Ponamus, Christianum aliquem per continuum exercitium sic sibi familiarem reddidisse virtutem charitatis theologicæ erga Deum, ut in actus amoris etiam non cogitans prorumpat; hem! quis est, qui dicat: hunc Christianum multis illis amoris actibus, quos non advertens exercet, nihil promereri, nec actus illos esse veros actus charitatis? Cur veri non sint, respondebitis: Quin immo sunt fructus arboris, quam talis per continuum voluntarium charitatis exercitium plantaxit atque excoluit, manifestantes, charitatem animæ illius penitus potitam esse: Hinc opus est dicere, quod actus isti maxime voluntarii sint in radice sua voluntarie exculta, & quod talis his actibus magnam voluptatem Deo creet multaque sibi merita paret, & quod verum sit dogma S. Thomæ: operantem ex habitu operari ex plena voluntate; quippe quæ in caussa voluntarie posita remansit. Quod si autem hoc vere dicitur de eo, qui ex habitu bene & pie operatur, cur non idem vere dicatur de eo, qui ex habitu male operatur? Manet ergo firmissimum, quod, qui *peccat ex habitu, peccet ex certa malitia.*

Aliter sentiendum, O mei! de peccatore habituato, qui de vitioso habitu ex animo dolens & emendare se paratus iis, quibus potest & quos doctus ac pius confessarius suggerit, modis eradicare malam consuetudinem re vera studet; & tamen in actus pravi habitus v. g. in falsum juramentum quandoque erumpit. Tunc etenim asseri potest, juramenta ista materialia esse & non peccaminosa; quia non voluntaria sunt. Quare hoc? Quia, dum pravam consuetudinem ex animo detestatus est & ad illam exterminandam omnibus, quibus potest, remediis utitur, ecce! habitus non jam tanquam voluntarius remanet, quippe (Ut par est) retractatus: Verum quoniam habitus utplurimum non statim ex toto destruitur, quandoque inadvertenter in suos malos actus erumpit; qui tamen actus cum per diligentiam ab Habituato ad consuetudinem depellendam adhiberi solitam indies pauciores fiunt, hinc is brevi temporis spatio consequitur, ut in falsa juramenta haud amplius erumpat. Unde falsa juramenta, quæ huic tali post seriam detestationem & adhibitam diligentiam casu excidunt, jure merito non-voluntaria dicuntur; quippe jam non-voluntaria in caussa sua, quæ est malus habitus, quem homo serio est execratus & quem destruere efficaciter studet.

Dicet aliquis Habituatorum, qui tota die juramenta vomunt: Ego falsum consulto nunquam juro &, quamvis centies per diem jurem, semper tamen verum juro. Hæc objectio tua, O chare! æque falsa est,

(l) *1. 2. q. 78. a. 2.*

ac falsum est, te semper verum jurare. Oh! quomodo moraliter possibile est, hominem tota die jurare assuetum semper recogitare, ut verum juret? . . . Jam supra te monui, non sufficere, ut aliquomodo credas vera esse, quæ jures; sed enim certum te esse debere de veritate dictorum tuorum. Et quomodo fieri poterit, ut hanc certitudinem centum & mille vicibus habeas, quibus juras & confabulans & nugas agens & promittens & contrahens & alia faciens, in quibus jugiter ore versas vel *τὸ per Deum* vel *per SS. Evangelia* &c.? An cogitatis, O mei! quod in homine, qui mortaliter peccare parum aut nihil curat, talis attentio inesse possit: attentio, quæ utique longe aliam, & a peccato gravi quovis abhorrentem conscientiam proderet: quam inesse homini hujus generis ex vero affirmari nequit. Hinc Auctores communiter asserunt, talem semper tanquam perjurum peccare ob occasionem proximam perjurandi, in qua continuo versatur. Sed ponamus vera esse, quæ impossibilia ante videbantur: scilicet talem Habituatum certum esse, quod semper verum dicat. Nunquid fieri poterit, ut gravis in infinitam Dei majestatem injuria non fit, hunc talem tremendum Dei nomen in quovis loco, quovis tempore, in actione quavis ac qualibet vice usurpare & vendentem & ementem & confabulantem, adeo ut *τὸ per Deum, per Christum, per SS. Evangelia* aliasque similes formulas continuo effutiat & in officina & domi & in compitis & ludens & narrans, jugiterque ex ore ejus illæ voces resonent: *Per Deum sic* est; *Per Deum non sic*; *Per Deum hoc*; *Per Deum illud*. Fierine poterit, inquam, ut hæc jurandi ratio divinæ Majestati magnopere injuriosa non sit? Respondete, si quid habetis, huic argumento! Quod si lubet, ponite quenquam vestrum per nomen serenissimi Ducis nostri tam frequenter jurare consuescere, ac per Dei sanctissimum nomen jurari solet, ita ut talis ad singula verba, ad singulas actiones & privatim & publice nil aliud diceret, quam *per Ducem ita*: *per Ducem non*, & sic serenissimi Ducis nomen per modum juramenti ubivis locorum personaret: Creditisne, O mei! zelum publicum tanto sacrati nominis abusui non obstiturum esse? Creditisne, juratorem hunc, Ducis dignitatem & domi & in taberna & contrahendo & vendendo & affirmando & negando & confabulando usurpantem perpetuoque vociferantem: *Per Ducem ita*: *Per Ducem non*: *Per Ducem hoc*: *Per Ducem illud*, impunitum abiturum fore? Quid? supremam Ducis serenissimi personam sic deprimere, sic dignitatem omnium, quibus respublica Veneta gloriatur, summam extenuare? Merito nos omnes & nobiscum Viros prudentes omnes dicturos puto, hunc talem ob adeo enormem Principis sui contemptum oppido severas pœnas mereri. Jam vero, O mei! etsi persona ac nomen Ducis nostri serenissimi & cujusvis alterius principis æstimari permagni debeat, tamen facile vos concessuros esse arbitror, infinito majorem majestatis immensæ Dei nostri existimationem haberi debere; Quod si autem modis memoratis abuti ducis nomine pro notabili despectu ac detestanda majestatis ducalis extenuatione, idque jure meritissimo, habuistis; nunquid enormis quidam contemptus & gravis infinitæ Majestatis divinæ extenuatio erit, modis dictis venerando illius nomine uti? At ponite, hunc talem insolentiam suam purgare dicendo: Semper in veritate iuro. Parum hoc refert, diceremus puto; Quamvis oppido in veritate jures, ob id dignitatis ducalis contemptus atque neglectio esse non desinit, si ex impudenti ore tuo nomen illius in quovis angulo, quovis tempore ac loco quovis audiatur. Et diceremus bene: At cur non idipsum de tremendo & sacrosancto Dei nomine dicamus, dum formulæ illæ *Per Deum ita, per Deum non, per Deum hoc, per Deum illud, per Deum, per Christum, per SS. Evangelia, per Crucem, per Mariam, per Sanctos, per creaturas Dei &c.* ad singula verba, quovis tempore ac loco proferuntur? Hoc itaque quidam enormis abusus & indignissima agendi ratio versus divi-

divinam Majestatem esse planissime debet; adeo, ut, quamvis semper (Quod moraliter impossibile esse, superius monui) in veritate juretur, tamen abusus hic culpa gravis & gravis erga infinitam majestatem Dei injuria non esse non possit, tum ob contumeliam, quæ Deo affertur: tum ob manifestum perjurandi periculum: tum ob contemptum, qui ostenditur, ipsius juramenti. Hinc Sylvius scriptor doctissimus ait (m) *Peccant bifariam, & ob irreverentiam divinæ Majestatis, & quia se conjiciunt in manifestum periculum tum perjurii tum contemptus religionis jurisjurandi.* Ante alios omnes autem dicta a me Spiritus sanctus: Doctor doctorum, isque falli nescius confirmat: *Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa* (n) Et iterum: *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis; quoniam non eris immunis ab eis.* Denique concludit: *Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo ejus plaga.*

Restat alius, quem pandam, error nonnullorum, etiam confessariorum, qui non erubescunt dicere: formulam *per Deum* esse *modum loquendi*, non juramentum; qui error tanto perniciosior, quanto a vero alienior est quantoque magis jurandi promovet facilitatem. Et sunt nonnulli, qui huic licentiæ pravo suo exemplo auctoritatem conciliant in erroris sui defensionem morem adducentes, qui in Siciliæ regno viget, ubi hæc verba non per modum juramenti sed per modum exclamationis, admirationis &c. proferri solent. Quidquid, O mei! in oris Siculis fieri soleat (Quod nescire me profiteor) hoc certum manet, verba ista nostris in oris non per modum exclamationis vel admirationis, sed per modum veri juramenti usurpari; cum nos exclamationem interponere volentes non *per Deum*, sed enim *O Deus! O Jesu* &c. dicamus: Et quando dicimus *per Deum*, semper hoc dicimus ad testificandum ea, quæ affirmamus vel negamus vel promittimus; Hinc dicimus: *Per Deum sic est, per Deum non sic est, per Deum hoc faciam, per Deum hoc facere nequeo* &c. prout quilibet videt, audit, scit. At hoc ipsum est verus & realis jurandi modus, non mera exclamatio: Unde re vera errat, qui contrarium dixerit, & istud docens reum se facit, qui Deo de sententia, sancto ejus nomini multum injuriosa, aliquando respondeat.

Dicet aliquis: Quid autem sentiendum de eo, qui vel hoc vel aliud juramentum solo ore pronunciat sine animo juramentum faciendi vel voluntate jurandi; Talis, etiamsi falsum & in mendacio juraret, cum solo ore non animo juret, haudquaquam perjurus esse videtur. Repono: sententiæ huic jam nullum locum esse, quippe quæ a S. Sede proscripta fuit; uti ex *propositione* 25. inter damnatas ab Innocentio XI. liquet, quæ habuit: *Cum caussa licitum est jurare sine animo jurandi.* Semper enim mendacium erit dicere: *Ego juro*, si animum jurandi non habeo, uti evidens est; quod si hoc facere nefas est accedente caussa honesta, multo magis nefas erit facere sine ulla caussa. Ex hoc consequitur, quod jurare sine animo faciendi juramentum, si falsum juratur, ex sententia omnium Theologorum peccatum mortale sit; cum gravis Deo accedere injuria ex eo debeat, quod etsi exterius solum, tamen falsi testis invocetur. Si autem quæras, utrum gravis quoque culpa sit jurare verum sine animo faciendi juramentum, repono: communiorem esse & rationi magis consentaneam opinionem, hunc non mortaliter sed tantum venialiter peccare; cum tali juramento nec Deo nec Proximo gravis injuria inferatur (Non hic de casibus contractuum & judicii legalis, quos excipi oportet, dico) Non Deo, qui quamvis exterius testis invocetur sine animo eum invocandi, tamen non in falsi sed in veri testem appellatur: Non Proximo, quippe de cujus damno hic non agitur. Concludamus ergo, nec istud perfugii genus (jurare videlicet sine animo faciendi juramentum) pessimam jurandi consuetudinem excusabilem reddere posse: consuetudinem, ex qua tot peccata oriuntur, & quæ innumeras pœnas

(m) 2. 2. q. 89. a. 3. n. 2. (n) Eccli. 23.

nas familiis perpetuas esse facit; cum fallere oraculum Spiritus sancti non possit: *Vir multum jurans implebitur iniquitate & non discedet a domo ejus plaga.*

Gravem hanc divini Numinis in juratores indignationem S. Joannes Chrysostomus, qui præ aliis SS. Patribus acerbius in hoc vitium invehitur, textu Prophetæ Zachariæ ostendit, desumpto ex versione LXX. Interpretum, quæ quantæ auctoritatis sit, omnis non plane rudis ex eo colligere poterit, quod eadem primis temporibus Ecclesia usa sit. Textus hic est (o) *Vidi & ecce! falx volans . . & dixi: Video falcem volantem longitudinis cubitorum viginti & latitudinis cubitorum decem. . . . Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egredietur super faciem omnis terræ; quia omnis . . . perjurus ex hoc cruciabitur, & educam illud, dicit Dominus Deus omnipotens, & ingredietur in domum . . . jurantis in nomine meo super mendacio, & requiescet in medio domus ejus, & consummabit eam & ligna ejus & lapides ejus.* Formidandum vaticinium! Falx horribilis! *His lectis*, ait Chrysostomus (p) *quærebamus, quare non juratum solum sed etiam ipsius domum dissolvit? Et hanc caussam esse dicebamus; quoniam gravissimorum pœnas peccatorum vult Deus continuas permanere, ut omnes posthæc corrigantur. Quoniam autem perjurum necesse est mortuum sepeliri, ob id ne cum ipso corpore & iniquitas consepeliatur, domum macerium fecit, ut prætereuntes cuncti ipsam cernentes & suffosionis caussam discentes peccati imitationem fugiant. Ego autem demonstro non unam aut duas aut tres domos juramentis destructas sed civitatem totam. . . Etenim Jerusalem . . . innumeris nascentibus bellis & multis ipsam incursantibus Barbaris, sic omnes illos derisit, & regione tota deleta nihil grave passa est. Veruntamen civitas Deo chara, tot elapsa periculis, in multis peccatis veniam assecuta, & quæ sola ex omnibus aliis captivitatem effugere potuit, semel, bis & sæpius solo juramento prostrata est.* Si autem, pergit, *tanta propter unum juramentum* a regibus Hierosolymitanis violatum *ira, tantum excidium, tanta captivitas fuit; quid congruum est nunc passuros jurantes post legem hoc facere prohibentem? Nec mihi jam aliquis consuetudinem prætendat; propter hoc enim indignor & irascor; quoniam consuetudinem vincere non possumus. Quam difficultatem in juramentis vitandis prætendere possumus, quem sudorem, quam artem, quod periculum? Exiguo tantum studio nobis opus est, & brevi nobis totum expeditum fuerit. Exurgens igitur e lecto & domum egrediens hanc legem repete:* Ego autem dico vobis non omnino jurare (q) *& erit idonea tibi disciplina verbum illud; nec enim multo labore opus est sed modica attentione.* Secus comprobabitur infallibile oraculum Spiritus sancti: *Vir multum jurans replebitur iniquitate & non discedet a domo ejus plaga.* Etenim, sic Chrysostomus & ego cum illo finio, *implacabilis est Deus contemptis juramentis.*



SER-

(o) *Zach. 5.* (p) *Hom. 15. ad Pop. Antioch. n. 2.* (q) *Matth. 5.*

SERMO LII.

De tertio Decalogi præcepto: MEMENTO, UT DIEM SABBATHI &c. De sanctificatione Sabbathi.

CUm Deus tria priora Decalogi præcepta, quibus iſtud vult, ut a nobis agnoſcatur, miro ordine collocarit; poſt primum, quo præcipue cultum internum per actus Fidei, Spei ac Charitatis mente atque animo ſibi exhibendum imponit, & poſt ſecundum præceptum, quo, quomodo loqui de divina Majeſtate debeamus ſancto ejus nomine non niſi debita cum reverentia & circumſpectione utentes, docet: jam per tertium præceptum cultum externum a nobis ſibi præſtandum injungere pergit. Et quoniam (Quod alio in loco monui) præcepta Decalogi omnia ipſo jure naturali nituntur; ob id certum manet, eodem jure maturæ injungi, ut deſtinetur aliquod certum tempus, quo ſub gravi obligatione etiam exterior cultus infinitæ Majeſtati Dei maximi per actiones noſtras reddatur: Non quod hoc modo tollatur e medio obligatio Deum etiam aliis temporibus colendi; cum nimis arcta ſint vincula, quibus Deo utpote creatori & conſervatori noſtro adſtringimur, nimiſque evidens ſit neceſſitas, qua ex cauſſis innumeris ad ipſum confugere, ipſum venerari atque invocare adigimur: ſed enim ut hac ratione Fideles cuncti illis determinatis temporibus in id conveniant atque conſpirent, ut publicis cultus actibus Deum honorent, eidemque imperatum iis diebus ſpeciale homagium dicant.

Hoc determinatum tempus erat in lege veteri dies hebdomadæ ſeptimus ſive ſabbathum ob cauſſas in ſacro textu allatas, quibus illi duræ cervicis populo inſignia beneficia a divina liberalitate conceſſa oſtendebantur & in memoriam revocabantur. Hoc præceptum quippe (Quantum ad ipſam diei deſtinationem attinet) cæremoniale, uti S. Thomas pro angelico docendi modo ſuo notat (a) in lege nova Chriſtianorum una cum reliquis præceptis cæremonialibus auctoritate Chriſti Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus collata antiquatum fuit, utpote qui loco diei ſeptimæ primam hebdomadæ diem, quam *Dominicam* ſcilicet *diem Domini* dicimus, deſtinarunt ob myſteria in illa die a Chriſto operata: tum glorioſiſſimæ reſurrectionis a mortuis, tum ſolennis adventus Spiritus ſancti in Apoſtolos & Eccleſiam univerſam in cænaculo Hieroſolymitano tunc temporis congregatam, tum poteſtatis ſolvendi & alligandi peccata Apoſtolis datæ, tum denique, ut omnis Chriſtianiſmum inter & Judaiſmum cæremoniarum concordia atque convenientia tolleretur; nam cum teſte S. Thoma omnia præcepta cæremonialia legis antiquæ figuræ quædam ac Symbola fuerint myſteriorum legis chriſtianæ: hæ figuræ per ipſam rerum figuratarum geſtionem atque impletionem abolitæ fuerunt. Ecce vobis cauſſas, ob quas hæc diei mutatio facta, allatas paucis a S. Leone Magno, qui harum primam aſſignat, quod in die Dominica mundi creatio inchoata fuerit (b) *Dominica dies tantis divinarum diſpoſitionum myſteriis eſt conſecrata, ut quidquid eſt a Domino inſignius conſtitutum, in hujus diei dignitate ſit geſtum: In hac mundus ſumpſit exordium: in hac per reſurrectionem Chriſti & mors interitum & vita accepit initium: in hac Apoſtoli a Domino prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam ſumunt & inferendum mundo univerſo Sacramentum regenerationis accipiunt: in hac, ſicut B. Joannes Evangeliſta teſtatur, congregatis in unum diſcipulis januis* clau-

P. Cuniliati Catechiſta. X x

(a) 2. 2. q. 122. a. 4. (b) *Epiſt.* 11. *ad Dioſcor. Alexandr.*

clausis, cum ad eos Dominus introisset, insufflavit & dixit: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: *in hac denique promissus a Domino Apostolis Spiritus sanctus advenit.*

Jam hæc Sabbathi in Dominicam translatio, teste S. Augustino (c) ab Apostolis introducta, una cum reliquis festis *de præcepto* a successoribus S. Petri, in quibus hujus Apostoli auctoritas (quod ad legislativam in universam Ecclesiam spectat potestatem) continua residet, institutis Christianos omnes obligat & duplex præceptum imponit: Prius præceptum prohibet opera servilia, posterius opera pietatis injungit; Ambo cultum divinum, tanquam finem, propositum sibi habent, Prohibitio operum servilium eo spectat, ut & animo otium & corpori levamentum detur, quo ad res divinas expeditiora & paratiora sint: Injunctio piorum operum eo pertinet, ut anima per eorundem exercitium cum Deo conjungatur. Et hæ obligationes sub peccato gravi stringunt; uti ex eo apparet, quod contraria doctrina in *propositione* 52. ab Innocentio XI. condemnata sit.

Primo itaque explicandum venit, quid per opera servilia, a quibus abstinere oportet, intelligatur? *Dicendum*, ait S. Thomas (d) *quod opera servilia mystice intelliguntur peccata. Sed ad literam opera servilia dicuntur, ad quorum exercitium servos deputatos habemus: in quibus debent artes mechanicæ dirigere, quæ a liberalibus distinguuntur.* Hæc est notio generalis, tradita a Doctore angelico, operum servilium per præceptum prohibitorum, videlicet quod sint opera propria artibus mechanicis. Et secundum hanc doctrinam Card. Cajetanus ait „ Sciendum „ alia esse opera servilia ex sua natura & „ hæc sunt propria servis, uti opera artium „ mechanicarum, agrestia, sutoria, fabrilia „ &c. Alia sunt ex sua natura liberalia „ & hæ pertinent ad artes, quas liberales „ dicimus: uti instrumenta musica pulsare, „ canere, disputare, scribere &c. Alia „ sunt liberis & servis communia, uti iter „ facere, movere se variis modis &c. Hæc „ inter solum priora diebus festis prohibita, „ reliqua licita sunt, atque ita licita sunt, „ ut etiam opera servilia, si servis & liberis communia evadunt, licita evadant; „ Evadunt autem communia duplici modo, „ primo ex caussa necessitatis, scilicet si ad „ salutem animi vel corporis proprii aut „ Proximi necessaria sunt; uti miscere „ medicamina, inservire ægris &c. Secundo ex caussa vitandi notabile damnum „ sive proprium sive alienum; uti fruges „ collectas in tuto reponere, ne grandine „ corrumpantur, aut imminenti hostium „ invasioni facultates suas subtrahere &c. „ quia quivis, sive servus sit sive liber, „ sui aliorumque incolumitati prospicere, „ & tum sua tum aliorum notabilia damna impedire debet. „ Hucusque doctissimus Cajetanus. Inter opera servilia vi specialis legis positivæ numerantur quoque 1. actiones judiciales fori; uti citare reos, examinare testes, instituere lites, exigere juramenta, producere instrumenta, exequi sententias &c. 2. Contractus venditionis, emptionis, locationis, permutationis, nisi vel consuetudo vel necessitas eis excusationem præstet. 3. Nundinæ & publicæ mercaturæ, nisi illas tolerata a Prælatis consuetudo innocuas reddat.

Observandum tamen, quinque caussas esse, ob quas opera servilia, ceteroquin prohibita, diebus festis facere licet: sunt hæ Necessitas, Pietas, Charitas, Consuetudo, Dispensatio. Discutiamus illas accuratius & exemplis illustremus. De necessitate ait (e) S. Antoninus consentiens S. Thomæ, „ Notandum, quod quædam sunt opera servilia, in quibus se exercendo diebus festivis . . . non violat festum . . . Et primo pro conservando personas vel res suas, „ puta faciendo foveas vel machinas & hujusmodi, vel portando res suas ad loca „ secura imminente bello, vel portando necessaria ad defensionem & hujusmodi: „ Item si jacentibus segetibus in agro vel fæ-

(c) *Epist. 54. ad Jan.* (d) *3. Sent. 37. q. 2. a. 5. ad 2.* (e) *Part. 2. tit. 9. c. 7. §. 5.*

„ fænis in pratis vel uvis in vineis immi- „ neat tempestas vel aliud periculum amis- „ sionis illarum rerum, liceret talia colli- „ gere & contutare: Idem de alia re, quæ „ destruitur, si in die festo circa eam ma- „ manualiter non operatur, ut extensio la- „ næ ad radios solis, quum hyeme appa- „ rent, vel prosecutio succensionis fornacis „ in lateribus, calce vel vitreis & hujus- „ modi: Item si carnifices & pincernæ præ- „ parantes victualia in Festis, ut in sequen- „ ti die vendant, si non poterant prius „ præparari vel præparata conservari, vi- „ dentur excusari a mortali: Item vectores „ mercium aut alimentorum aut persona- „ rum ad loca remota; cum alias non possent „ sine gravi incommodo transigere, cre- „ duntur excusari, si differre non possunt: „ Item qui compelluntur a Dominis justo „ metu ad laborandum . . . , quæ si non „ facerent, notabiliter damnificarentur in „ persona vel rebus: Excusari præterea vi- „ dentur patresfamilias tenuioris ordinis, „ qui nisi laborent, alere suos nequeunt; „ dummodo hoc sine scandalo & privatim „ & pro modo necessitatis fiat: Et hi om- „ nes Missam audire non omittant „. Huc- „ usque S. Antoninus ex sententia S. Tho- mæ. Quibus addiderim: etiam illos ser- vos excusari, qui, cum per dies feriales dominis suis laborare debeant, quia aliter non haberent, quo se suosque alerent; aliud tempus resarciendi vestimenta sua nancisci nequeunt, quam dies festos: Excusari hi (inquam) videntur, dummodo id sine scandalo faciant. Ita etiam uxor si viro ad laborem adigenti, quoniam si obsisteret, graves discordiæ, execrationes & blasphe- miæ sequerentur, si (inquam) ut tot pecca- ta præpediantur, obedit & laborat, excu- sari videtur: Idipsum de natis sentiendum. Nonnulli etiam Theologi sartores excusant, qui, nisi diebus festis laborent, perficere vestes ad præstitutum tempus vel nuptiarum vel exequiarum &c. non possunt: Et hoc ego quoque excusatum habere voluerim, si raro & (ut sic dicam) casu fiat: At jam non excusandum videtur, si hujus generis homines soleant promittere se vestes per- fecturos in hanc vel illam diem, & perfice- re nequeant, nisi diebus Festis laborent; cavere enim sibi, ne in hæc fidem suam dent, attendereque ad incidentia festa, & sic prospicere sibi, neque se in necessitatem laborandi diebus festis cæce & temere con- jicere debent. Atque ut de hac prima excu- sante causa scilicet necessitatis, quæ laborem diebus festis susceptum purgat, finiam, brevi- bus dixero: Quod necessitas aut propria aut aliena, aut spiritualis aut corporalis ex- cuset, quando opus sine gravi damno omit- ti vel differri nequit. Verum necessitas hæc certa esse debet; nam si solum necessitas dubia esset, peti licentia a Superiore ec- clesiastico, saltem a Parocho, debet. Immo etiamsi necessitas certa fuerit, tamen si opus servile fieri publice debet, ad evitanda scan- dala & murmurationes eadem licentia pe- tenda est.

Secunda caussa, quæ laborem excusat, est Pietas, scilicet ut opus ad Dei cultum fiat: Talia opera sunt ornare Ecclesias, va- sa sacra ac candelabra portare, & quæ sunt similes laboriosæ actiones, quæ ad cultum Dei proxime spectant, nec præveniri com- mode possunt. Ita sentit S. Thomas (f) *Sabbathis Sacerdotes Sabbathum violant* (id est corporaliter operantur) *& sine crimine; & sic etiam sacerdotes in Sabbatho conferentes arcam, non transgrediebantur præceptum de Sabbathi violatione.* Dixi: *si præveniri non possunt*; nam si opera hæc præveniri die- bus ferialibus possunt, eadem facere in die festo a culpa saltem veniali minime abest. Dixi præterea: *Si Dei cultum immediate vel proxime spectant*; nam ea opera, quæ ad Dei cultum remote solum attinent, facere diebus festis non licet (uti lapides in alta- ris constructionem advehere, eosdem cæ- dere &c.) etsi mere ad cultum Dei & sine lucro fierent.

Tertia caussa est Charitas sive erga se ipsum sive erga Proximum. Audiamus hac de re documentum (g) S. Thomæ „ Qui-

(f) 2. 2. q. 122. a. 4. (g) 2. 2. q. 122. a. 4.

„ libet, five fervus, five liber fit, tenetur „ in cafu neceffitatis non folum fibi fed „ etiam Proximo confulere, maxime in iis, „ quæ fpectant ad falutem corporalem, & „ deinde etiam in iis, quæ ad damnorum „ temporalium vitationem attinent: Hinc „ opus corporale, quod ad confervationem „ proprii vel alieni corporis fpectat, non ob- „ ftat obfervantiæ dierum feftorum, ficut „ nec labor ordinarius ad vitandum dam- „ num notabile bonorum externorum & „ temporalium. „ Unde quidquid facere pro fe licet, idem pro Proximo noftræ opis indigo facere licet. Quæritur circa hoc, utrum liceat cuidam laborare, e. g, confuere veftimenta vel aliud quid ex fola charitate (fcilicet animo faciendi eleemofynam per hujusmodi labores) & fine ullo lucro facere? Reponit S. Antoninus: *Diebus feftivis non tamen Dominicis vel folennioribus, licitum videtur laborare pro pauperibus, cum his tamen conditionibus, ut non dimittantur divina, id eft: auditio Miffæ; quod fiat eleemofynaliter & non propter lucrum: quod illi, pro quibus laboratur, indigeant.*

Quarta excufans cauffa eft Confeutudo; non abufus introductus fed Confuetudo tolerata ab Epifcopis & fine reprehenfione permiffa. Unde fi Confuetudo obtinuit, & nota eft Prælatis atque ab ipfis permiffa, facit illa, ut liceat hoc vel illud diebus feftis facere. Percipite, quid de hac Confuetudinis cauffa piiffimus & doctiffimus Gerfon dicat: *Obfervatio Sabbathi* (dierum feftorum) *quoad circumftantias temporis & modi & loci pro maxima parte relicta eft determinationi Prælatorum, quæ cognofcitur tum ex eorum inftitutis tum ex confuetudinibus per eos legitime toleratis.* Et fubdit: *De operibus fervilibus non exercendis diebus Dominicis & feftivis plus & frequenter determinat confuetudo loci & perfonarum a Prælatis tolerata, quam alia lex fcripta.* Denique ait: *Confuetudo exercendi opera fervilia (hæc ab iftis, hæc ab illis) in diebus feftivis tunc maxime dicenda effet corruptela, quando totaliter a fervitio Dei & a cultu feftorum & maxime ab auditu Miffæ revocaret; quando præterea hæc fervilia magis ex cupiditate, quam pia neceffitate rei publicæ pertractantur.* Hucusque celebratiffimus Joannes Gerfon.

Itaque Confuetudo facit, ut quædam opera fervilia (a Prælatis & iis, quorum effet illa impedire, fi vellent, filentio diffimulata) peccaminofa non fint. Verum quoniam in aliquibus locis nonnulla permiffa funt, quæ in aliis prohibita funt: & contra quæ in aliis permiffa funt, in aliis locis prohibita funt; ob id cavere fibi quivis debet, ne permiffionis limites excedat, five quoad fpeciem actionum five quoad tempus; nam alia folo mane, alia tota die licent ea tamen cum lege femper, ut ne auditio Miffæ intermittatur, nec novæ novarum actionum non permiffarum confuetudines inducantur: Etenim qui has introduceret, graviter peccaret.

Poftrema cauffa eft difpenfatio. Hæc refpectu totius Chriftianitatis a Pontifice, refpectu Diæcefium ab Epifcopis, & (fi adiri Epifcopus non poteft) refpectu parochianorum a Parocho conceditur: Et hi Difpenfantes omnes refpicere ad æquitatem petitionis, rerumque circumftantias, uti par eft, confiderare debent.

Interrogabit aliquis: Ergone laborare diebus feftivis extra cauffas a te, Pater! expofitas femper eft peccatum mortale? Refpondeo: femper effe peccatum mortale, fi labor excedit tempus, per quod ex veniali in mortale peccatum mutatur. At quantum temporis ftatuis, Pater! Opinio cum ratione magis congruens hæc effe mihi videtur: quod, fiquis plus una hora & fine ulla memoratarum legitimarum cauffarum laboret, mortaliter peccet: fi vero laborando horam non expleat, venialiter tantum delinquat. Etenim notabilitas temporis non refiduis horarum reliquarum fpatiis metiri, fed in fe ipfa confiderari debet, utrum nimirum res notabilis fit necne? At vero fpatium unius horæ, negari non poteft, quin tempus notabile fit, & notabilem præcepti labores inhibentis violationem efficiat.

Jam

Jam cum talis ſit Fidelium circa obſervationem dierum feſtorum (Quantum quidem ad omiſſionem operum ſervilium attinet) obligatio, heus! quid dicamus de illis, qui ut vel propriæ ſuperbiæ vel nocentis fœminæ vanitati ſatisfaciant, opifices (maxime ſartores) etiam minis adigunt, ut diebus feſtivis plurium horarum ſpatio, quandoque totam adeo diem, laboribus vacent: Certe hi rei ſunt omnium profanationum harum, quamvis opifices præceptum non violent, qui aliena violentia adacti, & quod ſibi grave damnum, verbera & ſimilia haud temere metuant, inviti ad laborandum accedunt? Quid de iis dicamus, qui diebus feſtis plures horas præparandis in diem ſequentem inſtrumentis conſecrant obtendentes, hunc eſſe artis vel opificii morem? Peccant haud dubie, ſi faciunt tum ipſi, tum alios facere ejusmodi apparatus jubent. Neque hæ ſunt conſuetudines illæ ab Eccleſia & ejus præſidibus toleratæ, quippe nec illis notæ: Et ſi forte non peccat miſer tyro, qui metuens ne dimittatur vel quod alium ſibi herum invenire nequeat, facere talia coactus ſibi ſumit, certe herus illum adigens peccat. Hoc ipſum, O mei! de aliis permultis ſtatuatis velim, qui ſimilibus modis alios ad faciendum ea cogunt, quæ facere nolunt & ex ſolo gravis damni ſubeundi metu faciunt.

Quisquis igitur a gravi dierum feſtorum per opera ſervilia profanatione immunis eſſe cupit, ea tum ipſe non faciat, tum ne alios quidem facere cogat: Quod ſi de aliquibus operibus dubium oboriatur, utrum facere ea liceat vel non, prius a docto & pio confeſſario conſilium exquirat, ne ſe periculo exponat Deum per præcepti hujus violationem graviter offendendi.

Præter omiſſionem operum ſervilium, etiam modum ſanctificandi dies feſtos docet Eccleſia actionem poſitivam illis diebus exercendam imponens. Eſt actio hæc aſſiſtere devote ſancto Miſſæ ſacrificio, niſi moralis impoſſibilitas & gravis neceſſitas, quæ ſolæ cauſſam non audiendi Sacrum dant, obſtent. Debet audiri Miſſa integra; cum ſit peccatum veniale partem illius ſine cauſſa omittere, quemadmodum peccatum mortale eſt, partem illius notabilem omiſiſſe. At quæ eſt iſta pars notabilis? Partem notabilem omittit is, qui Miſſam audire poſt Evangelium incipit, quamvis reſiduum omne ad finem uſque audiret: item is, qui poſt lectam Epiſtolam veniens, audito Evangelio cum reliquis ad conſummationem uſque, poſt conſummationem abit, quin finem expectet: prout pars Doctorum major non ſine ratione pertendit; quia ex hoc, quod a principio ad Evangelium uſque, & ex hoc, quod poſt conſummationem omiſit, pars notabilis omiſſa eſſe colligitur. Similiter partem notabilem omittit, qui vel ſoli conſecrationi non adeſt; quia non adeſt parti hujus ſacrificii eſſentiali, quæ eſt conſecratio, uti ſuo loco diximus & multo ante S. Thomam tempore S. Cæſarius Arelatenſis (h) *Tunc fiunt Miſſæ, quando munera offeruntur, & corpus vel ſanguis Domini conſecratur.* Hinc partem quoque notabilem omittit, qui non adeſt conſummationi, quæ pars integrativa ſacrificii & eſſentialis eſt, in quantum eſt holocauſtum, cui proprium eſt totam victimam conſumere. Proh rem lacrymis dignam, quod, cum aliud opus pium, præter auditionem Miſſæ, ex præcepti rigore non imponatur, tamen ſint, qui eandem audire, cum poſſint, negligunt! . . . Conſequitur præterea, quod, qui toto mane inevitabili neceſſitate aut quodam impedimento detineretur, & quamprimum ex illa neceſſitate emerſit, curreret auditurus Miſſam ultimam, nec aliam, quam audiat, habere poſſet, & ad partem dimidiam aut etiam poſtremas partes Miſſæ veniret: vel hoc, quidquid eſt reſidui, audire teneatur, ut verum fiat, eum (quantum poteſt) parere præcepto Eccleſiæ. Verum, quisquis animæ ſuæ curam Chriſtiano dignam gerit, ante alia omnia ædes ſacras adire Miſſam auditurus ſtudeat.

Non ſatisfacit præcepto is, qui Miſſam dimidiam in hoc altari & iterum dimidiam in

(h) *Homil. 12. in app. Opp. S. Auguſt.*

in alio altari v. g. unam dimidiam a consecratione ad finem & alteram dimidiam ab initio ad consecrationem simul audit; quia doctrinam hoc asserentem Papa Innocentius XI. condemnavit (i) Ex quo insuper conficitur, nec eum satisfacere præcepto, qui per vices audiret Missam, v. g. unam a consecratione ad finem, & aliam ab initio ad consecrationem usque; quoniam hoc non est audire Missam secundum præscriptum ab Ecclesia celebrandi modum, quæ audiri Missam imperans vult, ut audiatur secundum ritum & modum, quo illa celebratur, & non invertendo ordinem illius; uti fit in casu secundo, aut primo: si quis scilicet duas dimidias Missas a duobus Sacerdotibus simul audiret.

Ut præcepto satisfiat, non sufficit, Missæ corpore tenus interesse: Nequaquam; sed necesse est, eidem præcipue animo tenus adesse, nimirum attente & devote. Jam hoc in loco quam multa dicenda essent? Quam vereor, ne pars magna Fidelium, etsi Missæ adstiterint, tamen præceptum non implerint? Devote audire Missam (prout præceptum sibi vult) significat, adesse eidem primum quoad corpus genibus, si fieri potest, flexis: oculis demissis in terram aut in altari & sacerdote tantorum mysteriorum ministro fixis: auribus ad omne alloquium surdis, ore ad omnem sermonem elingui: decenter composito corporis habitu toto; deinde quoad animum, significat, adesse mente ad Deum (sive per pias meditationes sive per cogitationes sanctas sive per considerationem eorum, quæ in Missa fiunt & sacris actionibus indicantur, sive saltem per attentam & devotam orationum vocalium recitationem) converso: voluntate humiliata & in conspectu Dei de peccatis admissis compuncta, cupida frui gratia Dei, parata eundem non amplius offendere; & hac ratione offerre divinæ Majestati victimam sacratissimam, Jesum Christum, qui se in altari immolat, ut nobis tum auxilia & gratias (quibus adjuti de peccatis admissis doleamus: nunquam in posterum peccemus: tentationes nos infestantes vincamus: in melius proficiamus & in observanda lege sancta fortiores reddamur) tum alia cujusvis generis beneficia saluti nostræ non obstantia impetret. Sed (Ut superius monui) qui ingenio minor est, saltem ad actiones sacerdotis attendat, orationes vocales attente recitet & de suis tum corporalibus tum spiritualibus necessitatibus Deum exoret. Hinc ut Missa non sine aliquo piorum horum exercitiorum audiatur, juverit, nos accedentes ad Ecclesiam & portæ templi proximos, extra valvas Ecclesiæ rerum temporalium cogitationes ac studia mundana omnia relinquere, ædesque sacras ingredi animo ad attendendum Deo divinisque rebus obfirmatissimo. Atque in hunc finem & signo S. Crucis frontem munimus & aqua benedicta nos aspergimus, ut tum purificemur tum ad distractiones, quas in nobis excitare hostes nostri spirituales volunt, depellendas armemur.

Itaque cum hic maxime sit audiendæ Missæ modus, quo præcepto satisfit, edicite, O mei! An non de permultis metui possit, ne præcepto satisfaciant, etsi se in Ecclesiam Missam auditum conferant? Nunquid dici poterit, eum modo, quo par est, audire Missam, qui ingressus in templum signo crucis per frontem luride ac male ducto, postquam Missa incœpit, aut continuo aut quam sæpissime huc atque illuc oculos circumfert jam admirans structuram, jam explorans opera tum picta tum sculpta, jam instrumenta & ornamenta considerans, jam ingredientes & egredientes & vestimentorum varias formas specians: qui, quamvis corollam precatoriam aut Officium B. Virginis manu teneat ac recitet, tamen mente distracta & ad memoratas res observandas atque considerandas intenta recitat, atque ob eam rem vix pectus ad consecrationem percutit, vix ad benedictionem cruce se signat? Talis, secundum omnes Theologos, præcepto non satisfacit; quia cum distractione mentis vix non continua & (aut formaliter aut virtualiter) deliberato volita cor-

(i) *Propos.* 53.

corpore tenus Missæ interest, parum aut omnino non mente & moraliter præsens. Nunquid dici poterit, audire Missam & præcepto satisfacere eum vel eam, qui postquam oculis undequaque circumlatis exploravit, an adsit persona illa, cujus cogitatione & mentem & voluntatem ceu solito objecto pascere consuevit, versus eam se movet interque Missæ solennia id studet, ut quivis gestus, quævis inflexio & totus corporis habitus personæ videnti gratus appareat: qui obtutus itentidem repetit observatque, an sibi mutuis obtutibus respondeatur; qua re mens & cor jam non ad meditandum de Christo in altari pro peccatis cujusque nostrum immolato, sed enim ad computanda amicitiæ ardenter optatæ indicia deflectitur? Neque hi vel hæ præceptum Ecclesiæ implent; quin immo alia divinæ legis præcepta violant. Nunquid dici poterit, Missam audire eum, qui cum amico quodam templum ingressus aut amico in templo occurrens multa, quandoque etiam indecora ac turpia, vario sermone cum illo garrit; & quamvis aliquot *Pater noster* quasi obmurmurans recitet, tamen Missæ partem magnam ineptis sermonibus, sumendo & præbendo tabacum, aliisque inopportunis actionibus absumit? Neque hi præcepto faciunt satis. Sed quid jam dicamus de iis personis, quæ omnibus (quos seculi nostri mos fert) numeris cultæ atque ornatæ in Ecclesiam intrant animo quidem audiendi Missam, at simul animo ad se adstantium oculos trahendi, ut illi vestium luxum, ut ornatus magnificentiam, ut formæ decorem obstupescant: nec hujusmodi distrationes in aliis excitare contentæ, easdem in se ipsis cient nudata facie quasi ex specula observantes, utrum intuentes admirationis, voluptatis, applausus indicia, aliaque signa dent respondentia consiliis vanitatis, ambitionis, fastus & persæpe etiam immodestiæ, quæ posthabitis christianæ verecundiæ regulis corpora nudat & tum in proprio tum aliorum animis distractiones movet, at quæ simul sapientibus ac probis viris offensioni est & in hominibus minus religiosis atque dissolutis ideas honestati contrarias excitat: quibus rebus fit, ut pars magna Missæ aut Missa tota hujusmodi activis & passivis observationibus transfigatur. Neque hæ præcepto faciunt satis. Nonne præterea, o mei! Date veniam, ut libere dicam (vera namque & cunctis nota loquor) nonne persæpe accidit, ut filia aliqua nubilis quasi in spectaculum exponere sese debeat, ut ab amasio suo videatur atque spectetur, dum ille renunciari eidem jussit: se proxima Dominica hac illave hora Missæ audiendæ gtatia in templum venturum esse: ibi sibi corculi sui videndi copiam fore. Hinc persuadeat sibi, qui potest, in personis hac mente spectantibus & spectatis debitam attentionem inesse.

Ah, O mei! Non sic Missa, sic nunquam & multo minus diebus præscriptis sic bene auditur. Sic audire Missam est, & tremendum sacrificium & sanctum, in quo illud æternæ Majestati offertur, locum profanare. Hinc fit, ut tales personæ, cum ecclesiam intrare Missam eum in finem audituri deberent, ut pœnitentiam peccatorum suorum agendi gratiam impetrent; contra novis culpis gravatæ redeant; tum quod præcepto non satisfecerint; tum quod variis modis scandalo præsentibus fuerint; tum quod piarum ædium sanctitatem contaminarint: Et post hæc, o mei! divinam in nos iram omni ex parte erumpere, mirabimur; si eo tempore, eoque in loco, quæ nobis ad obtinendam peccatorum veniam data sunt, nova peccata & admittimus ipsi & admittere alios facimus? Ah! si Deus, violari summam suam Majestatem, nunquam patitur; num, fieri idem in loco & tempore adeo importunis, patietur. Neutiquam: ob eam caussam totus iris exæstuans per (k) Prophetam Jeremiam verbis terribilibus intonat: *Protulit Dominus justitias nostras*; (actiones pias, quorum e numero esse pertendimus eas, quas maxime in Ecclesiis & Missam audientes facimus) *Venite & narremus in Sion opus Domini Dei nostri*: quod illud

(k) *Cap. 51.*

illud? *Acuite sagittas, implete pharetras . . . quoniam ultio Domini est, ultio templi sui.* Hæc scilicet præmia Deus religiosis actionibus nostris in templo suo (præsertim tempore maxime illustri, quo tremendum sacrificium immolatur) factis parat, nimirum fulmina, pharetras, sagittas. *Protulit Dominus justitias nostras*: & quia eas tam contaminatas, tam profanatas, tam injuriosas Majestati suæ, tam indignas invenit, ob id *acuite sagittas, implete pharetras, quoniam ultio Domini est, ultio templi sui.* Ah! Absit, O suavissimi! ut nos e numero horum, iram Dei in se provocantium, simus: Eamus in Ecclesiam Missam audituri eo totius corporis habitu, qui Christianos decet, ut ibi Deum nostrum adoremus, utque devota & attenta Sacri omnium summi auditione ab illius infinita misericordia primum animabus, deinde & corporibus ac rebus nostris reliquis auxilia deposcamus. Et quoniam vi præcepti ecclesiastici ad rem tam levem, ac est unius Missæ auditio, obligamur, debita cum pietate atque devotione eidem adsistamus.

Dixi Ecclesiam (si stricte & ex vi præcepti loqui velimus (nil aliud, quam auditionem Missæ; sub gravi peccato imperare, nam si finem præcepti spectare velimus, quis non videt, nos etiam aliis divini cultus operibus concurrendo seu ad sermonem sacrum seu ad Vesperas seu ad institutiones catecheticas seu ad recitationem SS. Rosarii seu adorationem SS. Sacramenti publice expositi, aut legendo libros asceticos, aut visitando miseros & ægrotos, aut alia similia agendo) dies festos sanctificare, neque sic gerere nos debere, prout multi Christianorum se gerunt, qui eosdem suis servire celeribus cogunt: *Nonne tota*, Magnus ait Florentinorum Archiepiscopus S. Antoninus: *Nonne tota occupatio hominum in festis est circa corpus?* Et post hæc ennumerat S. Doctor peccata, quæ, cum diebus ferialibus fieri nequeant, in dies festos servantur: videlicet lusus, crapulæ, amores, saltationes, vagatio per civitatem videndi & visum iri, satisfaciendi sibi & aliis caussa, aliaque peccata, quæ ne commemorare quidem velim. Hæc est sanctificandi dies festos ratio multis Christianorum usitata, quam multo ante S. Antoninum tempore S. Bernardus (l) de die Resurrectionis loquens deflevit, cujus verba ego omnibus Festis, cum omnia æque profanentur, accomodo: *Proh dolor! Peccandi tempus, terminus recidendi facta est resurrectio Salvatoris; ex hoc nempe commessationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitiæ repetuntur, & laxantur concupiscentiis fræna* . . . . Execremur, O mei! indignam hanc dierum festorum violationem, & siqui sunt, qui, quod aliis diebus eis haud liceat honestum & Christiano dignum levamentum dare sibi diebus festis volunt; dent (Nihil obsto) at peccata non admisceant; dent, at Missam audire & aliud religiosum opus facere non intermittant, ne in nobis quoque oraculum (m) Malachiæ Prophetæ comprobetur, quo Deus denunciavit: *Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo* diebus sacris, *mittam in vos egestatem & maledicam benedictionibus vestris* . . . *Ecce! ego projiciam vobis brachium, & projiciam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum*; id quod Deus pro sua misericordia avertere dignetur.



SER-

(l) *Serm. in die Paschæ n. 16.* (m) *Malach. 2.*

SERMO LIII.

De quarto Decalogi præcepto : HONORA PATREM &c. De obligationibus parentum erga filios.

POst præcepta ad Deum ſpectantia ſcripta in tabula prima ſequuntur præcepta ad Proximum attinentia in tabula ſecunda deſcripta. Horum primum Parentes reſpicit imponens filiis obligationem eos honorandi, amandi eisque obediendi; Quo in præcepto id mihi ſemper admirationem movit, quod in illo non ſimiliter parentibus imperetur, ut filios ſuos diligant modisque omnibus juvent : quandoquidem parentes ſuis erga filios officiis, æque ac hi ſuis erga parentes, deeſſe ſolent. Verum (ſi non male conjicio) hoc præcepti genus a divina ſapientia ſuperfluum judicatum fuiſſe exiſtimo; quoniam, cum natura ipſa ad gerendam propriæ ſobolis curam tantopere feratur (Uti in animantibus ferociſſimis apparet) non relinqui locus dubio videbatur, quin multo magis ratione præditi homines vehementiſſima voluntatis inclinatione eo rapiendi, ſummamque prolis ſuæ curam habituri eſſent ; cum tam magna vel tigribus atque pantheris ineſſe deprehendatur. Hinc, quemadmodum Deus præceptum diligendi & curandi nos ipſos exprimere diſertis verbis noluit ; quia cuivis mortalium amor ſui nimis ingenitus eſſe dignoſcitur, atque ob id abeſſe ulli hominum haud poſſe videtur ; ita etiam ſupervacuum fuiſſet, parentibus amorem filiorum imperare, quippe cum hi pars parentum ſint ; videbaturque dilectio ſobolis, utpote homini a natura penitus inſita atque ingenerata in numero rerum ſcripto haud injungendarum computari debere. Ob eam rem præceptum filios reſpectu parentum obligans ſcripto tradens Dominus; nullam de parentum in filios officiis mentionem fecit, quippe re ejusmodi, quæ præcepto non indigeret.

At eheu ! Ad eam pravitatem in multis mortalium non humana ſolum ratio ſed fides quoque deſcivit atque degeneravit, ut difficile dictu eſſe videatur : majorne ſit parentum debitam filiorum curam omittentium, an filiorum debitam parentibus reverentiam non exhibentium copia ? Nihil exaggero, O mei ! vel quæ dico, experientia comprobat, & veſtris ipſimet oculis uſurpare poteſtis : publicas oppidorum Chriſtianis habitatorum vias inſpexiſſe ſuffecerit, ut cognoſcatis an problema meum cum veritate conſentiat. Detegetis, O mei ! adoleſcentes omnis ætatis ita parentum ope atque inſtitutione deſtitutos, ut peſſimis cujusvis generis conſuetudinibus impliciti atque demerſi tum ſuis tum vicinis locis offenſioni ſint. Detegetis puellas eum in modum derelictas, ut tum propria nequitia ſtimulatæ, tum a corruptoribus inductæ, tum ipſa victus penuria adactæ vili aut nullo pretio pudorem proſtituant : eaque re non ſolum parentibus, ſed etiam oppidis, quæ inhabitant; probro ac dedecori ſint, & aptiſſimum quoddam laqueorum genus evadant, quibus animæ in perniciem trahantur. Unde malum tam deflendum ? Dicam : quanquam illud ab filiorum peſſima indole, nec flecti parentum monitis nec compeſci pœnis potuit, quandoque oriatur ; tamen ut plurimum parentum negligentia naſci conſuevit : parentum, qui natis bene educandis vel nullam vel eam curam non adhibuerunt, quam prava illorum indoles poſtulabat. Ob eam rationem hunc primum de quarto Decalogi

calogi præcepto sermonem ad parentes dirigere, & eosdem admonere officiorum, quæ proli suæ sub gravi peccato debent, mecum constitui, tum ut a præterita negligentia se emendent, deque ea se sacro in tribunali accusent, si rei sint; tum ut in futurum resciant, quid sibi agendum sit, ne in posterum peccent tum ipsi tum participes se faciant peccatorum a filiis admissorum, si illa ex parentum in implendis partibus suis negligentia profluxerint.

Jam ut a minori ordiar subin quasi per gradus ad majora transiturus, obligantur sub peccato gravi parentes, ut primo corporum filiorum suorum curam gerant, scilicet ut eos alant, usque dum ipsi idonei evadant, qui necessarium sibi victum suo Marte parent; & hoc pro ratione status atque conditionis. Obligationem istam natura ipsa animantia cujuslibet generis, etiam crudelissima, docuit; hinc apposite S. Ambrosius (a) *Discant homines amare filios ex usu & pietate cornicum, quæ etiam volantes filios comitatu sedulo prosequuntur & sollicitæ, ne teneri forte deficiant, cibum suggerunt ac plurima temporis nutriendi officia non relinquunt.*

Huic primo officio, ad exemplum bestiarum cunctarum alendi filios suos, quot parentum magnopere desunt? Quot, eheu! patrum non jam ex irruentibus improvisis malis (quibus quandoque divina providentia inFidelibus suis augere meritum resignationis cogitat) alendæ familiæ impares effecti sed, quod cum amicis suis cauponas frequentando, ludendo, perpotando, moechando, concubinatus agendo aliisque vitiis quæstum) toto hebdomadæ spatio partum abliguriverint, uxorem ac natos domi fame languescere & omnimoda victus, vestitus ceterarumque rerum (titulo alimenti eisdem debitarum) inopia conflictari sinunt? Quot matrum, splendide comparere in foro ambientium, emungunt virorum suorum marsupia, ut in vestes, in pectoralia acu picta aliaque ornamenta impensas faciant; quin de cetero curent, ut ne nati necessariis subsidiis careant? Quoties familias, easque numerosa sobole, ob id redactas ad incitas nostris ipsi oculis videmus, sive quod genitores mille vitiis sive quod matres luxu statum suum haud decenti, sive denique ambo rem certatim dilapidarint, jam non habentibus natis, quo molestam famem depellant. Hinc fit, ut & filii ad furandum animos adjiciant, & filiæ amasium, a quo alantur, clam sibi parent. Nunquid hoc est, sobolem necessario victu scelestum in modum spoliare? Heu! plenus stuporis loco citato exclamat laudatus S. Ambrosius, quod animalium genus aut quæ species docuit negligere teneros, eosque sine victu relinquere? Quis, nisi homo? *Quis docuit, nisi homo, abdicare filios?* Et dum reliqua animantia cuncta pullis ac catulis suis de vitæ necessariis prospiciunt, solus homo, utut compos rationis, hujusce negligentiæ culpam in se admittit: *Quis docuit, nisi homo, abdicare filios?*

Et quantam, O mei! offensarum Dei voraginem fames atque inedia humanæ fragilitati aperit! Tam amplam profecto & certam, ut diabolo remedium longe fortissimum visum sit, quo Christum ipsum, qui an Deus esset, nondum scivit, in casum impelleret. Etenim quid fecit? Videns Servatorem in deserto quadraginta dierum continuato jejunio maceratum & fame premi (*Esuriit* teste Evangelio) accessit ad eum exhibens lapides, quos, si Deus esset, in panem converteret cibum opportunum pellendæ, qua affligebatur, fami: *Dic, ut lapides isti panes fiant* (b) Observate, ait Theodoretus scriptor gravissimus, tempus a tentatore captatum: *Vidit hostis famem & victoriam speravit.* Ast hoc ipsum etiam nunc facit inimicus noster & fieri a ministris suis, sceleratis nimirum hominibus, curat. Videt adolescentem famelicum & suggerit eidem, ut furetur vel alia a Deo vetita patret: Adhibet ministros suos, ut eundem invitent seducantque ad ea peccata committenda, quibus fami consulatur: *Vident famem & victoriam sperant.* Verum major iisdem de vincen-

(a) *Libr. 5. in Hexaem. c. 18.* (b) *Matth. 4.*

vincendis miseris, quæ fame premuntur, puellis spes est: has alliciunt, harum animos ferendæ opis, victus providendi promissis oppugnant, verbis etiam dona addentes. Et quas de Christo diabolus non reportavit victorias, has & ipse & crebro nimis nequissimi ministri ejus heu! fame urgente reportant: *Vident famem & non solum sperant victoriam* sed etiam *consequuntur* & pudicitiam & animam misellis egentibus eripientes. Quæ tantorum malorum caussa? Negligentia parentum ex facultatum dissipatione orta.

Sed quid jam de illis parentibus dicam; qui, ut alendi suos molestiam non sentiant, sobolem omnino a se removent, deferentes in orphanotrophia, ubi talia extant, aut ubi non extant, ad portas Ecclesiæ vel monasteriorum deponentes (Quod evenisse in regionibus, in quibus commoratus sum, meis ipse oculis sæpius vidi) aut, quod omnium pessimum est attamen sæpius gestum esse certo novi, domo etiam tempore nocturno excludentes & dimittentes, dicendo: *Abi, disce artem aliquam.* Explicemus singillatim has tres deferendæ prolis rationes. Prima est deferre sobolem in orphanotrophia; Quod si hoc parentes sine certa & evidenti necessitate vitæ filiorum servandæ, quam illi inter angustias ex morali certitudine amissuri essent, faciunt; peccant mortaliter peccato impietatis versus fœtus suos: & (si possunt) tenentur in conscientia compensare sumptus, quos orphanotrophium facere debet; utpote quod eo conditum nequaquam fuit, ut expeditior & facilior esset carnales voluptates captandi via, sed ut veris miserorum infantium necessitatibus succurreretur, ne mortis præda fiant: Quod si idem vera necessitate adacti, aut ut parturientem imminentis infamiæ periculo eripiant, faciunt; excusantur quidem, attamen dicta compensationis obligatione non exsolvuntur. Secunda est deponere prolem in via publica aut ad portas Ecclesiæ vel monasterii alicujus, & aliquoties ad januam ædium parochi aut alterius sacerdotis; Hoc utplurimum peccati mortalis culpa non caret, tum ob discrimen, ne forte nati occidantur vel a cane aut alia prætereunte bestia devorentur) Hinc eloquentissimus Lactantius sequentibus verborum aculeis (c) hoc genus parentum perstringit: *Quid illi quos falsa pietas cogit exponere? Non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus objiciunt &, quantum in ipsis est, crudelius necant, quam si strangulassent*) tum ob infamiam, quam creant personis illis, ad quarum ædes fœtus suos deponunt, excitantes suspicionem, si forte impudens mater prolem redire ad patrem suum faciat; tum ob incommoda & molestias graves, quas personis illis creant; utpote quæ pietate christiana adiguntur, ut innocuis hisce creaturis prospiciant. Hinc si parentes alere suos nequeunt, sunt aliæ (Quin inhumanum adeo in modum exponantur) eisdem consulendi viæ per interventionem parochorum, qui in tali casu strictissime obligantur, ut teneri illi & innocentes in piis, per omnes christianas provincias erectis, locis in tuto collocentur atque curentur. Tertia est sobolem aut in omne tempus aut identidem deferere, dicendo: *Abi, disce aliquid*; qua ratione crudelior magisque impia esse haud potest. Hujus generis parentibus, si qui hic adessent, dicerem: Iniqui! quo modo vultis, ut discant? . . . Quid aliud, quo discant, datis illis quam manus & corpus? . . . Nunquid hoc idem ac dicere, si pueri sunt: *abi, furare*; si puellæ: *abi corpus prostitue*? At unde tam desperata consilia? Inde certe, quia parentes filios suos ad ea officia, artes & opificia, quorum capaces erant & quibus vitæ necessaria sibi aliquo modo parare potuissent, tempestive applicare omiserunt: Unde hæc omissio? Ex profusione facultatum peccaminosis, quos attuli, modis absumptarum. Itaque, O parentes! abstinete ab iis vitiis, quæ, præterquam quod animas vestras miseras reddunt, etiam familiam vestram ad paupertatem redigunt, vos non solum peccatorum, quos ipsi patratis, sed etiam eorum scele-

 rum

(c) *Instit. l. 6. c. 20.*

rum reos efficientia, quæ liberi veſtri neceſſitatibus ſuis adacti patrant atque patrabunt; quoniam hæ neceſſitates veſtris ex vitiis oriuntur, quibus tenuem rem veſtram dilapidatis, cui ſi chriſtiana parſimonia acceſſiſſet, tot tamque gravia mala certe impedirentur.

Hujus generis parentibus ex toto adverſantur illi patresfamilias, qui aliud Extremum ſectantur: ſcilicet, qui nimium curant, ut liberis res ampla ſit, & nihil aut parum de neceſſitatibus ſpiritualibus prolis ſuæ ſolliciti (De hoc paulo poſt dicetur) aliud non agunt, quam ut natorum patrimonium augeatur; multoties non ſine læſione juſtitiæ & charitatis: Hinc tales parentes duros ſe creditoribus & moroſos ad ſolvendum præbent: hinc eleemoſynas ſtatui ſuo congruas diſpenſare omittunt, & in id unice attenti, ut pingue patrimonium liberis relinquant, curare eorum animas, officiaque charitatis & juſtitiæ implere prætermittunt. Heu errorem acerbiſſimis deflendum lacrymis! Non vetamus, ne liberis opes ſtatui eorum convenientes provideatis: immo affirmamus, obligari vos, ut & filiabus congruam dotem & filiis patrimonium amplum potius, quam tenue, comparare ſtudeatis: ſolam carpimus inſatiabilem opulentandæ familiæ poſtpoſitis, quæ in patrem chriſtianum cadunt, officiis ſitim: *Quid ergo*, ait Salvianus (d) *quid ergo æſtuas paterna pietas? quid ad conquirenda* pro natis *terrena & peritura diſtenderis? Non neceſſe, . . . ut filio tuo terrenos theſauros recondas: nulla re eum facies ditiorem, quam ſi ipſum filium tuum, theſaurum* Dei, *feceris.* Idcirco fit, ut, Deo avaram horum parentum ſollicitudinem deteſtante, in conſequenti hæredum prodigalitate infelix curarum patriarum exitus multoties ſpectetur: hæredum, qui, opima hæreditate explendarum cupiditatum opportunitatem ſuppeditante, in quævis execranda vitia prolabuntur, quibus & famam & ſanitatem & vitam & animæ ſalutem æternam amittunt. Nunquid, O mei! ignota vobis, nunquid ea loquor, quæ in Æthiopum regno aut alia remotiſſima orbis parte geruntur? Nequaquam, O ſuaviſſimi! Ante oculos noſtros hæc ſingulos in dies geri videmus. Nonne, O mei! noſtris cum animis modo hunc modo illum deflemus, quem pinguis hæreditas ex pio, morigero & devoto, qualis antea fuerat, poſt captam a morte patris poſſeſſionem, ſubito in luſorem acerrimum ac deſperatione plenum, in concubinarium exempli peſſimi, in tyrannum omni inſolentia nimium convertit: quo factum, ut poſt paucorum annorum ſpatia ad nuditatem, infamiam ſqualloremque redactus omnibus odio atque execrationi fuerit? Hæc ſunt, quæ ſpectare nos quotidie licet: Ob eam rem S. Cyprianus ſic concludit (e) *Qui ſtudes terreno magis quam cœleſti patrimonio filios tuos diabolo magis commendare quam Chriſto, bis delinquis & geminum crimen admittis; &, quod non præparas filiis tuis Dei auxilium: &, quod doces filios patrimonium plus amare quam Chriſtum.*

Concludamus itaque etiam nos hoc primum de educatione, quam parentes liberis debent, caput ſpectans ad corpus, ob hoc a nobis *temporale* dictum. Educate, O mei! cuſtodite & proſpicite filiis veſtris in ætate tenera diligenter, maxime non retinendo illos in lecto veſtro, dum infantes ſunt, ne forte ſuffocentur; cum hoc ſit peccatum mortale, non tunc ſolum cum re ipſa ſuffocantur, ſed ſemper ob periculum ſuffocationis. E pueris egreſſos pro ratione ſtatus & ingenii educite, ut ſive literarum ſtudiis ſive arti alicui ſive decenti opificio vacando apti evadant, qui ſe ipſos alant & familiæ ſuccurrant. Ubi autem in eam ætatem adoleverint, ut alicujus vitæ ſtatus amplectendi (ſcilicet aut ineundi matrimonii, aut ſe Deo in ordine clauſtrali vel eccleſiaſtico conſecrandi, aut in cœlibatu in hoc ſæculo vivendi) conſilium capere queant, ne cito ac temere eis aſſentite ſed confugere eos ad Deum facite, ut hic illos doceat, quid gloriæ ſuæ & ſaluti eorum magis expediat: Quod ſi in propoſito ſemel arrepto

(d) *Libr. 1. de Eccleſ. cathol.*

(e) *Libr. de Oper. &. Eleemoſ.*

arrepto maneant, ne diutius optioni eorum sine legitima caussa obsistite. Verum ob id, postquam statum suum amplexi fuerint, nec illi esse filii vestri desinant, nec vos esse parentes eorum desinatis: & si vel ex adversis casibus vel aliis ex caussis vestra ope indiguerint, vos pro vestris & familiæ vestræ facultatibus deesse illis haud debetis: qua in re nimios & quasi prodigos esse vos præstat, quam modicos & quasi parcos.

Jam de parentum (Quod ad natorum educationem spiritualem attinet) officiis. *Erudiendi sunt filii*, ait S. Thomas (f) *ignorantiæ depulsione & morum informatione.* Depellenda ergo ab animis liberorum ignorantia rerum spiritualium; id quod fit, tradendo illis veritates & præcepta christianæ catholicæ Religionis. Hinc debent parentes, ait Catechismus Concilii Tridentini, filios suos christianæ Fidei elementis & rerum ad legem divinam spectantium cognitione imbuere, quo illi sic vitam instituant, ut Deum nunquam offendant sed (prout strictissime obligantur) colant atque observent: Multoque ante hunc Catechismum tempore gloriosus Martyr & excellens Charthaginensium Episcopus ac Doctor S. Cyprianus (g) parentes universos monuit: *Esto liberis tuis pater talis, qualis Tobias extitit; Da utilia & salutaria præcepta pignoribus, qualia ille filio dedit; Manda filiis tuis, quod & ille filio mandavit.* Atque hoc in loco vestrum omnium animi sancta & laudabili curiositate occupari mihi videntur cognoscendi documenta, quæ insignis hic pater filio suo dedit; quoniam ad illum S. Cyprianus genitores omnes remittit, ut filios suos iisdem præceptis erudiant. Ecce! Impleo vota vestra, & exarata a Spiritu sancto monita sancti hujus parentis (h) in medium profero, filium suum, quando vitam brevi sibi finiendam putarat, ad se accersitum sic alloquentis: *Audi, fili mi! verba oris mei & ea in corde tuo quasi fundamentum construe . . . Omnibus . . diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum & cave, ne aliquando peccato consentias & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini: Quomodo potueris, ita esto misericors; Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude; Præmium enim bonum thesaurizas tibi in die necessitatis: quoniam eleemosyna* (bene facta) *ab omni peccato & a morte liberat & non patietur animam ire in tenebras: Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. Attende tibi, fili mi! ab omni fornicatione & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Panem tuum cum esurientibus & egentibus comede, & de vestimentis tuis nudos tege: Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue, & noli . . manducare & bibere cum peccatoribus. Consilium semper a sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. Indico etiam tibi, fili mi! dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo . . . & chirographum ejus apud me habeo: Et ideo perquire, quomodo ad eum pervenias, & recipias ab eo supra memoratum pondus argenti, & restituas ei chirographum suum. Noli timere, fili mi! pauperem quidem vitam gerimus sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum & recesserimus ab omni peccato & fecerimus bene.* Hucusque S. Tobias parentibus cunctis a S. Cypriano (Quod ad monita & præcepta filiis danda spectat) in exemplum propositus.

Debent itaque curare parentes, ut liberi sui rebus ad Deum pertinentibus erudiantur: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Fit istud in lege nostra christiana, si nati sanctæ Fidei mysteria (præcipue ea, quæ Symbolo apostolico comprehenduntur) sciant,

(f) *Opusc. de Er. Pr. p. 3. c. 5. n. 21.* (g) *Libr. de Oper. & Eleemos.* (h) *Tob. c. 4.*

ſciant, at ſic ſciant, ut ea non ſolum picarum ac pſittacorum ad inſtar ex memoria recitare valeant, ſed etiam intelligant: Hinc explicari illa liberis debent, ut ab iisdem capiantur ac comprehendantur, maximeque cohortandi nati, ut Deum ſuper alia omnia diligant. Debent præterea divinæ legis præceptis erudiri & ad peccatorum, quibus illa violantur, odium magis ac magis excitari: *Cave ne aliquando peccato conſentias & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.* Debent erudiri charitate Proximo debita, quæ in eo maxime apparet, ſi Proximo indigenti modis, quibus fieri poteſt, ſubvenitur: *Quomodo potueris, ita eſto miſericors.* Debent moneri, ut præcipue fornicationis vitium & occaſiones ad eam ducentes fugiant, *Attende tibi, fili mi! ab omni fornicatione:* hinc maribus ſollicita perſonarum ſexus alterius omnium, puellis maſculorum omnium fuga perſuadenda. Debent denique (Ut brevibus dicam & Tobiæ verba ad compendium conferam) erudiri, ut malos ſocios fugiant; ut mercenariis & creditoribus accurate ſolvant; ut, quæ ſibi fieri nolunt, aliis non faciant ipſi; ut ſæpe ad Deum confugiant, quo precibus ſuis & lumina ad cognoſcendum, quæ recta ſunt, & opem ad implenda ea, quæ cognoverunt, ſibi obtineant; ut de rebus, quas neſciunt, utrum licitæ vel illicitæ ſint, doctorum & piorum confeſſariorum conſilium exquirant; ut ſe totos conſiliis divinæ providentiæ permittant, omnia bona a Deo ſibi expectent, & præſertim, ut ne ſe illis per injurias, quæ ex peccatis ad divinam Majeſtatem redeunt, indignos efficiant. Hæc fere ſunt documenta illa, quibus ad exemplum Tobiæ teneræ infantum mentes inſtituendæ: Et ſi parentes hoc non faciunt ipſi (ſive quia ingenii ruditate impediuntur, ſive quia verentur, ne hac in re officii ſui partes examuſſim non impleant) obligantur ſatagere, ut filiis hæc documenta a viris ad id aptis præbeantur: quod ſi hoc prætermittunt, graviſſimæ omiſſionis mortalis peccato ſe obſtringunt.

Jam quot parentum, O mei! eſſe putatis, qui in re tam gravi ac neceſſaria officium ſuum omnibus numeris faciunt? Ah! Vereor, ne permulti ſint, qui in hoc delinquunt; Etenim multi altioris ordinis parentes, filios ſuos cuſtodi alicui tradidiſſe ſatis habentes, interrogando nunquam explorant, an nati myſteria creditu neceſſaria ſciant; an probe teneant ea, quæ ad SS. Sacramenta fructuoſe ac digne recipienda requiruntur; an animum a peccato magnopere abhorrentem & ſancto Dei timore præditum gerant? Hæc, O mei! hæc multi parentum nunquam interrogant: At contra ſollicite inveſtigant, utrum liberi in artibus, quas diſcunt, liberalibus aut generoſis aut in ſcientiis, quibus mundanorum hominum exiſtimationem ſibi parent, profectum faciant? Nunquid hujus generis parentes anxiam, quam deberent, ſobolis neceſſariis ad animam cognitionibus inſtruendæ curam gerere putatis? Mea ſententia non gerunt. Parentes vero inferioris ordinis ſatis habent, ad ſummum liberos in Eccleſiam doctrinæ chriſtianæ percipiendæ gratia mittere (ſive illi eo vadant ſive non) quin de reliquo vel verbulo timorem Dei, odium peccati, ſalutis æternæ æſtimationem animis tenerorum inſtillare unquam ſtudeant, curas ſuas eo ſolum intendentes, ut natis munus aliquod vel artem provideant, qua illi alimenta corporalia ſibi comparent & numeroſam familiam allevent. Hinc ſi ejusmodi parentes interroges: Certine ſint nec ne, ſciri a liberis ſuis myſteria fidei: ſciri neceſſaria ad bonam Confeſſionem: ſciri, quis in SS. Euchariſtiæ Sacramento adoretur: ſciri, quæ pro conſervanda Dei gratia vitari debent; reſpondebunt tibi: Sic equidem opinamur; miſimus illos ad audiendas Fidei chriſtianæ inſtitutiones; Nil præterea novimus. Et hos facere officium ſuum creditis? Non faciunt. Equidem ſollicita attentione inquirunt, utrum filius vel filia bene conſuere, bene pingere acu, bene hoc vel illud opificium aut artificium exercere diſcant; immo ſi hi in diſcendo negligentes

ſunt,

sunt, eos increpant; at vero, utrum sciant filii, quæ ad vitam christiane degendam necessaria sint, nihil interrogant, nihil quærunt, nihil anguntur: Hujuscemodi parentes mortalis peccati reos se faciunt ob gravem officii sui de curanda sobolis institutione neglectum. Quot quæso, O mei! existunt parentes, quibus sunt filii octodecim, viginti & plures annos nati; quin accedere ad S. Synaxin sciant? Quot existunt parentes, qui filios aut nunquam aut raro admodum ad sacrum tribunal mittunt? Quot existunt parentes, qui cum filiis suis pia ac sancta tradere præcepta deberent, illis e diverso præcepta mundum ac carnem spirantia, præcepta diabolica tradunt? Dicitur e. g. filio: Haud patere, ut te quisquam deprimat; Fac, ut omnes te colant ac æstiment; Unius injuriæ dissimulatio alias post se trahit; Quid prodest tanta pietas; Opus mihi, ut nummos domum referas: Et quæ sunt alia Deo execrabilia monita. Quot Matrum totæ in eo sunt, ut filia elegans, venusta, ingeniosa, compta appareat, & quæ in hunc finem tota die modos, quibus filia se, ut talem, spectandam præbeat, ingerunt atque inculcant nihil de cetero aut parum sollicitæ, ut nata pietatis solidæ jaciat fundamenta: ut saltationes, virorum consortium, prospectiones de fenestra & similia, quibus & corporis & cordis pudor in varia discrimina adducitur, vere abhorreat. Hæ omissiones omnes graves sunt, & ex illis redduntur parentes rei omnium peccatorum, quæ a liberis committuntur.

Sed quoniam ex sententia S. Thomæ, *ad morum informationem pertinet coercitio a malo*, ob id non satisfaciunt officio suo gravissimo parentes, si liberis suis bona solum præcepta tradunt atque inculcant; sed debent insuper delinquentes corrigere & contumaces castigare. Debent (inquam) delinquentes corrigere; in quem finem non sufficit, ut parentes tum primum corrigant, quando filiorum vitia ad eos deferuntur; sed debent sub gravi conscientiæ obligatione ipsi inquirere, indagare, cognoscere, utrum nati bene ac christiane vivant; ne forte accidat, quod suo ævo S. Hieronymus (i) luxit: *Solemus mala domus nostræ scire novissimi & liberorum vitia, viciniis canentibus, ignorare.* Igitur post compertum delictum, multoque magis post detectam pravam filii aut filiæ consuetudinem moneantur &, si admonitio nil promovet, pro delicti admissi ratione lenius acriusve reprehendantur; quod si nec reprehensio profuerit, pro ratione ætatis & delicti castigentur. Qua in re multi parentum varie peccant, alii per excessum, alii per defectum. Primo per excessum; Sunt namque parentes, qui filios suos inconsideratum in modum affligunt, vexant ac cædunt non pro ratione admissorum delictorum nec pro ratione Charitatis, quacum castigationem adhibere debent; sed pro impetu iræ immodicæ & bruti furoris, quo aguntur & quem in liberos erumpere solent; qua re, emendationis loco prolem ad iram adversus se provocant, inconsultaque ac effera ratione, qua in eam invehuntur, ad gravia peccata committenda irritant: & meriti, quod sibi pararent, si sobolem non pravo animi motu sed vero zelo, emendandi illam studioso, acti castigarent, loco utplurimum gravia etiam peccata ob duram & inhumanam, qua in pœnis infligendis utuntur, rationem admittunt. Hujus farinæ parentibus, qui utplurimum pusillo ingenio & obscuræ originis sunt, his (inquam) Paulus verba illa direxit (k) *Patres! nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini;* nam crudo isto, inhumano & irarum pleno liberos mulctandi modo fit, ut ii aut perditam desperatamque vivendi rationem amplectantur, aut timidi, nulli rei idonei, stupidi ac bardi evadant: Ob eam rem S. Paulus alio in loco dixit (l) *Patres! nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Intellexistis? Debet esse correptio Dei, videlicet castigatio ad veri zeli regulas accomodata, ut nati a peccatis emendentur: non correptio & castigatio diaboli, scilicet adhibita ex instinctu bratæ

(i) *Epist. 15.* (k) *Ephes. 6.* (l) *Coloss. 3.*

brutæ iracundiæ aut furoris diabolici id quærentis, non ut ad frugem se recipiant liberi, sed ut male eis sit & ira in eos collecta effundatur; id quod sine gravi peccato haud fieri, monui. Hinc, O parentes, si quando castigandam esse sobolem judicatis, nunquam id, dum mens æstuat, facite; sed exspectate, donec ira resederit, & castigationem in diem crastinam differte, ut sic jam nullam punitionis partem iracundia habeat; sed totam severitas ratione temperata, non furiosa sed charitatis paternæ modum servans sibi vendicet.

Alii peccant per defectum, dum natos monere, coarguere & opportunas eis castigationes adhibere, negligunt. Hi se purgant dicentes: Vereri se, ne liberos contristent & affligant; sibique excusationem in tenero amore, quo erga illos feruntur, quærunt; quippe qui haud permittat, ut soboli castigationem decernant. At hoc eos apud Deum non excusat sed amoris plane carnalis reos efficit. Advertite animos, O mei; Notum ac manifestum omnibus est indignum, violentum atque incæstuosum stuprum ab Ammone primogenito Regis Davidis filio cum sorore Thamare admissum: facinus, quod aulæ universæ scandalo fuit. Equidem putatis credo, O mei! tantum scelus, ad genitoris Davidis aures allatum, sanctam iracundiam in regia mente suscitare debuisse; qua stimulatus parens scelestum Ammonem non reprehenderet solum, sed in eo etiam ad communem subditorum universorum ædificationem exemplum publice statueret. Quidni, dicetis, puto? Exigebat scelus tam atrox, tam turpe, tam Deo, Patri: sorori, aulæ toti injuriosum, exigebat ejusmodi pœnam, qua etsi vita reo non adimeretur (hanc adimi debuisse Tostatus Abulensis, pertendit) tamen reo facinoris patrati enormitas cognoscenda daretur. Utcunque sit (percipite indignam rege Davide socordiam) tacet ad tantum scelus pater ex amore insano, ne filium suum primogenitum contristaret; uti S. Scriptura affirmat: *Noluit contristare spiritum Ammon filii sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei* (m) At quid inde secutum? Punivit Deus hanc Davidis negligentiam, quam gravem ac capitalem fuisse Interpretes tenent, severe admodum, adeo ut Ammonem per insidias occidi a fratre Absalone, & Davidem, ad extremum regno ferme universo spoliatum, gravissimis calamitatibus longa serie sibi mutuo succedentibus conflictari permiserit. Novi equidem, non semper de violento & incæstuoso stupro coarguendo ac castigando agi; ast illud quoque scio, persæpe de eo agi, ut animæ filii vel filiæ, gratia Dei haud fruentis, medeatur: Et tamen *nolunt contristare spiritum eorum:* Tacent, procrastinant, dissimulant. Norunt filium fovere amicitiam, quæ illum in æternam perniciem trahit; tum quia lasciva tum quia consciis omnibus offendiculo est: & tacent aut ita mussitant, ut eorum sermo effectu omni carere debeat. Norunt, filium ludendo rem dilapidare, nimios sumptus facere, ut conjugatæ personæ illi, cui ancillatur, placeat: sumptus, quibus offensio atque ira Dei caro nimis emitur: & non audent seriam, vehementem, firmam admonitionem, cui (Ubi opus fuerit) etiam rationabiles ac justæ minæ addantur, interponere. Quare? *Nolunt contristare spiritum eorum.* Graviter peccant ejusmodi parentes, qui delicta natorum aut silentio prætermittunt, aut minus, quam suffecerit, obloquuntur. Cernitur filia vanitati, vestium luxui, amoribus, familiaritatibus & jocationibus cum personis alterius sexus ac suspecto literarum commercio nimium dedita: & non audet mater sive ob ignaviam sive ob lucrum, sive ob aliam haud aptam caussam, non audet (inquam) increpare & castigare natam: Hinc tacet, dissimulat, gravis negligentiæ noxam contrahit, & Dei iram in severas pœnas exacuit. Videte denuo, an vere dicam?

Erant summo Judæorum Pontifici Heli duo filii sacerdotes, vitam eo ministerio indignam agentes. Cognoscit senex alioquin bonus scandala natorum, hos ad se vocat & dicit: *Quare facitis res hujusmodi, quas ego audio,*

(m) 2. Reg. 13.

dio, res pessimas ab omni populo? Et pergit inculcans eis, ut hanc vitæ rationem deserant, denuncians: hæc esse peccata, quorum venia a Deo ægre obtineatur. At Deus hac correctione non contentus revelavit Samueli, se Heli cum filiis totaque posteritate severe punivisse: Et profecto ambo filii una eademque die interfecti in acie perierunt, Heli vero audito mortis eorum nuncio cadens de sella retrorsum vitam finiit: *Duo quoque filii Heli mortui sunt. . . Heli cecidit de sella retrorsum & fractis cervicibus mortuus est* (n) Dicet aliquis: Nunquid Heli filios suos graviter admonuit? Quid facere ultra pro legis illius consuetudine potuisset in filios adultos & jam sua sobole auctos? Nunquid & decrepita patris senectus & matura filiorum ætas vetuit vi uti atque ictus ingerere? Quid ergo senex potuit ultra facere, quod omittendo graviter peccavit & tam severas pœnas meruit? . . . Quæris, quid ultra facere Heli potuerit? Norunt optime SS. Joannes Chrysostomus & Hieronymus, quid facere Heli ultra & potuisset & debuisset; Prior ait (o) *Heli propter filios periit; illos quippe cum acrius coercere debuisset, verbis tantum levibus monuit: quapropter . . . illos & se ipsum una perdidit.* Posterior affirmat (p) *Heli corripuit filios & punitus est; quia non corripere solum sed abjicere debuit ab officio sacerdotis.* Intellexistis? Debent nimirum parentes, si admonendo & reprehendendo nihil promovent, vim abhibere & ætati & statui filiorum respondentem atque accomodatam: Si ætas verbera admittit, verberare illos non ex impetu iræ (Uti plurimi consueverunt) sed ex amore eis debito, atque ob eam caussam verberare illos modice, includere cubiculo, cibos moderate subtrahere & similibus asperis modis uti, ut exterreantur & ab delictis suis corrigantur. Quod si ætas & status natorum talia non admittit, aliis rationibus, quas vel Deus in auxilium vocatus vel pii & docti confessarii in consilium adhibiti suggerent, uti debent nunquam intermittentes repetere objurgationes, ostendere magnam animi sui ægritudinem, intentare minas privandi eos bonis, quæ expectant &c. Verbo: Adhibenda ab eis vera sollicitudo omnis, omnis attentio, ars omnis, ut animæ natorum a peccato mortali & æterni interitus periculo longe remotæ serventur. Sunt innumera S. Scripturæ loca, quibus hoc institutionis caput erga filios, præsertim ad hucdum teneros, parentibus Spiritus sanctus inculcat, quæ, ut ne plus justo excurrat oratio, indicasse satis habeo: Legantur itaque *Proverbiorum*, caput 12. & 23. item *Ecclesiastici*, caput 7. & 30.

Quid jam de tot patribus ac matribus dicam, qui peccata filiorum & filiarum suarum non solum non reprehendunt ac puniunt; sed etiam excusant, defendunt atque offenduntur, si vitia natorum sibi ab aliis referuntur. Quoties fit, ut pater de dissolutis filii moribus certior factus reponat: Junior est filius: dandum aliquid ætati: sunt sua calido sanguini privilegia? Quoties fit, ut Matres de filiarum levitate in agendo, inverecundia in vestiendo, furtivis amoribus, periculosis familiaritatibus, licentiosa vita edoctæ respondeant: sensu prædita est filia: non comprimenda illius vivacitas: nuptias aspirat; & quæ sunt aliæ responsiones matre christiana indignæ. *Quænam nos*, ait S. Joannes Chrysostomus laudans Jobi pro (q) occultis filiorum & filiarum suarum peccatis sacrificia offerentis exemplum, *Quænam nos*, sic inertissimos hosce patres ac matres increpat S. Doctor, *jam excusabit ratio, qui cum simus sub gratia, cum tantis & tam insignibus magistris potiamur, cum ejusmodi exemplis abundemus totque monitis erudiamur; non modo pro occultis incertisque filiorum peccatis non metuimus, verum aperta quoque & manifesta contemnimus? Nec ista saltem pernicie contenti, si qui eos emendare voluerint, eos undique rejicimus, exagitamus, affligimus?* Hæc origo, hæc caussa, pergit idem, tot tantorumque malorum, quibus populus christianus affligitur, negligentia parentum in filiis educandis, qui dum pessimis præceptis imbuuntur & mores pravissimos

(n) *1. Reg 4.* (o) *Homil. 19. in 1. ad Timoth.* (p) *Libr. contra Jovin.*
(q) *Libr. 3. adversus Vituperat. vitæ monast. n. 18.*

ſimos ſibi proprios & quodammodo naturales reddunt, vitiorum propagatores efficiuntur, iniquitatem a generatione in generationem transfundentes. *Unde acerbæ & intempeſtivæ mortes? Unde morbi perpetui atque graviſſimi plerumque nobis & liberis noſtris inferuntur? Unde caſus varios, calumnias, mala innumera perpetimur? Nonne quod filios noſtros malos aſpicimus & eos emendare negligimus?* . . .

Quapropter, ut ſermonem hunc meum conficiam, cum eodem S. Doctore vos moneo atque exhortor (r) *Nihil eos agere permittamus ex his, quæ noxie ineunda ſunt, neque illis ut pueris indulgeamus; atque ante omnia illos in pudore & ſobrietate ſervemus, quippe huic inimica libido omnium maxime hujusmodi perturbat ætatem: Ad hoc ergo vitium compeſcendum magnis nobis ſudoribus magnaque intentione opus eſt. . . Admoneamus igitur illos, corripiamus, coerceamus minasque intentemus, & modo iſtud modo illud faciamus. Exerceamus ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos, cetera omnia ſecunda loco quæramus; nam ſi quidem illi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt: ſin autem probi, nihil ex paupertate lædentur. . . Filiis non rite inſtitutis præſtat pauperes eſſe quam divites; paupertas enim vel invitos coercet atque intra virtutis limites continet: opes vero ne volentes quidem pudice temperanterque vivere ſinunt.* Vos vero, *Matres! filiarum vobis curam aſſumite. . . Curate ſollicite, ut domi jugiter ſint: ante omnia pias eſſe religioſasque docete, aſpernari pecunias exteriorisque ornatus contemptrices eſſe. . . Eas ſi ita inſtitueritis, non ipſas modo ſervabitis verum & viros, qui illas ducturi ſunt, neque viros tantum ſed etiam filios atque nepotes; quippe ex radice optima ſurculi prodeunt firmiores ac ſemper in meliora proficiunt; horumque omnium merces vobis reddenda eſt.* Ante alia omnia vero liberis bono exemplo prælucete; de quo agere in ſequentem ſermonem ſervo.

(r) *Homil. 9. in 1. Timoth.*

SERMO LIV.

De bono Exemplo, quod præbere parentes proli ſuæ debent.

QUantam alios ad imitationem inducendi vim etiam in arduis & corruptæ naturæ repugnantibus actionibus exemplum habeat, tam notum eſt atque manifeſtum, ut illud: *Verba movent, Exempla trahunt*, jam diu in proverbium ceſſerit. Hoc tamen diſcriminis bonum inter ac pravum exemplum intercedit, ut bonum, quippe cui animorum a piis actionibus averſio in nobis per peccatum originale relicta obſtat, difficilius imitatores inveniat: pravum contra, quippe quod animorum ad malum propenſionem adjuvat, nullumque ſibi obſtaculum in depravata natura noſtra reperit, immo vitiis illius patrocinatur, multos imitatores facillime nanciſcatur, citoque & perſonas & familias & civitates & provincias univerſas poſt ſe trahat; id quod ſingulos in dies ipſa experientia comprobat. Jam vero pravum exemplum multo majores vires accipere conſuevit, ſi duæ aliæ circumſtantiæ acceſſerint, nimirum auctoritas dantis & crebritas in dando, ſcilicet ſi perſona in auctoritate conſtituta illud crebro det. Vis malo exemplo ex perſonæ auctoritate accedens tam magna ac vehemens eſt, ut homines quodammodo cogere ad mali imitationem videatur, nimirum ſi congenita nobis (Ut dixi) ad malum pronitas ſpectetur: Quod ſi deinde cum auctoritate

pravi

pravi exempli ipsius etiam crebritas jungatur ac copuletur, quis dubitare poterit, quin illud homines vehementius commoturum & ad malum, quod continuo vident, fortius tracturum sit, adeo ut ii malum & agant & agere nihil vereantur.

Jam vero pravum exemplum filiis a parentibus præbitum ambas has circumstantias habet, quibus nati ad imitandum trahantur. Neque enim gravius quidquam aut majoris apud filios auctoritatis, quam parentes; quippe quibus post Deum Esse suum: quibus præ cunctis aliis hominibus amorem, obedientiam reverentiamque debent: Hinc pravum exemplum in parentibus visum natos ad imitandum quam vehementissime impellit. Quod vero ad crebritatem mali exempli attinet; haud fieri posse videtur, ut malum exemplum a quoquam mortalium frequentius, quam a parentibus, detur; quippe quibus nati ab ipso ortu suo convivunt, usque dum vel moriantur vel per status sui amplexionem ab iis separentur. Ob eam rem (Quod ad auctoritatem pravi exempli patrii attinet) sic judicavit (a) S. Thomas: *Parentes filios ad peccatum, quantum in eis est, obligant.* De crebritate vero pravi exempli patrii (b) sic ait: *Filii malorum assuescunt malo a principio; & ei, ad quod asuescunt in juventute, fortius adhærent; & ideo magis sunt proclives ad peccandum.*

Jam, O mei! mecum (si lubet) expendite, mirandumne admodum sit, quod nostra ætate tam pravi, tam dissoluti ac immorigeri filii & filiæ videantur; quandoquidem tot patrum sunt, qui eos, tales esse, pessimis suis exemplis docent, quin etiam tales esse quodammodo obligant? Et quoniam nobis horum parentum cogitationes, utpote soli Deo notas, perscrutari haud licet, agite! primo sermones eorum, deinde etiam actiones accuratius pensitemus, Verba multorum de plebe patrum nunquid omnia aut ferme omnia offensæ sunt Numinis? Verba parum pudica, obscœna & his similia. Verba juramentorum continua, *per Deum; in conspectu Dei; per Christum; per sancta Evangelia; per Crucem; per SS. Virginem; per aquam, ignem, terram Dei, in veritate Dei*, & similes aliæ phrases, quibus impii isti Dei sacratum nomen admiscent; idque tam assidue, ut si ratio iniretur, quoties per unius solius diei spatia ex ore multorum patrum talia juramenta audirentur, facile sexcentæ vices exirent; quandoquidem illi cuilibet verbulo illud: *per Deum &c.* addunt. Verba juramentorum dira imprecantium, *Moriar morte subitanea; Non Deus me adjuvet; Miser sim omni ævo; Nulla mihi ex sobole lætitia obtingat; Deus me fulmine percutiat &c.* quæ juramenta omnia multi patrum ex habitu, ex consuetudine proferunt, quin attendant, verane an falsa illis firment; Atque hæc jurandi ratio peccati gravitatem non solum non imminuit sed etiam auget, ut cum S. Thoma sermone LI. docui. Hinc vel omnia vel multa vel aliqua saltem horum juramentorum, quæ cuncta gravia sunt, excidunt illorum ori, quin id animadvertant; usque adeo maledicta hæc & exempli pessimi consuetudo eos occupavit. Verba, quibus certas res gestas, easque parum honestas, etiam oblectationis caussa & phrasibus familia christiana indignis narrant. Verba, quibus persæpe bonam famam modo hujus modo illius personæ vel familiæ lædunt, quin attendant, verane, an falsa, manifestane an occulta dicant ex eo, quod talia auditione acceperint, licentiam sibi arrogantes, eadem suis renarrandi; quin de cetero attendant, an illa veritate nitantur necne: immo quandoque ex prurigine loquendi dubia tanquam certa, & occulta tanquam manifesta, falsa & frivola tanquam verosimilia affirmantes. Verba, quibus timeraria judicia produnt, quæ modo de hac modo de illa persona ferunt; De quot virginibus & mulieribus honestis ob levissimum aliquod dictum vel factum mox ad domesticos dicunt: Ah! Ista fieri mater vult, quin virum habeat: Hæc filiis legitimis haud contenta est, etiam spurios vult: Illi, fieri haud potest, ut quæstus, quem facit, ad ea, quæ præstat, præstanda sufficiat; Necesse, ut vel lance ini-

(a) *In Psalm. 16.* (b) *In Matth. c. 23. & Quodlib. 4. a. 23.*

qua vel mensura parca aut similibus rebus bona aliena accidat: Hic ludendo rem sibi amplam fecit. At nil mirum; Circulatoris ad instar manu dexter ac promptus est; Deus scit, quot fraudarit: Illa nimis splendide se vestit; nimirum quæstus occultus ei exhibet, quo hoc faciat; miror, maritum ista non adorari: Hæc muneribus affecta fuit; at fœminis munera gratis venire haud solent &c. . . Silentio prætereo verba injuriosa & probra, quæ modo in hunc modo in illum effundunt; verba, quæ adversus uxores suas atque natos ipsos indies vomunt, sæpe etiam blasphemiis commixta. Silentio prætereo execrationes & maledicta, quæ ore suo continuo versant; Ast tacere haud debeo verba pravorum documentorum, repugnantium legi divinæ & præceptis Ecclesiæ, quandoque etiam Fidei sanctæ veritatibus adversantium, quæ ore temerario filiis adstantibus promunt: Quoties dicendo in certis circumstantiis: *An nescis, quæ tibi agenda*, docent natos decipere, fraudare, adhibere pondera & mensuras haud æquas? Quoties dicendo: *Si suum cuique tribuere vellemus, nihil reliquum nobis foret*, docent filios retinere rem male partam? Quoties dicendo oblata occasione: *Oportet fortem erectumque animum gerere, non pati injurias, lingua adorientem manu repellere &c.* docent natos vindicare probra? Quoties dicendo natis pium aliquod opus (sive Missam audiendo sive frequentando Sacramenta, sive jejunando) exercere volentibus: *Haud mihi tanta sanctitas cordi est; Sunt multa nimis Ecclesiæ jejunia; Cui bono tot Sacramenta; Non nisi una per annum vice hæc percipiendi obligatio manet*, (Et quæ sunt alia his similia dogmata) tum sibi exiguam aut nullam æternæ salutis curam inesse ostendunt, tum simul produnt, se eandem in filiis ægre ac moleste ferre.. Hi sunt sermones, qui utplurimum ex multorum de plebe, immo & spectatiorum patrum ore audiuntur.

In eandem sententiam multæ hujus ordinis matres loquuntur: Et quanquam juramentis *per Dei nomen &c.* aut etiam verbis immodestis ac turpibus deditæ esse haud soleant, tamen in aliis supra memoratis sermonibus habendis æque cum viris faciles aut etiam faciliores esse deprehenduntur. Sunt autem, de quibus dico, verba execrationum & maledictionum; verba detractionum & murmurationum; verba temerariorum de Proximo judiciorum; verba, quibus natas extimulant, ut hæ splendide se gerere, ut conciliare sibi amores, ut videre & videri, ut non tam morosas ac difficiles, tam ab amasiis abhorrentes; sed enim in illos se comes atque urbanas præbere &, quas in æqualibus vident, gratias, concinnitates atque elegantias addiscere studeant. Quot præterea matrum sunt, quæ de nulla re sermonem frequentius cum filiabus miscent, quam de pulchritudine hujus puellæ, de elegantibus alterius fæminæ moribus, de amatoribus hujus, de vivacitate aut de matrimonio illius adolescentulæ &c. de alacritate hujus vel illius juvenis, de quæstu alterius, de hujus egregia collocatione, de bona illius fortuna; denique de modis novis, de vestimentis deque mundo muliebri: qua re præceptis, cogitationibus & ideis (unice mundum, vanitatem, lucrum, nuptias spirantibus) natarum cerebrum totum complent. Et quandoque etiam, si filia Christi spiritu concita de rebus divinis, de anima, de vita futura verba facere voluerit, a matre tanquam melancholica, hypochondriaca, stulta objurgatur, adeo ut filia, ne torvis spectetur oculis, ad recinendos maternos sermones adactam se sentiat.

Jam de verbis ad actiones multorum patrum ac matrum considerandas transeamus. Vident filii ac sciunt inconditos patris mores: sciunt, eum lusorem esse & in diversoriis cum combibonibus suis rem prodigere: experiuntur, ob id vitæ necessaria sibi a patre non suppeditari; sed eum domum redeuntem, cum afferre, quo reficerentur, deberet, strepere, vociferari ac furere: quod non inveniat, quæ manducet; ac si familiæ esset, patrem alere, & non potius patris, alere familiam: sciunt filii patris rixas, inimicitias

micitias & ferociam: sciunt & amicitias patris, quæ afflictæ matri lacrymas sæpius extorquent. Paucis: Vident filii non patrem familias sed lupum devastatorem: sciunt aut saltem prudenter suspicantur, eum per plures annos non confessum, & plurium non observatarum paschalium solennitatum, violatorum jejuniorum (Quamvis opificium illius haud tale sit, quod jejunandi obligationem tollat) reum esse: vident (Ut uno verbo dicam) in patre habitualem legum divinarum & ecclesiasticarum violatorem. Vident filiæ matrem omni christianæ devotionis sensu carentem: rarissime accedentem ad SS. Sacramenta; contra nil nisi mundum spirantem: avidam se jactandi: assiduam prospectando per fenestras & januam domus: pertæsam laboris: amantem circumvagationum: promptam respondere occurrentibus viris mutuis familiaritatis officiis, admittere eos in ædes ad læta atque ambigua colloquia, & persæpe etiam manere cum illis secreto ac sine arbitro: frequentantem inscio marito personas altioris ordinis; adeo ut filias alia omnia potius, quam probe christianas esse, doceat. Hæc est utplurimum vivendi ratio multis de plebe matribus usitata.

Quod si ad patres & matres paulo sublimioris conditionis ascendere libet; fieri equidem potest, quod in aliquibus horum certi abjecti ac viles loquendi & agendi modi non deprehendantur, at certe alii non minus mali & subtiliores deprehenduntur. Est (Ut de verbis dicam) invenire patres juramentis assuetos, & qui saltem illud: *Per Deum*, ore continuo jactant, quomodocunque demum id cadat. Est invenire multos ea quidem verba non proferentes, quæ sine nausea vel ex plebejorum ore audiri non possunt & personas civiles minus decent; verum, quoniam acutioris ingenii sunt, amantes ambiguis & obscuris verbis uti, quæ audientium animis eo magis nocent, quo majorem meditandi materiam humanæ fragilitati præbent. Est invenire alios, qui verba irarum plena, indignantia, contumeliosa sæpissime jam in famulos, jam in artifices, jam in alios se inferiores jaciunt: Et quoniam personæ istæ raro una simul sunt præterquam ad mensam, ob id fit, ut harum ad mensam accubatio, quædam quasi tribunalis conscensio, fit, in quo modo hujus, modo illius facta, agendique & cogitandi ratio carpitur, suo nomine notatur, expenditur, damnatur: in quo, quæ de Proximo in foro audita fuerunt, referuntur, sive dein fama illius lædatur sive non. Ibi putatitiæ injuriæ modo ab hoc, modo ab illo acceptæ explicantur & variæ repetendæ vindictæ rationes proponuntur: Ibi jam hujus, jam illius turpis servitus, & fæminæ, cui servitur, reciproca urbanitatis officia panduntur: Ibi persæpe etiam sanctæ Fidei capita in sermonem trahuntur & post lectum malæ notæ librum eorum e numero, qui mentes solidæ doctrinæ præceptis haud satis imbutas ad dubitationes veritatumque catholicarum vilipensionem traducere solent, acris ingenii laudem captandi & eruditionis affectandæ gratia variæ difficultates proponuntur, quas dum pro sua ignorantia solvere & expedire nequeunt, ecce! filiorum talia audientium fides graviter concutitur ac labefactatur. Multoties etiam de dignitatibus, de muneribus, de ministeriis aut honorificis aut lucrosis, de variis negotiationibus & mercaturis, deque modis ac viis eo perveniendi & opes comparandi sermo infertur, quin attendatur, modine liciti an illiciti proponantur; dummodo propositum obtineatur. Quo fit, ut, dum animi natorum fumo, ventis, vanitate divitiarumque cupidine implentur, sæpe prava, conscientiæ & justitiæ calculo damnata istarum rerum obtinendarum remedia adhibeantur. Hæc sunt verba, quæ memoratæ conditionis filii ex ore multorum patrum audiunt.

Verba matrum hujus ordinis pauca sunt, quæ filiæ audiant; nam cum matres easdem adhuc teneras monasterio cuidam custodiendas tradiderint, eas visitatum ad cancellos claustri accedunt. Jam ibi verba fa-

ciunt pro ratione consiliorum, quæ de filiarum futura collocatione cum animis suis ceperunt; nam si natam (Vel ut familia allevetur, vel alterius sordidi lucri caussa) monacham fieri optant, verba promunt mire conditæ pietatis, docentes equidem felicem eorum sortem, qui se Deo dedicant: at simul addentes, fieri hanc dedicationem posse, quin commodis suis renuncietur: promittentes & crebras visitationes & pensionem opimam & munera & nescio quæ alia, adeo ut postremum locum motivum se ex animo Deo addicendi te eat. Quod si mater nuptias cogitat filiæ, defert ad cancellos sermonem de novis modis, de inventis, de pannis sericis, de margaritis in hac, illave fœmina visis atque observatis: defert imagines variorum sponsorum jam deprædicans venustatem hujus juvenis, quem illa nacta est: jam magnificentiam illius adolescentis, quo hæc ut viro potita est: jam ludos & oblectamenta novæ sponsæ a sponso præbita exponens: quibus omnibus regressæ in cubiculum filiæ ampla materia datur, meditandi & reputandi ejusmodi res, quæ faciant, ut miseræ illi horæ suæ in monasterio mansionis septimanæ, septimanæ anni, anni secula esse videantur.

Verum ad actiones patrum hujus conditionis progrediar. Vident filii sæpius patris imprudentem rationem agendi cum creditoribus, qui pecuniarum suarum indigentes easdem (& toties ad domum accedendo & tantum temporis perdendo & persæpe innumeras repulsas severis minis atque acerbis objurgationibus junctas ferendo) quasi bis lucrari coguntur. Et sic pater filios justitiam docet! Vident filii patrem redire domum jam luce exoriente; quod nocte tota vigiliis, spectaculis, compotationibus & personatis choreis familiæ facultates varie absumpserit. Et sic pater filios pietatem docet! Vident filii patrem ornando corpus vestiumque luxu immodicum; & posthac quotquot petendæ eleemosynæ caussa fores pulsant, mendicos in pace missos fieri cernunt. Quod si parochus accedat periclitanti puellæ aut alii familiæ præ pudore & verecundia vix non fame pereunti opem oraturus, comibus quidem at meris verbis onustus dimittitur. Et sic pater filios charitatem Proximi docet! Vident filii patrem mature e lecto consurgere, ut paratum se teneat vestimenta inducere illustri alicui fœminæ, cui ancillatur: quam, ubicunque jerit, manuducit; quin a latere illius discedat, nisi forte ut jussa illius capessat illique hoc vel illud provideat, quavis hora diu ac noctu nutus illius fœminæ omnes observans: Quæ deinde merces tam fidam servitutem sequatur, Deus &, qui vices ejus gerunt, soli norunt. Et sic pater filios honestatem amoremque conjugalem docet! In alias actiones, ceu in speculum quoddam, inspiciunt filiæ; nam aut vident (si domi sunt) aut sciunt (si inclusæ monasteriis vivunt) matris luxum, cui sustinendo res familiæ impar: vident illam vestimentis, novis modis & omnigena magnificentia inexplebilem: vident eam excepto nocturno tempore parum domi esse, sed pro libitu per urbem vagari non quidem solam sed stipatam ab illo præelecto assecla; quoniam maritus eam deducere nequit: sive quia ipse alterius fœminæ servitutem servit, sive quia cum alia persona, etiam veluti connubio eidem junctus, saltem per diem manet: vident illam raro accedere ad SS. Sacramenta; contra theatra, quosvis promiscue conventus & vigilias, abacos lusorios omniaque oblectationum genera assidue frequentare.

Postquam in hac prolixa vitæ multorum parentum christianorum descriptione tota pessimum exemplum a genitoribus dari liberis solitum ex parte cognovistis (Nam multa adhuc dicenda essent) quærere modo ex vobis libet, utrum non ad pravorum morum imitationem nati quodammodo cogantur? Jam superius de pessima, in nobis per peccatum originarium relicta, ad malum propensione memini; quæ si pernicioso parentum exemplo fovetur, illudque filii continuo ante oculos habent, nunquid miseri in morali quadam mali discendi & imitandi necessi-

cessitate versantur? Si, ex quo usum rationis acceperunt, nil aliud audiunt, quam verba Deum offendentia, nil aliud vident quam actiones Deum offendentes; quid, quæso! aliud discant quam Deum quam liberrime offendere? Ob hanc caussam S. Thomas pronunciavit (c) *Filii liberius imitantur peccata parentum utpote a pueritia in eis enutriti.* Profecto dum inter mala exempla nutriuntur, dum mala inter exempla educantur, fit, ut illis aliter agere quasi impossibile reddatur: Hinc malo parentum exemplo obligantur aliquo modo (Ut sic dicam) ad male operandum: *Eos ad peccatum*, replicat S. Thomas, *quantum in eis* est, obligant, adeo ut *raro* accidat, *quin filius imitetur malitiam eorum*; *& ratio est, quia filii malorum assuescunt malo a principio: & ei, ad quod assuescunt in juventute, fortius adhærent; & ideo sunt magis proclives ad peccandum.* Ea de caussa prodigio simile videri debet, si soboles malo exemplo incitata mores parentum imitando non exprimat.

Percipite egregium e SS. Libris factum, quod opportune menti occurrit! Omnes vos scire tremendam pœnam existimo, quam Core, Dathan & Abiron Deo dederunt, adversus Moysen & Deum murmurantes: Erat autem hæc; Terra dehiscens hanc pessimorum hominum triadem vivos una cum uxoribus & filiis ingenti voragine hausit; Addit tamen sacer textus: præter hoc horribile divinæ justitiæ miraculum aliud quoque divinæ clementiæ prodigium illa die visum fuisse; scilicet quod, cum Core cum substantia sua & sceleratis sociis terra absorbebantur, filii Core salvi perstiterint: *Et factum est grande miraculum, ut pereunte Core filii ejus non perirent* (d) Fuit autem (Uti Interpretes observant) miraculum hoc, quod terra sub pedibus eorum dehiscente & Core cum reliquis in barathrum ruente filii ejus divinæ potentiæ ope quasi suspensi in aere, quin deciderint, steterint, donec terra denuo in unum coivit. Ast quare non una cum patre filii perierunt? Ratio rei hujus secundum Expositorum sententiam evidens est (e) *Quia rebellioni patris non consenserunt* & malum illius, in detrahendo Deo & Moysi, exemplum secuti non sunt. Ecce vobis casum longe rarissimum, cui etiam prodigii nomen adscripsero; scilicet quod filii Core a pessimo patris exemplo abhorruerint: *Factum est grande miraculum.* Tale etiam nostra ætate erit, si filius, si filia sceleratos parentum mores non æmulentur; Hoc namque postulat sibi ejusmodi gratiæ auxilium, quod ad miraculi rationem ferme accedat. *Nunquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus* (f) pronunciavit olim Christus indicans, fieri istud modo naturali haud posse. Idem ego dico: Nunquid liberi de spinis & tribulis malorum exemplorum, quæ in parentibus vident, colligent uvas, quibus in se ipsis operum christianorum & piæ devotionis fructus exprimant? . . . Quod si hoc quandoque fit, inter gratiæ divinæ miracula annumerari debet: *Factum est grande miraculum, ut pereunte patre aut matre* per culpas suas *filii ejus non perirent* & non imitarentur *rebellionem patris.*

Ex hoc aliud grave malum consequitur: nimirum quod hujus generis parentes, mala exempla præbendo, sibi ipsis facultatem adimant implendi partem officii sui principalem, quæ est *Correctio.* Equidem hoc correctionis munus Christus Fidelibus cunctis respectu Proximi injunxit, veruntamen ab illo certæ quandoque circumstantiæ absolvere possunt; At in genitoribus respectu liberorum obligatio hæc ex ipso τὸ *Esse patrem* fluit, nimirum jure naturali strictissimo imperatur, adeo ut illi ab adhibenda filiis correctione (Ubi opus fuerit) dispensari nequeant, seque semper vel venialis vel mortalis (pro ratione materiæ & occurrentis necessitatis) omissionis reos reddant. Jam parentes mali exempli ob vitam suam scandalosam inhabiles fieri ad adhibendam natis correctionem, ecce! manifesto & ipsa experientia nitente argumento comprobatur. Ponamus, patrem tota die juramenta illa usitatissima: *per Deum, per Evangelia &c.* vomere: ponamus filium hæc audire, & duodecim vel

(c) *Ad Annibald. 2. dist. 34. q. 1. a. 2.* (d) *Num. 26.* (e) *Corn. a* LAPIDE.
(f) *Luc. 6.*

vel tredecim annos natum identidem in domo effutire talia: *per Deum ita, per Deum non, per Evangelia ita, per Evangelia non.* Quomodo jam pater, quem posuimus, corrigere (prout debet) & dicere filio poterit: Obmutesce! Cave, sic in vanum assumas nomen venerandum Dei & SS. Evangeliorum &c. Quommodo (inquam) pater hanc correctionem adhibere poterit, quandoquidem filius, etsi præter jus, cum animo suo dicere potest: Facio, quod pater die tota facit & quod suo me exemplo continue docet? Quomodo, repeto, adhibere hanc correctionem pater poterit, quin se ipsum coarguat & rubore confundat? *In quo enim alterum judicat, seipsum condemnat* (g) Attamen obligatio naturalis stringit parentem, ut corrigat filium, & peccat si non corrigit: Et si corrigit, quid aliud corrigendo promovere poterit, quam quod filium irritet ac provocet, ut illam irreverentiæ plenam (de qua paulo ante mentionem feci) increpationem patri reddat ac dicat: Quid? Tu me corrigere ea aliquot vicibus proferentem, quæ tu totius diei spatio proferre me doces! Hoc ipsum sentite, O mei! de quovis alio patris vitio filiis noto; itemque de peccatis & vitiis matris, filios ac filias non latentibus.

Quid ergo faciant hujus farinæ parentes? Omittantne corrigere? Nequaquam; Ad id namque jure naturali obstringuntur: Corrigantne? . . . At si rei sunt eorundem delictorum, filiis cognitorum, qui ex correctione scandalum referre possunt; nam teste S. Thoma (h) *redditur indebita correctio propter scandalum, quod sequitur ex correctione, si peccatum corripientis sit manifestum; quia videtur, quod ille, qui corrigit, non corrigat ex charitate sed magis ad ostentationem:* Atque ob id, qui vi officii sui ad corrigendum alios non obligatur, corrigere haud debet Proximum de peccato, a quo ipse immunis non est, & immunis non esse a Proximo scitur. At ista correctionis omissio non cadit in eum, qui vi officii sui ad corrigendum alios obstringitur; quod præ ceteris personis cunctis ad parentes maxime spectat. Igitur quid faciat pater advertens in filio eadem peccata, quæ filius vicissim tota die in patre advertit? Quid faciat, obsecro, O mei! edicite. Ecce! quibus angustiis, quibus tricis suas ipsorum conscientias hujusmodi parentes impediant, adeo ut, correctionem sive adhibendo sive omittendo, peccent. Ast malo huic remedium sublimi & angelico ingenio suo reperit S. Thomas (i) monens Prælatos & (quod sequitur) omnes illos, qui vi officii sui ad corrigendum alios tenentur, quod, quando corrigere alios de peccatis debent, quorum ipsi rei sunt & rei esse a corrigendis dignoscuntur, tunc eos non corrigere, ne se ridiculos faciant & scandalum dent, sed enim rogare sibi subditos (Dicam ego: filios ac filias) debere, ne malum sibi exemplum capiant, nec faciant, quæ fieri vident: *Prælatus* (S. Doctor loquitur de iis, quorum peccata comperta habent corrigendi) *potest eum admonere non per modum corripientis sed per modum rogantis, ut exemplo suo non incitetur ad malum.* Ecce, O mei! in quem statum parentes, malum exemplum præbentes, semetipsos conjiciant, si voluerint gravi officio suo, corrigendi filios eorundem secum peccatorum reos, non deesse? Debent obsecrare liberos, ne mala sua exempla sequantur. Quid vobis videtur, O mei! Anne deprimi altius auctoritas patria potest? . . . Nunquid illa plane evilescit, veniam suorum peccatorum petere a natis eosque obtestari coacta, ut ne exempla pessima æmulentur; cum e diverso parentes esse familiæ ceu quoddam operum piorum & christianorum prototypon, & tunc libere dicere natis deberent: Sic ego facio; sic & vos faciatis volo.

Verum quid allatum a S. Thoma remedium parentes juvat? Quid juvat eos, ut debitam correctionem non omnino intermittant, filios orare, ne sua exempla imitentur, si in vitiis perseverant? Certe haud alio hoc eos juvat, quam ut viliores, despectiores magisque scandalosi fiant. Hinc, si

(g) *Rom. 2.* (h) *In 4. Sent. dist. 19. q. 1. a. 2. q. 3.* (i) *In 4. Sent. dist. 19. q. 1. a. 2. q. 2.*

si filios admonere volunt, addant: Quemadmodum desidero, ut tu, O fili! O filia! resipiscas; ita etiam ego divina auxiliante gratia resipiscam, nec me audies imposterum aut videbis talia vel dicentem vel facientem. Ejusmodi correctio & admonitio bonum sortiri exitum poterit, si parentum a malo exemplo emendatio sequatur: Secus omnia in cassum cadent nec alio proderunt, quam ut parentes deridiculo sint, quin emendatio filii aut filiæ expectari vel sperari queat.

Ex iis, quæ in duobus hisce sermonibus hucusque dixi, colligatis velim; O mei! bonum parentum exemplum basin esse ac fundamentum, quo reliqua omnia educationis filiorum officia nituntur. Bonum exemplum pondus institutionibus, vim admonitionibus, auctoritatem correctionibus, efficaciam castigationibus addit: Hoc deficiente reliqua omnia frustra sunt, nimirum si filii in parentibus bonum, quod docetur, non vident & malum; quod interdicitur, cernunt. Ea itaque vobis, O mei! dicere juvat, quæ duo sanctissimi & gravissimi Doctores dixerunt S. Hieronymus (k) & Augustinus (l) Prior, scribens optimarum matrum cuidam, sic ait: *Nihil in te aut in patre suo videat, quod si fecerit, peccet; Memento, vos parentes virginis magis eam exemplo docere posse quam voce.* Posterior populum suum sic est cohortatus: *Quemadmodum ad nos* (Episcopos) *pertinet, in Ecclesia vobis loqui; ita ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his, qui vobis sunt subditi.* Bono Exemplo, O mei! Exemplo opus est, omniaque bene succedent. Et quæ hucusque de parentibus respectu filiorum dixi, eadem de heris respectu servorum & domesticorum dicta intelligatis volo, quin hic denuo quidquam repetam.

Date veniam, O mei! si in proposito argumento explicando solito prolixiori oratione utor: Postulat id ejusdem gravitas ac magnitudo; Etenim nonnulla de electione status dicenda restant; qua in re, utut gravissima, parentes duo Extrema sectari videntur: Alii nimis sollicite curant, ut nati statum religiosum amplectantur; Alii contra huic pio filiorum consilio modis omnibus obstant, omniaque moliuntur, ut eos a proposito avertant. Causa utriusque Extremi una est, sordidum lucrum; nam parentes, qui hac in re sapienter & ex Fidei præceptis agunt, in neutram partem inclinatos sese atque indifferentes ostendunt, cum probe sciant, vocationem ad statum religiosum venire a Deo debere, & ubi venerit, patrii officii esse illam pensitare, periclitari, consultando cognoscere: Et postquam eam, ut desuper venientem cognoverint, parendum Deo; secus natorum proposito sapienter obstandum esse.

Itaque illi parentes, qui in hac re errant & lucro domestico ducti modis omnibus student, ut in filiis vocatio ad statum religiosum exeat; id spectant maxime, ut familia alioquin sat numerosa allevetur & minori, qua fieri potest, cum incommoditate administretur: Aut etiamsi familia numerosa non sit, si natorum quendam nulla aut exigua ingenii acritate præditum deprehendunt, hunc cum animis suis monasterio destinant: Similiter filiam dotibus naturæ, quæ in fœminis magni fieri solent, vel ex toto vel ex parte destitutam claustro addicunt; Quod (Ut paucis dicam) idem est, ac Deo familiæ purgamenta destinare, & pessimum de grege agnum vel ovem offerre. Contra hos parentes Dominus maledictionem per os Prophetæ Malachiæ intimat, adducta a me gregis allegoria utens (m) *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum. . . Et tamen immolat debile Domino; quia Rex magnus ego, dicit Dominus Deus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus*; ac si diceret: Mihi, Regi maximo, Deo summo, formidando omni creaturæ audetis offerre quisquilias & abjecta gregis. Hiccine honor, quo me afficere simulatis? Ob id maledicta erit hæc fraudulenta vestra agendi ratio: *Maledictus dolosus.*

Omnibus itaque modis, omnibus viis tales parentes pro familia filia invisa aut inepto filio liberando utuntur, ut hi amplectendi status religiosi cogitationem suscipiant.

(k) *Epist. 7. ad Letam.* (l) *Enarr. in Psalm. 50.* (m) *Malach. 1.*

piant. Et si piæ incitantes caussæ, nimirum Deo serviendi, animæ in tuto collocandæ &c. non sufficiunt, adduntur promissa innumera & visitationum & pensionum & commodorum & aliarum rerum mille, quibus nati ad longe alia, quam quæ spectari ab sacram Religionem ingredientibus debent, spectanda induci queunt. Ex hoc præterea fit, ut ejus Religionis vel monasterii, in quo tum per bonam disciplinam tum per sancta morum exempla tum per vitæ communionem salus æterna filii vel filiæ vera re in tuto collocaretur, eligendi ratio & cura nulla habeatur; sed cum iis monasteriis statim transigatur, quæ primo occurrerint, & quæ sine ulla talentorum, capacitatis atque aliarum in persona suscipienda requisitarum dotum discretione omnes promiscue admittunt sive propter beneficia, quibus afficiuntur, sive propter personæ alicujus auctoritate præditæ patrocinium, sive propter pecuniam, quæ numeratur: Atque hac ratione, cum salus æterna filiorum in tuto poni deberet, contra multis facilioris interitus periculis objicitur.

Iisdem viis incedunt parentes, qui, non quidem ob capacitatem sed ob numerum liberorum, familiam similis domestici lucri caussa iisdem liberare student. Satagunt illi natorum (semper tamen minus capacium) menti vocationem ad statum religiosum ingerere atque inculcare: Et postquam illos iisdem promissis & eadem (respectu monasterii ac Religionis) indifferentia domo patria exterminarunt, se Deo litavisse credunt, cum tamen porprio commodo litarint: Et quod peius est, ex istiusmodi ingestis & animo prolis inculcatis vocationibus gravissima ut plurimum incommoda sequuntur: scilicet, quod nati in statu, quem amplexi sunt, nunquam tranquilli, male contenti, spiritus Religionum, ad quas nomen dederunt, exsortes & sub Religionis insignibus ut homines seculares vivant. *Vocavit nos*, ait Paulus (n) *vocatione sua sancta*; Intellexistis? Vocatio ad statum divini cultus duplici conditione ornari debet; debet nimirum a Deo indi pectori personæ vocatæ, & sancta esse (hoc est) spectare finem sanctum, qui est salus animæ, debet: *Vocatione sua sancta.* Atque ob id vocatio nec politia humana regi, nec instillari animis lucri caussa multoque minus temporale familiæ allevamentum propositum habere debet: Quod si hujus generis fuerit, non erit vocatio *Dei* & *sancta*, sed vocatio humana & mala.

Quod si vero vocatio filiorum esse *Dei* & *sancta* videtur, tum sapienti modo fieri periculum, utrum re vera talis sit, & postquam talis esse deprehenditur, secundari a parentibus debet, utpote cui utplurimum effectus prædestinationis charorum pignorum cohæret atque connectitur. Atque hoc in loco ad eos parentes orationem converto, qui sive immoderato carnali in natos amore sive opportuni matrimonii sordido consilio sive hæreditatis spe aut alia simili caussa ducti omnibus nervis impedire conantur, ut ne filius aut filia, a Deo vocati, statum religiosum amplectantur, æternam quodammodo sobolis suæ fortunam impugnantes. Non prohibeo, immo moneo, ut parentes bene dispiciant, utrum Ordo religiosus, quem nati eligunt, re vera talis sit, ut per hujus ingressum illi salutem suam certam faciant & non potius in majora, quam si in seculo remanerent, discrimina adducant, hoc est: ut parentes certiores se reddere studeant, utrum in illo sit vitæ communis ratio, regularum observantia, probitas morum & aliæ conditiones ad Religionem, in qua Deo servitur Proximoque bona exempla dantur, requisitæ. Quod si Ordo religiosus a liberis electus haud talis esset, sed in illo severior morum disciplina laxata fluxisset, adeo ut alumni ejus lusibus operam dent, oblectamenta sibi sumant, genio indulgeant, pecunias privatim teneant, per urbem etiam personati vagentur: Atque ob id ille Ordo religiosus bonis exemplis haud ferax immo quandoque scandalis fœcundus exsisteret, repugnent (Volo) parentes, contradicant, immo omnibus modis huic electioni obsistant:

(n) 2. Timoth. 1.

ſtant: Jure meritiſſimo id fecerint; aſt caveant, ne ob ſua commoda ſed ex vero zelo reluctentur: Zelo non exponendi ſobolem iis periculis, a quibus in ſeculo remanens immunis eſt: ſeculo, in quo alia denique obligatio non viget quam præceptorum Dei & Eccleſiæ; dum contra in Ordinibus religioſis gravis tendendi ad perfectionem, vitiis nullum locum dandi & in aliquibus etiam aliorum præceptorum, in omnibus vero tria vota ſolennia ſervandi obligatio obtinet: quæ vota ægere admodum ſalva conſiſtunt, niſi vitæ communis & obſervantiæ regularis propugnaculo defendantur; prout poſt S. Thomam SS. Canones innumeris in locis affirmant. Hinc ſi filius aut filia Religionem aut monaſterium bonis moribus ac regulari obſervantia haud bene conſtitutum ſibi eligunt, licentiam illud ingrediendi parentes denegent.

Ubi vero Religio, ad quam liberos Deus *vocatione ſua, ſancta* vocat, primi (de quo memini) generis fuerit, graviter delinquunt parentes, ſi eis obſiſtunt ac reluctantur: Et in hujusmodi parentes alia non dico, quam quæ S. Bernardus in Epiſtola (o) nomine Eliæ monachi nondum profeſſi ad parentes omnia molientes, ut is in ædes patrias reverteretur, exarata ſcripſit. In hac Epiſtola, poſtquam S. Doctor oſtendit, omnem creaturam humanam Deo potius quam genitoribus (quippe qui, dum filiis Eſſe dant, eosdem in mundum hunc ceu certaminis locum jugiter non ſine perpetuo cladis periculo pugnaturos introducunt) tandem his verbis parentes objurgat: *O durum patrem! O ſævam matrem! O parentes crudeles & impios; immo non parentes ſed peremptores, quorum dolor ſalus pignoris, quorum conſolatio mors filii eſt; qui me malunt perire cum eis quam regnare ſine eis; qui me rurſus ad naufragium, unde tandem nudus evaſi: rurſus ad ignem, unde vix ſemiuſtus exivi: rurſus ad latrones, a quibus ſemivivus relictus ſum . . . . revocare conantur, & militem Chriſti prope jam rapto cœlo triumphantem . . . ab ipſo jam introitu gloriæ tanquam canem ad vomitum, tanquam ſuem ad lutum & ſeculum reducere moliuntur. Mira abuſio! Domus ardet, ignis inſtat a tergo: & fugienti prohibetur egredi, evadenti ſuadetur regredi; & hoc ab his, qui in incendio poſiti ſunt, & obſtinatiſſima dementia & dementiſſima obſtinatione fugere periculum nolunt. Proh furor! Si vos contemnitis mortem veſtram, cur etiam appetitis meam? Si negligitis ſalutem veſtram, quid juvat etiam perſequi meam? Quare vos non potius me ſequimini fugientem, ut non ardeatis? An hoc eſt veſtri cruciatus levamen, ſi me etiam perimatis? Ardens ardentibus quod ſolatium præſtare poterit? Quæ, inquam, conſolatio damnatis, ſocios habere ſuæ damnationis? Quodve remedium morientibus, alios videre morientes? . . . Deſinete igitur, parentes mei! deſinite & vos fruſtra plorando affligere & me gratis revocando inquietare. . . Pro meis atque veſtris peccatis jugiter orabo: aſſiduis precibus, quod & vos cupitis, impetrabo (ſi potero) ut qui ejus amore hoc modico tempore ab invicem ſeparamur, in alio ſeculo ſimul felici & inſeparabili ſocietate in ejus amore vivamus per omnia ſecula ſeculorum; Amen.* Atque ut & ego ſermonis hujus finem faciam, ſic vos exhortor: Qui habet filios, omni die & pro ſe & pro illis Deum ex animo imploret: pro ſe, ut officia patris & matris vere catholicæ cuncta adimpleat; pro filiis, ut vitam ducant ab omni peccato alienam & in chriſtianis virtutibus acquirendis intentam, Amen.

(o) *Epiſt.* 111.

SERMO LV.

De obligationibus filiorum erga parentes.

POstquam, O mei! parentum in filios officia intelleximus, restat pandere, quæ sint vicissim filiorum in parentes obsequia; hæc enim quarto Decalogi præcepto, maxime imperantur, quod sic sonat: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi* (a)

Verbo: *Honora*, triplex officium, quod filii erga parentes exerceant, comprehenditur (Uti post SS. Patres Theologi omnes observant) videlicet Amor, Reverentia, Obedientia. Debent itaque filii amare, & revereri parentes eisque obedire. Obligatio amandi parentes adstringit filios, ut eis bene velint; cum amare nil aliud sit quam bene velle: Bonum autem qui Proximo ex animo vult, hoc ei & confert si potest; quod si non confert, cum tamen possit, chimerice, verbo solum non re & facto, amat. Ob id S. Joannes Apostolus amorem & benevolentiam meris verbis nixam reprobat affirmans eum, qui re vera amat, benevolentiam factis comprobare debere: *Non diligamus verbo neque lingua* (b) *sed opere & veritate.*

Itaque, ut filii hanc primam memorati præcepti partem impleant, debent conferre parentibus ea bona, quæ possunt: & quoniam, usque dum in certam ætatem adoleverint, haud alia bona conferre parentibus possunt quam spiritualia, precibus suis a Deo genitoribus exorata; ob eam rem obligantur filii, ut pro suis parentibus quotidie Deum deprecentur, quo hic illis primo auxilia divinæ suæ gratiæ impertiatur, ne unquam peccent sed congruam parentibus catholicis morum & vitæ probitatem ad aliorum exemplum sectentur: secundo, ut Deus illis bonam valetudinem concedat, qua fruentes & suæ saluti & familiæ sustentationi laborare possint: tertio ut Dominus negotiationes eorum, ministeria, officia, opera & labores vitæ honeste tolerandæ caussa susceptos prosperare dignetur, eosque coli & honorari ab aliis faciat. Paucis: Debent filii Deo parentes commendare in omnibus, quibus sive quoad animam sive quoad corpus sive quoad bona temporalia statui congrua ipsis opus est. Ita Catechismus Concilii Tridentini (c) *Nam eos etiam tum honoramus, cum a Deo suppliciter petimus, ut eisdem bene & feliciter omnia eveniant, ut in maxima gratia & honore sint apud homines, & ut ipsi Deo ac Sanctis commendatissimi sint.* Huic officio desunt ii liberi, qui nunquam aut raro admodum pro genitoribus orare student; &, si quandoque illos commendent, id mere temporalis lucri caussa faciunt, boni & emolumenti parentum spiritualis curam nullam habentes; cum tamen ad hoc bonorum genus quemadmodum parentes respectu filiorum (ceu omnium, quæ illis velle possunt, bonorum summum) ita & filii respectu parentum respicere deberent.

Amorem hunc, quem modo spiritualem & præcipuum appellare juvat, alia sollicitudo comitatur, quam filii, maxime ætatis provectioris, de animabus parentum suorum gerere debent; scilicet ut si patrem aut matrem peccato alicui mortali vel turpis amicitiæ vel illiciti lucri vel perjuriorum per Dei nomen vel omissionis Sacramentorum temporibus constitutis vel alio quovis vitio implicitos esse advertunt, illos Deo prolixius commendent, & posthæc reverenter, demisse amanterque rogent, ut ab hac vel illa re, qua in statu inimicitiæ divinæ cum offensione familiæ suæ retinentur, desistant. Nec

(a) *Exod.* 20. (b) 1. *Joan.* 3. (c) *part.* 3. c. 5. n. 10.

Nec eſt cauſſa rationabilis, quæ filios præſertim adultiores impediat, ne hanc petitionem parentibus dirigant; cum illa male accipi a patre vel matre nequeat, ſi modis memoratis (ſcilicet placide, demiſſe & pia cum anxietate) fit; quandoquidem illa verum in parentes amorem prodit & præ reliquis omnium aliorum admonitionibus vim majorem ob circumſtantias perſonarum atque ſtatum earundem habet: Et tametſi illa haud ſtatim ſontem reſipiſcere faciat, tamen certam quandam verecundiam ei incutiet, qua motus tandem pravam conſuetudinem deſeret.

Poſt amorem & benevolentiam erga parentes in rebus ſpiritualibus obſtringuntur liberi, ut iisdem etiam temporalia bona velint, & ipſa re (quibus licet modis) conferant. Ob id tenentur filii & filiæ, ut pro ratione circumſtantiarum eas ſcientias, eas artes vel liberales vel mechanicas addiſcant, quibus tum ad proſpiciendum ſibi ipſis tum ad allevandam ac ſuſtentandam familiam apti reddantur. Et quamquam multis paradoxum videatur, vera tamen iſto de argumento ſententia hæc eſt: quod ſi liberi creſcente ætate ex notabili negligentia & omiſſione ſe ineptos ad illa lucra & quæſtus reddant, quos facere potuiſſent, ſi illas ſcientias & artes, quibus a parentibus admoti fuerunt, dediciſſent, adeo ut familiæ onus, non levamentum evadant, graviter peccent omiſſione mortali adverſus virtutem pietatis in parentes: quæ virtus plusquam virtus juſtitiæ ſtringit; cum reddere, quantum debet, nunquam poſſit. Et hoc non ſolum parentes ſed etiam confeſſarii multum inculcare liberis debent, aggravantes eorum conſcientiam, ſi ea non addiſcunt, ad quæ addiſcenda applicantur. Nam ex hoc, quod nati (pro talentorum & conditionum ſuarum ratione) ad officia & munera ſibi congrua habiles ſe reddere negligunt, fit, ut vitam otio deditam ducant; Unde, ſi amplioris fortunæ ſunt, cujusvis generis voluptatibus ſe demergunt; ſi vero tenuioris, eum in ſtatum ſemet redigunt, ut prompti evadant exercere quævis ſcelera, quo vitam tolerent: Hac deinde re civitates & vici integri hominibus male viventibus, ſcandaloſis, publicæ tranquillitatis perturbatoribus replentur, adeo ut vix carcerum & triremium ſatis ſit, quo ab horum latrociniis, ſycophantiis ac violentiis regiones tutæ præſtentur. Ecce! quo deſinat gravis hæc negligentia, quam tamen multi parum videntes pro quadam incogitantis & incurioſæ juventutis levitate habent. Obligantur itaque filii & filiæ ſtricta obligatione diſcendi ea, quæ docentur, feriamque ſtudiis vel artibus operam navare; idque ex titulo amoris itemque obedientiæ parentibus debitæ: prout inferius dicetur.

Hic vero temporalis filiorum, parentibus debitus, amor ea ſe re maxime oſtendere debet, ut liberi genitoribus opem temporalem ferant, ſi hi forte temporali filiorum aut filiarum ſuarum auxilio indigeant; quacunque demum cauſſa agente in eam neceſſitatem devenerint. Hac de re nervoſe admodum & eleganter diſſerens S. Ambroſius (d) ait: *Paſce patrem tuum, paſce matrem tuam! Et ſi paveris matrem, adhuc non reddidiſti dolores: non reddidiſti cruciatus, quos pro te paſſa eſt: non reddidiſti obſequia, quibus te illa geſtavit: non reddidiſti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labiis tuis ubera: non reddidiſti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxium eſſet, ederet; ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit; tibi manducavit; tibi illa, quem voluit, cibum non accepit; tibi, quem noluit, cibum ſumpſit; tibi vigilavit; tibi flevit: Et tu illam egere pateris? O fili! quantum tibi ſumis judicium, ſi non paſcas parentem! Illi debes, quod habes, cui debes, quod es: Quantum judicium, ſi paſcat Eccleſia* (Dicam ego: Confraternitas pia) *quos tu nolis paſcere!* Et proſequitur argumentationem Sanctus dicens: *Nonne audiſtis, quia dives ille* epulo *pœnis cruciatur æternis, quia pauperi* & famelico Lazaro *non impertivit alimenta? Si non donare extraneis grave eſt, quanto gravius excludere parentes? Sed dicis te,* quod

(d) *Libr. 8. in Luc.*

quod eras parentibus collaturus, Ecclesiæ malle conferre; Non quærit donum Deus de fame parentum: Unde reprehendentibus Judæis, quia Discipuli Domini manus non lavarent, respondit Jesus, Quicunque dixerit, munus, quodcunque est ex me, tibi proderit, non honorificabit patrem aut matrem . . . *Id est, cum petit aliquid ad sumptum egens pater aut mater a filio, quia legem timens Judæus excusationem dandi requirit, dicens*: Munus, quod est ex me, tibi proderit, *ut dicatam a filiis Deo pecuniam pater religiosus accipere reformidet; sed hæc traditio hominum est, excusationes obtexentium avaritiæ suæ . . . Ceterum Dei traditio est, ut prius pascas parentes; nam si juxta divinum oraculum contumelia patris morte luitur, quanto magis fames, quæ morte gravior est?* Hucusque S. Ambrosius: Jam ad propositum nostrum.

Audivistis ex sancto & egregio Doctore, liberos amore, parentibus ob caussas ab ipso allatas & a me relatas debito, obstringi ad victum temporalem eisdem suppeditandum, si forte illo destituantur; idque tam arcte, ut auxilio parentibus debito etiam oblationes Deo faciendæ cedere debeant, quippe a Superis haud gratæ habendæ, si ex ærumnis parentum fiunt. Quantæ igitur crudelitatis noxam contrahunt ii filii ac filiæ, qui, cum egentium parentum necessitatibus subvenire deberent, quæstus suos luxu, oblectamentis, conviviis amicorum & (quod deterius) ludendo, munuscula certis personis dando variisque peccatis consumunt? Heu! Quoties accidit, ut egeno patre vel matre, a filio aut emancipato aut uxori juncto, petente una ex parte, quo se contra hyemis inclementiam defendat atque amictum necessarium sibi provideat: & parte ex altera postulante uxore vestem, qua utique abstinere posset; quoties (inquam) accidit, ut frigoribus obrigescere aut indecore vestiti vagari parentes permittantur, ut imprudentibus uxoris & quandoque (Utinam non sic esset) meretriculæ desideriis satisfiat? Quoties accidit, ut parentibus (quod, quo vitam sustentent, non habeant) totos dies nullo aut exiguo victu transigentibus & poscentibus opem a filio, hic eam frivolas afferens caussas neget, aut ita duris, inhumanis ac fastidiosis modis præbeat, ut famelicos parentes, ne fame intereant, confugere ad Fraternitates parochiales cogat; dum ipse contra cum combibonibus suis rem in diversoriis, ludendo aliisque peccaminosis modis absumit? *O fili! O fili! quantum tibi sumis judicium, si non pascas parentem? Si non dare extraneis grave est; quanto gravius excludere parentes?* Hiccine amor a te iis, qui Esse tibi dederunt, adeo stricte debitus!

Proh feri atque crudeles! Revocate in memoriam ea, quæ Spiritus sanctus Paulo dictavit, qui vos non solum e numero Christianorum sed & Hominum expungit, infidelibus peiores reputans: *Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit & est infideli deterior* (e) Quod si qui debitam domesticorum solum in rebus temporalibus curam non gerit, a fide atque adeo a ratione alienus declarari meretur; quanto magis, qui suos parentes negligit? Etenim, uti S. Augustinus (f) observat, *quid tam cuique domesticum, quam parentes filiis aut parentibus filii?* Verum ego majus quid affirmo, & hunc talem cum laudato S. Ambrosio etiam animalium ac belluarum numero excludo, quippe quæ solo naturæ instinctu egentium majorum suorum, sicubi eos noverunt, curam vehementissimam gerunt. Affert in medium sanctus Vir, ut hunc talem (& qua Hominem & qua Christianum) pudore confundat, exemplum ciconiarum, egregiaque sua ac vivacissima (Ut solet) eloquentia pietatis officia, quæ in majores suos senio laborantes hæ exercent, describit: *Quam vero rationabilium non excedat pietatem ac prudentiam hujus avis clementia? . . . Nam depositi patris artus per longævum senectutis plumarum tegmine alarumque remigio nudatos circumstans soboles pennis propriis fovet, & quid dicam? collatitio cibo pascit, quando etiam ipsa reparat naturæ dispendia, ut hinc atque inde sublevantes senem fulcro alarum suarum ad volan-*

(e) 1. *Timoth.* 5. (f) *Tract.* 119. *in Joan.*

volandum exerceant, & in pristinos usus dessueta jam revocat pii patris membra. Et subdit: *Quis nostrum levare ægrum non fastidiat patrem? Quis fessum senem suis humeris imponat, quod in ipsa historia vix credibile habetur? Quis, ut pius sit, non hoc servulis mandet obsequium? At vero avibus non est grave, quod pietatis est plenum; non est onerosum, quod solvitur naturæ debito: Non recusant aves pascere patrem, quod etiam præscripta necessitate sub terrore pœnarum plerique homines recusarunt: Aves non scripta sed nata lex stringit: Aves ad hoc munus nulla præcepta conveniunt sed gratiæ naturalis officia.* Itaque ne nos christiano, ne nos humano nomine indignos & peiores bestiis reddamus, diligamus, O mei! quoad animam parentes nostras, prout dictum est: diligamus eosdem etiam quoad corpus modis memoratis, eorumque necessitates & ærumnas intus cum animis nostris sentiamus, contendentes omnibus viribus subvenire eisdem, non solum pro levanda eorum necessitate quibusdam nos commodis privantes, sed etiam nonnullis incommodis subjicientes & pia (quantum fieri prudenter potest) nobis onera imponentes. Concludam itaque hoc primum officiorum parentibus a liberis debitorum, nimirum amoris eis debiti, caput præcepto Spiritus sancti (g) *Fili! suscipe senectam patris tui & non contristes eum in vita ipsius: & si defecerit sensu, veniam da & ne spernas eum in virtute tua; eleemosyna enim patris non erit in oblivionem.*

Alterum officium filiorum in parentes est reverentia; notarique debet, divinum Decalogi præceptum reverentiam honoremque parentum diserte imperare, dicendo: *Honora patrem & matrem tuam*, & ex hac deinde reverentia fluere duas reliquas obligationes, amoris videlicet atque obedientiæ. Hinc cum reverentia parentum claris verbis exprimatur, quodammodo plus ceteris commendari videtur: quippe quæ (Ut sic dicam) maxime sub sensus cadit, & parentum vota complere plenius potest. Honor iste sive reverentia duplicem actum complectitur, interiorem & exteriorem: Interiorem exercemus, si genitores (ut par est) magni facimus, tanquam eos, a quibus Esse accepimus; a quibus nutriti atque educati fuimus; quos Deus, ut rectores vitæ nostræ tum naturalis tum moralis, constituit. Ex hoc procedunt actus externi reverentiæ in loquendo & agendo; In loquendo: dum a verbis parum reverentibus abstinemus, modeste illis respondentes; Et si fors immodice nos quandoque objurgent, ob id ex ore nostro nullum verbum contumeliosum, injuriosum, probrosum excidere debet: Multo minus fas est de illis male dicere, eorum vitia aliis narrare, eorum consilia deridere, verbis mordacibus eos pungere, eisdem præterita delicta exprobrare; paucis: ea dicere, quæ audiendo in ruborem dentur, irritentur, affligantur, urantur. Hos loquendi modos omnes reverentia parentibus debita quam longissime arcet: qua in re animadvertere debetis, verbum aliquod mordax, irridens, pungens, asperum (quod alteri personæ dictum culpam venialem non excederet) si patri aut matri dicitur, ob circumstantiam Subjecti, cui dicitur, ex levi grave peccatum evadere posse. Ostendimus præterea hanc in parentes reverentiam, si eorum bonis consiliis consentimus; & si, quando illa ad rem propositam minus opportuna videntur, modeste eos de errore admonemus abstinentes ab irrisionibus & illis contemptus plenis phrasibus, quas proferre nonnullorum liberorum protervum os nimis amat excipiens parentes ut ineptos, insensatos, stupidos, & quandoque etiam stultos appellans; id quod utplurimum peccati mortalis culpa non caret, si ira instigante dicitur. Hucusque de reverentia verborum.

Reverentia, a filiis re & facto manifestanda, prohibet omnem actionem & corporis motum exiguæ æstimationis indicem: nimirum adstrictionem humerorum, agitationes capitis, torvos contuitus, collisionem dentium, pedum supplosionem, minas. .. Multo magis prohibet omnem percussionem

utut

(g) Eccli. 3.

utut leviſſimam, immo etiam omnem elevationem manus tale quid ſignificantem: quæ omnia utplurimum peccata mortalia ſunt. Ob eam rem Spiritus ſanctus gravibus admodum verbis monet: *In opere & ſermone & in omni patientia honora patrem tuum* (h) Ecce! imperat reverentiam in actionibus, in verbis & *in omni patientia*, ut ſignificet, filios jam maturos & ætate graves parentum ſuorum, ſenectute confectorum, infirmitates, ineptias, nugas, veſanas iras patienter ferre debere, donantes omnia hæc Deo, cogitantes permagnum debitum, quo erga genitores tenentur, cui digne compenſando ſemper impares manent.

Multi e vobis, O mei! has filiorum obligationes, a reverentia parentibus debita neceſſario fluentes, audiendo inhorreſcere mihi videmini recogitantes vobiſcum permultos filiorum vobis bene notos, qui ſic agunt atque loquuntur, ut neminem aut paucos minoris, quam parentes, facere videantur: qui parentes non ſolum derident & ludibrio habent; ſed etiam probra, contumelias, injurias eisdem inferunt, minas intentant, & quandoque etiam ictus ingerunt, hac ratione facientes, ut parentes vitam triſtitiæ, afflictionis, ægritudinis ducant plenam, & ante tempus (Ut ſic dicam) morte occumbant. Verum prius, quam pœnas hujusmodi liberis a Deo præparatas vobis exponam, permittite, ut de tertio filiorum in parentes officio, videlicet obedientia, dicam.

Obedientia virtus eſt, quæ ſubditum ad legitimorum Superiorum juſſa acceptanda & implenda adſtringit, adeo ut, ſi imperata non faciat, gravis vel levis peccati (pro ratione rei imperatæ) culpam ſubeat. Superiores magis legitimos habere filii præ parentibus ſuis haud poſſunt: quippe quos liberis ſuperiores ipſa natura fecit, tanquam cauſſas ſecundas τὸ Eſſe filiorum. Ex hoc ſequitur, quod juſſa parentum, ſerio animo & de re aliqua gravi data, filios ſub peccato mortali obligent. Res graves deinde filiis a parentibus injungi ſolitæ triplicis generis ſunt: Aliæ ad regimen animæ, aliæ ad redimen corporis liberorum, aliæ ad regimen familiæ ſpectant. Hinc quotiescunque parentes notabile quid e triplici hoc rerum genere, quod vel peccatum mortale ſit, vel gravis peccati periculum adjunctum habeat, liberis prohibent, & liberi prohibitum non devitant; toties (præter ſpeciem peccati, quod patrata mala actio involvit) etiam peccato inobedientiæ graviter peccant. Prohibet e. g. pater aut mater filiæ, ut a colloquiis & converſationibus cum hac vel illa perſona abſtineat, egrediensque domo ad illam inviſendam non accedat; filia dicto non audiens labitur in aliquod peccatum vel cogitationis vel actionis inhoneſtæ, dum agit cum illa perſona. In hoc caſu non ſufficit, ſi filia ad ſacrum poſtea tribunal accedens dicat: Admiſi cogitationem impuram colloquens cum quadam perſona &c. ſed addere debet: Et in hoc inobediens fui matri, quæ imperarat, ne cum illa perſona agerem; hinc graviter violavi & caſtitatis & obedientiæ, ad quam præſtandam magnopere tenebar, præceptum. Idem ſentiendum, O mei! ſi liberi alias imperatas res non exequuntur, quando illæ ad bonum animæ vel corporis natorum vel familiæ notabiliter conducunt.

Poſtquam vobis, O mei! hoc poſtremum filiorum officium expoſui & idem in tria capita, in quæ cadere paternum vel maternum graviter obligans præceptum poteſt, diſtinxi; jam legitimas aliquot conſequentias in medium afferre juvat, ut intelligatis, ſæpe liberos ex inobedientia graviter peccare, quamvis ſe in ſacro tribunali fors nunquam de illa accuſent. Ac primo quidem, quod ad caput regiminis animarum ſpectat, peccat mortaliter filius ac filia, qui parentibus imperantibus, ut quotidie preces ſuas, tam ad vitam chriſtiane ducendam neceſſarias, ad Deum fundant, illas ex negligentia multorum dierum ſpatio omittunt: ſi parentibus jubentibus, ut in præcipuis Feſtis & etiam quovis menſe SS. Sacramenta percipiant, illa percipere negligunt: ſi paren-

(h) *Eccli.* 3.

parentibus injungentibus, ut diebus sacris sermoni sacro, doctrinæ christianæ institutionibus, publicæ SS. Rosarii recitationi intersint, hæc sæpius non frequentant: si parentibus præcipientibus, ut filius ab illius pravi socii consortio se avellat; ut filia illarum licentiosarum puellarum conversationem devitet, hæc facere intermittunt: si parentibus imperantibus, ut filius, etiam adultior factus, hora constituta domi sit; ut arma non gestet; ut noctu per urbem non vagetur; ut ad cauponas, hospitia, aleatoria non divertat, ille non obedit: si parentibus jubentibus, ut filia modestius se tegat; ut ab amoribus abstineat; ut longe se ab illa fenestra, quæ alteri e regione respondet, removeat; ut in ostio domus non adstet; ut salutationes hujus vel illius adolescentis declinet; ut urbanitati vel potius illecebris hujus juvenis non respondeat; multoque magis ut ne literas vel munera ab alio clam accipiat, illa non paret. His & aliis similibus inobedientiis graviter peccant liberi; cum hæc omnia vel peccatum contineant, vel ad peccatum accedant. Gravis autem hæc obedientiæ obligatio multo arctius natos stringit, si eis parentes præcipiunt, ut aliquam in se peccaminosam consuetudinem (e. g. jurandi, famæ alienæ detrahendi, dira Proximo imprecandi se mutuo vexandi aut cædendi, alendi scandalosas amicitias &c.) deserant. Quod si in his non obediunt, peccant mortaliter peccato duplicis speciei: uno facti, altero inobedientiæ erga parentes.

Sed jam de obligatione obediendi parentibus in iis, quæ ad regimen corporis attinent; quod caput paucis expediam, cum eas solum res complectatur, quæ sive ob infirmam corporis temperationem, sive ob immodicum usum, sive ipsa experientia graviter officere liberorum sanitati dignoscuntur: Hinc si adversus serium parentum mandatum liberi talia faciunt, præterquam quod contra charitatem sibimetipsis debitam graviter peccent, graviter quoque contra obedientiam parentibus debitam peccant. Didicit e. g. experientia filius aut filia, se quotiescunque his vel illis frugibus vescitur, acerbissimis viscerum doloribus corripi, quibus in vitæ ipsius aut gravis morbi periculum adducitur: prohibet itaque pater aut mater, ne illis frugibus vescatur; Quod si natus vel nata non paret, duplex peccatum admittit; prout exposui. Idem sentiendum, O mei! de quavis alia re, quam grave sanitatis incommodum secuturum esse morali certitudine patet. Omnia hæc quam certissima sunt, quippe principiis unanimi Theologorum consensu probatis nixa.

Denique, ut de obedientia, quam filii in rebus ad familiæ administrationem pertinentibus debent, agam; tenentur liberi obedire parentibus in iis omnibus, quæ ad familiæ sustentationem, conservationem & decorem (pro ratione a Deo concessi in hoc seculo ordinis) conducunt. Ob eam rem obligantur liberi sub gravi peccato, ut (Quod superius monui) in studiis, opificiis, muneribus, officiis, ad quæ a parentibus destinati sunt, vel quæ cum bona eorundem venia sibi ultro capessiverunt, addiscendis elaborent, quo se aptos reddant, qui pro virili sua parte conservationem & decorem familiæ, status rationi convenientem, adjuvent; Quod si præcepta hac de re a parentibus jure ac merito data non servant, tum contra charitatem debitam familiæ, cujus grave onus evadunt, tum contra obedientiam parentibus debitam peccant.

Atque hoc in loco opportuna se dat occasio de status electione dicendi; qua in re (Si absolute loqui velimus) Deus natis liberæ optionis potestatem reliquit. Dixi: *Si absolute loqui velimus*; nam possunt occurrere casus, in quibus liberi obligantur, ut hoc suo jure cedant. Status vitæ personarum in hoc mundo viventium (generaliter loquendo) tres sunt; Status ecclesiasticus, vel secularis vel regularis: Status matrimonii: Status cœlibatus. Quemlibet horum licite eligendi potestatem liberi habent,

& debent parentes, nisi graves circumstantiæ obstent, optioni natorum consentire. Electioni status ecclesiastici secularis, videlicet si filius ad sacerdotium a Deo vocatur, haud video, quid opponi jure a parentibus possit, uti opponi electioni status ecclesiastici regularis potest. Etenim status ecclesiasticus secularis, quippe votum paupertatis adjunctum non habens & familiæ per convictum cohærens, poterit eandem proventibus studiorum, laborum & ministerii adjuvare: quod unicum opponi posse videtur. Dicet aliquis: At si filius unicus est, nunquid ad uxorem ducendam cogi a parentibus potest? Respondeo: non omnes filios regia aut principe familia oriundos esse, a cujus propagatione tranquillitas ac pax populorum & bonum commune pendet; quæ caussæ solæ sunt, ob quas electioni status ecclesiastici secularis, multoque magis regularis, jure obsistitur: Præter has caussas aliæ nullæ apparent, ob quas memoratæ electioni, etsi filius unicus sit, merito obsistatur. His addiderim: quod parentes, si filius unicus aut solus habilis (eligens statum claustralem) ita ad conservationem genitorum necessarius sit, ut sine illo hi ad magnas angustias redigendi essent: quod (inquam) parentes jure eundem ab ingressu monasterii prohibere possint, & quod nec filius statum religiosum tuto amplecti possit nec Ordo religiosus eum suscipere debeat: Ita S. Thomas (i) pluribus in locis & post hunc Theologi omnes: *Ille, qui nondum intravit Religionem, si videat patrem suum in magna necessitate, cui per alium subveniri non possit, non debet Religionem intrare; sed tenetur ministrare parentibus. . . . Parentibus in necessitate existentibus, ita quod eis aliter commode quam per filiorum obsequium subveniri non possit, non licet filiis, prætermisso parentum obsequio, Religionem intrare.* Id quod verum haud manet, si filius statum cœlibatus sibi eligit; cum tunc fortius etiam juvare parentes possit: hinc illis tali electioni obstare haud licet, dummodo filius statum hunc recto consilio, quo eligi debet, eligat: scilicet ut plus Deo, & a mundi tricis expeditior vivere possit; nam si eundem eligeret, ut magis pro libitu suo vivat & effrænatas cupiditates suas liberius expleat (Prout a multis hic maxime status eligitur) debent parentes eum ad nuptias adigere, & ipse tum propter suam ipsius conscientiam tum propter obedientiam inire connubium debet, ut e luto tantæ carnalitatis emergat.

Postremo de electione status matrimonialis dicam, cui se parentes jure opponere haud possunt, monente S. Thoma (k) *Non tenentur filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo vel virginitate servanda aut aliquo alio hujusmodi.* Verum, etsi parentibus electioni hujus status efficaciter se opponere haud licet, neutiquam tamen ob id filiis & filiabus fas erit solo suo libitu eligere sibi sponsum aut sponsam, quæcunque placuerit: se eidem obstringere: eandem domum ducere aut ei nubere sine parentum consensu. Vah! quanta mala & peccata ex hujusmodi sponsalibus ac matrimoniis, insciis parentibus contractis & celebratis, oriri consueverunt. Ob id necesse esse videtur, hoc maximi momenti caput bene explicare. Attendite! Sæpius accidit, haud tantas esse familiæ vires, ut omnes filias nuptiis inhiantes collocare in matrimonium queat, quin eadem de status sui honestate decidens ad ordinem oppido inferiorem redigatur: Quid in hoc casu, qui quam frequentissime se dat, consilii? Debent tum parentes tum natæ non exigua sed enim permagna christiana prudentia & circumspectione uti: Debent parentes filiabus candide aperire impotentiam, qua premuntur, dotem congruam omnibus impertiendi, eisque clare ostendere, hanc impotentiam veram & realem, non avaritiæ tegumentum esse, atque ob id monere illas, ut inter sese decidant, quot dotari possint, afferendo in medium justas & rationabiles caussas, quibus aliquæ ex illis ad deponendas nuptiarum cogitationes inducantur, affirmando patria cum ingenuitate,

(i) *Quodl. lib. 6. a. 2. & 2. 2. q. 189. a. 6.*

(k) *2. 2. q. 104. a. 5.*

tate, quod, etiamsi ad vitam monialem nomen non dent, tamen in ædibus paternis æquis oculis respiciendæ, amandæ, juvandæ, & (si per facultates familiæ licuerit) semper, etiam post parentum obitum, curandæ ac sustentandæ sint. Et huic sinceræ veræque parentum expositioni filiæ cum Christiana charitate atque ob sensum æquitatis naturalis concedere, petereque lumen a Deo debent eligendi, si ita Superis placet, alium statum: Quod si mente vere christiana se suaque commendare Deo non desistent, obtinebunt certe ab illo vel vocationem ad aliquod bene moratum claustrum vel tranquillam in statu cœlibe & virginali vitam. Atque ad hoc moderata SS. Sacramentorum maxime S. Eucharistiæ sub docti, pii & sapientis confessarii arbitrio frequentatio multum conferet. Quæ de filiabus monui, eadem de filiis servata proportione sentiatis velim; Dixi: *Servata proportione*; nam cum viri ad vitæ necessaria sibi comparanda fœminis aptiores sint, si familia alendis tot uxoribus, quot alere deberet, si fratrum quilibet uxori jungeretur, impar est: & nihilo minus, filii, ut conscientiæ suæ consulant, nubere decernunt, fieri potest, ut, cum monente S. Hieronymo *virginitatem servare* non possint, dicant parentibus, semper tamen pacifice & sine vociferationibus: Necesse habeo uxorem ducere; ero contentus portione hæreditatis, quæ me manet; de cetero artificio meo, officio, ingenio quæram vitæ meæ necessaria. In hoc casu poterunt quidem parentes ostendere, molestum sibi accidere, ut familiæ bona dividantur, eumque in finem filios ad cœlibatum moderate adhortari, si tamen conscientia hoc illis permittit; nullo autem modo poterunt filiis ineundi matrimonii veniam constanter negare, aut in eum finem exhæredationis minas eis intentare &c. Nam hoc esset impugnare jus naturale, quod filii ad hunc statum habent, qui eundem, ut conscientiam suam in tuto collocent, volendo nihil pœnarum promerentur. Hinc si filii post adhibitas omnes, quas humana & christiana prudentia suggerit, admonitiones in contrahendi matrimonii proposito permanent, cedere parentes nec nuptias per vim impedire debent.

Neque tamen ob id filiis aut filiabus fas est, cuicunque, qui magis placuerit, promissis se obstringere; quin id genitoribus prius significent: Nequaquam hoc illis licet; nam sic fidem suam obligare peccatum est adversus reverentiam & subjectionem parentibus debitam; prout etiam Sermone XLV. monui. Rei hujus evidens ratio est; nam quid sunt sponsalia? Sunt reciprocum matrimonii suo tempore contrahendi promissum: quod promissum, ultro citroque datum & acceptum, ambas partes ad impletionem rei promissæ obligat. Iam vero an levis in parentes injuria vobis esse videtur, obligare se illis inscientibus ad hanc vel illam personam in uxorem aut in virum ducendam? Certe hoc est obligare se vel ad uxorem domum ducendam vel ad linquendas ædes patrias cum viro aliquo, sive id dein velint sive nolint parentes, qui habere possunt, quod contra illam fæminam vel illum adolescentem jure & merito objiciant. Hinc sic se obligare, est cogere eo parentes, vel ut in domum admittant fœminam secum perpetuo mansuram, quam jure noluissent: vel ut filiam permittant viro, quem certe reprobassent. Hinc sic se obligare, est parentes ad affinitatem cum personis, sæpe familiæ ignominiosis, contrahendam adigere; ex quo deinde mala innumera fluunt, adeo ut manifeste pateat: talem parentibus necessitatem injicere, gravem esse violentiam a filiis & filiabus (sine parentum conscientia se, cui voluerint, despondentibus) præter jus & fas illatam, neque illam a mortalis irreverentiæ & inobedientiæ crimine immunem esse posse. Dicet aliquis: Certum habeo, Vir bone! parentes de electione mea non conquesturos esse; cum persona, cui me despondeo, & æqualis mihi sit & omni exceptione major. Repono: Ob hoc profecto

ipsum non est caussa, cur cogitata sponsalia eos celes, priusquam illa facias: & ea facere illis insciis semper, etiam in hoc casu, est quoddam independentiæ genus graviter violans reverentiam & obedientiam parentibus debitam. Itaque, O filii & filiæ! si personæ alicui, quæ vobis honeste & jure placet, despondere vos cogitatis, nisi mortaliter peccare velitis, cum parentibus aut iis, qui parentum defunctorum loco vobis præpositi sunt, consilium vestrum participate: Et tunc hi illud vel probabunt vel improbabunt; Si probant, bona conscientia despondere vos potestis: si improbant, debent vobis exponere caussas, quibus ad improbandum ducuntur: Hæ deinde vel cum ratione consentiunt vel non; Si consentiunt, cur victas dare manus recusatis? Aut quomodo benedictionem Dei sperare vobis potestis in promisso contrahendi matrimonii & in matrimonio ipso: in promisso dato, in matrimonio contracto adversus rationabilem majorum vestrorum voluntatem? Temere quidem præcipere benedictionem hanc animis at prudenter expectare eandem non potestis: Et si posthabita rationabili majorum vestrorum improbatione sponsalia facitis, ac subin matrimonium contrahitis, graviter & faciendo sponsalia & contrahendo matrimonium peccatis. Quod si caussæ a majoribus vestris in contrarium adductæ cum ratione non consentiunt, & non consentire ab aliis sapientibus personis judicantur; nihilominus statim sponsalia faciatis nolim, sed prius per idoneas personas tentare mentes parentum studeatis velim, ut rationalibus desideriis vestris concedant: Et sic postquam omnes subjectionis a filiis ac filiabus parentibus debitæ partes impleveritis, fassique fueritis, dolere vos, quod eos ad vestra consilia adducere non possitis, tunc vos contrahendo matrimonium non peccare affirmarim. Ob eam rem parentes denuo moneo, quod, quemadmodum filii aut filiæ, absque debita subjectione faciendo sponsalia & matrimonium contrahendo, peccant: ita etiam ipsi graviter peccent, si immerito & sine caussa obstant, ne filius aut filia animo suo satisfaciat; cum probe sciant, hoc maxime, quod liberis in personæ ducendæ optione animi sui studium propensionemque sequendi facultas detur, pacem, concordiam & fidem conjugalem contineri; nam si matrimonia sine hac integra animi voluptate ac satisfactione celebrantur, heu! quot quantisque malis fœcunda esse consueverunt: Novi, quæ dico, O mei!

Restat memorare præmia filiorum explicata a me hucusque erga parentes officia implentium, uti & pœnas natorum eadem notabilem in modum omittentium. Præmium bonorum filiorum, in ipsa præcepti injunctione a Deo expressum, vitæ in hac terra longævitas est: *Ut sis longævus super terram.* Præmium temporale, accomodatum carnalibus populi Israelitici animis, cui ob ruditatem suam præmia supernaturalia raro a Deo proposita leguntur. Quamvis autem etiam in sancta ac nova Christianorum lege hæc vitæ longævitas in multis comprobetur, tamen in aliis multis non comprobatur, qui, etiamsi parentes suos amarint ac reveriti dictisque illorum audientes fuerint, tamen prius naturæ debitum solvunt, quam consenescant; id quod teste S. Thoma ob id maxime Deus sic ordinat, quia bona hujus seculi, inter quæ etiam vitæ longævitas numeratur, pro bonorum operum præmio non reputantur, nisi quatenus ad obtinenda præmia æterna conducunt: *Quia præsentia bona vel mala non cadunt sub merito, nisi in quantum ordinantur ad futuram remunerationem; Ideo quandoque secundum occultam rationem divinorum judiciorum, quæ maxime futuram remunerationem respiciunt, aliqui qui sunt pii in parentes, citius vita privantur: alii vero, qui sunt impii in parentes, diutius vivunt* (1) Hinc Catechismus Concilii Tridentini ob tres caussas fieri affirmat, quod quandoque boni filii cito ex hoc seculo avocentur, videlicet sive ut non amittant, quam habent, morum probitatem, quæ vita longiori marcesceret: sive ut non videant imminentes publicas calamitates,

(1) *2. 2. q. 122. a. 5.*

tates, quas inter ipsorum quoque conscientia periclitatura esset: sive ut subducantur doloribus & ægritudinibus animi, quas percepturi essent, si viderent graves amicorum & propinquorum suorum ærumnas. His malis omnibus in præmium pietatis, erga parentes adhibitæ, eos divina subtrahit providentia, de cetero æternam eis vitam certam reddens.

Jam, O mei! si reverentiæ parentibus præstitæ præmia alia nulla essent præter vitæ longævitatem, quæ bonorum temporalium omnium summum est; nunquid vel hæc sola inducere filios deberet, ut exacta in parentes reverentia utantur? Præmium hoc a Deo disertis verbis promissum fuit, adeo ut illud solum tum non cencedatur, cum vitæ æternæ adeptionem impedit: ex quo solidissime infertur, filios morigeros in præmium obedientiæ suæ vitam quoque æternam obtenturos esse, quæ potissima est, & pro qua consequenda quandoque opus sit vitam eorum temporalem breviare, optatissimam permutationem faciente providentia divina, dum vitam temporalem eis adimit, ut citius in vitæ æternæ possessionem proficiscantur. Ratiocinium hoc omni exceptione superius est: Promittit Deus filiis obedientibus vitæ temporalis longævitatem; igitur, si in aliquibus hoc promissum non implet, ob id non implet, ne æternam vitam amittant; uti S. Thomas & post eum Catechismus Concilii Tridentini observavit: Indicio ergo hoc erit, vitam æternam filiis morigeris destinari, quæ ut illis certa sit, vitæ temporalis spatia contrahuntur Deo temporalem, quam promittit, non dante, ut æternam det.

Huic æterno præmio (quod unum summum est) & huic vitæ longævitati (si illa saluti æternæ non obstat) multa alia bona adduntur, promissa illis Deuteronomii (m) verbis: *Ut bene sit tibi in terra*, quibus vita tranquilla ac fortunata significatur. Præter hæc Spiritus sanctus probis filiis paternas benedictiones, ad finem vitæ cum illis mansuras, annunciat: *Ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat* (n) Subditur: *Benedictio patris firmat domos filiorum.* Denique dicitur: *Sicut qui thesaurizat ita & qui honorificat patrem suum: Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur.* Ecce vobis, O mei! præmia in Verbo Dei filiis & filiabus parentes diligentibus atque colentibus promissa.

Jam etiam pœnas percipite, quas Deus immorigeris liberis minitatur. Primo vitam eis brevem fore denunciat; unde ad ipsos nequaquam pertinent verba illa: *Ut sis longævus super terram.* In alio loco ait: *Qui affligit patrem & fugat matrem, ignominiosus erit & infelix* (o) Atque iterum: *Qui maledixerit patri suo & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris* (p) hoc est (Ut exponunt Interpretes) recedet ab eo omne bonum hujus seculi: videlicet vita, fama, pax, sobol, facultates, sanitas, dignitates. Et jam olim in lege veteri divino sancitum præcepto legimus: *Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur: Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur* (q) Verum factum horribibile percipite omni exceptione majus, quo sermonem hunc, pro eo ut rei magnitudo postulabat, protractiorem finiam.

Refert factum istud S. Augustinus, quod sua ætate accidit, *libro XXII. de Civit. Dei, cap.* 8. & ad mores Auditorum suorum informandos traducit *sermone CCCXXIII.* Est autem sequens „ Morabatur in urbe „ Cæsarea Cappadociæ familia nobilis composita ex decem liberis tum maribus tum „ fæminis, quæ communem matrem gravibus „ & intolerandis afficiebat injuriis, adeo ut „ frater natu major ei etiam manus non dubitarit inferre; quod omnes filii pariter „ congregati patienter tulerunt, ut ne verbum quidem fratri suo pro matre, cur „ hoc faceret, dixerint. Illa autem fæminei doloris stimulis incitata & vipereis inflammata consiliis hoc a Deo potissimum „ postulavit, ut extorres patria & circumeuntes alienas terras omne hominum ge-

(m) *cap.* 5. (n) *Eccli.* 3. (o) *Prov.* 19. (p) *Prov.* 20. (q) *Exod.* 21.

„ nus suo terrerent exemplo. Mox materr„ nas preces efficax vindicta prosequuta est, „ eundemque continuo fratrem ætate cul„ paque majorem tremor membrorum in„ vasit: Servato autem ordine, quo nati „ erant, intra unum annum eadem omnes „ pœna corripuit. Videns vero mater ma„ ledictiones suas ad tantam efficaciam per„ venisse, impietatis suæ conscientiam & „ opprobrium hominum diutius ferre non „ potuit, sed laqueo guttur adstringens lu„ ctuosam vitam termino funestiore conclu„ sit. Egressi ergo omnes, opprobrium suum „ non ferentes & communem patriam re„ linquentes, passim sunt per varia dispersi: „ quos inter, qui nascendi ordine primum „ sequebatur, frater ad gloriosi Martyris Lau„ rentii Memoriam, quæ apud Ravennam „ collocata est, meruit sanitatem: Ille au„ tem, qui ordine nascendi sextus erat, „ Paulus vocatus, cum sorore sua Hippo„ nem veniens & a S. Augustino admoni„ tus, ut reliquias S. Stephani Protomarty„ ris visitaret, Anconæ sanitati restitutus „ fuit; Miserabilis soror vero ad eruditio„ nem omnium, ait S. Augustinus, adhuc „ communis mali tremore paralytico præbet „ exemplum „ Omnia hæc habet libellus ab ipso sanato Paulo scriptus & S. Augustino traditus. Jam post narratum factum sic pergit S. Doctor: *Discant* ex terribili casu hoc, *Discant filii obsequi, timeant parentes* præter modum *irasci . . . Discite, filii! reddere honorem parentibus debitum; sed & vos, parentes! quando offendimini, parentes vos esse recordamini.* Corrigite illos &, si tenera adhuc ætate sunt, etiam castigate; at nunquam dira a Deo eis imprecemini: Vos autem, filii! nunquam ad iracundiam provocate parentes vestros, ne execrationes in vos effundant; nam *benedictio patris confirmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta* (r) Ita Spiritus sanctus; cujus gratiam omnibus tum parentibus tum filiis ex animo precor.

(r) *Eccli.* 3.



SERMO LVI.

De quinto Decalogi præcepto: NON OCCIDES. De occisione vitæ naturalis Proximi, & aliis pravis affectibus adversus eandem.

CUm Deus præceptis secundæ Tabulæ actiones ad Proximum spectantes complexus sit (Uti alibi monui) quas inter primum sibi locum actiones erga parentes vendicant; jam post has quinto præcepto actiones Proximo injuriosas prohibere pergit. Et quoniam inter bona hominis naturalia summum est bonum vitæ, ob id præcipit Dominus, ne privatus quisquam vitam Proximo adimere unquam audeat.

Verum cum hoc præcepto divino multa prohibeantur pro variarum, quarum Proximus capax est, vitarum ratione; ob id præceptum hoc in plura capita dividere eaque subin latius exponere necessarium esse videtur. Triplicis vitæ capax est homo in hoc mundo constitutus: nimirum vitæ naturalis, vitæ civilis, vitæ supernaturalis. Vita naturalis est, quæ communi *vitæ* nomine venit, & hominem ad actiones naturales (manducandum, bibendum, laborandum, studiis vacandum, quæstum faciendum) habilem reddit. Vita civilis est, quæ facit, ut homo aliorum bona de se existimatio-

matione vivat, consistitque in bona fama, quam apud alios habet & qua inter cives suos acceptus ac spectatus efficitur. Vita supernaturalis denique est, quæ præstat, ut homo Deo acceptus vivat, consistitque in eo, quod homo in anima sua habeat gratiam divinam, qua filius Dei adoptivus & hæres gloriæ æternæ constituitur. Igitur cum homo trium harum vitarum capax sit, illis per aliorum insidias variis privari modis potest. Vita naturali privari ab humana malitia potest modis sat notis: Vita civili spoliatur per linguam maledicam, quæ aut gravem calumniam Proximo imponit aut de eodem actionem aliquam nefandam, quæ latuerat, manifestat: Vita denique supernaturali exuitur per scandalum ab aliis datum; dum se ad peccati consensum aliorum instigatione abduci sinit, aut sponte sua ad mali exempli imitationem prolabitur.

Omnes hæ occisiones, de quarum unaquaque singulatim dicendum, divino præcepto prohibitæ a Theologis dignoscuntur. Atque ut ordine agam, in hoc sermone de prima, videlicet naturali, vita disseram. Itaque quintum Decalogi præceptum prohibet, non solum ut ne Proximo vitam corporalem injuste eripiamus, sed etiam ut ne ullam actionem corpori Proximi noxiam ponamus, feriendo illum, percutiendo, includendo aut alia quavis violentia in eum utendo. Neque solum prohibetur, ut hujusmodi res propriis manibus non faciamus, sed etiam ut ne talia consulamus, promoveamus & ad talia facienda aliis animos addamus. Omnia hæc severe prohibita sunt. Neque cogitent, se ab hujus violatione præcepti immunes esse ii, qui Proximum ex accepta injuria conturbatum videntes his aut similibus verbis sese exprimunt: Si mihi hæc injuria facta esset, certe illum sentire dolorem meum facerem, cæderem, vulnerarem &c. quibus dictis Proximus audiens ad talia facienda inducitur: Hi profecto reos se faciunt omnium eorum, quæ læsus adversus corpus lædentis moliri animum eorum inducit. Uti etiam illi, qui illatam injuriam non ulcisci alium videntes, eundem ut hominem ignavum, vecordem, meticulosum derisui habent; quo fit, ut alter in offendentem se postliminio accendatur & vindictam sibi petat: Etiam hi rei sunt talis vindictæ. Similiter & illi, qui arma aut noxia instrumenta alteri, quem talia ad vindictam inquirere cognoscunt, subministrant, eandem, quam se ulciscens, culpam contrahunt. Immo si paterfamilias aut herus aut alius porsonas sibi subditas habens advertunt, filium, servum, inferiorem Proximo malum meditari & perficiendi consilii sui rationes inire, si tacent & pro virili sua eundem avertere, retrahere a proposito, cogitatamque vindictam omnibus viribus impedire non contendunt, damni Proximo facti reos se reddunt; nam non solum contra charitatem peccant (prout omnis peccat negligens impedire, quantum potest, damnum alterius) sed etiam contra justitiam peccant; nam, quia personarum sibi subditarum curam gerere debent, tenentur mala, quæ hæ facere decernunt, & monitis & præceptis & minis immo etiam pœnis, si illas congrue adhiberi posse prudentia dictaverit, præpedire.

Itaque si quæ læsio corporis Proximi sequitur, dum is aut vita exuitur aut membrum aliquod amittit aut vulneratur aut aliud malum accipit, ex quo damnum emergens sumptuum in medicamina faciendorum &c. aut lucrum cessans (dum Proximus vel in omnem vitam vel ad certum tempus quæstui, quem facere consueverat, faciendo ineptus efficitur) oritur; ecce vobis! succedunt ingentia conscientiæ incommoda & onera, quæ (post peccatum grave per illam læsionem corporis admissum) compensare obligantur, primum ille, qui talem actionem prava sua voluntate posuit, & in hujus defectu illi, qui eidem aut consuluerunt aut alio modo persuaserunt aut animos addiderunt, ut talia faceret. Sed ut gravissimæ hæ obligationes melius elucescant atque appareant, agite! casus aliquot proponamus.

Poni-

Ponite, Sempronium ab Horatio occidi: Sempronium qui labore suo, officio aut munere familiam suam alebat; nimirum uxorem, quatuor liberos (duos mares totidemque fœminas) patrem ac matrem suam ambos senio gravatos, videlicet personas, quas sustentari ab illo jus naturale postulabat. Jam ecce! homicida Horatius debet primo loco cum prudenti ac docto confessario reputare, quamdiu Sempronius occisus pro corporis temperamento & aliis personæ circumstantiis superstes esse potuisset: debet subin computare, quantum circiter laboribus suis lucratus fuisset. Ex quo conficitur, Horatium obligari, ut v. g. quindecim annorum spatio viduatæ familiæ e. g. quater centum aureos nummos in singulos annos subministret, computando & detrahendo certum pro incerto: Aut teneri memoratum Horatium, ut in omnibus & per omnia dictam familiam alat; liberis eam educationem provideat, qua ad quæstum faciendum apti reddantur; filias dotet; parentibus occisi ad victum necessaria suppeditet (Verbo) omnia onera ferat, quæ Sempronius tulisset, si vita ei mansisset. Idem sentiendum, O mei! si Horatius ita multasset verberibus aut vulnerasset Sempronium, ut is ad quæstum faciendum ineptus effectus sit: Immo in hoc casu alia obligatio accedit, videlicet obligatio solvendi pretium medicaminum & ipsum male tractatum Sempronium alendi. Quod si Sempronius v. g. in unius anni spatium ad suum officium præstandum inhabilis redditus esset, debet Horatius exsolvere pretium medicamentorum & omnia damna illo anno, quo quæstum facere alter non potuit, facta compensare. Neque me hoc loco singulares & severas nimis sententias afferre putetis velim: Communi Theologorum consensu receptæ immo etiam benignæ opiniones hæ sunt; cum existant nonnulli Theologi, qui percussorem aut vulneratorem non solum ad eas personas, quas occisus aut vulneratus ex præscripto juris naturalis aluit, sed etiam ad eas nutriendas adstringunt, quas is ex mera charitate & per modum eleemosynæ sustentavit. Ratio patet, quia nefarius ille horum damnorum omnium caussam atque originem præbuit.

Dicet aliquis: At familia occisi, ubi reconciliatio animorum facta est, nihil sibi postulavit; Aut: Vulneratus nullam compensationem dammorum petiit. Repono: Ob id debitorem obligatione damna illata resarciendi non exsolvi, idque ob plures caussas. Primo quia debitoris est, satisfacere creditori, etsi creditor suum non repetat; cum sit commune in hac re axioma: Eum, qui alteri damnum attulit, *ratione injustæ acceptionis* (Ut Theologi dicunt) illud rependere debere, quin expectet, donec repetatur: Secus, si creditor nunquam repeteret, nunquam obligatio restituendi nasceretur. Secundo quia hoc, scilicet, quod damnorum compensatio ab occisore aut vulneratore non exigatur, fieri ex ignorantia personarum damno affectarum potest, non advertentium, jus sibi petendæ compensationis esse. Hinc illarum silentium nequaquam interpretari in eam partem potest, ac si illæ jure suo cederent aut debitori debitum remittant; nam si hoc jus suum adverterent, certe compensationem postularent: Ob id Theologi dicunt, quod *ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter.* Tertio quia, quod compensatio non petatur, fieri ex timiditate & nescio quo servitutis genere potest, cui personæ læsæ subjacent, quæ compensationem sibi quam certissime peterent; verum quoniam cum dammificatore facinoroso ac fero agere habent, ne novas sibi calamitates accersant, silent remque procrastinant; quod nequaquam est de jure suo cedere: Hinc in nullo horum casuum dammificator a damni reparandi debito liberum sese putet. Paucis: Occisor aut vulnerator &c. nunquam obligatione compensandi memorata damna solvitur, nisi quando ab hoc onere cum personæ damno affectæ *omnes, uno animo, plena & libera voluntate spontaneaque remissione absolvunt.* Dixi: *Omnes, uno animo*; namque opus est, ut quævis persona speciali,

quod

quod habere potest, jure suo cedat, v. g. Uxor illa Sempronii (Ut casum superius positum revocem) quæ per Horatii nefandum scelus vidua facta est cum duabus filiabus, potest quidem Horatio redintegrationem damni ad se spectantis remittere, at nequaquam damni ad filias pertinentis. Hinc si uxor memorata renunciari Horatio curaret: *Remitto tibi compensationem damnorum, quam familiæ debes*; & filiæ non consentirent, quod desit illis, quo se alant & nubant, quod illis non defuisset, si Sempronio patri vita superstes fuisset: remissio hæc a matre facta vim quidem suam haberet respectu portionis ad matrem spectantis, neutiquam respectu portionis ad filias pertinentis; quæ quoniam jus habent victus & dotis accipiendæ, prout a patre (occiso Sempronio) accepissent: ob id occisori Horatio onus easdem alendi & dotandi incumbit. Id ipsum sentiendum de filiis junioribus & parentibus Sempronii, si pro se quisque non consentirent: Ob id dixi: Remissionem integram fieri debere *ab omnibus uno animo*. Statui præterea: Eo ut talis remissio valida sit, fieri debere *cum plena libera voluntate*, hoc est: sine ulla circumstantia plenitudinem liberi arbitrii ullo modo imminuente; nam cum hæc remissio sit donatio liberalis debiti strictissimi, quod Horatius debet: & cum donationi liberali proprium sit, ut plenissima cum libertate fiat, si libertas hæc abest, remissio valore carebit. Hinc si miseri damno læsi ad condonandam damnorum reparationem inducantur (sive per officia nobilis ac potentis personæ, cujus auctoritas quandam cogendi vim habere videtur: sive per minas additas: sive per falsas allatas excusationes, videlicet occisorem non posse neque ex toto neque ex parte satisfacere, tametsi saltem ex parte satisfacere posset; aut eundem, dum facinus scelestum patravit, ebrium fuisse, cum tamen hoc falsum sit; aut Sempronium primum manus intulisse, cum tamen hoc a veritate alienum sit, aut similes res falsas prætexendo) omnes istæ artes, cum sint circumstantiæ liberi arbitrii plenitudinem labefactantes, nullam atque irritam efficiunt debiti remissionem; nam interventio nobilis personæ auctoritate pollentis nescio quam vim affert; minæ metum incutiunt; mendacia decipiunt: quibus omnibus (Ut Theologi omnes post S. Thomam affirmant) plena illa libertas minuitur, quæ ad memoratam donationem desideratur. Nunquid, O mei! si Christiani, priusquam sanguinem fundunt: vulnera aut ictus infligunt, gravissimum hoc damnorum compensandorum onus, quod sibi ultro imponunt, secum perpenderent; nunquid eos tam præcipiti consilio in vindictam ruituros esse putatis? Dicet aliquis: Atqui non habet, unde damna illata resarciat, hic certe liber erit ab isto onere; etenim quod quis præstare non potest, hoc nec præstare tenetur. Falleris, eheu! miser & nimium falleris, qui hæc in medium affers. Equidem verum manet, quod, qui actu non potest, non teneatur actu dare, quod non habet: At tenetur sub peccato mortali adhibere omnem diligentiam, ut se ad compensandum habilem reddat. Et hoc quam ingens onus homini, qui æternam effugere perniciem velit? . . . Attendite, si lubet: Qui post admissum delictum de damno illato satisfacere confestim nequit, quia non habet, quo illud reparet; tenetur in conscientia sub peccato mortali omni diligentia uti, ut idem, quantum efficere potest, reparet. Hinc tenetur ventrem suum defraudando comparcere, quidquid licuerit: impensas non facere nisi in rebus mere necessariis: vacare labori, quantum potuerit, ut colligat pecuniæ summam, quam personis læsis per vices solvat: Eum in finem tenetur privare se omnibus oblectationibus, & (Paucis dicam) iis rebus cunctis, quæ ad vitam tolerandam necessaria non sunt, ut sic damna illata, quantum effici potest, resarciat. Quod si hac diligentia uti negligit, vivit in statu peccati mortalis quippe reus gravis omissionis, qualis est, se pro virili habilem non reddere ad solvenda ea, quæ quis ex debito strictissimæ justitiæ sol-

solvere debet. Jam hoc onere gravatam jugiter conscientiam circumferre, hanc adhibendæ omnifariæ diligentiæ obligationem continuo impositam sibi videre, nullos nisi in rebus necessariis sumptus facere posse, nonne quoddam genus angustiæ est, quæ vitam omnis generis molestiis respergat. Hinc cum paucissimi hos ceteroquin strictissime debitæ diligentiæ modos adhibeant, paucissimi item post læsum memoratis modis Proximum officio suo faciunt satis atque salutem consequuntur.

Quinto Decalogi præcepto non solum actio omnis externa Proximum re & facto, sed etiam verbis atque affectibus, lædens prohibetur: Ob eam rem Christus præceptum hoc a se adductum exposuit addendo: *Audistis, quia dictum est antiquis*, Non occides; Qui autem occiderit, reus erit judicio. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, qui autem dixerit fratri suo*: Racca, *reus erit concilio*; *qui autem dixerit:* Fatue! *reus erit gehennæ ignis.* (a) Itaque teste Christo omne peccatum, tum verborum tum motuum, tum affectuum Proximum offendentium, prohibetur; Verum ut clare ac distincte disseram, & hæc Christi verba sublata omni ambiguitate exponam; primo iram sola mente conceptam, deinde iram motu aliquo externo manifestatam, denique iram verbis injuriosis conjunctam (Nam iram factis, nimirum homicidio, vulnerationi, verberationi sociatam jam expendimus) inter se mutuo distinguamus.

Ira adversus Proximum sola mente concepta (de qua Christus ait, quod eam advertenter admittens, reus sit judicio) ea est, quam affectus vindictæ gravis in proximum comitatur; quæ ob id ipsum peccatum mortale est. Ita S. Thomas (b) *Dominum, cum dixit*: Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, *loqui de motu iræ, quo quis appetit Proximi occisionem aut quamcunque gravem læsionem, cui appetitui si consensus rationis superveniat, absque dubio erit peccatum mortale.* Hinc ira solo animo concepta, si nullum vindictæ appetitum aut solum levis vindictæ appetitum adjunctum habet, non erit peccatum grave; cujus rei exemplum nobis S. Doctor affert dicens: *Puta, si aliquis puerum trahat per capillos vel aliquid hujusmodi.* Idem, secundum Interpretum expositionem, de secundo actu, scilicet motibus iræ adversus Proximum exterius, sentiendum, qui tum erunt peccata gravia, si gravis vindictæ aut gravis læsionis Proximi appetitus accesserit. Sic & de tertio actu, qui est erumpere animo irato in verba contumeliosa, statuatis velim; quæ, si vel in se graviter injuriosa fuerint, vel quamvis non sint, tamen animus graviter injuriandi accesserit, peccata mortalia sunt. Hæ sunt regulæ a S. Thoma traditæ & a Theologis omnibus receptæ: *Verba*, ait S. Doctor (c) *in quantum sunt soni quidam, non sunt in nocumentum aliorum, sed in quantum significant aliquid, quæ significatio ex interiori affectu procedit: Et ideo in peccatis verborum maxime considerandum videtur, ex quo affectu aliqui verba proferant. Cum ergo convicium vel contumelia de sui ratione importet quandam dehonorationem (si intentio proferentis ad hoc feratur, ut per verba, quæ profert, honorem alterius auferat) hoc proprie & per se est dicere convicium vel contumeliam, & hoc est peccatum mortale, non minus quam furtum vel rapina; non enim minus homo amat suum honorem quam rem possessam.*

Ex hac doctrina inferri debet, quod, si magna cum ira, præsertim inter homines plebejos, illa verba injuriosa in Proximum (videlicet dum fur, latro vocatur) aut in fæminas solitæ illæ voculæ (dum nullius frugis, aut striges appellantur) & ut paucis dicam, verba honorem personæ, sive vir sive fæmina sit, adimentia proferuntur; semper sint (si animo irato dicantur) peccata mortalia; quia semper maxime probabile manet, gravi iracundia stimulante fieri, ut illa convicia animo personam dehonestandi, injuriandi ejusque famam attenuandi proferantur.

Immo S. Joanni Chrysostomo (d) sic argumentari placuit: *Quod si quis* cum magna

(a) *Matth. 5.* (b) *2. 2. q. 158. a. 3.* (c) *2. 2. q. 72. a. 2.* (d) *Libr. 1. de Compunct. cordis.*

gna adverſus Proximum ira & animo illi conviciandi *fatuum dixerit fratrem ſuum, extremo dignus eſt ſupplicio; qui maleficum, invidum, levem, inanis gloriæ cupidum* (Addiderim ego: malignum, raptorem, virum impudicæ mulieris &c.) *appellarit*, idque in eum finem, ut Próximum vexet, affligat, contriſtetur, *aut alia innumera in eum maledicta congeſſerit, quantis ſe gehennæ flammis obnoxium reddit*?

Dicet rudior aliquis: Nemini convicium primus dico; Aſt contumeliis affectus, ira animum occupante contumelias reddo: Tueor me ac defendo; hinc non pecco. Falleris, chare! Peccat iratus ille, ſi te maledictis atque probris impetit: Et tu peccas, idem faciens. Si, quas ille in te magna cum ira jacit, contumeliæ peccata gravia ſunt; nonne gravia quoque peccata erunt contumeliæ, quas tu viciſſim ira gravi ſuccenſus in eum vomis? Ob id per S. Petrum Spiritus monuit ſanctus: *Non reddentes malum pro malo nec maledictum pro maledicto* (e) nam hoc non eſt ſe defendere, ſed enim adverſarium lingua impetere. Modum te defendendi ſuggerit idem S. Petrus his verbis: *Sed e contrario benedicentes.* Aut, ſi tamen reſpondere opus ſit, ſerio ac vere dicito: Falſa mihi objicis: Deus tibi ignoſcat. Aut omnino modeſte tace nihil reponens; nam, ait S. Joannes Chryſoſtomus (f) *quando convicia regeris, vinceris, non ab homine ſed (quod turpius eſt) a paſſione atque impetu iræ. Si vero tacueris, vincis & innumeros acquiris, qui te coronent, quique convicium ipſum mendacii condemnent.* Notate, provide me dixiſſe: Vinces *modeſte* tacendo; nam ſi taces eo animo, ut iratum fratrem in majorem contemptionem adducas, eumque magis fremere & immanibus accendi iris facias, genus quoddam vindictæ exerces & peccas: *Si aliquis*, ait S. Thomas, *hoc animo taceret, ut tacendo contumeliantem ad iracundiam provocaret, pertineret hoc ad vindictam.*

Hujus moderationis memorabile exemplum nobis David Rex Iſraelis reliquit, quod tametſi multis notum eſſe poſſit, tamen aliis multis librum hunc meum lecturis forſitan incognitum erit. Ibat per civitatem Bahurim Rex David ſtipatus ab aliquibus ſuorum ducum & multis militum turmis; cum proſiliens in viam publicam Semei homo nauci, iræ impetu in Monarcham ſuum abreptus elata voce eundem injuriis longe atrociſſimis onerare occœpit, vocans hominem ſanguinarium, impium, injuſtum regni, quod poſſidebat, uſurpatorem, atque ob id a Deo filii Abſalonis defectione punitum: Neque verbis contentus ad facta deſcendit, lapides in Regem vibrando. Omnia hæc alto ſilentio diſſimulante Davide unus ducum Abiſai nomine in tam publica & ignominioſa Regis ſui infeſtatione iræ haud temperans petiit facultatem eundi in ſceleratum eique caput reſecandi, hac ratione dignam inſolentiſſimæ audaciæ pœnam accepturo. Cohibuit David Rex dicens: Sineret hæc dux permittente Deo fieri, quæ ipſe expiandis peccatis ſuis perferret: *Dimittite eum, ut maledicat . . . ſi forte reſpiciat Dominus afflictionem meam* (g) Neque ceſſavit a jaciendis & convitiis & ſaxis impius ille, per viam Regem ſequens. Quid vobis, O mei! de hoc manſuetudinis actu vere egregio atque heroico in Rege, cui quippe Monarchæ fas erat ſtatim capitali ſupplicio in ſceleſtum animadvertere, videtur? Conſiderate, obſecro! atque expendite omnes circumſtantias tum perſonarum, tum injuriarum, tum publice atque in omnium oculis patrati facinoris: Et, ſi quidem poteſtis, admirari omittite! Jam ad nos redeamus: ad nos, qui *jus gladii*, hoc eſt jus puniendi quenquam male nos excipientem non habemus, & ſubin deducamus, utrum licere nobis queat injurias vel verbo vel facto illatas rependere. Igitur ſi injuſte nobiſcum agitur, utamur hoc pio & licito defenſionis genere, *non reddentes malum pro malo nec maledictum pro maledicto.*

Notandum præterea cum Theologis omnibus: convicium, quod in ſe, aut vili perſonæ dictum, grave non eſt, grave evadere

(e) 1. *Petr.* 3. (f) *Homil.* 22. *in Epiſt. ad Roman.* (g) 2. *Reg.* 16.

dere posse ob rationem personæ, cui dicitur: aut ob affectum vindictæ, quocum dicitur, videlicet Proximum magnopere affligendi. Hinc aliquod turpe ac sordidum verbum, in humilem ac vilem personam jactatum, veniale esse potest, quod (si viro nobili aut sacerdoti aut alii simili personæ dicitur) mortale evadit. Ita etiam illud ipsum verbum, si vili personæ cum affectu magnæ iracundiæ & animo eam graviter affligendi dicitur, ob malignum hunc affectum mortale evadit. Hæc quoque communis ac pervulgata Theologorum sententia est.

Quod si quinto Decalogi præcepto adeo stricte gravis in Proximum ira (utut transiens nec longo durans tempore) interdicitur; quanto magis ira continuata, radicata, inveterata prohibebitur, quæ alio nomine *Odium* dicitur? Etenim *quid est*, ait S. Augustinus (h) *odium? Ira inveterata. Ira inveterata si facta est, jam odium dicitur.* Odium est habitualis maligna erga Proximum affectio: At quomodo vitium hoc tam exosum Deo, quippe charitati fraternæ maxime repugnans, exoritur? In eum fere modum, ait S Augustinus, ira in odium transit, quo festuca aut ramusculus in trabem vel arborem excrescere solet. Quomodo ramusculus in arborem crescit? Primo terræ immittitur, deinde rigatur, rigatus augetur, crassescit eaque ratione trabes efficitur. Sic ira in odium crescit. Ira, sin minus cito repellitur sed in animo retinetur, rigatur variis cogitationibus variisque considerationibus: Ruminatur, excutitur molestia, injuria accepta (Hoc est rigatio) indagantur, exquiruntur varii vindictæ repetendæ modi: Recogitantur funesti diversi generis casus, qui personæ infensæ accidere possunt: Ex cogitatis adversis casibus voluptas multoties captatur: Voluptas captata in desiderium transit: Non sine gravi rancore de exosa persona differitur: Malum eidem optatur: Si ei funesti quid accidit, gaudetur: Et sic multis actibus internis & quandoque etiam externis ac verbo (non sine scandalo audientium) expressis ingens peccatorum mortalium actualium series nectitur, præter peccatum habitualis iræ retentæ atque his pessimis affectibus irrigatæ: Et ecce, ait S. Augustinus, *quod erat ira, cum esset nova, odium factum est. . . Ira festuca est, odium trabes est. . . Unde crevit festuca, ut trabes fieret? Quia non statim evulsa est. . . Fecisti illam veterem: attraxisti malas suspiciones & rigasti festucam: rigando nutrivisti: nutriendo trabem fecisti. Miserum te & infelicem! Expavesce, vel quando dicitur:* Qui odit fratrem suum, homicida est. *Gladium non eduxisti, non vulnus in carne fecisti, non corpus plaga aliqua trucidasti: Cogitatio sola odii in corde tuo est, & teneris homicida; reus es ante oculos Dei. Ille vivit, & tu occidisti; Quantum ad te pertinet, occidisti. quem odisti. Itaque emenda te, corrige te. Si in domibus vestris scorpiones essent aut aspides, quantum laboraretis, ut domos vestros purgaretis, ut securi habitare possetis? Irascimini & inveterantur iræ in cordibus vestris: fiunt tot odia tot trabes, tot scorpii, tot serpentes: Et domum Dei, cor vestrum, purgare non vultis.* Igitur attendite vobis, O mei! ut iram in Proximum compescatis: Si illa quandoque vos tentat atque accendit, attendite, ne quis vindictæ appetitus subrepat: Satagite, ut *sol non occidat super iracundiam vestram* (i) nam si manserit, brevi in trabem, in odium convertetur. Et tum quot peccata interna! quot aspides! quot serpentes! & (quod vestra plurimum refert) quanta veniam peccatorum vestrorum a Deo ferali in hora accipiendæ & salutis æternæ consequendæ difficultas! Percipite factum tum horroris plenum tum lacrymis dignum, factum certissimum, relatum a Scriptoribus omni exceptione majoribus & a doctis viris cunctis admissum.

Erant in quadam celebri Orientis urbe, quæ Antiochia fuisse creditur, amici duo summa familiaritate conjuncti, unus Sapricius nomine sacerdos, alter Nicephorus laicus, sancto sese invicem & flagrantissimo amore complectentes. Accidit autem, ut Nicephorus Sapricium offenderet; qua re

amor

(h) *Serm. 58.* (i) *Ephes. 4.*

amor ardentissimus, qui hos duos inter viguerat, in odium & malevolentiam diabolo non indignam ita est conversus, ut publice ne mutuam quidem salutem sibi dicerent. Post aliquod tempus Nicephorus laicus redire in gratiam cum Sapricio decrevit, eumque in finem sequestris usus est, qui nomine suo Sapricium de admissi delicti dolore & humiliatione certum redderent. At surda aure Sapricius omnia repulit. Institit novis obsequiis placare Sapricium Nicephorus; at frustra: Tam in trabem pestilens odium excreverat; uti S. Augustinus ait. Ad extremum Nicephorus adire ipsus Sapricium & ad illius pedes provolvere sese constituit supplicaturus, ut in pristinam amicitiam reciperetur: At ille saxo durior pium bonumque Nicephorum denuo repulit. Sed jam, O mei! alta Dei judicia percipite, discite que, quam severe Deus retinentes odium in Proximum puniat, & quam amplis præmiis eos afficiat, qui amore Superum odium deponunt animorumque conciliationem optant! Emanarat illis temporibus edictum Imperatorum Valeriani & Gallieni, quo atrocissimis cruciatibus interfici ii jubebantur omnes, qui nomen Christi confiterentur cultumque idolorum repudiarent. Ea de caussa Sapricius sacerdos quoque in custodiam datus & præsidi provinciæ oblatus fuit; a quo interrogatus, quomodo vocaretur, reposuit: *Vocor Sapricius*: Denuo interrogatus, cujus generis esset, intrepide respondit: *Christianus sum.* Et rogatus, utrum clericus esset, responsum reddidit: *Locum teneo presbyterii.* Posthæc præses ei denunciavit: præcepisse imperatores, ut idola veneraretur, nisi inter acerbissima tormenta vitam amittere vellet. Ad quæ mira animi cum constantia Sapricius: *Nos Christiani Christum Deum habemus Regem; quoniam ipse est solus verus Deus, & creator cæli & terræ & maris & omnium, quæ sunt in eis: Omnes vero odii gentium dæmonia, & pereant a facie universæ terræ.* Proh gloriosam confessionem! Proh fortem Sapricium! His auditis præses Sapricium catastæ imponi jubet (Erat instrumentum, in quo corpora Martyrum non sine acerrimo cruciatu circumagitabantur) Promptum se supplicio Sapricius exhibet, & dum inhumanum in modum excarnificatur, conversus ad præsidem ait: *Carnis meæ habes potestatem; animæ autem meæ potestatem non habes, sed Dominus Jesus Christus, qui eam creavit.* Proh sensus heroe Fidei dignos! Quid vobis videtur, O mei! Nunquid Sapricium jam in ipso paradisi vestibulo consistere putatis? Fallimini! Eundem inferni in faucibus hærentem paulo post videbitis. Videns miram Sapricii in longo hoc & acerbissimo supplicio constantiam præses sententiam tulit, ut is capite plecteretur.

Hoc comperto bonus Nicephorus occurrere Sapricio in via, per quam ad locum supplicii capite minuendus ducebatur, studuit denuoque prostratus in genua petiit ab illo, ut secum in gratiam rediret: At Sapricius nihil reponit. Rursus Nicephorus in alia viæ parte sese Sapricio offerre & renovare preces curat: At odio excœcatus Sapricius denuo non ignoscit, denuo verbulum non reddit: *Ille autem odio cor habens excæcatum neque ei dedit veniam, neque ei verbum voluit respondere.* Heu judicia Dei! Pervenit tandem Sapricius ad locum, in quo ferali ictu excipiendus erat; sed & ibi adest Nicephorus supplicans, ut pacem secum faceret: At Sapricius durior magis etiam, quam ante fuerat, ne tunc quidem audit. Quid fit? Permittit Deus, Deus ille longe veracissimus, qui dixit: se non dimissurum peccata adversus se admissa, nisi nos peccata in nos admissa dimitteremus, permittit (inquam) Deus, ut Sapricius commonitus a tortoribus flecteret genua, & ferali ferro collum offerret, ad hos conversus clamarit: *Nolite me ferire; facio enim, quæ jusserunt Imperatores & Diis sacrifico.* Usque adeo miser, ait Historicus, excœcatus odio fuit, quod ipsum gratiam Dei longe ab eo removerat, & cum prius in acerbissimis cruciatibus Christum confessus esset, eundem jam in mortis limine constitutus jam jam-

que gloriæ coronam captans negavit, turpis apoſtata factus. Quod videns bonus, qui aderat, Nicephorus Cave, ait, Saprici! Chriſtum neges: Cave cœleſti te corona prives, quam ſævis toleratis tormentis promeruiſti. At vel tunc monentem audire perfidus noluit in apoſtaſia perſeverans. Heu judicia Dei! Tum Nicephorus converſus ad tortores inquit: *Ego Chriſtianus ſum, & credo in nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem iſte negavit; me ergo jam pro iſto ferite: Chriſtianus ſum & Diis veſtris non ſacrifico* (k). Quo audito unus tortorum cuncta, quæ geſta erant, præſidi referens mandatum accepit, ut Nicephoro, ſi Diis non ſacrificaret, caput reſcinderetur; quod & factum eſt. Sic in cœlos abiit Nicephorus ferens Martyris palmam, qua ſe indignum odio ſuo Sapricius effecerat. Quid, O mei! de facto hoc longe certiſſimo & eccleſiaſticis Hiſtoricis cunctis explorato ſentitis? Ecce! quo deſinat odium erga Proximum: nimirum eo, ut animæ illo occupatæ pereant, etſi Martyrum doloribus perfunctæ. Ecce præterea! quanta præmia ſibi commereatur, qui pacem & animorum concordiam ex animo quærit. Quapropter & ego ſermonem hunc meum concludam iis verbis, quibus Hiſtoricus ille finem terribilis narrationis ſuæ fecit: *Quamobrem, O dilectiſſimi! nos quoque diligenter caveamus ab hac diabolica operatione odii & injuriæ acceptæ recordatione, ut noſtrorum quoque peccatorum detur nobis remiſſio a Domino Jeſu Chriſto.*

(k) *Ruinart. Acta Martyr. p. 209.*



SERMO LVII.

De occiſione vitæ civilis Proximi, quæ eſt fama.

POſtquam, O mei! de peccatis adverſus naturalem Proximi vitam committi ſolitis eorumque conſecutionibus dixi; jam de peccatis, quæ adverſus vitam illius civilem admitti conſueverunt, differendum venit. Vita hæc civilis eſt, qua homo in aliorum opinione per bonam, quam ſibi apud alios peperit, famam ſeu exiſtimationem vivit. Hinc vita civili frui is dicitur, qui bona exiſtimatione floret: Et contra ille vitæ civili mortuus aſſeritur, qui bonam famam amiſit. Bonam famam Sapientes omni tempore tanti fecerunt, ut eandem etiam vitæ naturali prætabuerint, adeo ut ſatius duxerint, morte naturali (ſi hæc ipſis a Deo veniſſet) perire quam bonæ famæ exſortes in hoc ſeculo vivere: Hinc in multorum multarumque vitis legere eſt, eos (illicite quidem nec ſine gravi peccato) conſciſcere ſibi ipſis mortem, quam infamiæ vel imminenti vel præſenti ſuperſtites eſſe maluiſſe. Jam quemadmodum duplici remedio fama bona acquiritur (uno, quod nos, altero quod alii in hoc conferunt) nimirum per mores honeſtos publice a nobis exercitos: & per linguam aliorum, quæ vitæ noſtræ probitatem neſcientibus innoteſcere facit; ſic etiam duplici contrario remedio amittitur, nimirum per malos mores publice exercitos: & per linguam aliorum, quæ hos inſcientibus manifeſtat. Quisquis infamibus ſuis moribus bonam famam apud eos, qui illum vident aut norunt, perdit, infamiæ & mortis ſuæ civilis cauſſam ſibimetipſi adſcribere debet: At quisquis eandem per linguam alterius, actionem nefandam non ſcientibus revelantis, amittit, is a talibus divulgatricibus linguis civili modo occiditur reſpectu illorum, qui delicti ſcientiam non habuerunt: Et hoc eſt peccatum illud, quod com-

communi vocabulo *Detractio* appellatur. Ecce, O mei! in hos civiles Proximi homicidas præsenti oratione invehor.

Igitur ut rem ordine agam, primo necessarium videtur recensere modos, quibus grave hoc peccatum admittitur, & fama aliena aut graviter labefactatur aut omnino evertitur. S. Thomas septem modos numerat dicens (a) *Aliquis diminuit famam Proximi quandoque directe quandoque indirecte: Directe quidem quadrupliciter; uno modo quando falsum imponit alteri: secundo quando peccatum adauget suis verbis: tertio quando occultum revelat: quarto quando id, quod est bonum, dicit mala intentione factum. Indirecte autem; vel negando bonum alterius: vel malitiose reticendo: vel minuendo.* His septem modis nonnulli octavum addunt, qui est frigide laudare id, quod præstanti laude dignum; qui tamen modus cum illo *Minutionis* convenire videtur. Ego hunc modum reliquis adjunctum fuisse existimo, ut duorum hexametrorum, peccaminosos detrahendi modos complectentium, numeri explerentur:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatque remisse.

Priusquam hoc modos, quibus tota detractionis malitia continetur, exponam, sciatis velim: res seu dotes nonnullas, quæ ad bonam personæ alicujus famam ita pertinent, ut si illis eadem persona careret, suo in ordine fama caderet, respectu alterius personæ haud graves esse posse. E. g. Si de concionatore vel alio salutis animarum ministro dicas: eum indoctum esse: conciones quas habet, illius non esse: nec scire illum artem eas componendi; Aut si de confessario dicas: omni illum doctrinarum moralium cognitione carere &c. gravem detractionem admittis; quia bona harum personarum fama in istis ministeriis positarum in eo consistit, quod aptas ad illa fungenda dotes habeant: Et his eas destitutas dicere, est eas in suo gradu infamare; Quod non fiet, si memorata de vili paucorum annorum sacerdote aut de viro ecclesiastico talia ministeria nec profitente nec profiteri volente, & qui cum libros evolvere deberet, horum loco chartas lusorias amat, dicas. Similiter si de milite, eum singulari certamine cum alio conflixisse: si de ganeone, eum cinædologum esse: si alia similia de hujusmodi personis dicis, hoc non est famam earum violare; tum quia ipsæ sæpe his rebus gloriantur, tum quia ista dicere famæ personarum hujus status parum officit; dum contra multum officeret famæ hominis magnæ pietatis existimatione florentis aut viri claustralis. Igitur tum graviter adversus famam Proximi delinquitur, quando ob circumstantias personæ, de qua dicitur, id, quod dicitur, bonæ famæ illius notabilem in modum nocet; Et hoc octo memoratis modis fit, quos jam ex ordine practice explicabimus.

Primus est, falsum crimen seu calumniam Proximo imponere. Hoc quomodo fieri possit, facile intelligitis, videlicet si e. g. de fœmina maritata dicitur: eam impuros alere amores, aut de viro quodam honesto: eum esse fraudatorem &c. Evidens utique est & manifestum, quod hoc sit Proximum graviter infamare. Falsum præterea imponit, qui homini uno delicti genere publice infami aliud insuper scelus affingit, v. g. si de homine furti publice infami falso dicatur: quod etiam blasphemator, adulter aut alteri sceleri affinis sit, a quo tamen immunis est.

Secundus est, facinus alioquin verum verbis augere. Nimirum si de fœmina nupta, jam plus justo vana & in conversando levi, additur: eam in amasios suos liberalem esse: levi negotio ab illa obtineri, quæ quis optat, posse. Si de viro ecclesiastico, qui aliquoties ad abacum lusorium visus est, additur: ei mensam lusoriam accessus ad Missam & recessus loco esse; Aut si, quia forte una aut altera vice plus, quam par erat, vini hausit, adjungitur: eum mero deditum esse &c. Si de puella clam parentibus amori operam dante adjicitur: brevi eam matrem fore, quin tamen virum habeat

(a) 2. 2. q. 73. a. 1.

beat &c. Si de aliquo, qui aliquoties tardus ad solvendum fuit, additur: eum avarum, debitorem haud probum, Judæis deteriorem esse &c. Si de aliqua unius adulterii dedecore notata adjungitur: istud sæpius factum esse. Paucis: quando id, quod vero adjicitur, notabilem in modum delictum admissum auget, & personam notabiliter magis abominabilem reddit, mortaliter peccatur peccato detractionis.

Tertius est divulgare delictum Proximi verum, at occultum: Et hic detrahendi modus maxime viget atque in usu est; cum homines existiment, dummodo factum verum sit, id prodi cuilibet licere. Ast errant & graviter peccant nescientibus id pandentes, quamdiu occultum est: nimirum paucis cognitum. Nam tametsi persona rea famam suam apud illos paucos amiserit, nihilominus eandem apud plurimos retinet: Atque ob eam caussam, qui illud delictum nescienti revelat, Proximi famam apud eundem graviter lædit. Immo hac maxime re fit, ut tandem bona fama Proximi apud omnes emoriatur, non sine gravissimo peccato, quo se tum ille qui delictum vulgare cæpit, tum ille qui vulgare pergit, obstringit: Quo super capite dubia quæstio, a Theologis moralibus proponi solita, solvenda occurrit: nimirum utrum sine peccati mortalis culpa factum Proximi occultum viro gravi ac sapienti narrari possit addita obligatione, illud sub secreto naturali silentio premendi? Quidquid nonnulli Scriptores in contrarium sentiant, fieri hoc sine peccato mortali non potest: Sic docet S. Thomas dicens (b) *Etiamsi uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus, non in toto sed in parte.* Neque juvat dicere: Persona, cui delictum revelo, gravis est, sapiens est, taciturna est; Ob hoc ipsum fama magis maculatur; cum constet, quod multo majoris damni loco habeatur, apud unum virum sapientem ac gravem (quisquis ille sit) infamari quam apud decem alias personas nullius nominis & pretii. Hæc præter S. Joannes Chrysostomus (c) in hujus, quam defendo, veræ opinionis confirmationem risu dignam judicat cautionem, quam adhibere isti Referendarii (Hoc eos nomine vocari libet) & scelerum delatores solent: dum altum silentium iis, quibus Proximi delictum patefecerunt, imponunt: *Hoc vero ridiculum magis est . . . cum aliquid arcanum dixerint, rogant audientem & adjurant, ne cuiquam amplius alteri dicat, hinc declarantes, quod rem reprehensione dignam commiserunt. Si enim illum, ut nemini dicat, rogas, multo magis te priorem huic dicere non oportebat: In tuto sermonem habebas; postquam ipsum prodidisti, tunc salutem ipsius curas? Si non vis efferri, neque alteri ipse dicas; postquam vero alteri prodidisti sermonis custodiam, superflua facis & inutilia, admonens & obtestans de proditorum custodia.* Itaque nefas, Proximi delictum ad aliquem, utut sapientissimum, deferre; nisi caussæ urgentes, inferius adducendæ, accesserint.

Quartus modus est rem laude ac commendatione dignam, quasi malo animo maloque consilio gestam, traducere. Qui sic agit, duplex grave peccatum admittit, videlicet peccatum judicii temerarii & peccatum detractionis: Judicii temerarii; quia sine gravi caussa male de Proximo judicat: Detractionis; quia judicium suum in detrimentum famæ illius, de quo judicat, aliis manifestat. Heu! quot audiuntur, qui cum actionem Proximi rodere nequeunt, illius intentionem maledicentiæ veneno corrumpere tentant? Sic e. g. dicunt: Vir ille ecclesiasticus pietatem simulat; quia ad parochiæ administrationem aspirat, quia hanc, illam dignitatem: hoc illud, Beneficium ambit. Vir ille nobilis eleemosynam facit, ut nomen sibi pariat, & ad illud honoris fastigium, ad illam dignitatem promoveatur. Hic SS. Sacramenta crebro recipit, ut viro fæminæ illius, quam frequenter invisit, omnem de se mali suspicionem tollat. Illa multis se laboribus occupari simulat, ut quæstum, quem secreto facit, quasi quodam specioso velamento tegat: luxui illius lucrum labore partum, sine occulto quæstu, haud suffi-

(b) 2. 2. q. 73. a. 1. (c) *Homil. 3. ad Pop. Antioch.*

ſufficere poteſt. Iſta puella pie vivit, ut genitoribus ſuis imponat & majorem cum illo juvene, ædes patrias frequentante, agendi libertatem ſibi paret. Illius confeſſarii in juvandis pœnitentibus aſſiduitas haud omnis ex charitate; ſed ex ſordido commodorum propriorum ſtudio fluit, ut famam ſibi comparet, ut in illo concurſu ſuffragia certa ferat, ut ex pinguibus donis laute vivat. His & ſimilibus modis temere de Proximo judicantes bonam illius famam piis operibus promeritam commaculant.

Succedunt alii tres vel quatuor modi, quibus fama Proximi indirecte atteritur. Primus eſt, factam negare actionem aliquam, qua facienti bona fama conciliatur. Sic nonnulli, ubi ſermo incidit, illum vel illam a præteritis facinoribus reſipuiſſe, hoc verum eſſe negant. Sic negant, alium hanc inſignem pietatis actionem perpetraſſe; virum illum doctum publici actus literarii optatum exitum habuiſſe; illam pudicam fæminam cum generoſitate Chriſtiano digna munus remiſiſſe ei, qui illud mittere haud debuiſſet; iſtam perſonam eccleſiaſticam in examine non omnia puncta tuliſſe, cum tamen tulerit &c. Secundus eſt minuere actionem Proximi: Sunt nonnulli, qui etſi actiones Proximi non negent, tamen illas extenuant. Sic dicunt: Ille quidem probus eſt, ſed probiorem eum vellem: melius faceret, ſi pauciores Miſſas audiret: minus orationi vacaret; Et debitum mihi (Ecce rem occultam & nemini notam) ſolveret. Illa uſitatas noſtro ævo virorum ancillationes declinat quidem; at iſti domino nimium favet: Omnes fugitat, huic ultro occurrit. Ille vir eccleſiaſticus e ſuggeſtu bene & zeloſe perorat; at credo, quod *non proferat de theſauro ſuo*; dimidiam ejus orationem in quodam libro inveni: Urget eleemoſynam, quæ ad ipſum redit; de ea, quæ ad alios pertinet, multum frigido hortationis genere uti videtur; Hinc apparet, eum haud per omnia Dei & Proximi charitate ad dicendum agi. Vir ille nobilis magna cum liberalitate pauperes, præſertim eos quos a mendicando pudor retrahit, tractat; at etiam in certam dominam nimis liberalem ſe præbet. Hisce & ſimilibus formulis actiones bonæ ita negantur & extenuantur, ut non ſolum bona fama Proximi non augeatur; ſed etiam obſcuretur & quandoque penitus extinguatur.

Tertius & quartus detrahendi modus eſt, tacere vel frigide ac remiſſe laudare. Ad hunc modum reducuntur certa aſtuti atque artificioſi ſilentii genera: Senſa animi explico. Adeſt quidam alicui cœtui, in quo fama Proximi ex ſuppoſito ſcelere quodam laceratur; Ille, qui præſens eſſe a me ponitur, & alioquin ſcit, hanc actionem Proximo falſo imponi, interrogatur ab adſtantium nonnullis: Heus, chare! Quid tu tu ad iſta? Noſti optime familiam illam univerſam, tibique melius, quam nobis, ſcire licet, quomodo iſta maxime res ſe habeat? Dic, ſodes! Ille contra tacet aut forſitan ſubridens reponit: Quid vultis, ut dicam; cum tamen dicere graviter negando poſſet: Hoc verum non eſt, & verum non eſſe, certo ſcio. Talis ſilendo graviter peccat & infamiam conceptam magis confirmat, peccans contra charitatem & contra juſtitiam; nam in his circumſtantiis tenetur ſciſcitantibus reponere id, quod verum eſſe novit: nimirum falſam eſſe illam imputationem: Immo, etiam non interrogatus, tenetur gravi charitatis obligatione, ut dicat: ſcire ſe, falſo imputari Proximo hoc ſcelus; & ſic illius famæ apud præſentes periclitanti ſuccurrere. Ex hoc exemplo colligite, quidnam de multis ſimilibus caſibus ſtatui oporteat? Ad iſtud ſilentii genus referri debet alius detrahendi modus longe uſitatiſſimus per reticentiam, figuram omnium, quas delatorum mentibus diabolus ſuggeſſit, peſſimam atque ſignificantiſſimam. Utuntur autem illa his & ſimilibus modis. Audiunt e. g. aliquem probra in alium jeciſſe; & dicunt: Si ſic male mihi dixiſſet, ſciviſſem probe, quo os illi obtudiſſem: objeciſſem illi hoc, quod de illo novi at dicere in præſentiarum nolo. Accidit, virum viro aut fæmi-

fæminam fæminæ aliquid minus gratum dicere; & respondent: Tu ista mihi? Nescis, optimum consilium in silentio tibi esse? Ignoras, quid ego de te dicere in opprobrium tuum possem. Audiunt male loqui de hac illave persona; & dicunt: Oh si vos, quæ ego, de illa nossetis, comæ vobis præ horrore arrigerentur. Audiunt laudari hunc vel illam; & taciti auscultant, & jactant humeros, & eos corporis gestus agunt, qui bonæ existimationis, quam de Proximo reliqui habent, contemptum atque derisum produnt; & addunt: Si sciretis omnia, non tantis laudibus eum efferetis. At quærunt reliqui: Hem! quid vos demum de illo scitis? Et reponunt: Ah! nec licet nec libet dicere: Væ nobis! si hoc panderemus. Aut dicunt: Ob hoc quidem laudem meretur; at . . . quam optarem, ut mihi per omnia eum laudare liceret! latet nescio quid, quod multum obest; Hæc satis sunto. Dicunt amicorum alicui aut pluribus mæsto & severo oris habitu: Ah! si sciretis, quantam ægritudinem ego sentiam! Reponunt amici: Cur illam? Quia de hoc vel illa magnum scelus comperi: Quodnam illud? Avertat Deus, ut prodam; si omnes mundi thesauri mihi offerrentur, non dixerim. Omnes hæ figuræ diabolicæ sunt & modi reticentiæ, qui faciunt, ut audientes multo graviora, quam quæ tacentur, gesta fuisse putent. Audiunt in quodam conventu vulgari factum infame alicujus personæ meris relationibus compertum nec omnino certum; & silentium rumpentes subdunt: Novi & ego istud, sed nunquam prodere ausus essem; At quoniam illud referri ab aliis audio, negare non possum; nimis eheu! verum est; dolens dico: Grave delictum est; & ægre me habet, quod delinquens negare illud haud queat. Percipite, quomodo omnes has eloquentiæ diabolicæ figuras S. Bernardus (d) describat, qui postquam in vitium detractionis graviter invectus esset, tanquam subtilem modis memoratis sese exprimendi artem, qua male de Proximo vel auditis vel dictis fides major conciliatur, nobis his verbis detegit. *Alii autem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas alta præmitti suspiria, sicque quadam cum gravitate & tarditate, vultu mæsto, demissis superciliis & voce plangentis egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his, qui audiunt, corde invito & magis condolentis affectu quam malitiose proferri: Doleo (inquit) vehementer pro eo; quod diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuisset; at quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum; dolens dico, revera ita est, & addit: Grande damnum; nam alias quidem in pluribus valet, ceterum in hac parte, ut verum fateamur; excusari non potest.* Ecce vobis minutissime descriptas varias figuras, quibus detractores utuntur, qui, dum cordis sui malignitatem pietatis coloribus insucant, dirum linguæ venenum spargere solent!

Postquam, O mei! varios famam Proximi plus minusve obscurandi aut penitus extinguendi modos didicistis; jam perniciosissimos detractionis effectus percipite! Hos verbis significantissimis exprimere Spiritus sanctus voluit. In quodam loco dicit: *Os lubricum operatur ruinas* (e) in quo textu & vox (*ruina*) & numeri pluralitas (*ruinas*) observanda est. Alio in loco linguam vocat ignem, magnam sylvam succendentem: *Ecce quantus ignis! quam magnam sylvam incendit? Et lingua ignis est, universitas iniquitatis . . . inflammat rotam nativitatis nostræ* (Versio Syriaca habet: *Seriem genealogiarum*) *inflammata a gehenna* (f) Quibus verbis omnibus linguæ detractricis crudelitas manifestatur; nam hæc igne suo non solum famam ejus, cui detrahit, accendit sed ad illius quoque posteros incendium suum transmittit, quippe qui ex personæ principalis crematione toti adusti remanent: quo fit, ut nec ad dignitatum fastigia nec ad honorificas nuptias nec ad illa lucrosa officia grassa-

(d) *Serm. 24. in Cant.* (e) *Prov. 26.* (f) *Jac. 3.*

grassari queant, ad quæ pervenissent, sin minus eos excitatus per incendium, quod famam principalis personæ consumpsit, fumus infuscasset.

Et quoniam nobis has linguas, tanquam incendiarias, Spiritus sanctus exhibuit; ut quas clades illæ edant, melius explicem, pulchra figura utar, quam Propheta Jeremias cap. 11. offert Vidit is bonam gentis aut familiæ a Deo benedictæ famam olivæ pulchræ, frondosæ, fructiferæ immo multis surculis septæ imagine expressam: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam speciosam vocavit Dominus nomen tuum.* At ecce! *ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta ejus.* En sub memorata ignis allegoria ad vivum descripta damna ingentia, quæ lingua maledica creat! Est e. g. familia nobilis ab omnibus magni habita: *Olivam uberem, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.* Loquitur lingua maledica, imponit falsum crimen aut præteritam infamem actionem manifestat, & ecce! *ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea*? Quid deinde? Ecce! surculis illius familiæ, fratribus jam præclusa via ad eos gradus atque illa munera, ad quæ jure aspirabant: *Et combusta sunt fruteta ejus.* Est vir ecclesiasticus optima omnium existimatione florens: *Olivam uberem nomen tuum.* Prodit in medium maledicus divulgans occultum illius delictum, præteritis temporibus admissum, jam emendatum: Et ecce! *ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in eo.* Quid deinde? Ecce! jam non licet ei ambire Beneficium illud, ex quo & ad pauperem ejus familiam & ad alios opis ejus indigos vitæ subsidia rediissent: *Et combusta sunt fruteta ejus.* Est filia viro matura, jam honorificis & opportunis destinata nuptiis, ab omnibus ut pudicitiæ exemplar habita: *Olivam uberem nomen tuum.* Comparet obtrectator, & affert delictum nemini ulli unquam cognitum: Et ecce! *ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea*; Quid deinde? Ecce! Omnis pactio nuptialis resolvitur; congruæ collocationis ratio omnis præscinditur; sperata evanescunt commoda; familia universa turbatur: *Et combusta sunt fruteta ejus.* Sic de ceteris personis statuite omnibus, quarum infamia ad familiam, ad posteros saltem per plurium lustrorum spatia transit, unaque omnem commodorum, honorum & quæstuum, quos jure illi expectare poterant, spem rapit: *Ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea & combusta sunt fruteta ejus.* Nonne igitur merito S. Jacobus pronunciavit, quod lingua *inflammat rotam nativitatis nostræ, seriem genealogiarum,* & quod sit *universitas iniquitatis.*

Dicet aliquis: Ergone nunquam licet revelare factum aliquod ceteroquin verum, si infamatorium est? Respondeo: licere hoc equidem posse, at solum si (Advertite animos) si debitæ circumstantiæ observantur, videlicet 1° si revelare illud sive bonum commune sive notabile vel proprium vel Proximi commodum plane postulat: 2° si illis solum personis, quæ omnino necessariæ sunt, revelatur: 3° si his personis revelatur addita obligatione, ut illud aliis haud manifestent, sed necessarium remedium afferant, quo malum, quod oriturum non sine ratione creditur, aut non oriatur aut, si ortum sit, latius haud serpat. Hæ circumstantiæ omnes si servantur, non solum illicitum sed etiam licitum immo & laudabile erit, delictum Proximi prodere; nam hoc non est infamiam inurere Proximo, sed vel communitatem vel seipsum vel alios juste defendere: Et hac ratione sceleris manifestationem sequitur sontis infamia præter intentionem manifestantis. Ita S. Thomas: *Ille qui malitiam alicujus manifestat ei, qui habet corrigere; vel etiam (si sit incorrigibilis) in conspectu Ecclesiæ, ut confusus a peccato desistat; vel saltem ut alii ab ejus consortio corruptivo discedant, servato ordine fraternæ charitatis, non injuste famam aufert; unde non tenetur ad famæ restitutionem* (g) Duo adducere exempla juvat, quæ vobis in aliis similibus casibus normæ instar sint. Ponite aliquem optimam nominis famam gerentem, immo etiam in honore constitutum per speciem honestæ amicitiæ familiam quandam frequenter invisere:

(g) *In 4. Dist. 14. q. 2. a. 5. q. 2. ad 1.*

in hac esse filiam aut uxorem, quam ille in oculis fert, cui insidias struit omnem lapidem movens, ut eam impuræ cupiditati suæ concedere faciat: Resistit filia aut uxor; ast sibi ipsi ultro metuit, ne vel cadat vel præsentissimum casus periculum subeat: Nescit, quomodo se extricet, cum puta ut filia & non hera aut uxor subdita viro, qui hunc talem sæpius in domo sua esse vult, sceleratum pudoris & animæ aucupêm ædibus interdicere non possit: cui, quod ab familia universa tum ob mores, quos palam ostendit, tum ob gradus, quem tenet, dignitatem, tum ob officia, quæ administrat, pro homine fide maxima digno habeatur, vagari per omnia cubilia & soli cum solis, quibuscum voluerit, loqui licet. Filia vel uxor conscientiæ agitata stimulis & a docto admonita confessario sæpius eidem servera facie dixit, ne introiret, ubi ipsa sola esset; Ille contra suis fisus cogitationibus non desistit, eamque aut vincit aut oppugnat non sine periculo, ne vincatur. Quid faciat uxor vel filia? Debet insidiatori libere dicere: Si me mihi non relinquis, dicam patri aut viro meo, ut te longe domo arceat: Quod si tunc apud illum infamiam subjeris, tua erit culpa. Impudens nihilominus non desistit, sed tentare eam pergit. Ecce tenetis rem: Debet in hoc casu filia aut uxor patrem aut virum alto silentio imposito commonefacere, ut scelestum hunc, quin tamen nefandos illius ausus divulget, coarguat, increpet, domo ejiciat. Hæc via unica, hæc necessaria, qua illæ ad justam animarum suarum defensionem uti debent: Et si alter exinde apud patrem vel virum infamatur, infamiam sibi habeat; cum eam in se ultro accersiverit.

Similiter si quis in quadam materia gravi consilio indigens alium consiliarium nancisci non potest, quam eum solum, cui cognita est persona necessario manifestanda; postquam prius altum silentium rei patefaciendæ ab illo sibi postulavit & assensum obtinuit, potest prodere personam; si hoc eo necessarium sit, ut opportuno consilio juvetur; nam necessitas excusat illum a reatu detractionis. Extra hos aut similes casus nunquam licet sua sponte culpam Proximi infamatoriam cuicunque demum revelare. Dixi: *sua sponte;* nam in judicio legali vocatus testis in conscientia dicere veritatem, qualis est, debet de iis, quæ vel vidit ipsus vel ab aliis accepit.

Quisquis igitur Proximum sine ratione & gravi caussa infamat; cum non solum contra charitatem sed etiam contra justitiam peccet, incurrit obligationem restitutionis. Ast *hoc opus, hic labor est;* nam restitutio pro varia ratione modorum, quibus famam Proximi atteri vel plane conteri superius monui, fieri debet. Certum manet, eum, qui calumniando seu falsum crimen imponendo alium in infamiam adduxit, teneri, ut declaret (etiam jurejurando, si opus sit) se falsum dixisse; Et hoc non solum apud eos, coram quibus falsum dixit, sed etiam apud illos, ad quos ii, qui audiverunt, falsum crimen detulerunt, facere debet; si, qui primitus audiverunt, id facere detrectant; Et si in publicum emanavit calumnia, publica retractatione, quæ ad omnium notitiam perveniat, diluere eam debet justitia, quæ graviter læsa fuit, hoc sibi postulante; prout quilibet videt. Proh gravia linguæ maledicæ onera! Quam difficulter deponimini! Quam facile econtra in interitum trahitis! Qui vero crimen verum, at occultum, de Proximo vulgavit, tenetur coram eis, ad quos illius notitia pervenit, declarare: se erravisse & male dixisse; cum verissimum sit, quod erraverit & mala dixerit dicendo, quæ dicere haud oportuit: Debet præterea modis (quibus potest) curare omnibus, ut personam læsam pristinæ bonæ famæ restituat, & de eadem, quidquid potest, boni dicere; Quod si fieri morali modo adæquata famæ compensatio non potest, debet facere compensationem in alio bonorum genere, sive per nummos sive per alia. Ita per omnia sentit S. Thomas; Percipite verba illius (h) *Aliquis potest alicui famam tripliciter auferre; uno modo verum dicendo & juste* (de hoc superius dixi) *puta cum aliquis cri-*

(h) 2. 2. q. 62. a. 2.

crimen alicujus prodit ordine debito servato, & tunc non tenetur ad restitutionem famæ; alio modo falsum dicendo & injuste, & tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse; tertio modo dicendo verum sed injuste, puta cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum, & tunc tenetur ad restitutionem famæ, quantum potest, sine mendacio tamen: utpote quod dicat, se male dixisse vel quod injuste diffamaverit: vel si non potest famam restituere, debet ei aliter recompensare.

Sed quid jam de damnis realibus dicam, quæ consequi detractiones injuste factas solent, dum sive falsum Proximo imponitur: sive delictum illius verum quidem, at occultum, proditur: sive verum & vulgatum notabiliter augetur? Affirmant uno ore Theologi omnes: teneri detractorem ad compensationem horum damnorum omnium; nam cum sua injusta actione caussam præbuerit horum damnorum, eadem resarcire obligatur; pro eo ut sapiens ac doctus confessarius perpensis rei circumstantiis judicaverit. Hinc qui injuste detrahendo in caussa fuit, quod vir ecclesiasticus hoc, illud Beneficium consecutus non sit: quod alius hoc, illud lucrosum munus non obtinuerit: quod illa familia hæreditatem adepta non sit: quod hæc, illa puella matrimonio tum sibi tum familiæ ejus multum proficuo exciderit: quod operarius hoc, illove quæstus genere privatus sit &c. Debet damna hæc omnia compensare pro ratione certitudinis, quam hæ personæ de istis commodis obtinendis habuerunt, sinminus lingua maledica obstacula posuisset: Idque facere tam stricte obligatur, ut, si forte ipse sinistro casu ante præstitam hanc compensationem moreretur, compensationis hujus obligatio ad hæredes illius transeat; nam cum ista obligatio realis sit, nimirum in facultates mortui cadat; ob id ad eos transmittitur, quibus illæ facultates hæreditate obtingunt: Et cum obligatio hæc ex jure naturali oriatur, ob id non est mortalium quisquam, qui illius remittendæ potestatem habeat, nisi persona læsa, quæ liberrime declarare debet: Remitto tibi ultro omnem compensationem, quam debes. Omnis doctrina hæc unanimi scriptorum cunctorum calculo receptis tum juris naturalis tum Theologiæ moralis principiis nititur; Sed vos, O mei! quid jam de tot tantisque oneribus sentitis, quæ lingua maledica imponit? Nunquid putatis, male de Proximo loqui quenquam facile ausurum, si gravissimæ detractionis consecutiones probe expenderentur, nimirum vel recantandum vel pœnas inferni subeundas esse: vel reparanda esse pro viribus damna illata vel æternum pereundum.

Ita est, O mei! Statui: maledicum in præsentissimo amittendæ salutis æternæ periculo versari non solum ob difficultates, quas superare debet, ut debito suo faciat satis; sed etiam ob minas, quas in hoc hominum genus Deus in S. Scriptura intentat. Detractoribus Verbum Dei mortem repentinam denunciat: *Fili mi . . . cum detractoribus ne commisceearis, quoniam repentine consurget perditio eorum* (i) Alibi dicitur: *Huic extemplo veniet perditio sua & conteretur, nec habebit ultra medicinam* (k).

Et ecce! si lubet, facta a Deo revelata, quibus horum vaticiniorum veritas confirmatur. Nostis aliunde, Core Dathan & Abiron Moysi detraxisse: Ast quomodo perierunt? *Separamini*, Deus ipsi Moysi dixit, *de medio congregationis hujus* (detractorum horum) *ut eos repente disperdam.* Et re vera sic evenit; Recedentibus namque ceteris, ecce! *dirupta est terra sub pedibus eorum . . . descenderuntque vivi in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis* (l) Eadem ferme sors alios Israelitas in Moysen maledicos sustulit, qui volatilia satiandæ ingluviei suæ postularant & obtinuerant: *Adhuc enim carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujusmodi cibus; & ecce! furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis* (m) Et David addit: *Occidit pingues eorum* (n) Simili modo similique de caussa, videlicet quod Moysi detraxerint, plurimi Hebræorum venenatorum serpentum subito a Deo immissorum ictibus ceci-

(i) *Prov. 24.* (k) *Prov. 6.* (l) *Num. 16.* (m) *Num. 11.* (n) *Psalm. 77.*

ceciderunt: *Quamobrem* (o) *misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum* reliqui *venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus &c.* Ecce! O mei! qua morte detractores intereant.

Quod autem exterrere nos maxime debet, æterna est e paradiso proscriptio in ipso Dei Verbo maledicis prænunciata: *Detractores*, ait Paulus, *Deo odibiles* (p) Et alibi: *Maledici . . . . . Regnum Dei non obtinebunt.* Dicet aliquis: Ergone nullum superat remedium in detractionis peccatum lapso? Superat, Chare! uti aliis, ita etiam huic vitio; & est serius ac verus dolor: At si serius & verus est, conjunctam quoque habere debet veram ac firmam voluntatem reparandi damnum famæ & etiam bonorum, si quod ex infamia natum est. Verum quoniam hæc reparatio (pro eo ut opus est, & ego superius exposui) non nisi difficillime præstatur maxime ab his, qui multarum infamationum & respectu multarum personarum rei sunt, ob id facillime fit, ut damnatio detractores sequatur & comprobetur illud: *Maledici Regnum Dei non possidebunt.* Quisquis igitur detractionis & damnorum per illam Proximo illatorum sibi conscius est, cum sapienti & docto confessario obligationes suas expendat, & studiose impleat ea, quæ sibi pro personarum læsarum in integrum restitutione imponuntur, statimque decernat, omnibus cavere modis, ne amplius male de Proximo loquatur. Secus metuat, & magnopere metuat saluti suæ; cum inevitabilis inter hæc duo optio sit: Recantare aut damnari; Restituere aut perire.

(o) *Num.* 21. (p) *Rom.* 1.

SERMO LVIII.

De occisione vitæ supernaturalis, videlicet de Scandalo; & primo de Scandalo verborum.

SI magnæ crudelitatis est, O mei! Proximum vita naturali & civili injuste privare; certe maximæ sævitiæ erit, eundem vita supernaturali spoliare. Vita naturali Proximus privatur, dum anima e corpore expellitur: Vita civili exuitur, dum bona fama privatur: Vita supernaturali spoliatur, dum divina ei gratia rapitur. Vita naturali per ferrum aut simile instrumentum: Vita civili per detractionem: Vita supernaturali per scandalum privatur. Ex hoc statim intelligitis, quod, quantum gratia divina vitam ac famam dignitate sua superat, tantum scandalum reatu suo homicidium ac detractionem vincat. Et si in homicidas ac maledicos duos priores sermones direxi, jam ratio postulare videtur, ut similiter in scandalosos duobus sermonibus (hoc nimirum præsenti & sequenti) invehar.

Itaque quid est scandalum? *Scandalum est*, teste S. Thoma, cui Theologi omnes consentiunt, *dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ* (a) Hoc dictum vel factum malum ac scandalosum potest esse (Uti omnibus liquet) solum veniale solumque ad veniale peccatum inducens; & tunc (regulariter loquendo) scandalum est solum veniale. Ast si scandalosum dictum vel factum est peccatum mortale: aut quamvis solum leve sit, tamen animo ad mortaliter peccandum inducendi ponatur: aut si Proximus ad peccatum veniale per actionem mortalem trahitur, tum scandalum est peccatum grave. Ita idem S. Thomas

(b) Si

(a) 2. 2. q. 43. a. 1.

(b) *Si intendat inducere Proximum in peccatum mortale, mortaliter peccat; si autem intendat inducere ad aliquod veniale, peccat venialiter, quantum pertinet ad rationem scandali; quia si intenderet ducere in peccatum veniale per actum mortalis peccati, peccaret mortaliter, sed hoc occideret scandalo.* Nos in hoc sermone solum de scandalo, quod verbis (& quidem graviter scandalosis) præbetur, dicemus.

Scandalum Theologi omnes una cum S. Thoma in *activum* & *passivum* dividunt: Scandalum *activum* est actio scandalosa, quæ fit; Scandalum *passivum* est ipse lapsus illius, qui accipit scandalum, v. g. Aliquis sollicitat alium ad peccandum; actio sollicitantis dicitur scandalum *activum*: Et si persona sollicitata cedit atque peccato consentit, dicitur scandalum *passivum*. Nos solum de scandalo *activo*, scilicet de personis scandalum impiis sermonibus suis dantibus, agemus.

Quo in loco quatuor errores de scandalo activo mihi detegendi occurrunt. Sunt multi, qui credunt, tum demum se scandalum dare, quando res malas in ore & auribus personarum bonæ frugis, & quæ non ita facile in malum ducuntur, faciunt vel dicunt: contra se scandali reos haud fieri, si memorata apud personas licentiosas & profligatas, quales ipsi sunt, dicunt aut faciunt. Hic primus est & oppido gravis error; nam tum profecto verius est scandalum activum. Asserti mei caussam hanc reddo: Est scandalum (Uti monui) dictum vel factum malum alteri occasionem peccandi præbens; Itaque eo magis comprobatur, actionem aliquam esse scandalosam, quo efficacior illa est ad producendum in aliis peccatum; Jam facillime fit, ut pravi homines, male facere aut loqui alium videntes vel audientes, illud ipsum malum faciant vel dicant: Erit ergo tum profecto verius scandalum, quando dictum vel factum malum coram personis ad peccandum pronis effertur vel geritur; quam si effertur aut geritur coram personis, ad peccandum tardis. Hinc si mihi dicatis: personas bonæ frugis in actionibus aut verbis scandalosis magis stupere quam personas malæ frugis, hoc vobis ut verissimum concesserim: Ast scandalum non in eo consistit, quod stupor moveatur, sed quod peccandi incitamentum præbeatur; hinc tanto verius scandalum est, quanto facilius succedere incitamento lapsus potest; quod ipsum in personis pravis potius quam in bonis fit. Itaque si coram alio malum vel geritur vel dicitur (Utut ille longe dissolutissimus sit) semper scandalum manet; quia semper habet vim in peccatum & animæ perniciem trahendi.

Alter error est eorum, qui putant se scandalum haud dare, si illud lapsus Proximi non sequatur; hinc si scandalosa faciunt aut dicunt coram personis in vitæ probitate stabilibus ac confirmatis, ita ut vereri haud liceat, eas inde damnum aliquod accepturas esse, scandalum non fuisse affirmant. Etiam hic juxta cum præcedenti valde gravis error est; nam scandalum non est illud solum dictum aut factum malum, cui ruina spiritualis alterius ipsa re succedit; sed quod præbet occasionem ruinæ: Hinc quamvis personæ rem scandalosam videntes vel audientes firmissima & labefactari plane nescia probitate sint, tamen scandalum datur; quoniam illa res scandalosa ex sua natura ansam ruinæ præbet, & mero casu fit, quod ruina non sequatur, ob stabilem præsentis personæ pietatem: *Quandoque scandalum activum est sine passivo*, ait loco citato cum Theologis omnibus S. Thomas, *puta cum aliquis inducit verbo vel facto alium ad peccandum; & ille non consentit.*

Tertius error est eorum, qui scandalosa faciunt aut dicunt non quidem eo animo, ut alios seducant, immo nolunt quemquam cadere; attamen scandalosa illa dicunt & faciunt, credentes ob id se scandalum haud dare. Verum etiam hoc, ait cum Theologis omnibus S. Thomas loco sæpius laudato, vere scandalum activum est; cum intentio non scandalizandi quenquam nihil juvet, si dictum vel factum ex sua natura scandalosum

(b) *In 4. Sent. dist. 38. q. 2. a. 2. q. 3.*

losum sit: *Per se quidem est occasio peccandi, quando aliquis suo malo verbo vel facto intendit alium ad peccatum inducere; vel etiam* (Notate bene) *si ipse hoc non intendat, ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet, quod sit inductivum ad peccandum; puta cum aliquis publice facit peccatum vel quod habet similitudinem peccati: Et tunc ille, qui hujusmodi actum facit, proprie dat occasionem ruinæ; unde vocatur scandalum activum.*

Bene observetis velim verba S. Doctoris, quibus affirmat: verum scandalum activum dari non solum ab eo, qui facit publice peccatum; sed etiam ab eo, qui facit, quod habet similitudinem peccati: *Cum aliquis facit publice peccatum vel quod habet similitudinem peccati proprie dat occasionem ruinæ & scandalum activum.* Hæc (inquam) bene observetis velim, ut quartus error tollatur eorum, qui aliqua non malo animo faciunt, v. g. Agunt certas visitationes, certas alunt amicitias, certa frequentant loca, munera & literas certis personis mittunt &c. quæ res mali speciem præseferunt. Etiam hi, ait cum Theologis omnibus S. Thomas, dant scandalum & abstinere ab his actionibus debent, ne aliis offensioni sint. Sed hæc isto in loco satis sit commemorasse, quippe de quibus sequenti sermone prolixius agetur; cum in hoc præsenti solum de scandalo verborum differere statuerim.

Atque ut propositum argumentum ordine suo majorique cum fructu tractem, ad ea pravorum & scandalosorum verborum genera, quæ magis in usu sunt gravioremque animabus perniciem afferunt, sermonem meum cogam.

Primum verborum genus, in quod invehor, sunt verba ad Religionem Fidemque respectu veritatum tum credendarum tum exercendarum, pertinentia. Atque ut verum fatear, O mei! quam sacrilega de Religionis sanctæ capitibus (maxime iis, quæ humanam concupiscentiam a brutorum affectuum expletione cohibere plurimum valent) loquendi licentia paucis abhinc lustris obtinere occœpit? Heu! quæ propositiones de animæ immortalitate, de pœnis inferni, de mundi gubernatrice providentia audiuntur? Heu! quæ propositiones jactantur, ut licita videantur ea, ad quæ naturæ corruptæ pravitas inclinat: ut peccato luxuriæ fædissimo omnis horror ac turpitudo detrahatur: ut lasciviæ impetus viam faciliorem inveniant & culpæ immunitate donentur? In hæc, heu! quæ dogmata sparguntur? Nonne sunt, qui ut castæ puellæ alicujus, virilem in modum resistentis, animum expugnent, eidem dicunt: Atque utinam non etiam linguæ consecratæ proferrent! Levia hæc esse: Tactus, oscula &c. aut omnino mala non esse aut facile aqua lustrali abstergi? Nonne hæc & similia docent impii illi ac scandalosi, ut vel animas ob timorem offendendi Deum reluctantes vincant, vel ob metum justitiæ divinæ a peccato admisso consurgere volentes in malo retineant? Jam hi tales, cum gravissimum scandali peccatum admittant, strictissime obligantur, ut prolatas falsitates retractent, etsi scandalum ab eis datum ruina Proximi secuta non sit; idque vel maxime si is, qui talia protulit, respectu personæ, cui hæc dicta sunt, sit alicujus nominis atque auctoritatis. Præterea persona, quæ has aut similes falsitates proferri audiit, sub peccato gravi tenetur, ut Superiori suo id referat. Vobis itaque, O puellæ, O fæminæ honestatis amantes! ab hujusmodi basiliscis ipso halitu venenum afflantibus cavete, nec capi vos sinite, quamvis summæ doctrinæ, nominis & auctoritatis sint ii, qui vobis talia loquuntur; cum hæc omnia nil nisi artes diabolicæ sint, ut tales a vobis ex Fide, quam profitemini, & horrore naturali, quem conscientia inspirat, cognitæ atque ab illis seductoribus adhibitæ, ut vos in peccatum trahant. Sunt istius modi homines quidam quasi diaboli, cujus etiam vices gerunt, ut vos sternant. Hinc forti animo eis dicite: quod ipsos ad S. Inquisitionis tribunal deferre

ferre velitis; prout tenemini. Utrum autem ego illos totidem in carne diabolos ex vero nuncuparim, percipite!

Diabolum caput & antesignanum esse scandalosorum omnium, maxime illorum, qui etiam falsis doctrinis alios ad obsequendum effrænatis cupiditatibus suis inducere tentant, jam olim S. Joannes Apostolus (c) pronunciavit: *Diabolus & Satanas, qui seducit universum orbem.* Hinc magnam Angelorum partem in cœlo seduxit, totidem diabolos cum ipso effectos: Hic homines in hoc mundo seducit, ut Deum offendant. Nihil miror, Judam a Jesu diabolum appellatum esse; cum scandalum omnium maxime enorme dederit, prodendo & vendendo magistrum suum: *Ex vobis unus diabolus est.* At quod idem Servator eodem diaboli nomine S. Petrum in quadam occasione compellarit, hoc capi difficulter posse videtur. Occasio autem fuit hæc: Narrabat Jesus Apostolis suis, quomodo ascendere Hierosolymam, ibique illas longo ex ordine contumelias, opprobria, ignominiam, pœnas, ac denique mortem perferre deberet; Hæc audiens Petrus, quasi improbans istud Servatoris propositum, dixit: *Absit a te Domine! non erit tibi sic* (d) Ad quæ Christus nonnihil indignatus: *Vade post me, Satana! scandalo mihi es.* Heus, chare Servator! cur nomen tam ignominiosum, videlicet diaboli, Petro imponis? Scis utique, eum hæc tibi ob amorem, quo in te fertur, dicere: Scis utique, eum verbis suis non id agere, ut Deus contemnatur multoque minus ut tu pecces; cum peccatum in te cadere nequeat: Poteras haud dubie errorem illi suum suavi & dulci, quo uti consueveras, verborum genere eximere, quin tam dura in eum diceres, diabolum appellans. Ah! nequaquam hac in occasione, O mei! modum Jesus excessit, qui excedere in re nulla potuit: Non peccavit Petrus, quia innocuo amore dictante hæc dixit; Verum quoniam officium faciebat diaboli, cujus est scandalizare, ob id diabolus appellatus est: *Satanas*, ait Theophylactus (e) *volebat, quod Christus non moreretur, ut non redimeretur genus humanum: hoc autem Petrus suadebat licet diversa intentione; ideo satanas dictus ex similitudine operum.* Jam si qui non advertens, immo bono animo suas sequens ideas, diaboli partes sustinet; nonne vices illius re vera geret qui modis supra dictis animabus Dei offensionem persuadet? Nonne, quæso! erit diabolus *ex similitudine operum*? Si scandalum ejus, qui male agere præter intentionem cernitur, grave malum est; nonne gravius erit animas ad malum & ad peccatum positive seducere? Nonne longe pessimum erit, id facere etiam suggerendo falsa dogmata v. g. hoc vel illud tale non esse, quale tamen re vera est? Nonne hujusmodi seductores præ aliis cunctis totidem diaboli *ex similitudine operum* erunt? Certe hoc seductionis genus, si æqua lance perpenditur, scandalorum omnium summum judicari debet; nam si malum, non alienis fucatum coloribus sed suæ turpitudini relictum, cuiquam persuadetur, ille quidem ad peccandum inducitur; attamen eidem haud obstruitur revertendi a malo via, quippe cum illi & cognitio & conscientia peccati relinquatur. Verum is, qui ad peccatum inducit unaque suggerit, hoc non esse peccatum, peccati conscientiam adimere seducto studens, hic profecto viam conversionis seducto occludit, tollens mali conscientiam: immo ingentem abyssum aperit, in quam ruat seductus committendo iterum iterumque id, quod jam pro peccato non habet. Proh diabolos in carne *ex similitudine operum*, quotquot similibus verbis peccatum persuadent, fucatum illud & quadam ceu larva tectum! Repeto: Proh diabolos in carne! Ne cogitetis, aditum posthæc vobis paradisi cælestis patere, nisi diabolica hæc ac pessima dogmata revocetis; Et si Christus *Væ* denunciavit homini scandaloso cuivis: *Væ homini illi, per quem scandalum venit* (f) illud certe vobis, O pessimi! irremisibiliter & multipliciter intimatum credere debetis; Neque enim satis habetis Proximo Dei offensionem persuasisse, ejusque voluntatem, dum eum contra Deum rebel-

(c) *Apoc.* 12. (d) *Matth.* 16. (e) *In hunc locum.* (f) *Matth.* 18.

rebellare facitis, corrupisse, sed intellectum quoque illius inficitis & ceu veneno pessimo necatis, ut non agnoscat peccatum, quale est: Unde fit, ut illud ex ignorantia in his materiis nullo modo excusanda pro peccato non habeat; Et hac ratione vos animas seductas eo adigitis, ut vel nunquam vel summa cum difficultate (pro eo ut par est) resipiscant, quippe tot tantisque luxuriæ peccatis demersæ. Novi probe, quæ dico & fidenti animo loquor ob multos casus, quos mihi confessarii pro sua benignitate proposuerunt; ex quibus præceps & ruinæ proxima apparuit miseria personarum modo memorato perversarum, quibus seductores contestando persuaserant: saltem gravem malitiam non inesse voluptatibus a se concupitis.

Neque juvat, hos incarnatos diabolos opponere: personas a se seductas fidem non adhibere falsitatibus, quæ ipsis dicuntur: videlicet illas vel illas impuras voluptates, quas impii isti ex miseris colligunt, non gravia esse peccata sed solum levia quædam. Mentiuntur; quin immo mentiuntur. Ecce! quomodo assertum meum confirmo. Edicite (Sic eos compellarem, si qui hic adessent) edicite! Nunquid innocentes illæ animæ, & de Deo offendendo & de subeundo æternæ damnationis periculo multum sollicitæ, vestris semper tentationibus restiterunt? Nunquid illæ, quando asserere ausi estis: in hoc illove vel nullam vel ad summum levem malitiam inesse, primitus vobis responderunt: videri vos ludos se facere velle, & hæc eo tantum dicere, ut se ad consensum adducatis: Atque ob id etiam tunc restiterunt? Nunquid vos, O pessimi! ut eas in vestras partes pertraheretis, sæpius atque omnino serie replicastis: certe, quod petebatis, id grave malum non esse? Nunquid denique illæ tum demum cesserunt, cum (infernali eloquentia vestra optatum exitum sortiente) vobis successit, persuadere illis, rei, quam petebatis, gravem malitiam non inesse; & cum illæ, priusquam vobis obsequutæ sunt, dixissent: Confido in scientia tua; Quod si peccatum non est, ecce me! . . . . . Nonne vero ex his omnibus apparet, scandalum vestrum etiam ad intellectum earum pertransiisse, cui erepto veritatis lumine errorem insevistis, qui eas vestræ cedere nequitiæ fecit? Aut quod certius argumentum inveniri poterit? Hinc miseræ illæ, quando vel alicujus boni libri lectione aut concionis alicujus auditione illustratæ aut conscientiæ itentidem oblatrantis stimulis actæ in animum inducunt aperire probo cuidem confessario mentis suæ anxietates, atque ab illo discunt, actiones patratas omnes esse peccata mortalia, respondent: se auctoritate (Proh! auctoritatis maledictæ genus) illius, qui secum locutus est, & iterato (quandoque etiam jurejurando) affirmavit, peccatum haud grave esse, inductas esse ad faciendum ea, quæ fecerunt: alioquin se certo assensuras nunquam fuisse. Hæ sunt, intelligite, O iniqui! hæ sunt responsiones, quæ confessariis dantur, quæ & excusationis vestræ futilitatem & scandalosorum verborum ac persuasionum vestrarum effectum clarissime ostendunt! *Væ* igitur millies, *Væ vobis*, Infelicissimi! *per quos* tale *scandalum venit!* Experiemini hoc, O pessimi! in extremo Christi judicio, quando vos omnium peccatorum reos cernetis, quorum caussam vestris assertionibus: haud malum in hoc illove inesse, præbuistis: Et nisi huic malo tempori remedium omnibus viribus afferatis, eheu! periistis. Date veniam, O mei! si hoc super argumento solito vehementius exarsi; Etenim eorum, quæ dixi, omnium experientia me adegit, ut in puellarum ac fœminarum honestatis studiosarum commodum sic longius excurrerem.

Aliud verborum scandalosorum genus multo nostra ætate usitatissimum ac frequentissimum sunt verba impudica. Usu atque experientia vos, O mei! melius, quam ego ex relatu, nostis obscænos loquendi modos in variis, qui tum conversandi tum animum relaxandi tum colloquendi gratia fiunt, conventibus adhiberi solitos. Nunquid sermonibus,

nibus, qui ibi feruntur, argumentum ut plurimum præbet factum aliquod impudicum aut a narrante ipso aut ab aliis admissum, descriptum phrasibus pessimis, omnibus pravas animi affectiones maxime cientibus circumstantiis & hypotyposi longe accuratissima, quasi vivis coloribus, ante oculos audientium depictum? Qua re primo fit, ut, qui illud narrat tanquam a se factum, glorietur & nescio quam laudem sibi quærat (Quod ipsum novum peccatum mortale est; cum omnis de admisso peccato mortali jactantia novum peccatum lethale fit) deinde ut in sua narratione & facto narrato ipso sibi placeat: quod itidem novum peccatum actualis impuræ complacentiæ est, simulque novum peccatum scandali dati audientibus; cum his quoque occasionem præbeat admittendæ complacentiæ de facto illo, tam vivis coloribus omnibusque suis partibus descripto. Jam hoc sermonum genus quam frequens est; & (quod deterrimum) quam pauci se de illo accusant, mere jocorum in numero ista reputantes; cum tamen sint peccata mortalia, & complacentiæ impuræ & gloriationis de malo patrato & certe scandali in iis, qui audientes adstant? Quod si S. Joannes Chrysostomus (g) ob allatas caussas de hujusmodi omnino taceri & ne periodum quidem hujus generis proferri vult, quid (putatis) dicturus fuisset de iis, qui sermones impuros protrahunt & alium alii per multa horarum spatia connectunt? *Si turpe prolaturus sis verbum, tace; nam & hic malus est sermo, quo & is qui dicit, & is qui audit, lasciviores redduntur, & in unoquoque pravæ libidines inflammantur*; nam *ut ignis alimentum ligna sunt & sarmenta, ita pravæ cogitationes verbis aluntur.* Et alio in loco (h) ait: Apposite Psalmista os horum *sepulchrum patens* appellavit; *Non aberraverit quispiam, si dicat, etiam eorum qui obscœna verba loquuntur, ora patens sepulcrum appellari; ille enim fœtor est sensibili multo gravior, qui quidem ex animæ putredine oritur. Et non dixit absolute & simpliciter sepulchrum, sed patens, ut etiam significet majorem esse abominationem; cum enim oporteret eos hujusmodi verba celare, illi etiam proferunt, ut suum magis morbum ostendant.* Pergit: *In mortuis quidem corporibus contrarium facientes terræ tradimus; hi autem in his verbis faciunt contrarium, & quod in imo corde celare oporteret & suffocare, proferentes & multos offendentes & omnibus videnda proponentes* ostendunt, ora sua esse sepulchra patentia: *Hujusmodi enim ora sunt communis civitatis pernicies.* Quisquis igitur impudicæ hujus loquelæ conscius sibi est, tenetur, ut ab illa omni attentione desistat studeatque, per sermones tum suæ tum aliorum animæ proficuos scandalis auditoribus a se oblatis mederi & damna spiritualia, obscœna lingua sua creata, piorum ac christianorum sermonum utilitate pensare.

Aliud verborum scandalosorum genus sunt non jam verba & narrationes impuræ, sed turpes æquivocationes, quibus pudendæ vel partes vel actiones significantur. Nostis hunc quoque jocandi modum, O mei! quippe qui omnium maxime viget: Adhibetur autem quam creberrime in conversationibus ac promiscuis virorum & fœminarum conventibus, tantamque gratiam ibi obtinuit, ut ingeniosior ille habeatur, qui quo tectioribus eo significantioribus uti æquivocationibus novit; sicque nostro ævo fit, quod ætate sua Minutius Felix (i) execratus est: *Apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas.* Hinc verbis istiusmodi ambiguis utentes ac jocantes ut animatores conversationum, ut promotores lætitiæ, ut condimentarii coronarum, quæ sine his salibus insipidæ evasuræ essent, reputantur: Et tamen cum his æquivocationibus ac jocis (si non semper) saltem utplurimum peccatum mortale conjungitur; sive ob qualitatem personæ æquivoca dicentis, quando hoc eam multum dedecet, e. g. personam consecratam, quæ quotidie sacro e calice sanguinem divinum haurit; sive ob ipsam naturam æquivocationum, rem seu actionem impuram nimis clare significantium & ad cogitationes atque affectiones impuras longe vehementissimas excitandas idonearum; sive ob conditio-

(g) *Homil. de Verb. Apost.* Propter fornicationem &c.

(h) *Homil. in Psalm. 5. n. 5.*

(i) *in* Octavio.

ditionem personarum audientium, quæ vel ad complacentiam in rebus per æquivocationes indicatis captandam nimis faciles (Et en! scandalum passivum) vel multum honestatis amantes sunt, adeo ut, dum hujusmodi jocis graviter affliguntur, una multum mirantur, hoc loquendi genus inter Christianos urbanitatis & vivacitatis laudem ferre; cum tamen sit teste S. Hieronymo (k) *dulcis libidinum pompa.* Hæ sunt caussæ, ob quas æquivocationes istæ persæpe peccati mortalis culpam adjunctam habent; nam verbum ex ambiguo dictum, quod ad mentem audientis penetrat, ut tale (scilicet ambiguum) sit, duplicem significationem habet: unam obviam, naturalem, indifferentem; alteram tectam; reconditam, obscœnam. Jam quis nescit, quod *sensus & cogitatio cordis humani* post peccatum originale *in malum prona sunt ab adolescentia sua* (l) ex quo fit, ut homo pro congenita mentis pravitate æquivocationem confestim sensu obscœno accipiat: Et ecce! sic proponit animo suo eam partem vel actionem, quæ a loquente arcanis verbis indicatur. Ob id ait S. Basilius: Æquivocationes *viam esse quandam ad rem ipsam.* Et S. Joannes Chrysostomus: *Tota* per æquivocationes *carnis negotia suscitantur*, dum complacentiæ in parte seu actiones, tectis verbis significatæ, & præterea etiam desideria videndi ac faciendi ea, quæ arcanis dictis indicantur, cientur. Et hoc non sit grave scandalum maxime in ore illius, qui in his æquivocationibus assiduus est? . . . Et hoc inter verba mere otiosa, risus excitandi gratia prolata, nec potius inter verba multum noxia ac criminosa computandum sit? Percipite decretoriam S. Hieronymi (m) sententiam: *Qui scurrilia replicat & cachinnis ora dissolvit & aliquid turpitudinis profert, hic non otiosi verbi sed criminosi tenebitur reus.*

Rationibus hucusque allatis ego postremum adversus has æquivocationes argumentum, ex communi omnium Theologorum post S. Thomam doctrina petitum, ceu colophonem addo. Tenent theologicorum præceptorum periti omnes cum S. Thoma (n) *Si in spiritualibus bonis, quæ non sunt de necessitate salutis, oritur scandalum pusillorum, sunt spiritualia bona vel occultanda vel interdum differenda, ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione hujusmodi scandalum cesset.* Hoc ipsum idem S. Doctor de bonis temporalibus majori jure affirmat: *Tunc vel totaliter dimittenda sunt temporalia, vel aliter scandalum pusillorum est sedandum per aliquam admonitionem.* Jam memoratas æquivocationes scandalosas esse, modo comprobavi; tum quia pravos & male paratos ad impuras complacentias pertrahunt; tum quia bonæ frugis hominibus, quibus haud similis infirmitas sed enim multum sapientiæ adest, ut sermonibus istis (quippe vetitis a Deo & a SS. Patribus abominatis) seduci se non sinant, horrorem incutiunt. His positis sic argumentari juvat: Si bonorum temporalium justa acquisitio, si spiritualium etiam actionum non necessariarum exercitium (interveniente debilium ac pusillorum scandalo) intermitti & differri debet; nunquid æquivocationes impuras, in se malas & apud sapientes certe scandalosas, intermittere earum assuetus strictissime tenebitur? Nunquid culpæ utplurimum gravis reum se faciet, qui easdem proferendo tum malorum mentibus materiam pravarum complacentiarum tum bonis ac sapientibus argumentum haud levium tentationum (Omnis namque tentatio venerea tentatio non levis est) offert? Quid, quæso! solidi reponi huic ratiocinio potest? . . . Dicetis forsitan: non tam malo consilio sed solum oblectationis caussa istas æquivocationes in medium proferri? At hæc intentio patrocinari nequit actioni in se malæ, cogitationes & ideas impuras excitanti. Dicetis forsitan: Proferri has æquivocationes in auribus personarum (Sint etiam fœminæ) sapientum, in quibus, multum abest, ut harum labes remaneat. At nunquid vos scitis, quid in aliorum mente geratur? nunquid vos scitis, quam vim illa ambigue dicta verba in audientium sexus utriusque animis habere

(k) *Libr. 1. contra Valent. c. 1.* (l) *Genes. 8.* (m) *Libr. 2. in Cap. 11. S. Matth.* (n) *2. 2. q. 53. a. 8.*

re queunt? Certe æquivocatio peſtifera eſt; Et quis hoc in dubium revocet? Igitur qui illam profert, audientium & aures & mentes quodam quaſi veneno (quantum in ſe ſitum eſt) imbuit, præbetque materiam cogitandi ac recogitandi: Quis præſtare poterit, venenum hoc nulli exitioſum eſſe? At nemini exitioſum ſit; Quid tum? Negari profecto non poterit, dicentem ambigua, (quantum in ipſo eſt) venenum mortiferum porrigere eo melius mixtum, quo acutius eſt ambigue dictum & quo altius idem ob hoc ipſum in mentem deſcendit. Et hoc non admodum peccaminoſum ſit? Hinc Pſalticen ait: *Venenum aſpidum ſub labiis eorum*; Et hoc animabus offerre, mere in joco & non potius in vitio ponatur? *Non otioſi*, repetit S. Hieronymus, *verbi ſed criminoſi tenebitur reus*. Igitur, O mei! ſi quis veſtrum forte ſcandaloſo huic jocandi generi conſuetus adeſſet, illud, obſecro! deſerat nec unquam reſumat: *Omnis immunditia*, ut cum S. Paulo concludam, *omnis immunditia nec nominetur in vobis aut turpitudo* (o) Immo fugite converſari cum iis, quos ad promendas hujusmodi æquivocationes promptos eſſe noſtis; nam ut ait Tertullianus (p) *Si nobis omnis impudicitia execranda eſt, cur liceat audire, quod loqui non licet?* Itaque omittite iſtiusmodi dicere, ut ne ſcandalizetis; fugite iſtiusmodi audire, ut ne ſcandalizemini.

(o) *Epheſ. 5.* (p) *Libr. de Spect. c. 17.*

SERMO LIX.

De Scandalo actionum: præſertim de Scandalo ſpectaculorum, veſtium & ancillationum, quas viri fœminis præſtant.

QUandoquidem ex S. Thoma intelleximus, ſcandalum eſſe *dictum aut factum minus rectum*, præteritoque ſermone de ſcandalo verborum diximus; jam in hoc præſenti de ſcandalo actionum diſſerendum ſuperat. Intelleximus præterea ex S. Thoma, ſcandaloſo excuſationem peccati non dari ex eo, quod non habeat animum præbendi ſcandalum, quando facit malam actionem coram alio; cum ſufficiat, actionem eſſe ſcandaloſam: Et quamvis illi maxime diſpliceret, quod actio ſit talis; & quamvis maxime cuperet, ut nemo ullus inde offendatur, tamen ſcandalum dat & vere ſcandali culpam contrahit; dum malam actionem aliis inſpectantibus ponit. *Per ſe eſt occaſio peccandi . . . etiamſi ipſe hoc non intendat; Ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet, quod ſit inductivum ad peccandum; puta cum aliquis publice facit peccatum vel quod habet ſimilitudinem peccati: Et tunc ille, qui hujusmodi actum facit, proprie dat occaſionem ruinæ, & vocatur ſcandalum activum* (a)

Ex his confeſtim cognoſcitis, O mei! quot ſcandalorum per diem ſeſe reos faciant ii, qui & domi coram domeſticis ſuis & in officinis & in compitis, & vendentes & ementes & converſantes & ſermocinantes, manifeſtis irreverentiis ſacroſancta Dei, Evangeliorum, Crucis, Mariæ, Sanctorum nomina laceſſunt, mille modis & præſertim uſitatiſſima illa formula: *per Deum*, jurando (quam in noſtris oris veri juramenti rationem habere ſermone LI. monui) addentes tum malæ ſuæ farinæ hominibus animos ad hanc formulam imitandam tum nondum imitantes exemplo ſuo imitationem docentes & evadentes hac ratione *occaſio ruinæ* utrisque; idque multo magis, ſi etiam

(a) *2. 2. q. 43. a. 1.*

in blasphemias erumpunt. Heu! qam multi facile innumera vel ex hoc solo capite scandala iis dederunt omnibus, in quorum auribus venerandum Dei & Evangeliorum nomen male adeo tractarunt? Jam quid dicam, si juramenta (præsertim illud: *per Deum*) etiam ex ore sacerdotum & virorum ecclesiasticorum, neque adeo raro audiuntur? Nunquid hoc scandali genus vim multo majorem habebit facietque, ut summo isto nomine personæ laicæ, ipsis auscultantes, abutantur? Norunt hoc probe confessarii, qui si pro eo, ut debent, Pœnitentibus sæcularibus ab sacrato hoc nomine sine maxima necessitate assumendo abstinere imperant, promptum ab iisdem responsum accipiunt: se nihil dubitare talia juramenta proferre; quippe quæ ex ore sacerdotum, nec tam raro, audivissent: quo fit, ut confessarii non sine dolore Pœnitentes monere cogantur, ne illos imitentur; cum etiam ipsi hunc in modum jurando & laicos offendendo male agant.

Videtis secundo loco, quot scandalorum reos se faciant tum ii, qui concubinas alunt, tum eæ, quæ infami hoc quæstus genere victum sibi parant: tertio ii, qui usuras faciunt, & absque ullo justo titulo in pecuniis mutuo datis lucrantur: quarto illi, qui inimicitias aliis notas fovent aut reconciliandæ gratiæ conditiones, vel ab offendentibus vel horum sequestris oblatas, accipere detrectant: quinto lusores illi, ut immodicam ludendi libidinem expleant, familiam suam mille inter necessitates languescere sinunt: sexto patres & matres, qui utut solis liberis suis ostendunt, quod parum christiano vitæ genere utantur & educationem ac custodiam eorundem quasi penitus negligant (De his sermone LIII. & LIV. dixi) septimo heri & heræ, qui utut solis servis peccaminosa consilia sua innotescere sinunt. Paucis: Videtis, quot scandala præbeant ii omnes, qui actiones suas malas & graviter peccaminosas aliis in notitiam quovis modo venire permittunt; cum de istis omnibus confirmetur, quod (quantum in ipsis est) malis moribus suis Proximo *occasionem ruinæ* dent.

Sed ut minori aurium cum fastidio majorique animarum vestrarum utilitate dicam, in tribus potissimum modis per facta scandalizandi maxime usitatis & periculosissimis immorabor. Primus est scandalum spectaculorum, quæ in theatris cernuntur. Quantopere adversus scenarum actus SS. Patres & alii scriptores ecclesiastici declamitarint, ex operibus Tertulliani, Cypriani, Joannis Chrysostomi, Ambrosii ac reliquorum hujus ordinis auctorum facile colligere est. Et quanquam, O mei! me melius sciatis, quod quinquaginta trium annorum spatio, ex quo sacræ militiæ nomen dedi, spectaculis nullis interfuerim; tamen, quantum me in seculo commorantem & adhucdum in pueritia constitutum illa spectasse recordor, novi probe, quas in animo meo ideas res ibi visæ auditæque reliquerint; adeo ut (Sic me Deus amet) illas mihi nunquam vel visas vel auditas optarem. Et tamen personæ seculares, tum prudentia tum ætate graviores, quæ sæpe colloqui mihi dignantur, testantur: ex illo tempore nova quædam inducta fuisse, præsertim quoddam gesticulatæ saltationis genus, quo cujuscunque demum innocentia subverti queat, maxime si & amores, qui ibi exhibentur: & tenera verborum lenocinia, quæ ibi audiuntur: & optatas voluptates assequendi variæ rationes, quæ ibi exprimuntur: & objecta, quæ ibi videntur, attendantur; quæ omnia eo maxime valent, ut ignis concupiscentiæ accendatur, ut peccaminosæ complacentiæ cieantur, ut desideria sexto & nono Decalogi præcepto vetita excitentur. Audite verba S. Joannis Chrisostomi (b) & videte, utrum ille, quæ dico, coram vidisse non videatur: *Hos, qui in scena & orchestris diem* (Dicam ego noctem) *transfigitis, ibi ubi mille* vetitæ *voluptates scaturire videntur, ubi sexcenta tela mittuntur amarissima*, ubi *saltantis* immo & verecundum in modum gesticulantis *puellæ amore* cor *inflammatur*, quid erit de anima? *Omnia malitia duriores feret cruciatus*

(b) *Homil. 34. in S. Matth. n. 5.*

ciatus pejorique statu, quam urbs obsessa, erit. Et alio in loco ait (c) *Quandonam vir probus esse poteris sic paulatim diffluens in . . . cantibus & verbis obscœnis; Nam si vix anima, quæ ab his omnibus se puram servat, potest esse honesta & casta: quanto minus poterit, quæ hæc audire solet?* Et talia loca non dicantur loca scandali? loca, in quibus ad spectantium animos pernicies mille modis transit; Unde peccati noxa non carent, quotquot eo conferunt, ut loca ista subsistant ac perdurent? Quod si, qui factum obscœnum verbis licentioribus & inverecundis effert, immo qui in materia venerea verbis ambiguis uti assolet, gravis scandali reus est (Uti sermone superiori monui) nonne reus scandali erit, qui vel ipsus exhibet vel confert, ut alii exhibeant amores arctissimos atque ardentissimos (etiam illegitimos) expressos modis tenerrimis & animos maxime moventibus, junctis & suspiriis & (nescio) quibus languoribus & symptomatis, quæ videntium oculis vehementissima internæ libidinis incendia repræsentant? Quomodo laqueo viris spectantibus non erit fæmina compta, exornata, nuda, quæ suavissimis carminibus languere se sponsi amore ostendit, corporis gestus maxime miserandos vocibus addens? Aut quomodo laqueo fæminis spectantibus non erit adolescens ornatus atque politus, edoctus artem cantandi, præ amore languescendi similibusque modis personæ, quam in theatro sustinet, sensa exprimendi? . . . Et qui ista faciunt aut, ut fiant, opem ferunt, scandali atque ruinæ animarum rei non sint? Si librum aliquem, eum utique inanimem, solis literarum notis lascivos vobis amores narrantem legitis, quos quæso! animi & quandoque etiam corporis motus sentitis? Et non paribus flammis mentes vestras accendant amores viva de voce auditi, ex personis alterius sexus, cultis, ornatis, blandis, supra modum illecebrosis? Quidquid in contrarium dicatis, certe illud negari nunquam potest, quod talia *non præbeant ruinæ occasionem*, & quod ob id vera scandala activa (data tum ab iis, qui talia exhibent: tum ab iis qui, ut exhibeantur, conferunt) sint. Quod si hæc omnia scandali rationem habent; multo magis scandalosæ judicari debent istæ gesticulatoriæ saltationes, per quas & oculis & menti spectantium ejusmodi actiones proponuntur atque dictantur, quibus vel cogitando inhærescere nunquam licet.

Dicet aliquis: Ergone publicæ recreationis caussa nulla canora theatra sint? Chare! Quis hoc unquam voluit? Sint certe; At sint ad christianæ modestiæ regulas exacta; At exhibeantur ibi gesta vel heroica vel indifferentia, quæ rerum gestarum commentarii magno numero offerunt, non facta castitati insidias struentia, facta libidinem accedentia, facta artem amandi docentia, facta impuras cogitationes excitantia animarumque perniciem molientia. Ast, Pater! si facta omni amatorio negotio carent, fabula plausum non feret, & concidet theatri gratia. Siccine, Chare! Ecce ut concupiscentiæ incitamenta quærantur, non indifferens honestæ recreationis voluptas! Ecce ut delectatio venerea, non honesta animi relaxatio captetur! Ecce ut genus oblectamenti vetitum, non innocuum inquiratur! Ecce denique ut periculum ametur. Et *qui periculum amat*, ex infallibili Spiritus sancti oraculo *in illo peribit.*

Idem, O mei! de spectaculis ridiculis (*Comœdias* vocant) sentiatis velim. Horum, ut instituta fuerunt, scopus fuit in ludibrium & abominationem adducere vitium: uti spectaculorum (quæ *Operas* vocant) propositum est, virtutis heroicitatem extollere. At quemadmodum has, ita & illas corrumpere humana malitia cœpit. Quot, maxime in comœdiis, præter ridiculum, castitati contrariæ res immiscentur; multoque id liberius, quam in *Operis* (ut ajunt) quarum gravitas in personis, quæ inducuntur, nec certam gestuum dissolutionem nec certam verborum turpitudinem admittit; dum contra in comœdiis personæ scurriles, quæ ibi exhiberi solent, majoris in dicendo & gesticulando licentiæ usurpandæ occasionem

(c) *Homil. 37. in Matth. n. 5.*

nem præbere videntur. Percipite, quid de his S. Joannes Chrysostomus moneat (d) *Qui satanici clamores & diabolici habitus? . . . Alius cum sit, . . . formam teneræ puellæ affectat: Alius vero quispiam senex vestibus succinctus stat ad alapas accipiendas, & ad omnia dicenda faciendaque paratus. Mulieres autem . . . omni misso rubore stant populum alloquentes . . . omnemque petulantiam & lasciviam in populum infundentes. Illud autem studium habent, ut castitatem omnem radicitus evellant.* Et pergit: *Nam hic verba obscœna, habitus ridiculi, incessus, vestitus, vox, membrorum mollities . . . dramata, argumenta, omniaque demum extremæ lasciviæ plena sunt. Quandonam, quæso! resipiscas; cum tantum tibi fornicationis poculum infundat diabolus, totque intemperantiæ calices misceat?* Ecce denuo de scandali peccato convicta theatra & spectacula, in quibus aut exhibentur Subjecta, aut proferuntur verba, aut fiunt actiones, aut proponuntur personæ vel vestimenta, aut aguntur gesticulationes, quibus libido accenditur: de scandali peccato, inquam, convicta; quia sunt *dicta & facta præbentia occasionem ruinæ.* Unde rei scandali fiunt ii omnes, qui operam suam eo conferunt, ut illa subsistant.

Neque decipi vos ab iis finite, qui dicunt: illa esse peccandi occasiones & incitamenta solum remota ac longinqua, non proxima & urgentia; nam si spectacula talia sunt, qualia illa Chrysostomus modo descripsit, videlicet, si amores lascivi ibi exhibentur, & quidem a personis, quibus tum ob florem ætatis tum ob animi vivacitatem tum ob vocis suavitatem tum ob vestitus rationem tum ob sexus diversitatem tum ob ipsos corporis gestus vis maxima adest pravos affectus erga res exhibitas & personas exhibentes suscitandi: quomodo inter occasiones peccandi remotas ac longinquas, & non potius inter vehementissimas atque efficacissimas numerari queant, haud video. Quod si sola auditio aut simplex intuitus sæpe vim tantam habet, ut animum pervertat; quid de auditione atque contuitu simul junctis, & de auditione ac intuitu rerum atque personarum mentem omnino moventium atque attrahentium statuendum putatis? Quod si neque his id, quod volo, comprobatum satis conceditis, experientiam & cujusque vestrum conscientiam appello: Næ, si effectus, quos hujus generis spectacula in vobis reliquerunt, accurate expendere volueritis, invenietis impuras vel in persona visa vel in re audita vel in gesticulatione acta complacentias: invenietis desideria earundem rerum: invenietis proposita potiundi illa persona: invenietis ad minimum graves tentationes, quibus anima in præsentissimum casus periculum adducta fuit. Et has occasiones remotas vocatis? . . . Concludamus itaque hoc primum orationis caput, & repetamus: quod, quando spectacula memorati generis sunt, tum illi, qui in ea operam suam conferunt, scandalizent; tum ii, qui illa adeunt, scandalizentur, hoc est: vel cadant vel casui proximi fiant.

Altera facto scandalizandi ratio, quam exponendam servavi, est vestiendi luxus ac modus. Statim dicet aliquis: Si tibi solum vis, Pater! per modum vestiendi dari scandalum posse, assentior; At vestiendi luxu, qui in vestibus, plus quam alicujus conditioni convenit, sumptuosis comparandis consistit, quodnam dari scandalum poterit? Quæris, Charissime! quodnam dari scandalum vestium luxu possit? Ecce primum scandalum! Probetur occasio murmurandi & male judicandi; nam si spectantes personæ vestium luxui deditæ quæstum, officium, facultates pensitant & cognoscunt, opes illius tantæ lautitiæ certe non sufficere; ecce! si vir est, dicunt & judicant (Male quidem semper, at tamen fit) illum splendide se gerere ex re aliena, sive per dolos sive per lucra illicita sive mutuum sumendo, parta: Quod si fœmina est, judicant & dicunt: illam ex stipendiis, quæ facilitate sua atque obsequendi studio meretur, & cum dispendio pudoris talia præstare. Hoc primum scandalum. Secundum est creditorum & aliorum, qui jus habent pro

(d) *Homil. 37. in Matth. n. 6.*

pro ſtatus ſui ratione victum a tali, veſtium ſplendorem nimium affectante, obtinendi; qui ſi debitorem ſuum veſtium luxum ſectari vident, jure dicunt: Oporteret illum primo loco curare, qua ratione debitum diſſolvat, & non multiplicare veſtes ex mercedibus, ex laboribus noſtris, ex credita a nobis pecunia; Aut: Oporteret illum alio modo tractare familiam, quæ in veſtes, in ornamenta, in denticulorum prætexturas impendi ea videt, quibus panis & reliquus victus parari deberent. Ecce! ſecundum ſcandalum. Accedit & tertium, quod ſcilicet mos hic peſſimus magis magisque obtineat ac confirmetur: mos, qui familiarum, regnorum & animarum ruinam poſt ſe trahit; nam ob immoderatam ſplendide in foro comparendi cupiditatem juſtitia, charitas ac pudicitia violantur; cum propriæ facultates ſatiandæ immodicæ jactandi ſe libidini haud ſufficiant. Ecce, O mei! quæ ſcandala luxus veſtium ex ea parte pariat, qua chriſtianæ moderationis præcepta & ſtatus cujusvis perſonæ circumſtantias excedit. Quid ad iſta reponitis? Leviane hæc vobis & nugæ videntur? Gravia admodum in hanc luxus pompam SS. Patres dixerunt, illam opprobrioſis varii generis nominibus pro ſua quivis parte proloquentes, in hoc vero unanimiter convenientes, quod eam effectum & fomentum mentis luxurioſæ appellarint. Solius Tertulliani (e) ſcriptoris eccleſiaſtici inter Latinos vetuſtiſſimi, cujus Opera extant, ſententiam in medium proferam, cui reliqui omnes concinunt: *Hæc pompa quam de proximo curet luxuriæ negotium & obſtrepet pudicitiæ diſciplinis, dignoſcere in facili eſt.* Et tamen ſcandaloſa hæc lautities tantopere invaluit, ut damna plurima laicis intuliſſe haud contenta tyrannidem ſuam (quantum potuit) etiam in perſonas eccleſiaſticas extenderit, quarum permultæ veſtibus coloris prohibiti, ita ſuccinctis & ad novi modi regulas exactis, ita omni fœmmarum ineptiarum genere ornatis utuntur, ut diœceſium paſtoribus neceſſitas impoſita ſit cenſuras *ipſo facto* incurrendas in illos, qui his publice uterentur, vibrandi eumque ob finem publicam pietatem in auxilium vocandi. Quod ſi luxus in perſonis ſecularibus tantam ſcandali cauſſam dat, quanto majorem in perſonis eccleſiaſticis dabit? Hac potiſſimum conſideratione S. Bernardus (f) Eugenium III. Pontificem ſummum impulit, ut canones a ſe hoc ſuper argumento in Concilio Rhemenſi conditos executioni mandaret: *Præcipimus*, ſic adoritur ſummum Antiſtitem, *Præcipimus, dixiſti, ut clerici neque in ſuperfluitate ſeu inhoneſta varietate colorum aut fiſſura veſtium neque in tonſura . . . intuentium offendant aſpectum. Quod ſi moniti ab Epiſcopis ſuis infra quadraginta dies non obtemperaverint, eccleſiaſticis Beneficiis . . . priventur. Verba tua hæc ſunt*, ait vir ſanctus, *Tu ſanxiſti.* Jam *quid effectui mancipatum? Quod ad primum capitulum attinet, luxus veſtium interdictus, ſed non reſtrictus; pœna dictata, ſed minime ſecuta eſt.* Pergit. *Et nunc leva oculos tuos & vide, ſi non æque, ut prius, pellicula diſcolor ſacrum Ordinem decolorat: ſi non æque, ut prius, fiſſura enormis pene inguina nudat?* Jam & cur, quæſo! S. Bernardus tam inſtat Pontifici? Scilicet ob ſcandalum, quod ex hoc perſonarum eccleſiaſticarum ſe veſtiendi modo ad laicos redit: At ecce! objectionem, qua perſonæ illæ eccleſiaſticæ uti conſueverant, unaque reſponſionem viri ſancti; *Solent dicere: Num de veſtibus cura eſt Deo & non magis de moribus?* Reſponſum falſum! *Forma hæc veſtium deformitatis mentium & morum indicium eſt: Quid ſibi vult, quod clerici aliud eſſe aliud videri volunt? Id quidem minus caſtum minusque ſincerum.* Intellexiſtis? Exprobrat Eugenio S. Bernardus, quod ſcandalum a viris eccleſiaſticis datum caſtigare non videretur: Et ſcandalum hoc erat, quod viri eccleſiaſtici cauſſam præbebant, propter quam a laicis mali & minus caſti haberentur. Ob eam rem concludit S. Doctor, egoque cum illo: *O miſerandam ſponſam*, Eccleſiam Dei ſanctam, *talibus concreditam paranymphis!* . .

Scandalum veſtium in luxum diſtinxi & in modum veſtiendi immodeſtum, de quo poſte-

P. Cunilicti Catechiſta. Fff

(e) *Libr. de Pudicit. ſeu Cultu fœmin.*

(f) *Libr. 3. de Conſid. c. 5.*

posteriori dicere restat. Et quanquam hoc scandali peccatum cadere potissimum in sexum fœmineum videatur, tamen ab illo vel masculinus immunis haud est; nam quemadmodum immodesta vestitus ratio in fœminis visa viris, ita eadem in viris visa fœminis scandalum & *occasionem ruinæ* præbet. Hinc vestes virorum ita amplæ ex una parte, ex altera ita arctæ, obliqua vestimentorum fissura (Inventa diabolica) quæ corpus ita membratim distinguit, ut intuentibus mere ea tecta appareant, quæ modestia & dicere & cogitare prohibet . . . quantum scandalum oculis fœmineis creat? Væ illi, qui hos novos modos excogitat, & qui illos in civitates Catholicorum introducit! Væ illis saltem sartoribus, qui hos primi producunt! Similiter vestes fœminarum ita inferius curtæ ita super ne apertæ & ad dimidiam fere corporis superioris partem depressæ, ut ea nudentur ac spectanda exponantur, quæ maxima cum verecundia tegere oporteret: fictitia illa velamenta transennas referentia & spectantes acrius ad fixos obtutus commoventia: illa succincte gradiendi ratio certe eo solum conducunt, ut humanæ malitiæ proponantur ea, quorum spectandorum nec cogitatio quidem animum subiret, si vestes promissæ & decenter clausæ adhiberentur. Quod si vestimenta superius nimis aperta fuerint (secundum Theologorum omnium, etiam benigniorum, sententiam) mortaliter peccaminosa sunt, peccantque ex sententia omnium Theologorum graviter certe illæ fœminæ, quæ hos modos introducunt, & ex Theologorum graviorum sententia etiam illæ, quæ hos modos jam introductos prosequuntur atque confirmant. Etenim est peccatum mortale, modum vestiendi scandalosum nimis apertum & peccandi occasionem plurimis dantem invehere; nam (Ut horum Theologorum verbis utar *ornatus est valde provocativus ad lasciviam*, ait Cajetanus; Et Laymannus dicit: *Multi ex eo passuri sunt scandalum*, nimirum in peccatum lapsuri; Et Sporerus affirmat: *Est ex se nimis turpis & ad lasciviam provocans.* Atque ob id talem modum inducere, est secundum omnes Theologos peccatum mortale scandali. Jam autem quærere juvat? Modus semel introductus num ob id nimis turpis, nimis ad lasciviam provocans, nimis spectantes offendens esse cessat? Neutiquam profecto; nam actionis scandalosæ continuatio nequaquam eidem propriam malitiam detrahit, sed eandem magis propagat ac latius serpere facit; quoniam quo magis talis modus ad plures immo & omnes diffunditur, tanto major provocatio ad lasciviam oritur, tanto plures lapsus & complacentiæ intuentium sequuntur; cum eo facilius sit multos incurrere in casses, quo major existit fœminarum eas tendentium numerus. Quod si secundum omnes Theologos peccatum mortale est talem modum inducere, cur non peccatum mortale sit, eundem prosequi & dilatare? Quid huic ratiocinio opponi poterit? Dicet aliqua: Pater! Ergone modum semel invectum sequi nefas? Distinguo: Si modus ex se scandalosus, & laqueo animabus est, non licet illum sequi; nec eo, quod jam inductus sit, insita eidem scandali ratio ac vis minuitur sed potius augetur. Quod si scandalosus non est nec laqueo animabus, sequi eum licet sine gravi peccato; uti sine gravi peccato introducitur. Objiciet alia: Pater! Non fiunt ista animo quemquam in peccatum trahendi, sed solum vana ostentandæ suæ pulchritudinis libidine. Nunquid sermone superiori cum S. Thoma vos monui: hanc excusationem frustra esse, si actio in se scandalosa sit; qualem esse hunc nudato pectore incedendi modum, comprobavi. Accedit, quod teste Tertulliano (g) *non de integra conscientia veniat studium placendi per decorem;* Atque ob id memoratus scriptor hunc vestiendi modum *naturaliter invitatorem libidinis* appellat: Et si S. Zeno (h) vetustus Veronensium Episcopus pronunciavit, *mulierem* vel *floribus redimitam spirare lasciviam;* quanto magis eam spirabit fœmina pectus plus justo nudatum ostentans? Ob eam rationem Innocentius XI. Pontifex summus

(g) *Libr. 1. de Cultu fœmin. c. 2.* (h) *Serm. de Pudicit.*

mus speciali *Decreto* anno 1683. 30. Novembris edito sanxit, ut fæminæ in publicum non prodirent nisi collum denso velo tectæ, injungens insuper confessariis sub pœna excommunicationis, ut illis Absolutionem non impertirent, si minus ita tectæ comparerent. Tam certum atque exploratum est, hanc vestitus rationem innumeris animabus perniciem afferre: Et ego, dum junior fui, nullas in Urbe memorato Pontifice satis jam functo fæminas, nisi sic contectas, in foro visas fuisse recordor. Quisquis igitur multarum animarum, impudica vestitus ratione in peccatum tractarum reus esse non vult, modeste & ut personas pudicas honestasque decet, se vestiat.

Tertia facto scandalizandi ratio, non multis abhinc lustris invecta, sunt virorum fæminis inservientium ancillationes, quas vulgo *Servitutes* appellant. Consistunt hæ in eo, quod viri se servitio alicujus conjugatæ fæminæ totos addicant, officium sibi sumentes eam, quocunque jerit, prosequendi: deducendi ad quemvis nutum, quo voluerit: prospiciendi eidem de omnibus, quæ genius dictaverit; in obsequiorum mercedem hoc privilegii ferentes, ut ad eam sine ullius rei respectu, quam liberrime nullaque lege servata invisant: ut soli cum sola, etiam in lecto recumbente, quamdiu libuerit, agant: immo ut eam vestibus induant, exornent & aliis modis in summæ fiduciæ, in intimæ familiaritatis ac gratiæ partem veniant. Ergo huic eunti servi a brachiis, stanti servi a latere, assiduique per omnia comites sunt: Cum hac ad spectacula pergunt: Cum hac in théatro, in rheda, in cymba, in alio quovis loco sine arbitrio morandi jus habent: Tamque arcto ac forti vinculo hoc amicitiæ genus adstringitur, ut fæmina multo plus cum hoc suo assecla quam cum marito sit; quin hic conqueratur, immo quandoque etiam se ab hoc servitutis genere liberatum & se uxorem suam alteri credidisse lætetur, qui ejus ingenium, pulchritudinem, vivacitatem, formam, urbanitates & alias, quibus fæminæ commendantur, dotes deprædicet atque extollat. Hæc ferme est servitutum memoratarum natura ac ratio, quæ utrum scandalosæ & tum animæ ejus qui servit, tum illius cui servitur, tum civitatibus ac locis, in quibus illæ vigent, ob malum exemplum perniciosæ dici possint, videamus.

Ac primum quidem, quid sacri codices de virorum fæminarumque conversationibus in universum dicant, exponere; deinde vero formidandas & insolubiles consequentias circa reatum istarum servitutum deducere debemus. Dixit itaque Deus: *Mulier viri pretiosam animam capit* (i) pergit: *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant? Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem Proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam.* Pergit (k) *Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam & confundaris.* Pergit: *Ne respicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius.* Pergit: *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius.* Pergit: *Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam.* Pergit: *Propter speciem mulieris multi perierunt & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Pergit: *Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt; colloquium enim illius quasi ignis exardescit.* Pergit: *Cum aliena muliere ne sedeas omnino, neque accumbas cum ea super cubitum.* Pergit (l) *Ne respicias mulierem alieni viri . . . neque steteris ad lectum ejus.* Ecce hæc omnia sunt verba S. Scripturæ (Ut alia multa omittam) quibus Dominus, uti liquet, serio prohibet, ne oculos defigamus, ne accedamus, ne colloquamur, ne assideamus mulieri aut ad lectum ejus stemus; & quæ sunt alia, quibus mens mulieris erga virum, viri erga mulierem affici potest; cum mutuo sibi laqueo sint: Quod autem Deus his verbis suis viro respectu mulieris, hoc & mulieri respectu viri prohibet. Prohibet itaque Deus omnem accessionem, omne colloquium, omnem familiaritatem, omne commercium

(i) *Prov. c. 6. v. 26. 27. 28. 29.* (k) *Eccli. c. 9. v. 2. 3. 5. 8. 9. 11. 12.*
(l) *Eccli. 41.*

mercium, omnem contuitum, denuncians: lapsus, peccati consensum, incendia lasciva, gravia peccata secutura fore. Atque ob id nequaquam mirandum, SS. Patres omnes, tum verbo divino doctos tum ipsa rerum gestarum experientia convictos, idem plane asserere. Jam argumentari libet: Si Deus, cujus verba fallere nequeunt, prædixit, supra memoratis actionibus cun ..is peccata & lapsus cujuscunque viri respectu cujuscunque mulieris, & cujuscunque mulieris respectu cujuscunque viri successuros esse; quanto magis vaticinium hoc comprobabitur, quando sexus diversitati & ætas florida, & ardens vicissim animorum studium, & magna mutuæ voluntatis propensio, & quotidiana ac longa colloquia, & vehemens continuatis urbanitatis officiis nutritus amor accesserit? Vetat Deus unicuique: Ne obtutum defigas, ne loquaris, ne allideas, ne appropinquas strato mulieris, ne cum illa familiariter agas; Dico enim tibi: Cades certe, consenties, peccabis, turpi ardebis amore. Et nos, ubi omnes supra memoratæ circumstantiæ (Ætas, species, mutuum studium, propensa voluntas, assidua colloquia, fultio brachii, visitatio cubantis in lecto, opera in vestibus inducendis navata, & commoratio solius cum sola; idque quamdiu libuerit) accesserint, dicimus: Haud malum inest; Casus non sequetur . . . Nunquid vaticiniorum divinorum, utut his circumstantiis omnibus confirmentur, veritas concidet, ut frivolum illud dictum nostrum stet: Haud malum inest; Casus non sequetur? . . . Hoc quidem talpis & lapidibus persuaderi poterit, non hominibus vel parum Fidei, prudentiæ ac rationis possidentibus, qui jure merito timere omnes debent, ne scandalum hac in re reciprocum evadat Deique vaticinia comprobentur potius, quam id quod nimia sui fiducia præter rationem dictat.

Profecto (Est hoc postremum argumentum) quis inficias ibit, eo, ut quis in modo descriptis circumstantiis graviter non delinquat, opus esse admodum singulari gratiæ divinæ auxilio? Negari hoc nequit, cum de Fide sit: Auxilium hoc necessarium esse; Et dogma Pelagii hæretici is sectaretur, qui contrarium assereret. Jam vero putatis, O mei! Deum singulare hoc gratiæ suæ auxilium ei concessurum esse, qui dedita opera & sine ulla necessitate immo solius oblectationis, solius genii aut sensibilis affectus gratia in memorata sese pericula infert? Ipse Dominus se concessurum hoc auxilium in allatis Scripturæ locis negavit; nam cum is illud alicui peccandi periculum, quod vitare nequit, ex necessitate subeunti misericorditer largiatur; & e contra declararit, eum, qui tale periculum sua sponte, cogitato, & mere genio suo obsequendi caussa adierit, lapsurum esse; implicite ac tacite declaravit, se huic tali præfatum auxilium non daturum esse, quippe quo is se sua temeritate nimiaque sui fiducia indignum facit. Sequetur ergo casus; quia gratiæ auxilium ob indignitatem talis hominis deerit. Hinc fit, ut ista prava consuetudo, cum gravis mali omnimodam similitudinem habeat, mortaliter scandalosa evadat civibus, & quotquot de illa notitiam habent: Unde etiam ex hoc capite talis vita activi scandali mortalis culpa minime caret; quippe qua execrabilis libertas, mille tum internis tum externis peccatis aditum pandens, fovetur; Atque ob eam rem etiam ex hoc capite incapax Absolutionis est, qui hoc vitæ genus in perpetuum deserere, & scandala a se data vitæ probæ exemplis reparare noluerit.

Jam quæ erunt scandalizantium pœnæ? Quis cogitare & computare illas queat? Nunquid sola exclamatio Jesu-Christi eas magnopere metuendas esse ostendit: *Væ homini illi, per quem scandalum venit* (m) Nam si quivis peccator, suorum solum scelerum reus, habet, unde sibi metuat; quanto magis ille, qui etiam alienorum peccatorum reus est? Et si subditus in regem suum rebellans capitali supplicio dignum se facit; quanto magis is, qui (quantum in ipso est) ad imitandum rebellionis suæ

(m) *Matth.* 18.

fuæ exemplum alios provocat atque impellit? At tale profecto est scandalosi facinus, qui pro virili sua alios ad æmulandam suæ in Deum rebellionis nequitiam invitat; dum eos ad mortalia peccata impellit. Scandalosus malo, quod præbet, exemplo passiones Christi reddere inutiles tentat: Quem in finem, obsecro! Servator passus est? Ut animæ perditæ servarentur; At scandalosus eas perdere studet; dum eas sive verbo sive facto sive ambobus modis ad mortaliter peccandum inducit. Heu! quæ supplicia talis sibi accersit? Heu! quam atroces pœnas in inferno luet, nisi se emendet atque ita emendet, ut bonis exemplis extruat, quod malis evertit: *Væ homini illi, per quem scandalum venit.*



SERMO LX.

De sexto Decalogi præcepto: NON MÆCHABERIS. De peccato luxuriæ.

SExto Decalogi præcepto omnis impura castitatique contraria actio prohibetur. Non est vitium aliud ullum, O mei! quod graviores insidias æternæ baptizatorum saluti ponat, quam luxuriæ peccatum; adeo ut pauci sint, qui speciali gratiæ privilegio donati nullos concupiscentiæ carnalis motus sentiunt, quibus resistant, ne vincantur. Quemadmodum autem plurimi, immo fere omnes hoc peccato tentantur; ita pauci sunt ab omni omnino lapsu liberi: Et quoniam lapsuum horum variæ species sunt plus minusve turpes (quamvis cunctæ graves, si modo deliberatæ) ob id illas omnes convenienti explicatione aperire oporteret. At hæc ipsa explicatio utrum omnibus, præsens meum opus lecturis, utilis futura esset, haud satis scio; nam cum brutum hoc vitium in corpore nostro, ceu regno suo, resideat (Ob quod ipsum *peccatum carnis* appellatur) & unum sit ex tribus nostris capitalibus hostibus spiritualibus, fit, ut vel ad ipsam naturæ ejus explanationem & ad ipsa detestabilium specierum ejus nomina tam turpes confestim ideæ mentibus humanis objiciantur, motus tum interni tum externi tam molesti tamque humanæ malitiæ blandientes excitentur, ut non raro accidat, multos, dum se hoc de argumento erudiendi gratia libros volvunt, inquinari &, dum vincendi artem discere cupiunt, gravi vulnere confectos cadere. Quapropter, cum hic meus Cathechismus in innocuarum personarum, puellarum, monialium, adolescentum, fæminarumque honestarum (quæ omnes non sine magno fastidio magnaque perturbatione res simplicitati ac innocentiæ suæ nequaquam convenientes lecturæ, & forsitan tentationes ex earum lectione reportaturæ variasque animi turbas sensuræ essent) manus incidere possit; ob id hujus execrandi vitii naturam ac species explicare supersedeo, & omnia generico minusque aures castas offendente vocabulo Impuritatis, peccata vero eo pertinentia nomine actuum impurorum comprehendam.

Primo vitium hoc radix & principium est multorum aliorum peccatorum; nam lascivus, ut libidinem suam expleat, obviis quibusvis remediis utitur & multa alia peccata committit, ut ad peccatum luxuriæ perveniat. Ob hanc causam ait S. Joannes Chrysostomus (a) *Voluptas impura fornax scelerum, fodina nequitiæ, alveus vitiorum, philtrum improbitatis.* Nimis comperta atque

(a) *Homil. 15. ad Pop. Antioch.*

que usu cognita sunt scelera, in quæ homines hinc vitio subditi prorumpunt: quod ut pro libitu nutriant, ad quævis alia peccata committenda animum adjiciunt. Testis rei hujus Salomon, qui hoc vitio agente de sanctitatis fastigio deturbatus eo insaniæ processit, ut idolorum cultum exterius professus sit non sine crimine omnium longe gravissimo; idque ob impuros, quibus conflagrabat, ignes. Hinc habuit caussam, ob quam de se confiteretur: se, quando impuri illi ardores animum suum occupatum tenebant, *pene in omni malo fuisse* (b) Atque ob eam ipsam rem in eodem, quo hæc de se profitetur, capite aliis hujus vitii fugam multo gravissimis sententis commendat.

Et profecto, O mei! Omni tempore ac die quovis funestos casus præ oculis habemus, qua ipsa re comprobant, quod ego verbis assero. Ex luxuria quot inimicitiæ, quot injustitiæ, quot rixæ, quot odia, quot homicidia non oriuntur, & certa continuo audiuntur? Quot sacrilegia personalia & realia committuntur? Quot veneficia adhibentur? Quoties diabolus apertis verbis invocatur, & persæpe etiam anima orco devovetur, ut persona, quæ execrabili amore deperitur, obtineatur? Norunt hoc perbene confessarii; neque vobis mirum videbitur, si rationem a S. Thoma allatam expendere accuratius volueritis (c) Cum natura humana post peccatum originale ad Bona delectabilia maxima inclinatione feratur, ob id, quo delectabilius est (utut turpe & brutis proprium) Bonum, eo vehementiori impetu natura in illud rapitur. Jam vero sæpius evenit, ut pro illo Bono obtinendo multæ difficultates superandæ occurrant, quæ ipsæ sine multorum aliorum variæ speciei peccatorum patratione superari nequeunt: Ob eam rationem fit, ut, cum maledictum luxuriæ peccatum inter maxime delectabilia, utut omnibus bestiis communia, Bona numeretur, persona, quæ se semel ab illo fascinari permisit, ut optatam delectationem consequatur, omnes obstantes difficultates superare decernat, quomodocunque demum res cadat: Et ecce sic parata stat persona illa ad omnes leges omniaque præcepta infringenda! *Vitium capitale est, quod habet finem multum appetibilem, ita quod ejus appetitu homo procedat ad multa peccata perpetranda, quæ omnia ex illo vitio tanquam ex principali oriri dicuntur. Finis autem luxuriæ est delectatio venereorum, quæ est maxima; unde hujusmodi delectatio est maxime appetibilis tum propter vehementiam delectationis tum etiam propter connaturalitatem hujusmodi concupiscentiæ.* Atque hac re fit, quod luxuriæ vitium tot alia peccata post se trahat.

Hoc autem ipsum (scilicet quod luxuria multa alia peccata post se trahat) commune est omnibus peccatis capitalibus; adeo ut, quamvis istud de luxuriæ peccato ob allatam rationem utplurimum & quam maxime comprobetur, non tamen peccato huic proprium aut singulare sit. Ob hanc caussam eorum effectuum, qui luxuriæ vitio proprii sunt, & in illis, qui huic vitio dediti sunt, subsequi plane debent, explicationi immorandum videtur. Horum octo sunt recensiti a S. Gregorio Magno (d) a quo illos S. Thomas accepit: Quatuor pertinent ad intellectum, & alii quatuor ad voluntatem hominis impuri; eoquod impura delectatio his duabus potentiis (quoad actus earum) magnopere noceat: cujus rei caussam hanc S. Thomas adducit (e) *Quando inferiores potentiæ vehementer afficiuntur ad sua Objecta, consequens est, quod superiores vires impediantur & deordinentur in suis actibus. Per vitium autem luxuriæ maxime appetitus inferior, scilicet concupiscibilis, vehementer intendit suo Objecto delectabili propter vehementiam passionis & delectationis; Et ideo consequens est, quod per luxuriam maxime superiores vires deordinantur, scilicet intellectus & voluntas.*

Primum damnum, quod ex luxuriæ vitio ad intellectum redit, est cæcitas mentis, quæ facit, ut homo in magni boni loco id habeat, quod grave malum est; dum adduci se excors finit, ut toto animo lasciviæ vitio

(b) *Prov. 5.* (c) *2. 2. q. 153. a. 4.* (d) *Libr. 3. Moral.* (e) *2. 2. q. 153. a. 5.*

vitio inhærescat. *Primo quidem simplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem ut bonum; & hic actus impeditur per luxuriam . . . & quantum ad hoc ponitur cæcitas mentis.* Et profecto quæ major excogitari cæcitas potest, quam pro fine sibi proponere voluptatem cunctis bestiis communem, & quæ nos illis similes efficit, immo etiam magis execrabiles; nam concupiscentia in bestiis intra instinctus naturalis limites continetur, quos tamen illa in hominibus ratione præditis, ob eorundum malitiam, sæpe transcendit. Percipite, in quantam cæcitatem luxuria homines adducat?

Scire quidem vos omnes, O mei! Samsonis historiam haud temere arbitor; nihilomninus eam hoc loco in consensu vestro narrando repetere, certe vobis utilissimum fore existimo. Samson ingressus in regionem Philistæorum, conspecta in valle Sorec fœmina, cui Dalila nomen, turpi in eam amore vehementissime inardescere cæpit. Ecce primum cæcitatis, in quam Samsonem lascivia adduxit, gradum! Videlicet quod semet ob impuri amoris ardores improbæ fœminæ, e gente sibi inimica, & in ipsa hostium, ad mortem eum inquirentium, regione in servitutem addixerit. Hoc comperto Philistæi accesserunt ad Dalilam, magnam pecuniæ vim pollicentes, si persuaderet Samsoni, ut prodigiosæ fortitudinis, quæ insuperabilis reddebatur, caussam panderet, eaque a Dalila e medio sublata ipse faciliori negotio superatus trucidaretur. Consensit perfida mulier (Ut personæ hujus generis venialia omnia habere solent) & amatorem suum perditissimum fraudulente tradendi consilium cepit. Itaque Samsonem domum revertentem interrogavit, in quo esset illius maxima fortitudo; cui ille, fors quæstionem suspectam habens: *Si septem nerviceis funibus nondum siccis & adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero.* Hoc Dalila referente Philistæi statim attulerunt ei septem funes, quos dixerat, ut ligaretur: Ipsi vero in alio cubiculo se absconderunt, ut, ubi Samson ligatus esset, eum in servitutem abducturi erumperent. Et profecto ligavit eum dormientem perfida, cumque hostes exire latibulo suo cerneret, solita versutia & simulatione utens exclamavit: *Philistiim super te, Samson!* At ille disruptis ad instar tenuis fili vinculis hostes in fugam conjecit. Nunquid, O mei! hæc prima proditio plusquam sufficere Samsoni debuisset, ut sceleratam Dalilam nullo in posterum obtutu dignari statueret? Debuisset certe. Verum ita eum amor impurus excæcaverat, ut his rebus posthabitis vetitas ex perfida muliere voluptates captare perrexerit; quæ multum de pecunia a Philistæis sibi promissa sollicita denuo Samsonem quærendo aggreditur, qua ratione spoliari sua fortitudine posset; cui ille: *Si ligatus fuero novis funibus, qui nunquam fuerunt in opere, infirmus ero.* Et ligavit illum scelesta novis funibus latentibusque hostibus e cubiculo erumpentibus denuo exclamavit: *Philistiim super te, Samson!* At ille ruptis vinculis, quasi filis telarum, hostes denuo fugavit. Nunquid putatis, O mei! quod saltem hac vice miser amore cæcatus statuerit deserere hanc proditricem? Non deseruit. Itaque tertia vice interrogat impia, quo vinciri deberet: cui Samson illudens aliud vinculorum genus dictavit. Etiam hoc illa jam tertia vice dormientem ligat, & prodeuntibus e latebra Philistæis iterum clamat: *Philistiim super te, Samson!* At ille rupto vinculo hostes denuo in fugam dat. Proh cæcitatem stupendam! Proh Samsonem vere excæcatum! Nunquid cogitari homo excæcatior poterit? Tertio ab illa infami fœmina non sine præsentissimo libertatis ac vitæ amittendæ periculo proditus, tamen morari cum illa satius ducit, quam execrandas, quas ex illa captabat, voluptates dimittere. Ad extremum crudelis mulier, perfidiæ suæ promissam pecuniam obtinendi avida, summas artes, quibus hujus generis fæminæ uti solent, adhibere: iracundiam simulare: continuo amoris mediocritatem objicere: oppugnare: instare viro, ut, qua re privari fortitudine sua posset, indicare vellet; adeo ut Samson tum

ob

ob increpationes tum ob preces, quibus iniqua aures miseri continuo tundebat, quasi animi deliquium passus sit, teste Sacro textu: *Cumque ei molesta esset, & per multos dies jugiter adhæreret spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus ad mortem usque lassata est* (f) Hinc, cum pessimæ meretrici perfidiam, proditiones, ingratiudinem ac crudelitatem objicere neque eam amplius respicere debuisset, contra impuro se amore vinci permisit reique veritatem perfidæ aperuit: nimirum virtutem suam maximam in capillis capitis sitam esse; his recisis fortitudine se sua privandum & similem ceteris hominibus futurum esse. Quo audito Dalila Philistæos denuo monuit, ut venirent; qui afferentes secum constitutam pecuniæ summam, se in insidiis collocarunt: Dalila vero expectans, donec Samson somno caperetur, capillos ejus abrasit, irruentesque Philistæi comprehensum mox oculis privarunt aliisque injuriis pro libitu affecerunt, donec ille tandem miseranda morte occubuit. Quid vobis, O mei! de hoc facto videtur? Quis unquam hominem sapientem atque fortem per luxuriam ad tantam insaniam ac cæcitatem adactum fuisse crederet, nisi factum hoc de Fide esset, expressum sacris in codicibus eo, quo illud retuli, modo? . . . intelligite itaque, O mei! proprium esse huic abominabili vitio excæcare mentem, ut felicitatis loco hoc reponat, quod malorum omnium cumulus est. Et profecto densissimis tenebris circumfusum animum gerat oportet, qui se ei vitio addicit, quod homines sibi subditos gratia Dei, honore, bona aliorum existimatione, fama, opibus, ratione, persæque etiam sanitate ac vita privat! . . .

Secundum speciale damnum, quod luxuriosis luxuria creat, est præcipitatio mentis, quæ teste S. Thoma lumen animi (respectu electionis remediorum pro fine obtinendo adhibendorum) obscurat. Hinc luxuria, postquam animum sic corrupit, ut is finem & scopum a ratione sana alienissimum, qualis est voluptas bestialis, sibi proponat; eundem insuper ita depravat, ut in electione remediorum obtinendi illum finem præceps & inconsultus sit. Ob eam caussam nefando huic vitio deditos miros inire modos & insolita capessere consilia, ut optatum finem obtineant, videmus: *Secundus actus est consilium de his, quæ sunt agenda propter finem; & hic etiam impeditur per concupiscentiam luxuriæ . . . & quantum ad hoc ponitur præcipitatio, quæ importat subtractionem consilii.*

Hujus ex lascivia ortæ præcipitationis egregium exemplum juxta cum priori de Fide certum (quippe in S. Evangelio relatum) habemus; quod, tametsi vobis notum sit, tamen hoc loco repetere æque proficuum erit. Nostis horribile & scandalosum facinus Regis Herodis Antipæ, qui impuro Herodiadis cognatæ suæ & uxoris fratris sui Philippi (adhucdum viventis, uti Interpretes communiter tenent) amore accensus eandem rapuit triplici se commaculans scelere, videlicet Raptus, Incœstus & Adulterii non sine scandalo totius Orientis. Accidit autem, ut Herodes in diei sui natalis honorem sumptuosum convivium faceret, ad quod viros optimates provinciæ vocaverat. At ecce! recumbentibus adhucdum convivis omnibus comparet in triclinio filia Herodiadis adulteræ ad mensam accumbentis, & saltat & placet Herodi, qui ut adulteræ suæ impurum amorem sibi magis magisque conciliaret, filiæ ejus saltatione summopere affici se ostendit, & quoniam (Repeto) omnibus modis studebat, ut execrabilis fœminæ voluntatem erga se inclinaret, impudenti saltatrici (haud recogitans, quid diceret) proposuit: Peteret, quidquid vellet, in præmium saltationis; daturum se, etsi dimidiam regni partem postularet. Ecce, O mei! præcipitationem ex luxuria ortam, quæ menti humanæ consilium subtrahit. Num ineptius quid proponi potuisset? Hem! remunerandæ saltationis gratia proponere puellæ, addito quoque jurejurando: daturum se omnia, quæ petitura esset, etiam regni partem dimidiam! *Et juravit illi, quia, quid-*

quid

(f) Jud. 16.

quid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei (g) At filia astutissima consilium cum matre iniit, quæ ei persuasit, ut caput viri maximi Joannis Baptistæ in disco afferri peteret; Oderat enim eum mater adultera, quod Herodem de scandalo arguerat, & ut scelestam a se dimitteret, monuerat. Stupuit initio in petitione Rex; verum, quamvis Joannem multum veneraretur, tamen juramenti editi (quod in hoc casu nullum atque illicitum fuit) religione teneri se vel credens vel credere simulans, ut tum suo impuro amori tum nefandæ adulteræ votis satisfaceret, Virum sanctum nulla mora interposita securi percuti ejusque caput impudicæ saltatrici in disco afferri jussit. Ecce! quo mentem humanam luxuria præcipitet. Quod si Herodes, antequam præproperam hanc atque inconsultam propositionem ore protulit, paulo rem secum recogitasset; quis unquam credat, quod ille fidem suam tam dura lege obstricturus fuisset? Verum impurus amor, quo abreptus præ rebus aliis cunctis placere adulteræ studuit, haud sivit, ut considerate ageret: Hinc remedium explendæ lasciviæ tam ineptum, quale est stultissima illa propositio, præcipiti ac temerario consilio elegit. O mei! si temporum nostrorum gesta repetere memoria velimus, quot Herodi similes inveniemus? Quot paucorum annorum spatio opulentissima patrimonia dissiparunt, levique aut nullo pretio immobilia maximi momenti bona alienarunt? Quot ob hanc, ex vehementi satiandæ libidinis impetu natam, præcipitationem in vitæ & rerum omnium periculum se conjecerunt? Quot denique conjugatæ personæ occulta homicidia tacita mente premunt; unde illa in numero impedimentorum dirimentium ab Ecclesia computantur?

Tertius mentis humanæ actus est judicium de iis, quæ agenda sunt: Verum etiam hoc teste S. Thoma per luxuriam impeditur, quippe quæ judicium de rebus agendis per inconsiderationem, cui persona lasciva obnoxia est, tollit: *Tertius est judicium de agendis; & hic etiam impeditur per luxuriam . . . & quantum ad hoc ponitur inconsideratio.* Observate quæso! Davidem hunc primitus sanctum, postea adulterum Israelitarum Regem, amoribus Bethsabeæ irretitum, cujus sublimem intellectum jam pestis illa teterrima infecerat. Ecce! hic, ut nequissimæ erga uxorem alienam voluntatis suæ notitiam viro illius subtraheret & novis voluptatibus eandem pessimam voluntatem nutrire ac confirmare tuto pergeret, occidere innocentem Uriam factu optimum judicat. Scribit itaque Joabo summo copiarum præfecto: Virum illum bonum tam præsenti periculo objiceret, ut vivus non evaderet; *Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium, & derelinquite eum, ut percussus intereat* (h) Miram inconsiderationem! Num Regi tam potenti ac circumspecto, uti David erat, aliæ deesse rationes poterant, quibus Bethsabeam suam faceret & virum illius removeret; quin eundem vita exueret? Centum facile ac mille modos, si ante captum propositum deliberare secum paululum voluisset, invenisset. Verum tenebræ, quas ater libidinis fumus menti Regis offuderat, effecerunt, ut aptissimum remedium id esse deputarit, quod turpissimum maximeque execrabile fuit. Est nimirum ea miserorum Lascivorum conditio, ut nesciant quidquam opportunum judicare, nisi quatenus illud ad alendam, conservandam & explendam immodicam lasciviam suam conducit: Sit hoc deinde vel deterrimum, negligunt; dummodo libidini suæ serviat.

Quartus mentis humanæ *actus est præceptum rationis de agendo* (ut scilicet constanter agantur, quæ utilia judicata fuerunt) *qui actus etiam impeditur per luxuriam, in quantum scilicet homo impeditur ex impetu concupiscentiæ, ne exequatur id, quod decrevit esse faciendum.* Nequaquam opus hoc in loco facta in S. Scripturis tradita adducere; cum quilibet luxuriæ vitio addictus indicio ac testimonio de se suaque inconstantia in hujus vitii deferendi propositis ipse esse possit. Norunt hoc etiam confessarii miseratione certe digni, quibus adversus nul-

(g) *Marc. 6.* (h) *2. Reg. 11.*

lum aliud vitium major quam adversus luxuriam lucta est ob recidivos lascivorum lapsus, quippe quorum proposita, utut sæpe lacrymis, singultibus quandoque etiam juramentis de non amplius cadendo (Ponderari hæc, priusquam permittantur, multum debent) ornata facile diffluunt. Labuntur enim miseri & relabuntur & relabendi vix est finis propter inconstantiam, quam in eis execrabile hoc vitium peperit, adeo ut ferme nunquam constantes & in propositis suis firmi evadant, nisi extrinsecam relapsus occasionem penitus deserant. Quod si occasio extrinseca non est; sed intrinseca, habensque sedem in propria hominis malitia (Intellgi me, quantum satis est, a fontibus & una insontibus satis me occultasse infame scelus credo) tunc inconstantia mentis quam difficillime consanatur, cui curandæ haud alia remedia esse diuturna docuit experientia: quam 1° humilem, fervidam atque perpetuam orationem: 2° devotam Sacramentorum frequentationem: 3° pœnitentiam medicinalem atque idoneam in casu relapsus. Hæc nisi adhibeantur remedia, vitium istud est ejusmodi, ut sibi obnoxios non nisi in morte deserat. Ah Deus! . . . Ah confessarii! . . . Væ illis, nisi statim initio instent, Absolutionem differant & piis artibus cunctis utantur, ne vitium hoc in consuetudinem transeat! Certe eorum conniventia ac dissimulatio innumerabilium longa serie lapsuum, immo (Deus avertat) damnationis tum aliorum tum propriæ causa moralis evadit.

Audivistis de damnis, quæ vitium luxuriæ intellectui infert: jam de damnis, quæ in voluntate creat. Horum quatuor sunt, ita ut duo priora damna iterumque duo posteriora ad se mutuo referantur; Ecce! verba S. Thomæ: *Ex parte autem voluntatis sequitur duplex actus inordinatus, quorum unus est appetitus finis: Et quantum ad hoc ponitur amor sui, quantum scilicet ad delectationem, quam* ex corpore suo *inordinate appetit; & per oppositum ponitur odium Dei, in quantum scilicet prohibet delectationem concupitam. Alius autem est appetitus eorum quæ sunt* seu ducunt *ad finem: Et quantum ad hoc ponitur affectus præsentis seculi, in quo scilicet aliquis vult frui voluptate; & per oppositum ponitur desperatio futuri seculi, quia dum nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat pervenire ad spirituales sed fastidit.*

Vivis coloribus lascivos nobis in libro Sapientiæ (i) Spiritus sanctus depinxit, damnis memoratis omnibus a luxuria (quoad voluntatem) infectos; Etenim vitæ præsentis brevitatem ac temporis velocitatem advertentes, quasi in cœtum congregati, dixerunt: *Umbræ transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri; quoniam consignata est & nemo revertitur. Venite ergo & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter! . . . Coronemus nos rosis, antequam marcescant! Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra! Nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ! Ubique relinquamus signa lætitiæ; quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors!* Nonne in his verbis, O mei! amor proprius & propriarum voluptatum ardentissimus: nonne abominatio majestatis divinæ: nonne voluptatum hujus seculi studium vehementissimum: nonne sat aperta bonorum alterius vitæ desperatio apparet? Et profecto (si verum fateri velimus) ex quorum, nisi voluptuosorum hominum, ore audiuntur illæ propositiones, quæ animam peccatis carnalibus ceu sordidis ulceribus jam confectam, bona æterna penitus negligentem, immo de earum possessione desperantem, consepultam nefandis voluptatibus, in Fidei veritatibus nutantem ostendunt. Quis voluptuosis pronior ad Atheismum: voluptuosis, qui ut liberiori animo libidinem expleant, ex libris longe pestilentissimis omnia sophismata, omnia effugia corradunt, quibus conscientiæ obstrepentis motus compescant, & eidem reluctanti persuadeant: morte cuncta finiri; atque ob id nec judicium, quod formidetur: nec infernum qui metuatur: nec paradisum, qui speretur, esse? Ita profecto est; Nemo alius ullus præter voluptuosum tam pronus ad hujusmodi sibi persuadendum,

(i) *cap. 2.*

dum, cujus rei confessariorum quotidiana experientia testis est (Si quis tamen horum lascivorum sacro sese tribunali sistere quandoque decernit) qui veritates Fidei vel advertenter in dubio habitas vel omnino negatas fuisse ab ipsis audiunt, & qui, cum miseri illi vel privatim vel publice sæpe talia differuerint, licentiam sibi providere debent eos ab excommunicatione reservata, quam incurrerunt, absolvendi. Dixi: *Si quis tamen lascivorum sacro se tribunali sistere decernit*; Nam hujus generis homines difficillime ad frugem animum applicant ob catenas, quibus vinciuntur. Atque ob id verbis profecto tremendis Oseæ Prophetæ (k) Dominus affirmavit: *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum*; Quare? *quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt.* Formidabile vaticinium!

Dicet aliquis: Ergone peccatis carnalibus demerso nulla emergendi via aut remedium superat? Superat, Chare! cum nullum aut peccatum aut peccati status sit, qui omni omnino remedio careat. At difficultas omnis in eo vertitur, ut remedium velis: Remedium hujus vitii (uti & reliquorum) est integra affectus & voluntatis conversio ac commutatio; scilicet ut odio habeat & detesteris id, quod prius adeo vehementer amavisti. Amavisti brutam voluptatem: hanc præ aliis rebus cunctis odio persequere! Amavisti personam illam, adeo ut eam vel corporaliter vel mentaliter præsentem tibi usque habueris: hanc execrare ac vita, ut & ab oculis & a mente tua longe absit! Ista autem affectus conversio, quæ plane necessaria, quam difficilis est: videlicet quam ægre mens avertitur a peccato, quod ob voluptatem, quam creat, maximæ adhærentiæ est & difficulter deseritur teste S. Thoma (l) *Peccatum luxuriæ est maximæ adhærentiæ, & difficile ab ea homo potest eripi.* Est igitur remedium super; At in hoc res omnis vertitur, ut illud velis. Dices: Pater! Quid faciam, ut illud velim? Adverte animum! Cum ex Fide certum sit, ab auxilio gratiæ divinæ provenire debere, ut illud velis; ob id, ut illud ex animo & re vera velis, exoranda tibi misericordia Dei, quo tibi concedere gratiam illud volendi dignetur: Et si sic cum humilitate, fiducia ac perseverantia Deum orare non cessaveris, consequeris gratiam volendi memoratum remedium. Tum ad sacrum tribunal accede cum vero præteritæ vitæ dolore ac detestatione, unaque cum firmo & solido proposito eam in posterum non resumendi & præcipue fugiendi pro virili omnes eas occasiones, quibus ad peccandum inductus fuisti. Peracta apud pium doctumque confessarium peccatorum tuorum confessione remedia a relapsu servantia ea tibi sunto, quæ doctus confessarius injunget: Injunget autem, si quidem partes ministerii sui implere voluerit, 1° ut Objecta, loca, conventus, libros, socios & laqueos illos omnes fugias, quæ vitæ tuæ lascivæ initium progessumque dederunt, 2° ut per certi temporis intervalla SS. Sacramenta frequentes; atque id tanquam partem pœnitentiæ injunctæ, 3° ut per certi temporis spatia quotidie ad reginam puritatis, Virginem sanctissimam Mariam confugias; & hoc quoque ceu partem pœnitentiæ injunctæ. Omnia hæc injungere confessarius oppido debebit & bene faciet, si miserum Pœnitentem (si quidem is voluerit) curandum ac sanandum suscipiat: Injunget præterea per modum consilii 1° fugam otii; cum Spiritus sanctus pronunciarit, quod *multam malitiam docuit* (m) *otiositas.* 2° Custodiam sensuum, maxime oculorum in aspiciendis sexus alterius personis; cum idem Spiritus sanctus dictaverit, quod *mors ascendit per fenestras nostras*; quo in loco secundum omnium SS. Patrum sententiam per fenestras intelligi sensus corporis, maxime oculi, debent; Ita S. Basilius (n) Hieronymus (o) Gregorius Magnus (p) & reliqui. 3° Gulæ mortificationem aliquam; Egregie ad hoc tertium remedium facit textus allegoricus Prophetæ Jeremiæ dicentis (q) *Princeps coquorum destruxit muros*

(k) *Cap. 5.* (l) *1. 2. q. 73. a. 5.* (m) *Eccli. 33.* (n) *Libr. de Virginit.* (o) *Libr. 2. contra Jovin.* (p) *Libr. 21. Moral. c. 2.* (q) *Cap. 39.*

ros Jerusalem. In quæ verba S. Gregorius Magnus (r) *Coquorum ergo Princeps muros Jerusalem dejicit; quia dum venter ingluvie distenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur.* His modis si peccatores luxuriæ vitio obnoxii ad frugem reformati fuerint, & convertentur & conversio eorum stabilis erit. Secus *non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum; quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt.* Magnum profecto effatum Dei, absolutum illud & universale!

(r) *Libr. pastor. curæ, p. 3. admon. 20.*



SERMO LXI.

De septimo Decalogi præcepto : FURTUM NON FACIES. De non furando.

POstquam Deus præcedentibus tribus præceptis, ne Proximum (quoad vitam & pudorem) læderemus, prohibuit; jam in hoc septimo, ad quod explanandum aggredimur, vetat, ne eidem (quoad facultates suas) noceamus. Verum ego (tum ut in rebus, quæ omnibus notæ ac perspectæ sunt, explicandis tempus frustra non conteram: tum ut alium furandi modum usitatissimum, de quo tamen pauci sese sacro in tribunali accusant, vobis cognoscendum dem) hoc loco cum S. Thoma istud solum monebo, quod *furtum est acceptio rei alienæ occulta invito domino* (a) Dicitur: *Occulta*, ut a rapina distinguatur, per quam Proximo res sua præsenti rapitur; uti latrones publici seu prædones faciunt: quod peccati genus malitia sua furtum superat; nam præter rei ablationem Proximo etiam quædam injuria infertur: *Per rapinam non solum infertur alicui damnum in rebus, sed etiam vergit in quandam personæ ignominiam sive injuriam*, ait S. Thomas. Et quemadmodum furtum ad restitutionem rei ablatæ obligat, ita rapina tum ad restitutionem rei ablatæ tum ad congruam injuriæ Proximo illatæ compensationem obstringit. Itaque cum furtum sit occulta rei alienæ ablatio, sequitur: omnes eos, qui Proximum occulte rebus suis præter fas privant, reos esse hujus peccati. Hinc non solum auferre Proximo, quod possidet; sed etiam retinere, id quod Proximo debetur, furti reatus erit. Ob id qui justis ponderibus aut mensuris non utuntur; qui pluris quam justo pretio vendunt: qui minus quam infimum justum pretium solvunt, hi omnes furantur & restitutionis lege obstringuntur. Fures præterea sunt, qui modis illicitis lucrum faciunt: videlicet ii, qui mero mutui dati titulo tot & tot ex moneta vel ex centum lucrantur; quod manifestæ usuræ genus est: ii, qui vi sui ministerii hanc vel illam summam ex ærario aut ob aliam gravem procurationem solvere obligati, moras de industria nectunt, creditores fatigant, ad iterato redeundum adigunt, ut sic eos ad dandam strenam obstringant, quam dare non tenentur & quam coacti dant, ut se extricent & suum recipiant: ii denique omnes, qui fraudibus, fallaciis, mendaciis & aliis injustis viis acquirunt, quæ sibi non debentur nec darentur, si doli, fraudes & mendacia eorum scirentur. Omnes hi fures sunt & furti rei. Similiter illi omnes, qui ex justitia (quippe mercedem & redditus suos habentes) ministerium, officium opificium suum ea cum diligentia, quæ adhiberi ab aliis in horum ministeriorum exercitio diligentissimis solet, exercere obligantur (si hanc diligentiam omittunt) rei sunt damnorum negligentiam suam subsequentium; quæ nisi reparent, fures sunt stipendia

(a) 2. 2. q. 66. a. 3.

dia ab aliis injuste accipientes. Hinc Medici, Advocati, sollicitatores, magistri opificiorum & alii omnes, quibus solvitur pecunia, ut debita diligentia ægroto, clienti, tyroni &c. assistant (si hanc diligentiam prætermittunt; unde gravia damna ad personas, quibus adsistere deberent, redeunt) rei furti sunt, obliganturque ad horum damnorum reparationem modis possibilibus faciendam. Omnes hæ sententiæ claræ sunt & acceptæ ab omnibus Theologis, quin eas ullus impugnet aut in controversiam adducat.

Dicetis: Quinam igitur sunt fures illi, in quos dicere constituisti, Pater! cum hic summatim modos usitatissimos omnes Proximo in rebus suis nocendi exposueris? Haud moror, O mei! fures istos vobis indicare: Sunt autem illi, qui, cum ære alieno premantur, quod vel statim dissolvere vel eidem dissolvendo pares se debitam parsimoniam adhibendo facere possent, hoc parum aut nihil curant. Isti sunt fures illi, quibus civitates scatent; quin multi eorum de hoc se vel accusent, persuasi, securam sibi esse conscientiam, quia habitualem ac inutilem debita solvendi voluntatem gerunt: Et tamen vivunt miseri isti in statu peccati mortalis, si (cum possint) aut statim non solvant aut (cum statim non possint) debitas diligentias non adhibent, ut se solvendo pares reddant. Horum, debita non solventium, injustitiam præsenti impetere sermone & eorum crudelem, infamem atque saluti animæ exitiosissimam agendi rationem vobis ostendere paro.

Spiritus sanctus, qui quodvis vitium suis maxime characteribus atque notis sacra in Scriptura expressit, etiam hujus injustitiæ imaginem adeo horrendam nobis reliquit, ut haud sciam, utrum eidem probe explicandæ par futurus sim. Est *generatio*, ait, *quæ pro dentibus gladios habet & commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra & pauperes ex hominibus* (b) An effigies adumbrari crudelior potest, quam pro dentibus totidem habere gladios & ciborum loco carnes humanas? At fors hæc hyperbole quædam est? Nequaquam. Quid aliud enim est, illas vel illas summas pro libitu, posthabitis justis creditorum rationibus, e debitorum schedis expungere: Quid aliud est, nulla habita justitiæ ratione factas ab operario jussu ejus, qui præsidebat, impensas detrahere; quam habere *gladios pro dentibus?* Quid aliud est, solvere nolle nisi in hoc illudve tempus (cum solvi statim possit) utut inde damnum pauperi mercenario accedat: Quid aliud est, solvere nolle numerata pecunia (prout suppositum aut pactum fuit) sed mercibus, quibus aut creditor opus non habet, aut quæ deterioris conditionis sunt, vel ad breve tempus durant, vel etiam ex dimidia parte vitiatæ sunt; quam *commandere inopes molaribus suis?* Quid aliud est, vexare opprobriis artificem, operarium, venditorem fores debitoris urgente necessitate pulsantem & sua repetentem: Quid aliud, eosdem imcrepationibus & quandoque minis, præcipitandi de fenestra aut scala, abigere; quam satiare se lacrymis eorum, devorare carnes eorum, exsugere sanguinem eorum & *comedere pauperes ex hominibus?* Veniunt illi petitum ea, quæ dari ipsis ultro atque mitti deberent; & quoniam veniunt ea demisse petentes, cum solvi eis, quæ petunt, adhibita commiseratione nec sine solutionis procrastinatæ excusatione deberent: contra illi ita crudis modis excipiuntur, ac si totidem latrones essent. Num major crudelitas cogitari potest? Quæ est toto orbe terrarum bestia, quæ feram sui generis devoret? Nulla certe: Mutuis quidem in se iris insurgent, leo in leonem, ursus in ursum, lupus in lupum, immo & se mutuo lacerabunt; at unum vorari ab alio haud continget, utut sævissimæ speciei exsistant. Solus homo, qui solus & materialiter & moraliter comedere potest, solus homo per injustitiam in monstrum quavis bestia crudelius commutatur, isque efficitur, ut a Deo pro carnium voratore & sanguinis humani potatore habeatur: *Ut comedat inopes de terra & pauperes ex hominibus.*

(b) *Prov.* 30.

bus. Profecto generationem execrandam, Hyrcaniæ tigribus & Libycis leonibus ferociorem!

Tanti sceleris noxam subiturum sese quadam in occasione, quæ multum opportuna occurrit, & quam nescientibus referam, David existimavit. Stabat ille in acie, cum militibus suis ex adverso hostilis Philistæorum exercitus cumque siti nimia arderet, desiderium bibendi aquam de cisterna Bethlehem, ubi inimici castra posuerant, per casum verbis prodidit. *O! si quis daret mihi potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem juxta portam* (c) Hoc regis desiderio audito tres ducum fortissimi neglecto vitæ periculo omni per hostiles turmas ad cisternam penetrare & vas aquæ ex illa haurire decreverunt: Facile intelligitis, O mei! quanto discrimini se tres illi viri soli objecerint? Clam profecti virtute sua per hostium cohortes sibi viam straverunt, eademque cum virtute revertentes vas aquæ optatæ Davidi obtulerunt. Ille ducum adventu attonitus rem somno quam facto similiorem credidit, cogitansque præsentissimum vitæ, quod virorum illa trias adierat, discrimen & vas illud, non tam aqua quam sanguine fortium ducum plenum, reputans bibere noluit: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc; num sanguinem virorum istorum bibam?* Et *libavit eam Domino.*

Jam ad nos redeamus. Nunquid simili horrore sudores operariorum, pericula mercatorum, lacrymæ artificum, sanguis creditorum nonnullorum debitorum crudelitatem exterrent? Nonnullorum (inquam) debitorum, qui solvere exacte nolunt aut differunt. Qui fit, ut, dum nondum solutas vestes induunt, dum nondum soluto cultu se ornant, sanguinem mercatoris eam vendentis, artificis eam conficientis non videant & ipsi quoque dicant: *Num sanguinem virorum istorum ego bibam?* Qui fit, ut ingredientes cubilia illa eorumque suppellectilem contuentes sanguinem non videant cæmentariorum, lapicidarum, fabrorum lignariorum & aliorum operariorum, quibus nondum satisfactum? Qui fit, ut aperientes scrinia & has vel illas summas expromentes sanguinem non videant plurimorum, qui mercedem laborum, sudorum operumque suorum, pretium mercium suarum anxie expectant, dicantque sibi: *Num sanguinem virorum istorum* ego *bibam?*

Neque credatis, hanc esse acutam quandam paraphrasin meo solum e cerebro enatam: Immo nititur illa verbis Dei a Propheta Jeremia, *cap.* 2. prolatis, quando animam divinorum præceptorum violatricem sic objurgat: *In alis tuis* (hoc est: *in oris vestium tuarum*, ut interpretes volunt, vel, ut septuaginta-viralis Versio habet, *in manibus tuis*) *inventus est sanguis animarum pauperum*, . . . Ita, sanguis pauperum creditorum in vestibus non solutis: Ita sanguis in manibus illis crudelibus, quæ tractant res aut opera aut mobilia non soluta: Ita, sanguis in pecunia, quæ in usus non necessarios expenditur, & pendi expectantibus creditoribus deberet: *In alis* (*in vestibus tuis, in manibus tuis*) *inventus est sanguis animarum pauperum.* Proh crudelitatem non dicam Christiano, sed vel homine rationis compote indignam! Sed crudeles isti credant nolim, quod per injustitiam suam in solos creditores sæviant; immo injustitia illorum in ipsosmet sævit, dum facit, ut pro hominibus infamibus habeantur.

Etenim quanquam omne peccatum mortale reddat eum, qui illud admittit, infamem in oculis Dei; non tamen eundem infamem in oculis hominum facit. Immo sunt multa peccata, malitia sua aliis multis superiora; quæ tamen sibi obnoxium (Utut ab omnibus ut talis noscatur) infamem haud efficiunt: cujus rei caussa hæc est; quod homines, cum delicta pro eo, ut cum societate & commercio civili pugnant, pendant: illa potissimum vitia infamia notent, quæ hanc hominum societatem atque commercium tollunt ac destruunt. Quid quod de multis vitiis quæstio esse possit, utrum annumerari infamantibus debeant; circa quod variæ opiniones exstituræ essent, adeo

(c) 2. *Reg.* 23.

adeo ut nonnulla vitia ab aliquibus infamia, contra ab aliis haud infamia judicanda fore putem. At furtum infamis vitii genus esse nemo dubitat; adeo ut, quamprimum quis fur esse deprehenditur, confestim ab omnibus pro infami habeatur.

His, tanquam certis, in antecessum positis videamus modo, utrum hanc furibus propriam infamiam incurrant illi, qui, debita sua non solvunt, cum solvere aliquo modo possint; idque videamus sequentes sententiam S. Thomæ, cui Theologi omnes consentiunt. Quid est furtum: quid est, esse furem? Furtum, ait Doctor angelicus, nil aliud est quam rei alienæ ablatio invito domino; & pergit: Num aliud est illam invito retinere domino, quam invito domino auferre? Nequaquam, ait; Idem plane est auferre injuste, & injuste retinere; & hinc sub injusta ablatione etiam injusta retentio comprehenditur: Erit ergo fur & ille, qui injuste aufert, & ille, qui injuste retinet. Jam qui non solvit creditoribus, cum tamen aliquo modo solvere posset, retinet illis invitis pecunias illorum; ergo est fur: *Detinere id, quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta; & ideo sub injusta acceptione intelligitur & injusta detentio.* Argumentum hoc demonstrativum est: Erit igitur fur infamis, qui, cum posset, creditoribus suis non solvit.

Dicet aliquis, cui nigrum hoc theta displicet: Ego non solvo, quia creditores sua petitum non veniunt; si venirent, satisfacerem illis. Heus! quot rationibus frivolum hoc responsum enervatur. Primo tu quidem sic affirmas; at ego nescio, utrum tu, etiam si venirent, illis facturus satis esses? Sed do tibi hoc; verum dic sodes! An debitorem adire creditorum est, & non potius debitoris adire creditores aut hos ad se accersere? Quo unquam jure sancitum legitur, ut creditor etiam investigandi debitoris incommodum subeat, & non potius debitor ad creditorem accedat aut hunc advocet, ut sua receptum veniat? Præterea, ais, non veniunt sua petituri: Nosti, quare non veniant? Quia solutionis loco probra, contumelias, increpationes, minas referunt: Nosti, quare non veniant? Quia (Et hoc maxime in caussa esse solet) quia verentur, ne molesti sint: quia metuunt, ne modis memoratis excipiantur; non quia fieri sibi solutionem haud ardenter optant, præsertim si sunt operarii, artifices, mercenarii, qui manuum suarum labore ex die in diem vitam tolerant. Hinc illis statim non solvere, cum possis, est retinere rem alienam, & verum infame furtum: *Detinere id, quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta* (d)

Dicet alius: Fur aufert, ut non amplius restituat; Ego differo solutionem, ut suo tempore solvam. Responsionem indignam homine, cui vel parum rationis superest! Ergone is, qui alteri aliquod mobile bonum auferret, illud sex mensium spatio retenturus & post hoc temporis redditurus, fur non esset? Quis unquam Theologus moralis hanc sententiam tenuit? Dicite mihi & advertite animos: Præceptum non auferendi & retinendi res alienas, an positivum an vero negativum præceptum est? Quid hac quæstione tibi vis, Pater! dicetis. Sensa animi cum S. Thoma & omnibus post hunc Theologis pando: Sunt duo præceptorum genera. Alia dicuntur positiva, fieri actionem aliquam constituto certo tempore imperant, & his satisfit faciendo illam actionem, v. g. Præceptum exercendi actus amoris in Deum impletur, si constitutis temporibus actus amoris in Deum eliciuntur: Et hæc præcepta non semper, sed præfinitis temporibus obligant. Alia dicuntur negativa, quæ prohibent facere actionem aliquam, v. g. non perjurabis, non mœchaberis &c. Et his præceptis satisfit abstinendo a vetitis actionibus: Ista vero præcepta obligant semper & ad semper, adeo ut nullum tempus sit, in quo facere dictas prohibitas actiones liceat: Hinc nullo unquam tempore fas erit perjurare, mœchari &c. sed hæc semper omitti debent. Jam quæro denuo ex vobis: Præceptum non

(d) 2. 2. q. 66. a. 5.

non furandi & retinendi rem vel pecuniam alienam positivumne an negativum præceptum est? Negativum esse omnes Theologi cum S. Thoma affirmant: *Retentio rei alienæ contrariatur præcepto negativo, quod obligat semper & ad semper*, atque ob id *tenetur statim ad reddendum* (e) Bene hoc attendatis velim. Qui statim non solvit, cum posset, retinet rem alienam: & retentio rei alienæ, etiam ad breve tempus, pugnat cum præcepto negativo, quod semper & ad semper obligat. Hinc si solutio exiguo temporis spatio (a mane ad vesperum) differtur, erit peccatum veniale: si vero moraliter & notabiliter longius extrahitur, peccatur peccato furti eo omni, quo extrahitur, tempore. Percipite, O mei! quid lex vetus moralis Dei, quæ etiam nos Christianos obligat, imperet: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane* (f) Intellexistis? *Usque mane.* Et in Deuteronomio (g) repetit: *Non negabis mercedem indigentis pauperis fratris tui sive advenæ . . . sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum.* Intellexistis? *Eadem die: Ante solis occasum.*

Dicet alius: Optime dixisti, Pater! faciendam esse statim solutionem, *si fieri potest*; nam sæpe fieri non potest nisi cum multo incommodo: Unde differtur, donec tempus commodum advenerit. Quisquis sic ais, male admodum intellexisti τὸ *si fieri potest*; Illud *si fieri potest*, de quo ego loquor, in eam partem accipere debes (Adverte animum) quod vel statim fiat solutio, vel quamprimum fieri potest; adeo ut hac in re nulla alia impotentia quam physica (hoc est: si re vera non habes, quo solvas) aut moralis (hoc est: si solvere non potes nisi cum incommodo admodum gravi, & quod majus sit incommodo illo, cui creditor ob solutionis defectum subjacet) excusationem dare possit. Igitur τὸ *si fieri potest* significat (Et ecce! ad gravia animæ pericula, in quæ non solvens creditoribus incurrit, devenit oratio nostra) significat, inquam, quod, si solvere non nisi cum incommodo admodum gravi posses, tum habito cum creditore colloquio & obtento illius consensu usque ad tempus cum illo constitutum solutionem differre queas. At si creditor ex eo, quod illi non satisfit, incommodo ferme æquali aut majori, quam incommodum debitoris est, obnoxius futurus esset: tum debitor non obstante omni incommodo solvere creditori debet; quoniam justum haud est (Hoc Theologi omnes asserunt) ut, cum alteruter gravi subjacere incommodo debeat, huic innocens subjaceat, & reus sese ab illo liberet: aut quod debitor ex re & pecunia creditoris impediat damna sua, quæ omnia hoc modo in creditorem reciderent. His addo: Si nosti, te statim solvendo imparem esse, cur non monuisti venditorem, artificem, operarium, priusquam emebas, opus fieri curabas, laborem imponebas? Ecce! ut prævisam impotentiam tuam tacendo eos decepisti, reumque te facias dilationis ab his operariis nec scito nec concessæ. Si vero solvendo te parem nosti, & tamen differre solutionem decrevisti; ecce! ut similiter astutus fraudator & infamis fur es. Præterea significat τὸ *si fieri potest*, quod, qui actu non potest (Si creditor simili necessitate non premitur) omni diligentia curare debeat, ut quamprimum solvendo par evadat: Et hic maxime scopolus est, ad quem multorum navigia alliduntur altaque mortalium peccatorum voragine hauriuntur; nam qui statim solvere nequit, quamvis creditor in simili necessitate haud versetur, obligatur, ut se solvendo parem faciat, primum quidem sumptus superfluos & meræ voluptati servientes circumcidendo; scilicet eos, qui in res nec personæ nec statui necessarias: qui in oblectamenta, in varios vestimentorum modos, in ludos, in choreas & alia similia fieri solent. Hos omnes resecandi gravi obligatione debitor tenetur, ut pecuniam in his rebus impendendam colligat, eaque debitum vel ex toto vel minutatim dissolvat. Deinde vero si eo, ut se debitor solvendo parem reddat, necessarium fuerit, etiam ea, quæ ad

(e) 2. 2. q. 66. a. 8. (f) *Levit.* 19. (g) *cap.* 24.

ad consuetum status splendorem spectant recidere, v. g. minuere famulorum numerum, equorum multitudinem, epularum lautitiam, conversationes sumptuosas & similia; hoc facere debitor *sub mortali* tenetur. Ita cum reliquis Theologis omnibus unus ex benignioribus & indulgentioribus, videlicet P. Sporer (h) affirmat: *Si solum deberet minuere statum suum, v. g. remittere de splendore apparatus, conviviorum, famulorum, equorum, ludorum &c. quæ non ad statum simpliciter sed ad solum splendorem & pompam necessaria sunt; sic debitor omnium consensu tenetur diminuere statum ad restitutionem faciendam.* Intellexistis? O mei! Hic est sensus, hæc vis illius: *Si fieri potest;* minime vero ut expectetur, donec debitori commodum fuerit solvere. Jam quotusquisque est inter Catholicos debitores, qui hisce parsimoniæ modis utut *sub mortali* injunctis utatur, & non utens se sacro in tribunali accuset? . . .

Percipite factum pulcherrimum sacris literis traditum, multum proposito argumento aptum! Accessit die quadam ad Elisæum Prophetam pauper vidua, uxor defuncti Prophetæ, quam mortui viri creditor de solutione relicti debiti urgebat, dicens Elisæo: Nosti, Vir Dei! virum meum semper pie vixisse; reliquit autem debitum, quod vivus solvere haud potuit; jam venit creditor solutionemque exigit; & quoniam solvendo non sum, vult tollere duos filios meos, ut missi in servitutem debitum deleant, quæ res me admodum cruciat. Reposuit Propheta: *Quid vis, ut faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua* (i) Respondit illa: *Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea nisi parum olei, quo ungar.* Bene habet, retulit Elisæus, *Vade! pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca, & ingredere & claude ostium tuum, cum intrinsecus fueris tu & filii tui, & mitte inde in omnia vasa.* Paruit vidua, & stupendo divinæ potentiæ miraculo pauxillum illud olei ita crevit atque multiplicatum fuit, ut mutuo accepta vasa omnia illo redundarint. Videns hæc mulier *venit . . & indicavit homini Dei; Et ille: Vade, inquit, & vende oleum & redde creditori tuo; tu autem & filii tui vivite de reliquo.* Ecce! hæc est facti series. Jam ad nos revertamur & observemus primo, Elisæum in bonæ mulieris assertione, dicentis: solvendo se haud parem esse, neutiquam acquievisse; quin prius resciverit, num illa in domo haberet, quo solveret: *Dic mihi, quid habes in domo tua?* Hoc ipsum ego dicam debitori similiter dicenti: Solvendo non sum. *Dic mihi,* frater! *quid habes in domo tua?* At ut te recogitandarum rerum tuarum molestia levem, da veniam, ut in domum tuam ipsus ingrediar. Ecce (Ut a victus tui ratione initium ducam) Ecce! video in mensa tua lautitiam & abundantiam, quæ haud decet eum, qui ære alieno premitur: Quod si mobilia & ornamenta domus lustrare pergo, ecce! video egregiam suppellectilem status tui ratione superiorem: In ornatu uxoris & filiarum ecce! video plura in singulas anni tempestates vestimenta, eaque ex panno nimis dispendioso; adeo ut si illa partem maximam divenderentur, tamen remaneret, quo pro status ratione honeste cultæ in foro comparere possent: Ecce! video monilia & gemmas nimis pretiosas, quarum ex pretio & solvi creditoribus posset, & remaneret tamen, quo monilia ordinem tuum magis decentia parari possent. In tuo autem scrinio ecce! video vestes innumeras, omnes magni pretii, omnes qualitatis statu tuo superioris: Ecce! video repositoria potuum *Caffe* & *Cioccolata* (Ut vulgari vocabulo utar) video liquores varii generis, multaque alia & potoria & cibaria; pro eo ut talia luxus scandalosi, qui nostris temporibus viget, animasque & familias evertit, regulæ volunt: Quod si ædes prædii tui lustro, ecce! video omnia esse superflua, ne ædibus quidem ipsis exceptis; nam quoniam tum illæ, tum quæ illis continentur, ad solam voluptatem faciunt, omnia ista sub gravi obligatione resecanda sunt, ut æs alienum dissolvas. Ecce, O frater! ut in facultatibus tuis mille res non necessarias invenio, quæ vel non emptæ vel venditæ necef-

(h) *Tom. 2.* (i) *4. Reg. 4.*

necessitatem miraculorum Elisæi tollerent; quoniam ad debita tua vel ex toto vel ex parte delenda sufficerent. Itaque, O chare! non jam oleum prodigiose multiplicatum, sed quæ injuste comparasti, & quæ, mercedem operarii vel creditum vendentis defraudans, retines, *vade & vende & redde creditori tuo.* Novi ego quoque, quod, si inter hæc commoda omnia, inter has opportunitates omnes, inter hæc ornamenta omnia & ingenti hoc luxu omni vivitur, reddi creditoribus nec possit, nec unquam poterit: Atque ob id vivitur ex aliena substantia, & in statu peccati mortalis; quia non adhibetur debita se solvendo parem faciendi diligentia, circumcidendo impensas non necessarias & comparcendo. Languescit interea creditoris utplurimum egens familia; quia suum obtinere non potest, quod ipsum debitor tripudiando effundit, cujus anima quam in continuo æterni interitus periculo versetur, quivis facile intelligit. Observemus secundo, Elisæum haud primo loco pauperis viduæ familiæ prospexisse; sed jussisse prius, ut oleum confestim venderetur & creditori solveretur: quod si quid reliqui foret, hoc in usum egenæ familiæ esset: *Vade & vende & redde creditori tuo, tu autem & filii tui vivite de reliquo.* Nequaquam hanc regulam nos sequimur, O mei! Nos primo loco corpus bene saginatum, splendidis ornatum vestibus, mille modis milleque gulæ illecebris permulctum: domum ad novissimum seculi morem instructam ac decoratam volumus: Quod si posthæc aliquid residui exit, hoc demum creditoris erit. Proh iniquam distributionem! Proh furem immo & raptorem; quia rem alienam sciente domino, creditore nimirum, retinet! Jam quotusquisque est, qui de hisce injustitiis, utut omnes mortalis peccati noxam habeant, sese accuset? . . . Dicet aliquis: Non confitemur ista, quia propositum solvendi animo versamus. Ah propositum fallax, quod animam peccatis & damnationis periculo magis magisque demergit! Nihil te sterile hoc & fraudulentum propositum juvat; Opus est, ut habeas propositum solvendi non tam morosum atque abstractum, sed enim propositum adhibendi debitam diligentiam, qua te solvendo parem efficias, illudque opere exequi: Debes habere propositum factis rem aggrediendi, deferendi immanem rerum & vestimentorum luxum, resecandi impensas non necessarias, immo & necessarias circumcidendi. Secus tuum solvendi propositum te magis magisque inhabilem ad satisfaciendum reddet facietque, ut densum contra te lutum (Verbis utor Prophetæ Habacuc) congregetur, per quod jam non penetrare veritatis lumen poterit, dum damnis Proximo illatis magis magisque gravaris: *Væ ei, qui multiplicat non sua! Usquequo & aggravat contra se densum lutum* (k) Hinc S. Thomas jure pronunciavit: *Quia nullum peccatum est ita periculosum; de omnibus cito pœnitet quis, de hoc autem peccato licet aliquando pœniteat quis, non tamen de facili satisfacit; Ideo dicitur* Habacuc c. 2. *Væ ei! qui multiplicat non sua.*

Audivistis verba Prophetæ: *Væ ei, qui multiplicat non sua! Usquequo & aggravat contra se densum lutum.* At quid vult sibi hæc allegoria? Quid significat illud: *Aggravat contra se densum lutum?* Vult sibi hoc, O mei! quod is, qui debita non solvit & solvere illa sua culpa differt, non solum quam debet summam solvere; sed etiam damna reparare, quæ creditor ob solutionis dilationem passus est, & lucra, quæ idem fecisset, si suum obtinuisset, supplere teneatur. Sic una omnes Theologi voce cum S. Thoma docent, vocantes duplicem hunc titulum: *Damnum emergens* & *Lucrum cessans.* Sensa animi, ut ab omnibus intelligar, exemplo facillimo explicare juvat: Est creditor aliquis, qui centum aureorum summam a Petro recipere habet: Hic creditor summam istam sibi nondum solutam sciens & videns annonam levi pretio vendi, repetit a Petro centum aureos, illis familiæ suæ de necessario victu, dum annonæ vilitas manet, prospecturus: Petrus, cui consilium suum creditor aperit, dare illos centum aureos renuit; quod

(k) *Habac.* 2.

quod iſtud ei parum libeat, & ſolutionem culpabiliter differt reſpondens, ſe poſt ſemeſtre ſoluturum. Interea temporis ingravescit annona, adeo ut modius duabus libris pluris væneat, miſerque creditor (cui haud alia pecunia ſuppetebat, qua ſibi, dum annonæ vilitas fuit, proſpiceret) damnum duarum librarum in quolibet modio patiatur. Jam quis in cauſſa damni eſt, quod creditor facit? Quis alius niſi Petrus, qui debito tempore ſolutionem facere diſtulit? Ecce titulum *damni emergentis*! Ecce illud: *Aggravat contra ſe denſum lutum!* Jam alium caſum fingamus: Idem creditor illis centum aureis, ſi eos habuiſſet, negotiatus fuiſſet (quod Petro indicavit) & ex illis conſuetum lucrum florenorum decem ex centum feciſſet; At quoniam eosdem non habuit, negotiari haud potuit: Et ſic ex culpanda dilatione Petri amiſit lucrum memoratum. Quis amiſſi hujus lucri cauſſa, niſi Petrus? Ecce titulum *lucri ceſſantis!* Ecce illud: *Aggravat contra ſe denſum lutum*; adeo ut Petrus ſecundum ſententiam S. Thomæ (l) & Theologorum omnium reus ſit aut damni ex annona graviori pretio empta enaſcentis aut lucri a creditore ſuum non habente amiſſi, hoc tamen cum diſcrimine, ut teſte eodem Doctore angelico & Theologis omnibus damnum ex annonæ emptione ortum a Petro debitore ſarciri totum (quippe quod revera ſecutum eſt) debeat; dum contra lucrum ceſſans, utpote quodam modo incertum, ſuppleri haud ex toto debet, ſed ſolum pro ratione periculorum: Hinc ſufficiet, ſi Petrus loco ducatorum decem rependat octo, vel ſeptem, vel ſex ſecundum judicium (Ut dixi) Virorum prudentum & hujus negotiationis peritorum. Neque hæ ſententiæ graves, ſeveræ, crudæ; ſed omnibus, quotquot vel ſcripſerunt vel ſcribent, Theologis communes ſunt; cum jure naturali (Quod monui) nitantur. Atque ex his concludite, utrum non indies magis magisque ingraveſcat periculum animæ in hujusmodi debitoribus; quia difficillimum eſt tum damna, quæ creditores fecerunt, ex toto reparare: tum lucra, quibus iidem creditores ob defectum pecuniæ illis debitæ injuſte privati fuerunt, penitus compenſare. Ea de cauſſa Zacchæus, celebris ille publicanus, ob multa, quæ fecerat, negotia & rerum adminiſtrationem plurimam veritus, ne forte quenquam ſuorum creditorum defraudaſſet, converſus a Jeſu, ut damna illa debita compenſatione deleret, dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine! do pauperibus &, ſiquid aliquem defraudavi, reddo quadruplum* (m) Quibus auditis Chriſtus: *Hodie huic domui ſalus a Deo facta eſt.* Cognoſcite, O mei! cognoſcite ex verbis iſtis & difficultatem ex toto ſatisfaciendi, ut ſalus æterna obtineatur, vel modum certam reddendi ſalutem ſuam. Solvenda, ſolvenda ſunt, quæ debentur: compenſanda, compenſanda ſunt damna illata: *Reddo quadruplum.*

Percipire egregium exemplum datum hac in re a quodam excelſi ordinis Patritio Veneto, quem ego novi & qui ante ſex ferme luſtra ad Deum migravit: Narravit factum creditor ipſe, qui, cum viro huic nobili merces aliquot mille aureorum ſummam conſtituentes credidiſſet, is tum quod publici miniſterii cauſſa magnas impenſas facere debuit, tum quod domeſticis infortuniis aliquot ſuccubuit, ſtatim ſolvere debitum haud potuit. Stupuit in hac dilatione, quippe quam viri nobilis ſollicita in ſolvendo diligentia haud admittere videbatur, mercator: Tacuit, nec debitori occurrere ſuum repetendi cauſſa auſus eſt. At vir ille nobilis mox, ut ſolvendo parem ſe ſenſit, moneri mercatorem fecit: Veniret, afferret debiti ſchedam. Hic ſchedam (Ut conſuetudo eſt) pretiis gravioribus oneravit; quod ſolventes aliquid detrahere utplurimum ſoleant, venit, exhibuit; Ea inſpecta vir nobilis mercatori poſtulatam pecuniam omnem ſolvit, quin vel obulum detraxerit. Hoc videns mercator, Vir excellentiſſime! ait, attuli ſchedam, quæ hinc inde corrigi poſſet: Dicas ergo, quantum detractum velis? Cui vir nobilis, ut erat

Hhh 2 ſapien-

(l) 2. 2. q. 27. a. 2. & 2. 2. q. 62. a. 2. &. 4. (m) Luc. 19.

ſapientiſſimus ac probiſſimus: Biennii ferme ſpatio expectaſti pecuniam tuam, quam ſi habuiſſes, in fœnus collocaſſes; ob id nihil detraho lucrum, quod amiſiſti, compenſaturus. Immo ſi, quod ſcheda indicat, omne ſolviſſe non ſufficit, dicito, quid inſuper deſit, & ego reddam. O animum chriſtianum ac juſtum! Miræ probitatis ſenſibus ſermo hic animum mercatoris affecit, qui reverentiæ plenus reſpondit: Vir excellentiſſime! Miror accuratam adeo diligentiam; habeo grates humanitati tuæ; nolo alias ſubducere rationes: Et ſic abiit actione hac, excelſo viri nobilis animo & illibata ejuſdem conſcientia (qualis revera fuit) ſumme digna, in ruborem datus. Ecce vobis modum damna per ſolutionis dilationem illata compenſandi! Verum quot ſunt, qui ſic agunt, quamvis ſic agere deberent? Immo poſtquam ſolutionem non ſine culpa diſtulerunt, inſuper cum creditoribus expoſtulant, eos probris & convitiis onerant ac tandem, quæ volunt, illis exhibent; adeo ut, dum actum rigoroſæ juſtitiæ implent, quaſi eleemoſynam quandam facere videantur. At ſilent, inquies, miſeri creditores. Non ſilent, O chare, tanquam contenti ſint; Nequaquam: Silent, ne majus quid patiantur. At ſilentibus illis non ſilet truncata, manca, faſtidioſe data laboris merces; immo clamat adverſus ejuſmodi ſolventes ad Deum. Audiri clamorem hunc a S. Jacobo, fecit Spiritus ſanctus: *Ecce! merces operariorum . . . quæ fraudata eſt a vobis clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit* (n) Ita profecto auditur a Deo clamor defraudatarum ſolutionum; atque ob id idem ſanctus Apoſtolus ait: *Plorate ululantes in miſeriis, quæ advenient vobis* Deo crudelitatis hujus veſtræ pœnas exigente. Ita *accedam*, replicat Deus per Prophetam Malachiam (o) *ad vos in judicio & ero teſtis velox . . . iis, qui calumniantur mercedem mercenarii.* Omnia hæc pericula ut evitemus, O mei! ſequamur documentum S. Ambroſii (p) attendentes conſiderationem, quam eidem documento vir ſanctus adjunxit: *Redde mercenario mercedem ſuam nec eum laboris ſui mercede defraudes; quia & tu mercenarius Chriſti es, & te conduxit ad vineam ſuam, & tibi merces repoſita eſt cæleſtis. Non ergo lædas ſervum operantem in veritate neque mercenarium dantem animam ſuam: Non deſpicias inopem qui vitam ſuam exercet labore manuum ſuarum; Hoc eſt enim interficere hominem, vita ſuæ ei debita ſubſidia denegare: Et tu mercenarius es in hac terra: Da mercedem mercenario, ut tu poſſis dicere Domino, cum precaris:* Da mercedem, Domine! ſuſtinentibus te (q)

(n) *Jacob. 5.* (o) *cap. 3.* (p) *Libr. de Tobia, c. 24.* (q) *Eccli. 36.*

SERMO LXII.

De octavo Decalogi præcepto: NON LOQUERIS FALSUM &c. De duobus modis hoc præcepto prohibitis Proximo nocendi: nimirum per mendacia, & per adulationes.

TEſtimonium falſum, hoc octavo præcepto prohibitum, proprie acceptum eſt teſtimonium illud, quod quis reddit, dum a legitima poteſtate in jus vocatur, ut de quadam perſona id teſtetur, quod de illa novit: ſeu bonum, ſeu malum. Et tenetur reſpondere verum legitime interroganti, ſive in utilitatem ſive in damnum ejus,

ejus, de quo interrogatur, cedat. Ob id hujusmodi interrogationibus juramentum requisitum, dicendi puram putamque veritatem, præmitti solet; ex quo sequitur, quod S. Thomas (a) observat: *In testimonio ferendo non debet homo pro certo asserere quasi sciens id, de quo certus non est: sed dubium debet sub dubio proferre, & id, de quo certus est, pro certo asserere.*

Necesse est hoc loco errorem detegere, in quem nonnullos sub specie falsæ pietatis labi experientia cognovi. Vocatur e. g. aliquis ad tribunal, ut facti cujusdam testimonium reddat, e quo vel comprehensio, vel datio ad remum, vel ipsa mors amici sui pendet; adeo ut si vocatus in testimonium puram putamque veritatem, de qua certus est, confiteatur, amicus vel libertatem vel vitam amissurus sit. In hoc casu nonnulli amore amici acti aut negant scire se quidquam, aut, quod sciunt, ita implicant atque involvunt, ut ferri in fontem sententia haud possit. Hoc peccatum mortale est longe gravissimum duplici de caussa; primo ob perjurium, dum juramentum editum dicendi puram veritatem violatur; secundo ob inobedientiam in materia gravi, dum obedientia judici in his casibus debita læditur, & adversus justitiam legalem delinquitur. Neque, quod ad primam caussam attinet, dixisse juvat: Non habui animum jurandi, Nihil hoc juvat; nam primo gravis jurandi obligatio tibi incubuit, dum te eo publica potestas obstrinxit, quæ habet potestatem eo obligandi: Hinc primo graviter peccasti peccato inobedientiæ. Secundo perjurasti tamen proferens in testificatione falsitatem, utut hoc solo corporis gestu aut verbo externo factum sit. Atque ob id damnata fuit ab Innocentio XI. doctrina affirmans (b) licere ob gravem caussam exterius jurare sine animo jurandi. Dicenda itaque semper in judicio legali veritas, quidquid de amico fiat; cum Dei offensio quavis alia re potior semper sit. Hinc Innocentius III. pronunciavit (c) *Nec pro vita quidem defendenda licitum est mentiri*: Quare si vel simpliciter mentiri non licet, multo minus licebit mentiri cum perjurio, post editum juramentum dicendi veritatem. Ita quoque multo ante Innocentium III. tempore docuit S. Augustinus (d) caussas, de quibus quærebatur, utrum ob eas mentiri liceret, octeno numero concludens: *Sextum, quod & nulli obest & prodest alicui? . . . Non est mentiendum sexto genere; neque enim recte etiam testimonii veritas pro cujusquam temporali commodo & salute corrumpitur: ad sempiternam vero salutem nullus ducendus est opitulante mendacio*; Et alio in loco ait (e) *Quid quod vitæ hujus tales amatores, ut eam non dubitent præponere veritati; ne homo moriatur; immo ut homo quandoque moriturus aliquanto serius moriatur, non tantum mentiri sed etiam pejerare nos volunt? . . . O! Ubi estis fontes lacrymarum? Et quid faciemus? quo ibimus? ubi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solum negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria.* Semper ergo legali in judicio veritas dicatur, quidquid exinde accidere Proximo queat, unaque bene notetur, hac ipsa veri dicendi religione vi hujus præcepti teneri (Ut Theologi observant) & accusatorem, & advocatum, & fiscalem, & notarium, & cancellarium, & alios, qui ad tribunal pertinent & quovis modo ad judicium operam suam conferunt, ministros omnes.

Igitur cum hoc octavo præcepto mendacium, præsertim in judicio, prohibeatur, sequitur (Uti notat Catechismus multoties laudatus) etiam alia mendacia omnia vetita esse, quamvis haud omnia æqualem malitiam adjunctam habeant: Ob id cum omnibus post S. Thomam Theologis tria genera mendaciorum distinguenda sunt: Alia dicuntur *jocosa*, alia *officiosa*, alia *perniciosa*. *In mendacio jocoso intenditur aliqua levis delectatio: In mendacio officioso intenditur utilitas Proximi* sine gravibus tamen dolis aut damno alterius: Hujus duplicis generis mendacia, uti in se sunt & sublatis omnibus aliis circumstantiis accepta, sunt peccata venialia.

(a) *2. 2. q. 70. a. 4.* (b) *Propos. 25.* (c) *In cap. Super. de Usur.* (d) *Libr. de Mend. c. 14.* (e) *Libr. contra Mend. c. 18.*

nialia. De perniciosis mendaciis vero, nimirum iis, quæ damnum afferunt, & quæ (si damnum grave sequitur) peccata mortalia sunt, paucis accipite doctrinam S. Thomæ, quorum reliqui Theologi omnes concordant: Damnum mendacio caussatum vel redit ad Deum, v. g. si quis diceret, falsam esse hanc vel illam veritatem spectantem ad mysteria, quæ credi, vel ad ea, quæ fieri debent (Et in hoc casu mendacium semper est peccatum mortale) si quis diceret, v. g. non esse approbatum ab Ecclesia pium SS. Imaginum cultum, aut licitum esse pejerare magnæ utilitatis caussa, & quæ sunt similia falsa: Hæc mendacia (Ut patet) sunt perniciosa mendacia, in cultus divini grave damnum redundantia. Vel redit damnum grave ad Proximum, sive dum ei falsa doctrina in materia morum instillatur v. g. hoc vel illud facere non esse peccatum mortale; cum tamen sit (De hoc pluribus in sermone LVIII. egimus) sive dum decipitur in ordine ad eas veritates, quas ipse scire desiderat; quippe res, in quibus addiscendis versatur, v. g. si ei falso dicas, hanc illam sententiam in materia morum veram esse; cum tamen falsa sit, aut eam solidioribus argumentis nixam magisque probabilem esse; cum tamen debilioribus nitatur rationibus minusque probabilis sit: sive dum in rebus philosophicis veri loco falsum docetur. Omnia illa mendacia mortalia sunt; quia notabile damnum menti, & pro ratione circumstantiarum etiam conscientiæ Proximi inferunt. Est etiam grave Proximo perniciosum mendacium illud, per quod ei notabile damnum in bonis corporis ac vitæ, in bonis famæ ac fortunæ infertur; prout omnibus evidens est atque apertum. Omnia mendacia, quæ ex se ad producenda illa damna idonea sunt, mortaliter perniciosa sunt: Illa vero quæ nullum ex his damnis important (uti jocosa & officiosa) sunt venialia: quamvis etiam hæc, teste Doctore angelico, pro ratione circumstantiarum, maxime ob circumstantiam scandali, mortalia evadere possint, v. g. si Prælatus quidam gravis & apud omnes vitæ sanctæ existimatione florens de industria mendacium diceret, ut tale ab omnibus audientibus cognitum; hic scandalum grave præberet.

Præcellens in rem propositam Firmi Thagastensis antistitis exemplum narrat S. Augustinus (f) „ apud quem Firmum cum „ quæreretur homo jussu imperatoris ido„ lolatræ per apparitores ab eo missos, „ quem ad se confugientem diligentia „ (quanta poterat) occultabat, respondit „ quærentibus: nec mentiri se posse nec ho„ minem prodere. Indignantes responsum „ apparitores male eundem exceperunt; at „ ille, utut multa corporis tormenta passus „ in sua permansit sententia: *Nec prodam „ nec mentiar.* Deinde a carnificibus, fru„ stra viri constantiam oppugnare se videnti„ bus, ductus ad imperatorem usque adeo „ mirabilis apparuit, ut ipsi homini, quem „ servabat, indulgentiam sine ulla difficul„ tate impetrarit „ Prævidit nimirum vir sanctus scandalum, quod dedisset dicendo mendacium, utut in se leve; hinc ut non mentiretur nec tantum præberet scandalum, pertulit tormenta, probitatem illius ea re remunerante Domino, quod innocuo illi homini vitæ gratiam haud ægre obtinuerit. Odio itaque habeamus omne mendacium; perniciosum, quia illo Deus & Proximus graviter læditur: jocosum & officiosum, quia sunt peccata venialia, a quibus abhorrere magnopere debet, qui Deum ex animo diligere cupit. De mendaciis autem Proximo perniciosis ob damna, quæ illi quoad vitam, famam ac facultates inferuntur, sermonibus LVI. LVII. & LXI. disserui.

Dicet aliquis: Pater! saltem prohibita non erit simulatio? Quin immo, O chare! prohibita est; cum simulare & alium, quam qualis es, te fingere sit mentiri teste S. Thoma (g) *Peccatum mendacii principaliter consistit in intentione fallendi . . unde cum eadem intentio fallendi sit in eo, qui mentitur verbo, & in eo qui mentitur facto, uterque æqua-*

(f) *Libr. contra Mendac. c. 13.* (g) *Quodl. 6. q. 9. a. 9. & 2. 2. q. 111. a. 1.*

æqualiter peccat; Et alibi ait: *Simulatio propria est mendacium, in exteriorum signis factorum consistens.* Hinc etiam simulatio, si perniciosa est (hoc est: vergit in notabile præjudicium Religionis aut Proximi) erit peccatum mortale: Quod si solum ex joco aut officiositate provenit, erit peccatum veniale. Ex his infertur, quod simulatio in materia Religionis (hoc est: velle videri Judæus, Turca, Hæreticus &c. vel ad breve tempus) semper peccatum mortale sit; quia simulatio hæc Religioni præjudicium infert. Similiter fingere patronum caussarum, procuratorem vel ministrum alterius, ut sive arcana partium cognoscas, sive alia, quæ ad te non attinent, expisceris &c. est peccatum mortale; quia simulatio hæc Proximo perniciosa est: Et quamadmodum mendacium in se leve, si proferatur animo fallendi in re notabili, peccatum grave evadit; sic etiam simulatio in se levis, si dirigatur ad finem malum (scilicet peccatum mortale) evadit mortalis. Atque ob id qui se Theologum fingit, ut conscientiæ alienæ secreta discat, qui medicum simulat, ut de veritate facti gravis multo occultissimi, de quo suspicio orta, certum se reddat, vel ut aditum habeat ad lectum alicujus infirmæ . . . qui se hujus vel illius artis peritum fingit, cum tamen non sit, omnes hi peccant graviter peccato simulationis Proximo perniciosæ. Aliud vero est, ait S. Augustinus (h) occultare veritatem non simulando sed tacendo, ubi necessitas nulla est eam dicendi, aut periculum prudens eam ludibrio exponendi: Hoc non est, ait vir sanctus, simulare & fingere sed occultare id, quod laudabiliter occultandum: *Quamvis enim omnis, qui mentitur, velit celare, quod verum est; non tamen omnis, qui vult, quod verum est, celare, mentitur. Plerumque enim verum non mentiendo occulimus sed tacendo. . . Non est ergo mendacium, cum silendo absconditur verum; sed cum loquendo promitur falsum.* Hoc occultationis genus quotidie laudatissime exercetur ab illis Missionariis, qui cum debita Romanæ sedis licentia sub seculari habitu sese Infidelium in regionibus abscondunt, non animo fallendi; sed solum occultandi, quinam sint, ut hac ratione in Fide Neophytorum conservanda majori cum fructu elaborare & horum numero in ejusdem Fidei professionem alios aggregare possint. Hic animus haud fuit juniori illi Diacono, de quo Ruffinus (i) meminit, qui omnia ordinis sui insignia, ne Diaconus haberetur, per speciem humilitatis & ut ne a S. Joanne anachoreta, quem cum aliis invisurus pergebat, honoraretur, occuluit: At vir sanctus illis ad tugurium venientibus revelatione divina Diaconum cognoscens & *digito ostendens eum: hic, dixit, Diaconus est; Et cum* ille negare *tentaret* (En animum non mere occultandi veritatem sed fallendi) *apprehendens eum manu sua osculatur & dixit: Noli, fili! negare gratiam Dei, ne incurras pro bono malum, pro humilitate mendacium.* Hinc illa simulationis plena & animi demissi speciem solum, non rem & virtutem habentia humiliationis verba cuncta sunt mendacia. Illud: dicere se magnum peccatorem, sceleratum, miserabilem, omni virtute nudum, & quæ sunt aliæ similes phrases, quæ ex ore personarum etiam piarum ac vitæ spirituali deditarum audiuntur, mendacia sunt; simulamenta & execrandæ hypocrisis effectus; nisi hæ personæ sibi revera persuasum habeant, se tales esse & sincere desiderent, se pro talibus haberi. Hoc autem sincerum desiderium, hanc internam persuasionem habere non tam facile est.

Quod si omne mendacium contra Proximum prolatum hoc octavo præcepto prohibetur; dubitari nequit, ait Catechismus Concilii Tridentini, quin etiam perniciosissimum adulationis mendacium prohibitum sit. Adulatio in eo consistit, quod Proximum astute laudes, ejus in te voluntatem ac studium conciliandi gratia, ut subin fines quosdam indirectos & peccaminosos obtineas. Quam gravia in hanc animorum duplicitatem Patres sancti dixerint, credi non potest? Solum Hieronymum audiamus (k) *Semper insidiosa, callida, blanda est adulatio.* pal-

(h) *Libr. contra Mend. c. 10.* (i) *Libr. 1. de Vit. Patr.* (k) *Libr. 1. contra Pelag.*

pulchreque apud philosophos definitur: Blandus inimicus.

Sed ut propositum argumentum breviter ac diserte illustrem, pro more verba S. Thomæ adducam monentis, adulationem quandoque veniale, quandoque mortale peccatum esse posse: *Peccatum mortale est quod charitati* Dei & Proximi *contrariatur; Adulatio autem quandoque quidem charitati contrariatur, quandoque autem non. Contrariatur siquidem charitati tripliciter: Uno modo ratione ipsius materiæ; puta cum aliquis laudat alicujus peccatum; hoc enim contrariatur dilectioni Dei, contra cujus justitiam homo loquitur, & contra dilectionem Proximi, quem in peccato fovet: Unde est peccatum mortale secundum illud Isai 5.* Væ! qui dicitis malum bonum. *Alio modo ratione intentionis, puta cum quis alicui adulatur ad hoc, quod fraudulenter ei noceat vel corporaliter vel spiritualiter; & hoc etiam est peccatum mortale: Et de hoc habetur Prov. 27.* Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula. *Tertio modo per occasionem, sicut cum laus adulatoris alteri sit occasio peccandi, etiam præter adulatoris intentionem. Et in hoc casu considerare oportet, utrum sit occasio data vel accepta & qualis ruina subsequatur* (si gravis, grave erit peccatum; si levis, leve) *Si autem aliquis ex sola aviditate delectandi alios vel etiam ad evitandum aliquod malum vel consequendum aliquid in necessitate,* honestum illud tamen, *alicui adulatus fuerit, non est contra charitatem; Unde non est peccatum mortale sed veniale.* Hucusque S. Thomas (l).

Ex hac unanimi Theologorum consensu recepta doctrina sequitur (Ut primo de ratione materiæ dicam) permulta peccata mortalia admitti a plurimis, qui ut personarum potentium favorem captent, earum ultionibus & violentiis laudem egregii facinoris: earum profusioni laudem generositatis: earum arrogantiæ laudem studii de conservando honore: earum temerariæ de capitibus sanctæ Religionis loquacitati laudem acuti ingenii & miræ eruditionis adtribuunt. Sequitur, peccata plurima admitti ab iis, qui fœminarum perditos mores, scandalosamque vivendi & conversandi rationem, magnæ indolis & insolitæ urbanitatis laude mactant. Sequitur denique, peccata plurima admitti ab iis, qui modo hujus viri, modo illius fœminæ vitia vivacitatis, affabilitatis, humanitatis, teneritudinis & suavis obsequentiæ larva contegunt. Sic nimirum res geruntur, ait S. Cæsarius Arelatensis (m) *Aliquis diffluit; lætus vocatur: avarus est; & de eo dicitur, quia servat rem suam: Vindicat se de inimico; . . & fortis vocatur: Sic considera cetera, quemadmodum adulatores habeant verba fallacia, habeant nomina laudis.* Jam in has adulatrices linguas invehuntur Prophetæ annunciantes: *Væ! qui dicitis malum, bonum, ponentes tenebras lucem . . . ponentes amarum in dulce.* Sic Isaias (n) *Væ! qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Sic allegorice Ezechiel (o) In quæ verba S. Gregorius Magnus (p) *Quisquis male agentibus adulatur, pulvillum sub capite vel cubito jacentis ponit, ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat.* Hinc, subdit S. Augustinus primumque hunc adulationis modum concludit (q) *adulantium linguæ alligant animas in peccatis; delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor sed etiam laudator auditur.*

Pergamus ad secundum a S. Thoma memoratum modum graviter per adulationem peccandi, nimirum ad intentionem Proximo sive quoad spiritualia sive quoad temporalia nocendi. Statim hoc in loco intelligitis, gravi adulationis peccato peccare eos, qui, ut personam aliquam ad impudicas voluptates, quibus inhiant, trahant, illam laudant in iis rebus, quas illi personæ gratas accidere credunt: sive raram ejus pulchritudinem, sive animi vivacitatem, sive mirum ingenium, sive singularem alacritatem, quandoque etiam virtutem probitatemque deprædicantes, ut conciliata sibi illius personæ voluntate seductio facilior & efficacior eva-

(l) *2. 2. q. 115. a. 2.* (m) *Serm. 153.* (n) *Cap. 5.* (o) *Cap. 13.* (p) *Libr. 18. Moral. c. 4.* (q) *In Psalm. 9.*

evadat; de qua re sermone LVIII. egi. Similiter graviter peccant illi ministri aulici, qui per nimias adulationes ac blandimenta Principis aut alterius personæ summi ordinis investigare secreta nituntur, ut ea deinde prodant, aut hisce notitiis suum in commodum non sine gravi viri alterius bene meriti aut apud Principem gratiosi damno utantur. Graviter etiam peccant ii, qui Principes, Reges, Magistratus (quoad nimia vectigalia subditis imposita & manifesto injusta) adulando confirmant, ut ipsi quoque lucrum vi extortum & illicitum referant, aut aliud emolumentum consiliis suis aptum inde percipiant. Ita etiam graviter delinquunt, qui virtutem atque animositatem alicujus laudibus extollunt, ut is, in pericula audacter se inferens, aut cadat aut male affectus redeat, & ipsi gradum illius his a se insidiis petitum occupent, vel ut e medio tollatur persona, quæ illorum ambitioni obstabat. Ii denique omnes, qui aliis similibus adulationis & blanditiarum modis perversa consilia sua tegunt.

Percipite in rem propositam factum sacris literis traditum, cujus etiam Catechismus Concilii Tridentini (r) meminit, quod ipsum alio in loco & in alium sensum adduxisse me recordor; Leniet illud, ut spero, auscultandi fastidia. Studebat tacitis modis omnibus Saul Rex Israelitarum, ut David vita exueretur; quod eidem ob virtutem animi meritaque bellica magnopere liveret. Constituit itaque efficere, ut David in manus Philisthæorum (hostium suorum) incideret, eumque in finem exiguas ei copias destinavit, ut Davidi confosso necessarie intereundum fuisset; Verum ut illius animum ad tanti discriminis inceptum accenderet, magnam se virtutis ejus existimationem habere finxit addito promisso, se filiam suam natu maximam eidem connubio juncturum esse: *Ecce filia mea major Merob! ipsam tibi dabo uxorem; tantummodo esto vir fortis & præliare bella Domini* (s) Ast sacræ nos literæ docent, pessimum Saulis consilium fuisse, ut David periret: *Saul autem reputabat dicens, non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philistinorum.* At fefellit Regem consilium; etenim David expeditione accepta abiit, conflixit, vicit: Quamvis autem Saul primogenitam suam Merob alteri cuidam in matrimonium collocasset, tamen tenax propositi sui, (Davidem in perniciem adducendi) denuo eum in generum adoptaturum se fingens filiam natu minorem promisit renunciarique ei jussit, sibi centum Philisthæorum capita pactionum nuptialium loco fore. Ast etiam hac vice monent SS. Literæ: *Porro Saul cogitabat tradere* istis adulationibus *David in manus Philistinorum.* Ille vero divino munitus auxilio etiam in hac secunda expeditione insignem ex hostibus victoriam retulit. *Sic Saul*, ait Catechismus laudatus, *cum Davidem furori & ferro Philistinorum objicere cuperet, ut occideretur, illi blandiebatur his verbis: Ecce filia mea Merob &c.* Saulem imitantur etiam supra memorati, laudant, blandiuntur, adulantur, ut tametsi cum damno, periculo & detrimento ejus, cui adulantur, optatum consiliorum suorum exitum nanciscantur. Bene de his dixit Spiritus sanctus: *In labiis suis indulcat inimicus & in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam* (t)

Occurrit hoc in loco, ait Catechismus Concilii Tridentini, alius adulandi modus, eo perniciosior Proximo quo usitatior, maxime inter viros optimates, divites & hujus seculi felicitate fruentes. Est autem eorum, qui optimatum aut divitum aliquem in gravi vitæ periculo positum vident, & cum ejus salutem æternam in tuto collocare deberent, persuadendo eidem ut tempore opportuno Confessionem peragat; contra veriti, ne talia intimando molestiam ei creent & gratia ejusdem excidant, quasi ipsi adulando dicunt: Malum non tam grave esse, quale illud medici describant, utpote quos ad illud exaggerandum vel vanitas vel lucrum impellat: Abigat ergo ex animo mortis metum; læta cogitet; brevi sanitatem redituram esse. Unde infelices illi his seducti

(r) p. 3. c. 9. n. 11. (s) 1. Reg. 18.

(t) Eccli. 12.

ducti blandimentis tamdiu differunt recipere SS. Sacramenta, donec illa vel recipere amplius nequeunt, vel adeo male recipiunt, ut melius esset illa omnino non recipere; eoquod præteritis delictis novum sacrilegium addant: *Longe autem perniciosior est oratio amicorum, affinium & cognatorum; qua ad eos interdum utuntur assentatorie, qui mortifero morbo affecti jam sint extremo spiritu: dum affirmant, nullum esse tum ei a morte periculum; dum lætum & hilarem esse jubent, cumque a peccatorum confessione tanquam a tristissima cogitatione deterrent.* Jam summi hujus mali (quale est aut sine Confessione aut mala cum Confessione mori) quæ est caussa, nisi adulatio amicorum, famulorum sæpe etiam propinquorum sanguinis vinculo arctissimo conjunctorum, qui omnes (pro virili sua quisque) blandiendo animam ægrotantis præsentissimo damnationis periculo ob sordidos, quos spectant, fines exponunt? . . . O adulationem omnium pessimam! Nunquid adulari ægroto in tanti momenti negotio ob metum, ne forte ei displiceas aut gratiam ejus amittas, manifesta proditio est? At Pater! objiciet medicus: Certus sum, me, sin minus sic loquor, torve aspiciendum, & cubili & domo tota ejiciendum esse. At Pater! opponet legatarius: Partem non habebo in testamento. At Pater! dicet alius muneri cuidam inhians: Patronus meus esse desinet. Omnia hæc vobis concedo; at nunquid ob id adulare eidem debetis, adeo ut discrimen adeat Confessionem vel nullam vel malam peragendi? . . . O maledictum adulationis genus, quod tot animas in perniciem traxit atque trahit! Næ hujusmodi homines imitantur miseros illos prophetas, qui cum genio Regis Achabi obtemperare vellent, interrogati ab eodem exitum belli optatissimum prædixerunt; quem tamen infortunatissimum fore Michæas verus Propheta prænunciarat, qualis vera re etiam fuit; eoquod hic Propheta non impii Regis genio obsecundandi gratia sed ex lumine cælitus menti illapso locutus fuerat. Sic in nostro quoque casu persæpe fit:. Ut voluntati parum piæ ægroti statim confiteri dubitantis obtemperetur, si ille de morbi eventu sciscitatur, dicitur: Malum leve esse; haud graves illius consecutiones fore; bono animo sit; ne mentem tristibus cogitationibus turbet; utcunque res cadat, usque tempus superfore. At ecce! subito præcipitat in pejus infirmitas, turbat cerebrum, mentem atque memoriam obfuscat. Tum clamant: Confessarium! cito Confessarium! Ah! hæc Confessio qualis esse possit, ille Deus novit, sine cujus speciali auxilio peragi bona Confessio nequit: ille Deus, qui auxilium hoc pro sua misericordia iis largitur, qui eodem sese indignos non reddiderunt. Utrum vero tamdiu differre Confessionem, non sit indignum se facere auxilio illo divino, sanctis Patribus dijudicandum relinquo, qui hac de re oppido terribilia scripserunt.

His duobus adulationis graviter peccaminosæ & charitati contrariæ modis tertium subjungit S. Thomas; scilicet in quantum adulator ei, cui adulatur, variis modis peccandi ansam præbet, etiam præter suam intentionem. Hinc potest adulator pro ratione materiæ, in qua adulatur, & personæ, cui adulatur, vel graviter vel venialiter peccare; nam si prævidere potest ac debet, quod, quamvis blanditiæ, encomia & adulationes suæ leves sint v. g. solum aptæ ad excitandam vanam gloriolam; tamen ob infirmitatem personæ queant in illa alium graviorem affectum vel complacentiam ciere, adulatio evadet mortalis. Atque hoc in loco legentium utilitatis caussa observavero, hoc in duobus personarum generibus & duabus in materiis, utpote frequentissime occurrentibus, fieri facile posse. Primum est laudare in materia animositatis & virtutis certas personas ceteroquin ad ostentationem & ad gloriandum in peccatis a se admissis pronas, quæ si tanquam fortes, strenuæ, animosæ prædicantur, confestim facinora sua fortia Proximo graviter injuriosa narrare aggrediuntur (v. g. se hunc vulne-

vulneraſſe, illum provocaſſe, iſtum fuſtibus cædendum curaſſe &c.) idque cum vana gloria, complacentia, oſtentatione: quæ omnia peccati mortalis malitiam adjunctam habent; quia ſunt complacentiæ de actionibus mortaliter peccaminoſis. Ob id adulator, qui harum cauſſam & incitamenta, laudem virtutis atque animoſitatis tali perſonæ tribuendo, præbuit (ſi hoc prævidere potuit ac debuit) reum ſe & complacentiis iſtis cum mortali peccato cooperantem facit. Aſt ex quo prævidere hoc potuit? Ex eo, quod hunc talem jactare ſe aliis vicibus audivit, & eundem ad oſtentationem pronum novit. Hoc ipſum, O mei! de quovis alio rerum & de quovis alio gloriationum genere (ſive illæ circa præteritas peccaminoſas familiaritates, ſive circa a..tos amores laſcivos, ſive circa dolos ingenioſe machinatos & alia ſimilia verſantur) ſtatuite.

Secundum genus perſonarum, reſpectu quarum adulatio (in ſe vana ſolum ac venialis) evadere graviter peccaminoſa poteſt, ſunt fœminæ; quas adulando laudare de dotibus ſexui huic propriis, de venuſtate formæ, de vivacitate, de ingenii acumine &c. facile peccatum mortale erit; nam quamvis laus naturalium dotum ſolum levem vanitatem excitare debeat, tamen haud raro in fœmineis mentibus ideas & cogitationes indecentes graveſque futilibus argumentis nixas ſuſpiciones, immo etiam in cordibus earum affectus parum honeſtos ſuſcitat; adeo ut nos hac in re oppido cautos ac ſobrios eſſe oporteat. Dicentem aliquem audire mihi videor: Pater! quid facto opus, ut me illæſum atque a peccato immunem ſervem; quandoquidem vitium hoc latiſſime patet, & ſingulos in dies adulationes, blandimenta atque encomia audire eſt. Reſpondeo concludens cum S. Auguſtino: *Dicit mihi* (u) *Patior adulatores, non ceſſant perſtrepere, laudant in me, quæ nolo. . . Non inde impinguet caput tuum* oleum peccatoris, a Rege pſalte memoratum, *id eſt: Noli gaudere ad talia, noli annuere, noli conſentire, noli inde gratulari: Etſi ille attulit oleum adulationis; ſed caput tuum integrum manſit, non inflatum eſt, non tumuit; ſi enim inflatum fuerit & tumuerit, facit pondus & præcipitat te.*

(u) *In Pſalm. 140.*

SERMO LXIII.

De nono Decalogi præcepto: Non concupisces uxorem &c. De expellendis cogitationibus & affectibus impuris, itemque de oculis cuſtodiendis a contuitu Objectorum & lectione librorum pernicioſorum.

CUm nonum Decalogi præceptum prohibeat, ne in laſcivum finem alienam uxorem aut virum alienum concupiſcamus, nonnullis ſupervacuum videri mandatum hoc poterit; quod, dum Deus in ſexto præcepto omnem impudicam actionem vetuit (Uti ſuo loco vidimus) conſequens ſit omnem in tali actione complacentiam deliberate & advertenter admiſſam, multoque magis omne illius deſiderium illicitum eſſe; tametſi actio ipſa non ſubſequatur. Veriſſima hæc ſunt, O mei! neque tamen ob id præceptum hoc nonum ſuperfluum judicabitis, ubi ea perceperitis, quæ allaturus ſum, quamvis incredibilia eſſe videantur. Novit Deus per infinitam ſapientiam ſuam, plurimos ex Hebræorum gente, immo ipſos gentis hujus magiſtros (quales erant Phariſæi) horribilem errorem propugnaturos fore; Non puniri a Deo peccata tantum interna pravarum

rum complacentiarum & pravorum desideriorum, quæ opere externo non complerentur; & (quod consequitur) ista a Deo non prohiberi. Errore memorato se quoque occupatum prodidit Josephus Flavius Pharisæus ævi sui doctissimus, qui Polybium rerum Persicarum scriptorem reprehendit, quod Antiochum Epiphanem intempestiva morte ob id correptum tradat; quia is templa Dianæ, in Perside extantia, solo æquare cogitarat; etsi consilium hoc suum perficere eidem non licuerit: *Voluisse sed non perfecisse sacrilegium*, ait (a) *non videtur res digna supplicio.* Quis sibi persuadeat, fieri potuisse, ut apud homines non ratione solum sed & veræ Religionis luce præditos (puta Hebræos) etiam post acceptum divinum præceptum: *Non concupisces uxorem Proximi*, error tam gravis inter ipsos adeo magistros invaluerit. At quæ ratio, dicetis, inducere ad ista docendum magistros illos potuit; cum ante oculos memorata Dei verba habuerint. Ecce rationem illorum! Nulla lex humana, dicebant, peccata interna prohibet: & tamen justæ hæ sunt; Erit ergo justa pariter lex divina, etsi peccata interna non prohibeat: Quod si non prohibet, peccatum non erit illa admittere. Rem profecto stupendam! Heu in quantam mentis cæcitatem itur, si sine gratia Dei vivitur! Etenim quis est, qui non statim videat, magnum esse Deum inter & homines, magnum leges divinas inter & humanas discrimen? Homines legesque humanæ non prohibent peccata interna, quia de illis (utpote plane occultis) nec judicare nec eadem punire possunt; At nunquid & Deum, legislatorem summum, peccata latent interna, quæ a creaturis ejusdem admittuntur? Nequaquam; Sic testantur Scripturæ sacræ: *Deus intuetur cor* (b) *Scrutans corda & renes Deus* (c) *Ego Dominus scrutans cor* (d) *Cordis scrutator* (e) & (Ut multo alios locos prætermittam) *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, & circumspicientes vias hominum & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes* (f) Scimus itaque ex Fide, Deo nota esse peccata interna: At hoc ipsum Ratio quoque confirmat; nam quomodo Deus esset infinitæ cognitionis Deus, sin minus humanas cogitationes & voluntates omnes nosset: Quod si autem illas evidenter cognoscit, juste etiam prohibet ac punit, si malæ; remuneratque, si bonæ fuerint. Jam hoc quomodo ignorari potuit, nisi ex quadam ignorantia plane malitiosa & ultro volita ab Hebræorum populo, multoque magis a Pharisæis legis magistris? Legebant certe in Scripturis sacris allata a me verba: legebant præterea (g) quod *cogitationes perversæ separant a Deo*: legebant præceptum Domini (h) *Auferte malum cogitationum vestrarum*: legebant preces justi (i) *In cogitatu maligno ne derelinquas me*: legebant has & his similes Scripturas claras, literales, manifestissimas; & tamen errorem præfatum tuebantur atque docebant. Sed relinquamus Judæos cæcitati suæ, proque eorum illuminatione Deum exoremus, & quidquid admirationis suscepimus, in nos ipsos convertamus: utpote quos inter, utut Judæis majora lumina acceperimus, & tanquam luce abundantiori circumfusi plura sciendi obligatione teneamur; nihilominus multi existunt, qui in peccatis internis solarum cogitationum & desideriorum ita cæcutiunt, ut variis modis hac in re errent. Nonnulli, maxime rudis plebeculæ, dicunt: nescire se, quid sit peccatum cogitationum. Plurimi norunt quidem, prava desideria deliberato admissa esse peccata; at ignorant, complacentias in rebus malis advertenter admissas peccata esse, quando desiderium deliberatum non accesserit. Multi utrumque confundunt atque miscent. Alii credunt, cogitationem menti solummodo occurrentem, utut repudiatam & non admissam, peccatum esse. Certe quamplurimi neque de complacentiis neque de desideriis se accusant, nisi eos desuper diligens confessarius monuerit atque interrogarit: Hinc contenti dixisse (Et hoc quoque admodum confuse ac indistincte) *Feci: Dixi hoc vel illud*, de

cetero

(a) *Libr. 12. Antiquit. c. 13.* (b) *1. Reg. 16.* (c) *Psalm. 7.* (d) *Jerem. 17.* (e) *Sapient. 1.* (f) *Eccli. 23.* (g) *Sap. 1.* (h) *Isai. 1.* (i) *Eccli. 23.*

cetero non curant addere: *Desideravi* multoque minus: *Habui complacentiam &c.* Unde, nisi eos accuratus ac diligens confessarius interroget, abeunt sacro e tribunali innumeris peccatis mortalibus (per cogitationes & desideria admissis) onerati; quin sese de illis accusent. Et vellem profecto (Quoniam, quæ dico, longa multorum annorum experientia didici) scire, quibus argumentis culpam a se amovere possit confessarius hac super materia non interrogans Pœnitentem, qui per ea, quæ in Confessione exponit, justam gravemque caussam præbet, ob quam etiam de cogitationibus interrogetur? Sentient hoc certe in judicio divino confessarii; cum inter hos existere certo sciam nonnullos, qui ea, quæ Pœnitens exponit (qui post multas actiones v. g. impudicas manifestatas nihil de cogitationibus & desideriis deliberato, quin actio subsecuta sit, admissis addit) audientes tacent & Pœnitentem desuper non interrogant. Proh silentium tum integritati Confessionis, tum utilitati pœnitentis tum animæ ipsius confessari, qui se Deo de illo nunquam purgare poterit, maxime perniciosum! Dicta hæc quasi per digressionem sunto; quia opportune inciderunt, & rei, utut deplorandæ veritas patet.

Sed præstat ad propositum argumentum redire & erudire Fideles in materia practica, quotidiana ac necessaria: quam, utut nonnihil asperam ac salebrosam, ita tamen divina juvante gratia expediam, ut & innocentium animos non offendam, & tamen ab omnibus intelligar.

Primum itaque in solatium multarum simplicium animarum dicam, quam nulla mala cogitatio, nulla mala inclinatio cujuscunque demum generis in mente aut in voluntate exoriens animæ noceat, nisi advertenter & voluntarie admittatur: Et quod ob hoc ipsum pravæ cogitationes, phantasiæ maxime brutæ & inclinationes voluntatis vehementissimæ, quamdiu repudiantur, execrantur, repelluntur, animæ plane nihil noceant; immo sic repudiatæ & repulsæ merita nostra apud Deum magnopere augeant. Quod si forte, qui easdem repellit, se istud haud vere facere & grata quodammodo se habere talia sibiipsi videatur, ne ob id pertimescat; cum hæc sit tentatio diaboli omnia molientis, ut tentatus animo cadat & fiduciam amittat: Pergat tantum deprecari Dominum, pergat talia detestari & dicere: *Plane ista nolo*, curans de cetero (quoad ejus fieri potest) ut mentem alio avocet; nec timeat sibi, quia non peccat; quin potius ex his conflictibus multum meretur. Sed jam ad rem!

Peccata interna (quæ utplurimum peccata cogitationum vocantur) sunt duplicis generis: Alia sunt solius complacentiæ; alia desiderii. Peccatum mortale solius delectationis seu complacentiæ admittit is; qui in aliquo Objecto seu actione mortaliter peccaminosa animum deliberato defigens interius delectatur & in illa sibi complacet. Atque ut hujus rei exemplum, quod phantasiam vestram quam minime coinquinet (Nam quod de uno peccati genere dicitur, de reliquis omnibus peccatorum generibus accipi debet) vobis dem, ponite sequentem casum: Aliquis ira in Proximum ardens vel sua sponte vel diabolica suggestione fingit, videre se, cædi fustibus aut conjici in vincula aut dari ad remum hominem sibi exosum: In hac cogitatione advertenter cum delectatione interna immoratur gaudens de gravi malo, quod adversario suo evenisse cogitat; Et quamvis non desideret, ut hoc inimico eveniat, tamen in illo sibi complacet, ac si Proximo re vera evenisset. Ecce! hic talis peccat peccato delectationis internæ: cui si adjiciat advertenter desiderium seu votum, ut hoc malum Proximo accidat, insuper peccat peccato mortali desiderii: quæ ambo peccata (complacentiæ nimirum & desiderii) charitati Proximo debitæ graviter adversantur. Hoc ipsum de quavis alia re graviter a Deo prohibita sentiatis velim, & (Ut paradigma præcepto, de quo ago, conveniens dem) ponite sequentem casum. Aliquis fingit sibi personam, ac

ac si cum ea actionem impuram patraret, aut vero ac si eam solummodo impure videret: Advertit hoc; nihilominus interius delectare se ea cogitatione pergit: Ecce! peccat mortali peccato delectationis seu complacentiæ lascivæ, quamvis non desideret patrare id, quod cogitat: Quod si desiderium istud advertenter addit, peccat insuper mortali peccato desiderii impuri. Sciendum præterea, quod tum delectatio tum desiderium pro varia Objecti, ex quo delectatio capitur aut quod concupiscitur, ratione variam peccati speciem contrahant, speciem scilicet vel stupri, si persona est virgo: sive adulterii, si persona est conjugata: sive sacrilegii, si persona est sacrata Deo: sive fornicationis, si libera est: Taceo hoc loco alias peccati magis execrabiles species, si Objectum seu actio, ex qua delectatio capitur aut quæ desideratur, alterius generis, & contra ordinem naturæ fuerit. Hinc nequaquam nimis curiose aut nimis religiose agunt confessarii illi, qui Pœnitentes se de malis cogitationibus, affectibus & desideriis sponte admissis accusantes interrogant: Istane in virgine an vero conjugata &c. admissa fuerint? Debent illi hæc interrogare, ut species peccati appareat; quod SS. Concilium Tridentinum & una Theologi omnes voce post S. Thomam volunt (k) Vidimus, O mei! quid sint peccata delectationis & desiderii impuri; jam quæ horum caussæ ac principia sint, investigemus.

Peccatorum delectationis & desiderii impuri duæ potissimum caussæ esse solent. Prima est negligentia custodiæ oculorum: Sunt tum virorum tum fæminarum plurimi, qui oculos in alterius sexus venustis atque formosis personis figere: qui elegantias earundem minutatim considerare: qui versus nudas corporum partes lumina iterato dirigere amant. Heu! quam facile impuræ delectationes & persæpe obscœna quoque desideria istiusmodi obtutus sequuntur? Quod si huic periculo omnis homo, certe ii, quibus luxuria dominatur, maxime patent. Hi profecto obtutus sunt quidam quasi latrones animæ; quia eandem ad complacentias graviter prohibitas inducunt: Ob id Propheta Jeremias in suis *Lamentationibus* (l) in persona horum infelicium curiosorum spectatorum exclamavit: *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* Idipsum in fæminis, quæ virorum personas spectare amant, comprobatur; cum par periculum, & mentis ad lasciviam pronitas (in omnibus mortalibus per peccatum originale relicta) æqualis, immo in fœminis major sit, si SS. Joanni Chrysostomo & Thomæ fidem adhibere voluerimus; quorum posterior ait (m) *Dicit Chrysostomus, quod propria passio mulieris luxuria est.* Ob eam rationem Job de se testatur (n) *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Notate, O mei! phrasin hanc significantissimam; Ait: pepigisse se fœdus cum oculis suis, ne aspiceret, ut non cogitaret; Etenim tam arctis vinculis mens & oculi, obtutus & cogitatus inter se cohærent atque copulantur, ut necesse sit non aspicere, ut non cogites. Ob eam caussam ad sententiam de non videnda malo cum animo uxore alinea, ut ne adulterium corde patretur, a Christo editam S. Joannes Chrysostomus (o) etiam considerationem venustatis & formæ personarum sexus alterius redigit: *Propter quod ait:* Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo? *Hoc est dicere, qui dat operam in venusta corpora curiosius intueri, & decoras aucupari facies, talique animam spectaculo pascere; & obscœnos pulchris etiam vultibus oculos affigere.* His nimirum viis & ceu quibusdam præparationibus itur *ad concupiscendum & ad mæchandum in corde suo; Qui enim studet,* pergit idem S. Doctor, *elegantes facies inspicere, ipse præcipue fornacem sibi istius passionis accendit, & captivam faciens animam ad opus quoque celeriter abducit.* Quod si turpium flammarum fornacem vere accendit, qui *elegantes* solum *facies aspicere* studet; quid de illo statuere nos oportet, O mei! qui *elegantia pectora & ubera* inspicere studet? . . .

Si

(k) 1. 2. q. 72. a. 1. (l) *cap.* 3. (m) *In* 4. *Sent. dist.* 35. *q.* 1. *a.* 4.
(n) *Job.* 31. (o) *Homil.* 17. *in Matth.*

. . Si vero talis dicat, ait idem Vir sanctus, *quid autem & si inspiciam, non tamen capiar? Nam semel quidem & secundo & tertio sic videns possis fortasse animum continere; si vero frequenter id feceris, fornacemque istam sponte succendas, profecto capieris: Neque enim extra naturam aleamque humanam consistis. Sicut enim nos, cum gladium teneri videmus a puero, etiamsi eum nondum vulneratum inde esse cernamus, verberamus tamen ac saepe minantes denunciamus, ne quando illum rursus attingat: ita etiam Deus inverecundum coercet aspectum eumque ante opus tollit, ne quandoque in ipsam quoque incidat actionem. Qui enim in se flammam cupiditatis accenderit, etiam absente muliere, quam vidit, jugiter apud semetipsum turpium rerum simulacra depingit, & necesse est hujusmodi nonnunquam ad flagitium ipsum opere pervenire; siquidem post hujusmodi aspectum multo jam difficilius certamen efficitur; cum & jam viderit aliquis, & tamen ea, quam viderit, non fruatur: Nec tantam de contemplatione ipsa capimus voluptatem, quantum patimur de augmento istius cupiditatis dolorem, fortiorem contra nos facientes hostem & ampliorem locum diabolo dantes, ut nequaquam illum ulterius propulsare valeamus; postquam semel in intima cordis admiserimus, eique teneræ mentis nostræ claustra referavimus. Idcirco præcipit: Ne forniceris oculis, ne per hoc scilicet animo forniceris.*

Jam quidquid hactenus de contuitu personarum diversi sexus, immodestæ curiositati conjuncto, S. Joannes Chrysostomus affirmavit, (esse eundem videlicet malarum cogitationum & desideriorum fontem atque originem) idipsum de aspectu turpium imaginum, sive pictoria sive sculptoria arte effictarum, statuendum est, quibus haud minor sordidorum affectuum phantasiarum & cogitationum turpium excitandarum vis adest. Nudis hujusmodi simulacris, ait alio in loco S. Joannes Chrysostomus (p) assidet diabolus: Quid sunt aliud simulacra ista, quam variarum nefandarum turpitudinum signa? Omni gestu libidinem spirant, ex omni parte impuros spargunt amores: *Dæmon nudæ quoque figuræ assidet; & nunc quidem statuæ sunt imagines fornicationis, nunc insani in masculos amoris:* Quid enim sibi vult *Aquila? quid vero Ganimedes? quid Apollo, qui virginem persequitur? quid aliæ execrandæ figuræ? ubique libido, ubique lascivia, ubique nefandorum cubituum & insanorum amorum sunt figuræ.* Ita Doctor zelosissimus ad obscœnas Poetarum fabulas alludens: Hem! nonne vobis videtur Vir sanctus multos nostri ævi nostrarumque orarum hortos atque atria multa vidisse?

Atque eorum, quæ S. Joannes Chrysostomus de aspectu tum personarum viventium tum imaginum earundem asseruit, haud aliam confirmationem peto, quam ingenuam curiosorum horum modestiæ minus studentium spectatorum confessionem: qui, quo venustiores formæ se offerunt, eo magis illas inspectant &, quo nudiora vident corpora, eo studiosius oculos defigunt: qui festis præsertim diebus se ambulatum ire verbis quidem affirmant; at re ipsa non tam ambulationem faciunt, quam personas occurrentes spectant, earundem subin formam ac veneres aut cum animo suo aut cum sociis minutatim expendentes; Haud aliam (inquam) dictorum confirmationem, quam horum spectatorum ingenuam confessionem, peto: Edicite, quæso! quot complacentias, quot affectus, quot desideria in cordibus & mentibus vestris Objecta visa, accuratius spectata, minutatim quasi perpensa excitarint? Edicite, quot turpes ideas animus vester conceperit, quæ domum vobiscum redeuntes, cum soli essetis, quasi enascentes accensis cordibus vestris durum castitati certamen obtulerunt? Edicite, quoties eorum, quæ vidistis, memoria, (non ea, qua par est, celeritate abjecta) in novas complacentias, in nova desideria, immo etiam ad nefandas actiones vos præcipites dedit? Verane an falsa dico? Quod si vera dico, est profecto, cur superius memoratos Jeremiæ Prophetæ gemitus repetatis: *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ?* At id ipsum fæminis

(Quod

(p) *In Psalm.* 112.

(Quod ad aspectum virorum & masculorum attinet) dixero. Intelligitis, credo, quam necessarium sit custodire oculos, ut mens ab hujusmodi lapsibus immunis servetur: quam necessarium sit pangere fœdus cum oculis, quod Jobus pepigit, de non aspiciendo, ut non cogitetis, ut non delectemini, ut non desideretis? Secus si feceritis, vobis cum S. Augustino objecero (q) *Nec dicatis mihi, vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius.*

Secunda complacentiarum & desideriorum turpium caussa est lectio librorum, obscœna tractantium: Horum librorum duplex genus est; Alii obscœna argumenta ex instituto tractant, uti certi dialogi, certæ novellæ, certæ historiæ seu (Ut melius dicam) fabulosæ narrationes, quas *Romanenses* vocant, certa poemata & quæ sunt similia scripta. Alii non quidem argumenta in se turpia, impudica, obscœna tractant; attamen amoribus, venereis negotiis, patheticis casibus, amantium insidiis, dolis, iris, studiis, languoribus atque deliquiis mire scatent; quæ omnia eo maxime valent, ut menti imagines eæ imprimantur, quæ inhonestas cogitationes cieant, & ad teneros minusque puros affectus animum inclinent: Talia sunt certæ historiolæ, certæ narrationes, certæ collectiones epistolarum, certa carmina, & maxime certa dramata, quæ, dum styli venustatem, versuum suavitatem & hypotyposos admodum vivas cum argumento per se lubrico copulant, legentem in præsentissimum periculum (admittendi complacentias, desideria, proposita & sæpe etiam facinora turpia) adducunt. Lectio librorum primi generis ex sententia Theologorum omnium peccato mortali non caret; cum hoc sit ultro ac sponte proximæ peccandi occasioni ob Objectum ex se ad libidinem vehementer provocans sese offerre. Lectio librorum secundi generis, quamvis fieri possit, ut respectu alicujus personæ culpam venialem non excedat (quod persona illa hos libros cum magna & sollicita sui suorumque affectuum custodia legat) tamen ob magnum, quod subest, periculum & quod rerum lectarum voluptas mira cum suavitate ac subtilitate in animum irrepat, præsertim si lectio protrahatur & lecta expendantur, raro absque mortali complacentia fiet.

Percipite, quid celebris ac doctissimus Hispalensium Episcopus S. Leander scriptor sexti seculi (r) referat, atque stupescite! Narrat itaque, personis vitæ spirituali haud multum deditis lectionem priorum septem librorum S. Scripturæ (scilicet Pentateuchi Mosaici, Josue & Judicium) ob historias & facta lubrica in his relata, itemque Cantici Salomonis a vetustis Patribus ob affectus inibi expressos prohibitam fuisse; quæ omnia, cum tanquam legis Evangelicæ in rebus, quas significabant, figuræ ac symbola legi debeant, a personis sensuum voluptatibus deditis facile carnali sensu accipi, & sic utilitatis loco scandala atque libidinis incitamenta reportari potuissent: *Merito a veteribus isti libri prohibiti sunt legere carnalibus, ne dum eos spiritualiter nesciunt, in libidinis ac voluptatum incitamenta solvantur.* Jam istud certum manet, O mei! hos libros esse partem sacrarum Scripturarum: videlicet libros continentes verbum Dei, & a primis scriptoribus non sine speciali auxilio & afflatu Spiritus sancti exaratos volentis, ut facta illa narrarentur, & expressiones illæ mysticæ in utilitatem Ecclesiæ scriberentur. Nihilominus, quia istis libris facta nonnulla venerea & libidinis peccata referuntur; phrases autem Cantici canticorum satis sensibilia symbola complectuntur, ob id antiqui Patres veriti, ne animæ in virtute minus confirmatæ & laici de plebe incitamenta peccatorum inde colligerent, lectionem horum librorum, utut sacrorum, prohibuerunt: *Ne in libidinis ac voluptatum incitamenta solverentur.* Quod si prisci sapientes Patres hominibus carnalibus a lectione horum librorum, utut a Spiritu sancto dictatorum, ob ipsum eorum argumentum tantopere timuerunt; quanto magis nos nobis a lectione librorum memorati generis timere debemus,

(q) *Epist. 211.* (r) *Libr. de Instit. Virg. ad Florentiam sororem. c. 7.*

mus, tum ob materiam quavis pagina turpes spargentem ignes & amoris lascivi sagittas vibrantem, factaque & casus aphrodisios mentibus exhibentem: tum ob ipsum scriptionis genus & stylum; stylum nimirum, quo mentes amore sauciæ & tales etiam videri volentes se exprimunt, qui tanto vehementius animum lectoris concutit, quo suavius eundem aggreditur. Nunquid S. Augustinus de se ipse testatur, se, ante conversionem suam (s) Didonem ob Aeneæ amorem mortem sibi consciville in Virgilio legentem, ita amore emollitum fuisse, ut ipse quoque ingentem Didonis insaniam atque furororem fleverit, & fugientem amatum quasi vestigiis prosecutus sit: *Tenere cogebar Aeneæ, nescio cujus, errores . . . & flere Didonem mortuam; quia se occidit ob amorem.* Ecce! quantum animos afficiant libri & poemata amatoria? Ecce! ut jure *carmina poetarum* S. Hieronymus (t) *dæmonum cibum* vocarit; *quia dum aures versibus dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant & pectoris interna devinciunt.* Fateantur, quæso! verum ii, qui horum librorum lectionem frequentant, dicantque, quoties in obscœnis, quos legerunt, eventibus sibi complacuerint & imaginibus, quas hi menti obtulerunt, delectati sint, consenserintque desideriis in similes occasiones deveniendi? . . . Fateantur, quoties, postquam se de præteritis consensibus ac complacentiis accusarunt, ad hujusmodi libros legendos denuo a diabolo impulsi & novis se iterum tentari complacentiis sentientes, projicere illos e manibus coacti fuerint, ne novis se peccatis implicarent? . . . Atque hoc nonne manifeste comprobat ea, quæ hucusque diximus? Cur ergo retinentur libri hujus farinæ, & (quod pejus est) cur in abacis relinquuntur, ut eorum legendorum & a filiis & a filiabus & domesticis & cuivis in cubili forte consistenti copia atque libertas sit?

Pater! Non leguntur hujusmodi libri, ut turpis inde voluptas captetur; sed ob proprietatem & puritatem sermonis, ob elegantiam styli, ut ratio ac modus addiscatur bene scribendi variis scriptionum generibus (paucis) ut ingenium alatur, non ut mores corrumpantur. Est hoc omni ex parte labascens responsio & illecebra, cujus adminiculo diabolo personarum cultiorum, non omnino dissolutarum, perversio feliciter succedere solet. Ac primo quidem quot sunt alii libri tum soluta tum ligata oratione, tum latino tum vernaculo sermone conscripti, qui vel pias, vel medias seu indifferentes materias tractant, quorum nonnulli certe æquant, alii etiam multum in quovis scripturæ genere superant elegantiam, nitorem, artem & quidquid est venustatis horum periculosorum librorum? Non est hujus loci texere catalogum librorum, de quibus memini: Adite, si lubet, historiæ literariæ peritos, & videte, si verum dixi! Deinde concesserim, turpium librorum lectionem sæpius haud malo animo inchoari; verum rebus, quæ in illis leguntur, novum fomiti concupiscentiæ pabulum suppeditantibus primo quidem obsistitur, deinde nonnihil remissius certatur, subsequitur repugnandi at non legendi nausea, tandemque a lectione abitur cum conscientia aut peccaminosarum complacentiarum rea aut multum turbata atque hæsitante, ne qua forte ratione peccatum sit. Itaque inficiari non potest, in librorum istorum lectione semper periculum esse: Et si eos legendo periculum ametis, quid aliud expectari poterit, quam tristis casus, teste Spiritu sancto? Discamus itaque, O mei! discamus (Quæ nostra turpitudo est) a sapientibus paganis fugere hæc sordidarum complacentiarum incitamenta: a paganis (inquam) videlicet a Lacedæmonibus, qui honestatem animi eruditioni mentis in filiis multum præponentes teste Valerio Maximo (u) vetuerunt, ne Archilochii poetæ alioquin celebratissimi, at nonnihil in poematibus suis dissoluti, scripta legerentur: *Archilochii libro noluerunt liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodesset.* Equidem inconveniens esse videtur, Christianis atque adeo Catholicis Gentilium

(s) *Confess. l. 1. c. 13.* (t) *Epist. 46. ad Damas.* (u) *Libr. 6. c. 3.*

tilium exempla proponere; attamen laudabilia horum gesta ob id ipsum majus habere pondus debent; quod a paganis profecta sint, quibus congenitæ rationis lumen eas veritates & earundem exercitium dictavit, quas intelligere Fideles nolunt, multoque minus exercere; cum tamen ingenita ratio in illis per Fidei lumen altius evecta multo majores vires acceperit. Qua de re cum virtus, in quocumque demum eluceat, semper æmulatione digna sit, nos quoque simili diligentia prius utamur, quam suspectum aliquem librum emamus: Percontemur ex viris doctis ac piis, si illius lectio periculum habere queat? Aut si eundem jam nostrum fecimus, coram Deo pensitemus, *an plus moribus noceat, quam ingenio prosit?* Quod si eum talem esse conscientia dictaverit, tunc nos ab illius lectione tum ipsi abstineamus, tum ab eadem domesticos arceamus; ne nos tam nostrorum quam alienorum delictorum & periculorum reos constituamus.

SERMO LXIV.

De decimo Decalogi præcepto: NON DOMUM, NON AGRUM &c. De non desiderando bona aliena cum damno Proximi.

QUemadmodum Deus noster optimus maximus, postquam sexto præcepto actiones impudicas prohibuit, subin nono præcepto deliberata desideria & complacentias earundem vetuit: ita, postquam septimo præcepto damna actualia Proximi vetuit, hoc præsenti decimo præcepto deliberata desideria & complacentias eadem Proximo inferendi prohibet; idque ob allatam sermone superiori caussam, nimirum (Ut Interpretes affirmant) ob vitiosam populi Hebraici ruditatem reputantis, solas malas actiones, non actus internos desiderii & complacentiæ in malis actibus a Deo prohiberi: Qui actus interni, quamvis memoratis (sexto & septimo) præceptis satis comprehendantur, tamen Deus illos ut graviter peccaminosos (Si complacentia seu desiderium deliberato admittitur & circa rem notabilem versatur) majoris claritatis gratia, & ut omnibus populi istius pessimi excusationibus viam præcluderet, duobus postremis Decalogi præceptis diserte probibere dignatus est. Dixi: *Deum hos actus internos diserte prohibuisse, ut omnibus populi illius pessimi excusationibus viam præcluderet*; cum de cetero ratio mere naturalis satis superque dictet, quod nefas sit complacere sibi in aliqua re aut desiderare aliquam rem, quæ sua natura mala &, quia talis est, prohibita est: quam veritatem omnes Gentilitatis sapientes agnoverunt. Ob id non jam poterat excusari ille duræ cervicis populus, etiam ante duplicis hujus diserti præcepti promulgationem; si conscientiam complacentiis & desideriis inquinavit: Neque ignorantia purgare peccatum ejusdem gentis potuit, quia fuit ignorantia ex malitia (Ut sic dicam) in caussa sua volita; cum nimis evidens ac manifestum sit quod (Uti monui) id, quod sua natura malum est, non solum committere; sed vel desiderare aut sibi in eo complacere nullo modo liceat: De quo axiomate, tanquam rationalium hominum mentibus insito penitusque inhærente, in hæc verba Poeta gentilis, Ovidius, cecinit:

Quæ, quia non licuit, non facit; ille facit.

Probibentur igitur hoc decimo præcepto omnia deliberata desideria & complacentiæ in damnis Proximi. Verum priusquam personas, ad quas maxime præceptum hoc pertinet,

tinet, pandam &, quæ fit violationum hujus præcepti radix atque origo, patefaciam; necessarium arbitror certum errorem quendam multorum simplicium animis detrahere id pro peccato adversus hanc legem habentium, quod nequaquam peccatum est. Accidit idque persæpe, ut aliquis paupерie pressus (audiens huic vel illi opimam hæreditatem, magnum lucrum ex negotiatione, aut lucrosum artis, quam profitetur, opus obtigisse) dicat: O si hæc sors mihi contigisset! O si legatum istud aut hæreditas ad me rediisset! O si lucrum istud in manus meas pervenisset! O si opera mea conducta fuisset! Et quæ sunt alia hujusmodi verba, quibus desiderium habendi bonum alteri concessum, vel prospera alterius fortuna utendi proditur. Credunt simplices isti talia desideria ptæcepto huic repugnare, seque graviter peccare sic desiderando, ut bona ista sors sibi obtigisset, vel sibi in eo placendo, si vera re obtigisset. Verum hoc dicere, hoc desiderare (Nisi alius malus animi sensus accesserit) non est graviter peccare contra decimum præceptum; Neque enim aliud est, quam desiderare, ut nobis quoque, quæ aliis, bona fortuna affulgeat: quod quanquam peccatum esse veniale (sive ob otiositatem, sive ob nimium rerum temporalium studium, sive ob vanam gloriam, sive ob alia similia) possit; tamen non est desiderium illud, quod hoc præsenti præcepto prohibetur. Nam præceptum hoc prohibet desiderare bona aliena cum damno Proximi: scilicet cum affectu videndi illum his bonis spoliatum; aut cum desiderio obtinendi bona illa, quocunque demum modo obtineri queant, sive licito sive illicito; aut si, quamvis viis licitis res aliena desideretur, tamen in finem graviter peccaminosum desideratur, v. g. ut quis effrœnatus suas cupiditates exsatiet. Igitur desiderare rem Proximi sine læsione vel charitatis, vel justitiæ, neque ob fines Dei beneplacito repugnantes; sed in subsidium necessitatum suarum aut familiæ, non est illud, quod graviter hoc præcepto prohibetur; sed enim aut veniale peccatum, si (Ut dixi) nimia rerum temporalium sollicitudo admiscetur: aut nullum, si debita moderatio & voluntatis cum divinæ providentiæ consiliis consensio servatur.

Jam postquam exposui, in quo gravis decimi præcepti violatio consistat (nimirum si cum læsione charitatis aut justitiæ bonum temporale Proximi qualecunque desideres, vel deliberato tibi complaceas, quasi Proximus eodem spoliatus esset) jam cum Catechismo Romano (a) ad personas illas, quæ præ aliis ad violandum hoc præceptum induci facilius possunt, manifestandas pergo: *Qui autem præ ceteris hoc cupiditatis vitio laborant . . . illi sunt, qui lusionibus non honestis delectantur, aut qui ludis immoderate abutuntur.* Itaque illi, qui in ludo Proximum decipiunt ex cupiditate lucrandi expositum, aut qui immoderate ludunt utut sine dolo, attamen cum aviditate vincendi Proximum, etsi prævideant vel prævidere debeant gravia damna, vel ipse victus vel ejus familia passura est; hi ex vera & certa Catechismi memorati sententia reos se faciunt culpabilis desiderii rei alienæ; Nam quamvis fraude nulla utantur (Quod ipsum justitiæ repugnaret) tamen si prævident, quod prosecutio ludi Proximo damnum notabile inferat, & nihilominus ex aviditate lucri ludum cum damno æmuli prosequuntur, peccant peccato contra charitatem violativo hujus præcepti. Similiter ii, qui cum personis dominium eorum, quæ in lusum exponunt, non habentibus (Uti sunt filiifamilias, ætate minores, & sub tutela positi &c.) cum aviditate lucrandi & lucrata retinendi ludunt, peccant contra decimum præceptum; etsi in ludo ipsi perdant. Similiter contra hoc præceptum peccant ii, qui ex mero fine, quantum lucrandi licuerit, ludunt nulla habita ratione damnorum, quæ inde redire ad devictum possunt; sive illa gravia, sive levia sint: Quo in casu auctoritati gravissimæ Catechismi Romani testimonium S. Thomæ accedit (b) *Videtur esse aliquid illicitum ex*

 jure

(a) *Part. 3. c. 10. n. 23.* (b) *2. 2. q. 32, a. 7.*

jure divino; ſcilicet quod aliquis lucretur ab his, qui rem ſuam alienare non poſſunt, ſicut ſunt minores, furioſi & hujusmodi: Et quod aliquis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum. Dicet aliquis: Ergone lucri gratia non ludendum? Reſpondeo: Luſus ex ſolo fine lucrandi (Uti expoſui) ſemper malus eſt; cum hic nequaquam finis eſſe ludentium debeat (quod a S. Thoma accepiſtis) ſed potius moderata relaxatio animi gravibus feriisque negotiis occupati & defatigati. Hinc ſi finis ludentis ad ſolum rei expoſitæ lucrum dirigitur, ſemper malus eſt; leviter quidem malus, ſi res expoſita ejus valoris ſit, ut illam amittere nulli parti colludentium notabile damnum afferat: graviter vero malus, ſi res expoſita notabile damnum importet: *Ipſæ operationes ludi non ordinantur ſecundum ſuam ſpeciem ad aliquem finem, ſed delectatio quæ in talibus actibus habetur, ordinatur ad aliquam animi recreationem & quietem: Et ſecundum hoc, ſi ſiat moderate, licet uti ludo; Unde Tullius dicit in 1.* de officiis: *Ludo & joco uti quidem licet ſed ſicut ſomno & quietibus ceteris tum, cum gravibus ſeriisque rebus ſatisfecerimus.* Ita S. Thomas (c) Dicet obganniens aliquis: Ergone nihil exponendum, ut hoc modo luſus peccato veniali careat? Reſpondeo & diſtinguo: Si parum quid exponitur, ut ad luſum melius attendatur, qua re animi relaxatio utilior efficiatur; iſtud haud pro malo deputarim; cum mentes a luſus fine honeſto, qui eſt in animi recreatione poſitus, non avertat. Quod ſi vero aliquid in eum finem exponitur, ut cupiditas ad illius rei lucrum trahatur; adeo ut ludens ad lucrum ceu finem reſpiciat; ecce! invertitur finis honeſtus luſionis, comittiturque peccatum veniale; ſi quidem gravis damni periculum non intervenerit: mortale vero, ſi tale periculum intervenerit.

Pergit Catechiſmus Romanus memorare alias perſonas contra hoc præceptum graviter delinquentes, dicens: *Mercatores item, qui rerum penuriam annonæque caritatem expetunt, atque id ægre ferunt, ut alii præter ipſos ſint, qui vendant aut emant; quo carius vendere aut vilius emere ipſi poſſint.* Haud explicatione opus habent iſta, cum grave peccatum adverſum decimum præceptum nimium appareat: *Qua in re*, addit idem Catechiſmus, *item peccant, qui alias egere cupiunt, ut aut vendendo aut emendo ipſi lucrentur.*

Peccant item milites qui bellum expetunt, ut furari ipſis liceat: Medici item, qui morbos deſiderant: Juriſconſulti, qui cauſſarum litiumque vim ac copiam concupiſcunt: Tum artifices, qui quæſtus avidi omnium, quæ ad victum pertinent, penuriam exoptant, ut inde plurimum lucriſaciant. Neque hæc explicare opus eſt; cum talium votorum Proximo variis notabilibus modis damnoſorum iniquitas manifeſto pateat. *In hoc præterea genere graviter peccant ii, qui alienæ laudis gloriæque avidi atque appetentes ſunt non ſine aliqua famæ alterius obtrectatione; idque præſertim ſi, qui illam appetunt, ignavi nulliusque pretii homines ſunt.* Peccant itaque contra hoc præceptum, qui præter rationem honores, famam, laudem cum damno Proximi ſibi optant, præſertim ſi hæc re vera non merentur: Hinc ſibi ſumunt, obſcurare ſplendorem præſtantium facinorum Proximi, improbare aut tantum frigide probare eadem, & omnibus linguæ maledicæ propriis artibus (quas Sermone LVII. deſcripſi atque expoſui) uti, facientes hæc omnia, ut ſuam famam augeant; cum fama, maxime poſt vitam, bonorum temporalium ſummum ſit.

Poſtquam actiones hoc decimo præcepto prohibitas & perſonas, quæ implicari illis facillime poſſunt, commemoravi; jam radicem & cauſſam, ex qua mala bonorum alienorum deſideria oriuntur, indicare reſtat; ut eandem Fidelium e mentibus penitus evellam. Radix hæc eſt immoderatus bonorum temporalium amor & eorum augendorum ſacrâ fames; ex quibus ſubin deſideria decimo præcepto prohibita (accumulandi facultates, reditus, opes & reliqua præſentis ſeculi bona) enaſcuntur. Hinc mali iſtius remedium in eo poſitum eſt, ut

(c) 2. 2. q. 63. a. 1.

ut amorem memoratorum bonorum intra christianæ moderationis limites contineamus: Et quoniam amor non nisi per ea, quæ intellectus dictat, accendi solet; ob id necessarium esse videtur, ut futilitatem caducorum hujus seculi bonorum probe intelligamus, utpote plane indignorum, quæ nostrum amorem, ita uti dictum est, præter modum ad se trahant.

Ac primum quidem quantis angustiis animus hominis, bona temporalia avide appetentis, differtur? quantis angoribus, ægritudinibus, timoribus vexatur? quantis turbis & ardentioribus indies rei augendæ votis agitatur? Ecce! quanta hæc cum facundia S. Cyprianus Donato amico suo descripserit (d) *Quos divites opinaris. . . hos etiam inter divitias suas trepidos cogitationis incertæ sollicitudo discruciat, ne prædo vastet: ne percussor infestet: ne inimica cujusque locupletioris invidia calumniosis litibus inquietet. Non cibus securo somnusve contingit: suspirat ille in convivio, bibat licet gemmas: & cum epulis marcidum corpus torus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma, nec intelligit miser, speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, & possideri magis quam possidere divitias atque opes. O detestabilis cæcitas mentium & cupiditatis insanæ profunda caligo! Cum exonerare se possit & levare ponderibus, pergit magis fortunis augentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. Nulla inde in clientes largitio est, cum indigentibus nulla portio; & pecuniam suam dicunt, quam velut alienam domi clausam sollicito labore custodiunt, ex qua non amicis, non liberis, non sibi denique impertiunt: Possident ad hoc tantum, ne possidere alteri liceat.* Jam si bonorum temporalium affluentia hominem ad hoc servitutis & miseriæ genus redigit, num, quæso! desideranda esse videtur? . . .

Aeque vivis coloribus at nervosiori forsitan oratione hoc ipsum describit S. Augustinus (e) *Injustum est eas putare divitias, quæ non auferunt egestatem; tanto enim magis quisque ardebit egestate, quanto magis, eas diligens, minus habuerit. Quomodo ergo sunt divitiæ, quibus crescentibus crescit inopia, quæ amatoribus suis, quando fuerint ampliores, non afferunt satietatem sed inflammant cupiditatem? Divitem tu putas, qui minus egeret, si minus haberet? . . . Major pecunia avaritiæ fauces non claudit sed extendit: non irrigat sed accendit: poculum respuunt, qui fluvium sitiunt. Utrum ergo ditior an egentior dicendus est, qui, cum ideo aliquid voluit habere, ne indigeret, ideo plus habet, ne minus indigeat?*

Quanquam autem tantis oneribus atque incommodis bona temporalia avidos amatores deprimant, ob quæ aut contemni penitus aut debita cum moderatione statui cujusque conveniente quæri deberent; tamen damna deflere cogimur, quæ insatiabilis habendi cupiditas Proximo jugiter infert. *Nabothi historia*, ait S. Ambrosius (f) *tempore vetus est, usu quotidiana*: Crediderim, O mei! vos illam scire; tamen eam, si qui forte adessent illius ignari, memorabo, ut omnes magni hujus Doctoris querelam intelligant. Erat Naboth pauper Judæus, habens vineam contiguam palatio Achabi Regis Samariæ: hanc concupiscere idem Rex cæpit eam in hortum conversurus: Accersito itaque Nabotho proposuit, se vineam hanc aut pecunia redempturum aut cum alia vinea permutaturum: Naboth cedere vineam recusavit ob eam solum caussam, quod hæc esset avita hæreditas patrum suorum; quæ negatio Regis animum tantopere afflixit, ut (g) *projiciens se* præ nimia tristitia *in lectulum suum* averterit *faciem suam ad parietem, & non* comederit *panem* (Ecce! ut comprobentur ea, quæ de angoribus, quos aviditas post se trahit, hucusque dixi! Recusatio, heus! vineæ coronatum Regem ejus habendæ cupidum, in talem statum redigit) His auditis uxor Regis, Jezabel nomine, fœmina longe scelestissima: Bene est, ait, Habebis vineam, Rex! egò illius tibi acquirendæ viam inveniam. *Scripsit* itaque clam *literas ex nomine Achab*, ut Naboth injustis accusationibus proditus lapidaretur, atque hac ratione raptam vineam Achabo dedit, qui impiæ uxoris, quando vineam se daturam

(d) *Epist. 1. ad Donatum.* (e) *Serm. 1.* (f) *Libr. de Naboth.* (g) *3. Reg. 21.*

ram dixit, consiliis resistere debuisset. Jam hoc super facto S. Ambrosius flens ait: *Nabothi historia tempore vetus est, usu quotidiana: Quis enim divitum non quotidie concupiscit aliena? Quis opulentissimorum non exturbare contendit agellulo suo pauperem, atque inopem aviti ruris eliminare finibus, qui contentus est suo? Cujus non inflammat divitis animum vicina possessio? Non igitur unus Achab natus est, sed (quod pejus est) quotidie Achab nascitur & nunquam huic seculo moritur: Si unus occidit, assurgunt plurimi: plures qui rapiant, quam qui amittant. Non unus Naboth occisus est: quotidie Naboth sternitur, quotidie pauper occiditur.*


Videte igitur, O suavissimi! si bona hujus seculi digna sunt, quæ tanta cum aviditate petantur; quandoquidem fames auri satiari haud potest, tantosque animo angores ac curas conciliat, atque ad eam duritiam cor adigit tantamque ad inhumanitatem instituit, ut homo omnem misericordiæ tum in alios tum in semet sensum amittat?


Diximus hucusque, O mei! quæ lumen rationis dictat, & quæ dicere homines rationis usu præditos decet: Jam residuo hujus sermonis contextu dicamus, quæ lumen Fidei dictat, & quæ dicere Christianos decet. Heu quantum nos, obsecro! ab hac bonorum temporalium & divitiarum cupiditate alenda deterrere ea debent, quæ ex Scriptura sacra audimus? S. Paulus ait: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem; Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a Fide & inseruerunt se doloribus multis* (h) Sed ut alia S. Scripturæ loca omnia silentio prætermittam, audiamus, quid Christus, Veritas æterna & totius generis humani judex, dicat? Testatur itaque: *Non potestis Deo servire & mammonæ* (i) Quis autem servit divitiis, nisi qui illas inquirit, ut augeat & servet? *Qui divitiarum servus est*, inquit S. Hieronymus, *custodit eas ut servus.* Jam qui huic servituti se addicit, Deo servire nequit: At sine servitio Dei salus nulla. Et convenienter huic suo asserto Christus alio in loco pronunciavit: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum; & iterum dico vobis: facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem intrare in regnum Dei* (k) Jam quis unquam Christianorum hisce oraculis a Deo, Regni cœlestis Domino, prolatis ceu tonitribus quibusdam attonitus divitias non horrescat? Quis eum, qui in hanc sententiam loquitur, Deum verum esse credens & salvari desiderans divitiarum cumulandarum aviditatem unquam in pectus suum admittat? Quomodo appetere id poterit, quod animam in moralem salutis assequendæ impossibilitatem adducit? Quid, O mei! facultates, agros, opima lucra appetitis? . . . . Itaque habentes, O mei! aut si non habemus, honestis modis providentes, quæ ad statum nostri rationem tuendam & ad familiam nostram sustentandam sufficiant; de cetero omnibus viribus pessimam divitiarum accumulandarum & augendæ rei familiaris famem compescamus, infixa atque impressa penitus animis tenentes allata infallibilia, clara, manifesta, cunctis intelligibilia Christi oracula.

Dicet aliquis: Pater! si res ita se habet, actum de divitibus est. Nequaquam, O mei! Immo sunt divitiæ donum temporale a Deo datum (Nisi male partæ sint) & sine animi adhæsione possessæ ac probe adhibitæ, conducere ad æternam salutem assequendam possunt. Dixi: *Possessæ sine adhæsione animi & probe adhibitæ.* Atque ob hanc ipsam rem Spiritus sanctus divites per os Davidis (l) monuit: *Divitiæ, si affluant, nolite cor apponere*; nam, ut vere & acute observat S. Augustinus (m) *Ille habet aurum, qui novit uti auro; qui autem auro uti non novit, habetur, non habet: possidetur, non possidet: Estote domini auri, & non servi auri.* Hos posteriores Spiritus sanctus per os Davidis *viros divitiarum appellavit, non divitias virorum*, ait S. Ambrosius (n) *ut ostenderet, eos non possessores divitiarum esse sed a suis divitiis possideri; possessio enim possessoris*

(h) 1. *Timoth.* 6. (i) *Luc.* 16. (k) *Matth.* 19. (l) *Psalm.* 61. (m) *Enarr. in Psalm.* 123. (n) *Libr. de Naboth. c.* 15.


foris debet esse, non possessor possessionis. Quicunque igitur patrimonio suo tanquam possessione non utitur; qui largire pauperi & dispensare non novit, is suarum servulus est, non dominus facultatum, qui alienas custodit ut famulus, non tanquam dominus ut suis utitur. In hujusmodi ergo affectu, concludit, *dicimus, quod vir divitiarum sit, non divitiæ virorum.* Perspicue, O mei! ex his duobus magnis Doctoribus & viris sanctissimis intellexistis, haud verum esse, quod de divitibus actum sit. Quin immo divitiæ, facultates, bona temporalia sunt beneficia Dei ab ipso data, ut conducant ad salutem eorum, qui easdem juste possident; dummodo in præfatis bonis suæ voluntatis propensione non inhærescant, & ab iisdem non possideantur ut servi, sed potius ipsi illas tanquam domini possideant, hoc est: dummodo divitiis utantur iis modis, quos dicti Viri sancti memorarunt, videlicet distribuendo illas pauperibus: adjuvando illis Proximum, præsertim miseros, quos pudor retrahit, quo minus stipem petant (qui ob id *pauperes pudibundi* appellantur) & distribuendo illas non parce ac restricte, sed pro justa status & circumstantiarum ejus, qui possidet, ratione: qui, si hæc mentis ad divitias propensio ei non adfuerit, dando & utendo potius largus quam parcus erit (quandoquidem periculum omne in hac mentis propensione & in eo consistit, quod quis servum se, non dominum suarum faciat facultatum) &, cum sua in pietatis & misericordiæ operibus insumat, multo minus ad aliena rapienda tentabitur. Ob eam rem Paulus Timotheo (o) tantopere inculcavit illud: *Divitibus hujus seculi præcipe . . . non sperare in incerto divitiarum . . . divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare.* In quæ verba S. Augustinus (p) *Expone, Apostole! Multi enim, quod nolunt facere, nolunt intelligere; Expone, Apostole! . . . Dic, quid dixeris: Divites sint in operibus bonis? Audiant, intelligant. . . Dic tu: quid est, divites sint in operibus bonis? Facile tribuant. Quid est, facile tribuant? Nunquid & hoc non intelligitur? Facile tribuant, communicent. Habes tu, non habet alius; communica, ut communicetur tibi; communica hic, & communicabis ibi; communica hic panem, & accipies ibi panem: Quem panem? Qui dixit:* Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. *Dives es hic, sed pauper ibi: habes aurum, sed nondum tenes præsentem Christum. Eroga quod habes, & accipies, quod non habes: Divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent.* Sic agere nos oportet, ne divitiæ & facultates fores paradisi nobis obturent: Secus oraculum divinissimi judicis nostri comprobabitur: *Et iterum dico vobis; facilius est camelum per foramen acus intrare, quam divitem intrare in regnum cælorum.*





PARS

(o) 1. *Timoth.* 6. (p) *Serm.* 85. *de Verb. Evangel.* n. 3. & 4.



PARS QUARTA
DE
PRÆCEPTIS ECCLESIÆ SANCTÆ.

Quanquam Catechismus Romanus de præceptis Ecclesiæ ex instituto non agat, tamen meo officio defuturum crediderim, sin minus etiam de istis opportuna vobis documenta darem, ut actiones tum eas, quibus illa violantur, intermittatis: tum eas, quibus illa implentur, præstetis.

Primum Ecclesiæ præceptum est: Missam festis diebus reverenter audire. Verum cum de hoc Christianorum officio superiori sermone LII. disseruerim, nihil ultra eodem super argumento hoc in loco dicam; sed ad secundum Ecclesiæ præceptum explanandum transeam.

SERMO LXV.

De Præcepto Jejunii.



VEl sola vox: *Jejunium*, tantum, O mei! naturæ humanæ peccatis deditæ horrorem incutit, ut eandem modos (quos potest) omnes excogitare faciat, quibus se ab hoc præcepto eximat. Hinc sæpe fit, ut qui nullam excusationem odio, quo jejunium persequuntur, inveniunt, audaci cum petulantia præceptum jejunii (tanquam sanitati ac vitæ perniciosum) violent: Et tamen, etiam ex vetustissimorum ac celeberrimorum medicorum sententia, haud est ad morbos tum pellendos tum arcendos jejunio aut magis generale aut efficacius remedium. Verum nos, cum ad personas Fidei lumine illustratas, & Scripturarum divinarum sanctorumque Patrum doctrina institutas dicamus, ex istis maxime fontibus jejunii assumendi caussas haurire debemus: nequaquam ex eo solum, quod illud ad sanitatem vitamque conservandam conducat. Quid ergo est jejunium? Respondet S. Ambrosius (a) *Quid est jejunium, nisi substantia & imago cælestis? Jejunium refectio animæ,*

(a) *Libr. de Elia & Jejun. c. 2.*

ma, *cibus mentis*, *vita Angelorum*, *culpæ mors*, *excidium delictorum*, *remedium salutis*, *radix gratiæ*, *fundamentum est castitatis*. Eadem ferme reliqui Patres SS. Basilius, Joannes Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus &c. habent.

Quamobrem si jejunium animæ tam proficuum est; quid mirum, illud una cum vera Religione enatum atque exortum fuisse: prout ex historia sacra universa constat. Jejunavit Moyses quadraginta diebus ac noctibus, ut se ad recipiendas Legis tabulas præpararet (b) Et in libro *Numerorum* (c) idem Sanctus de jejunio, tanquam re longo jam usu firmata ac constituta, loquitur. Jejunaverunt Israelitæ, ut Benjamitas, qui (d) plura prælia vicerant, sub jugum mitterent. Jejunaverunt (e) iidem alia vice, ut Philistæos superarent. Jejunaverunt iterum (f) septem continuos dies mortemque Saulis luxerunt. Jejunavit David (g) a peccato suo resipiscens. Jejunavit Achab (h) ab Elia correptus. Jejunaverunt Israelitæ (i) ut e Babylone prosperum iter Hierosolymam versus haberent. Jejunavit Esdras (k) ut memoratæ civitatis restaurationem a Deo obtineret. Jejunavit Judith (l) longisque macerationibus urbis Bethuliæ liberationem impetravit. Jejunavit cum populo universo tres dies continuos Esther (m) nihil alimenti sumens, & populi sui internecione occidendi salutem obtinuit. Denique (Ut multos alios S. Scripturæ locos, in quibus pius jejunii usus memoratur, intermittam) Deus ipse per os Prophetarum peccatoribus, ad resipiscendum a se vocatis, jejunium imponit: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio &c.* (n) Et per os Zachariæ (o) idem Dominus populo suo, conservandæ divinæ amicitiæ leges præscribens, ait: *Jejunium quarti & jejunium quinti & jejunium septimi & jejunium decimi erit domui Juda in gaudium & lætitiam & solemnitatem.* In nova vero lege habemus insigne divini Legislatoris nostri Jesu Christi exemplum, qui, priusquam se ad prædicandum Evangelium suum accingeret, mirandum jejunium servavit, omni cibi genere toto quadraginta dierum & noctium spatio abstinens: *Cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus* (p). Hinc Apostolos ipsos jejunii observatione usos legimus; quippe qui, dum jejunabant, a Spiritu sancto monitum acceperunt, ut Paulum ac Barnabam mitterent (q) & de novo jejunantes eosdem episcopatus ordine initiatos dimiserunt, Evangelium prædicaturos: *Jejunantibus autem illis Domino dixit illis Spiritus sanctus* &c. *Tunc jejunantes & orantes imponentesque eis manus dimiserunt illos.* Immo quadragesimale jejunium ab Apostolis institutum & (quod consequitur) etiam ab ipsis, exemplum Magistri sui divinissimi æmulantibus, observatum fuit: Ita monet ingens Doctor S. Hieronymus (r) *Hos unam Quadragesimam secundum Traditionem Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus.* Ob id sanctus quoque Augustinus affirmat (s) *In evangelicis & apostolicis litteris totoque instrumento, quod appellatur Testamentum novum, animo id revolvens video, præceptum esse jejunium.* Similiter jejunia quatuor Temporum, quæ ex vetustissimo usu in Ecclesia vigent, ex doctrina S. Spiritus & (quod consequens est) ab Apostolorum temporibus ad nos derivata sunt teste S. Leone Magno (t) ut hac ratione ad superius a Zacharia Propheta memorata jejunia alludatur: *Hujus observantiæ, quatuor Temporum, utilitas in ecclesiasticis præcipue est constituta jejuniis, quæ ex doctrina S. Spiritus ita per totum anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus: si quidem jejunium vernum in Quadragesima, æstivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hyemale in eo, qui est decimus, celebramus.* Ita magnus hic seculo quinto Ecclesiæ universæ Antistes. Jam

(b) *Deut.* 9. (c) *cap.* 30. (d) *Jud.* 20. (e) 1. *Reg.* 7. (f) 1. *Reg.* 31. (g) 2. *Reg.* 12. (h) 3 *Reg.* 21. (i) 1. *Esdr.* 8. (k) 2. *Esdr.* 1. (l) *Judith.* 8. (m) *Esth.* 4. (n) *Joel.* 2. (o) *cap.* 8. (p) *Matth.* 4. (q) *Act.* 13. (r) *Epist.* 54. *ad Marcellam.* (s) *Epist.* 26. *ad Casulanum.* (t) *Serm.* 8. *de Jejun. mensis decimi.*

Jam poſtquam, O mei! documenta hæc omnia conſulto a me allata percepiſtis, in quibus permagna, quam jejunium tum ad placandam offenſam majeſtatem divinam tum ad eandem ad beneficiorum & cujusvis generis gratiarum largitionem permovendam habet, vis ac meritum apparet, & in quibus uſus jejunii longe frequentiſſimus tum in ſcripta lege tum in lege gratiæ (noſtra ſcilicet) oſtenditur: poſtquam hæc omnia percepiſtis, nunquid plane intolerandum videbitur audire nonnullos non minus improbos, quam ignaros atque imperitos, qui jejunia (tanquam paradoxas Pontificum inventiones & pia Epiſcoporum deſideria) traducunt? Nunquid plane intolerandum videbitur audire eosdem de omni abſtinentia deque omni vigilia ita conquerentes, ac ſi onus haud ferendum ipſis impoſitum fuiſſet? Auſcultent rudes iſti graviſſimo & antiquiſſimo ſcriptori Tertulliano (u) *Bene autem*, ait, *quod & Epiſcopi univerſæ plebi mandari jejunia aſſolent; non dico de induſtria ſtipium conferendarum* (Erat olim hic mos ex doctrina S. Scripturæ invectus) *ut veſtræ capturæ eſt*, hoc eſt: ut vos creditis, *ſed interdum & ex aliqua ſollicitudinis eccleſiaſticæ cauſa*, quæ paſtores ad indicenda jejunia excitat. Jam ſi temporibus Tertulliani, qui exeunte ſeculo ſecundo floruit, conſuetudo fuit Epiſcopis, jejunia ſuis in diœceſibus ſub præcepto injungere; hoc indicio erit, morem iſtum non tum primum exortum eſſe; ſed primo etiam ſeculo, quod eſt ſeculum Apoſtolorum & primorum Patrum apoſtolica inſtitutione formatorum, extitiſſe. Quod ſi indicendi jejunii poteſtatem ex cauſſis memoratis Epiſcopi habuerunt, nunquid Pontifices ſupremi univerſæ catholicæ Eccleſiæ paſtores eandem jejuniorum ſub præcepto ex iisdem cauſſis (ſcilicet ſive ut majeſtas divina placetur; ſive ut gravis a Deo immiſſa pœna ceſſet; ſive ut Fideles ad dignam præcipuarum ſolennitatum, quibus maxima legis evangelicæ myſteria recoluntur, celebrationem præparentur; ſive ut Maria ad nos protegendos per jejunium feſto aſſumptionis ejus præmiſſo devinciatur; ſive ut eodem remedio Apoſtoli aut alii magni Sancti ad intercedendum pro nobis commoveantur) imponendorum facultatem non habebunt? . . . Poteritne ergo (Repeto) tolerari libertinorum, ſic de jejuniis ab Eccleſia imperatis loquentium, audacia? Sed poſtquam horum temerariam ignorantiam confutavi (omiſſis, quæ addi poſſent, plurimis) jam parum proborum Catholicorum, jejunantium quidem at invito adeo animo jejunantium, ut ipſis jejunium neſcio quid intolerabile videatur, informes ideas convellere aggrediar: Edicite, quæſo! quid demum magni atque ardui habet jejunium, noſtris temporibus uſitatum? Dixi: *Noſtris temporibus uſitatum*; nam primitivis Eccleſiæ temporibus longe alia abſtinentia, longe alia ciborum limitatio, longe alia refectionis hora fuit; quod probe norunt hiſtoriæ eccleſiaſticæ nonnihil periti, & quod hoc loco referre haud juvat, ne forte longior ſim. Quid demum magni atque ardui, repeto, jejunia noſtra habent? . . . Ecce! Quid præceptum ſibi poſtulet: primo abſtinentiam a carnibus ex toto; abſtinentiam etiam a lacticiniis, ubi contraria conſuetudo non obtinet, aut Indultum diſpenſans non exſiſtit: His ſcilicet, quod ad qualitatem ciborum, a quibus abſtinendum, ſpectat, omne abſolvitur, relicta plena libertate quovis piſcium, olerum, frugum & aliarum rerum etiam delectabilium & dulcium &c. genere veſcendi. Secundo vult ſibi præceptum, ut una ſola refectio ſumatur aut (ſi mavultis) unum ſolum plenum prandium, relicta de cetero libertate comedendi, quanto vobis opus eſt; adeo ut tametſi in prandio plus juſto comedatis, peccetis quidem contra virtutem temperantiæ, ſed non contra præceptum jejunii: niſi hoc in fraudem legis faciatis, ſcilicet niſi ventrem eum in finem cibis inſarciatis, ut menti Eccleſiæ, jejunium imponentis, vos non accommodetis. Tertio ſibi petit præceptum, ut hæc refectio ſeu prandium in meridie aut poſt ſumatur; cum horam hanc ſine neceſſitate notabi-

(u) *Libr. de Jejun.*

notabiliter antevertere absque gravi peccato haud liceat. In his rebus aliquot abhinc seculis præcepti de jejunio obedientia consistit: At humana infirmitas, accedente mortalium gulositate atque malitia, exiguam insuper Collationem seu cænulam (Hæc in quo consistere debeat, post suo loco videbimus) hora vespertina introducere occæpit; tantumque mos hic invaluit ac propogatus est, ut jam in consuetudinem abierit. Jam posthæc quæro ex vobis, num magnum quid ac grave sit bona valetudine fruenti, hac victus ratione per Quadragesimæ tempus spatio dierum quadraginta & aliis per annum esurialibus diebus uti? Atque uti eum in finem, ut de gravissimis injuriis Deo illatis ex parte satisfaciat: ut peccatorum dolorem veniamque impetret: ut pœnas peccatis suis promeritas avertat: ut Dei necessaria beneficia obtineat? . . . Num tam magnum, num tanto horrore dignum vobis videtur posse comedere, quæ ad depellendam famem occurrunt, media die, piscium genera quævis, etiam exquisitissima; posse & vespere sumere nonnihil alimenti? . . . Certe rubere pudore debemus, quod tristes adeo querelas promamus, si quando jejunandum nobis; ac si martyrii cruciatus nobis perferendi essent.

Nunquid vestra corpora, O mei! pro inimicis salutis vestræ æternæ longe acerbissimis habetis? Profecto nisi & Evangelio & communi Patrum doctrinæ & experientiæ ipsi contradicere velitis, corpora vestra non solum præcipuis tribus hostibus (Sunt hi mundus: caro, scilicet corpus: diabolus) annumerare, sed pro hoste pessimo omniumque maxime insidioso putare debetis. Corpus est hostis ille, sine quo diabolus & mundus parum aut nihil promoverent; nam cum hoc (corpus) omnium affectionum sedes atque receptaculum sit, sine quarum inordinata commotione peccari haud solet, tum mundi illecebræ in vanum casuræ, tum inutiles futuræ essent diaboli suggestiones, nisi eorundem impetus a corpore adjuvarentur. Corpus est hostis ille, qui perniciem afferre animabus nostris per appetitus sensitivi commotiones continuo studet: qui, dum animum ad res maxime delectabiles inclinat, quam difficillime a nobis comprimitur. Corpus est hostis ille, qui nos quietos esse nunquam sinit, sed diu ac noctu, & vigilantes & dormientes, oppugnat. Corpus est hostis ille, quem expellere non possumus; cum pars nostri ipsorum sit: quo fit, ut in armis stare jugiter debeamus lethales, quibus is animam nostram continuo lacessit, ictus propulsuri. Jam cum adversus hunc tam implacabilem, tam molestum, tam periculosum, tam validum hostem nullum fortius post orationem remedium secundum Patrum omnium sententiam sit, quam jejunium; nos, si illum nonnihil domare per jejunia ab Ecclesia in hunc finem imposita debemus, conquerimur, obstrepimus, gravamur. Si deberes, ait S. Augustinus (x) vehi jumento aut pullo equino, cujus ardor nimiaque ferocia continuo dejectionem tibi minitaretur; nonne cibos & avenam eidem subtraheres, ut illum domares, mansuetumque & usui tuo sine ullius periculi metu utilem redderes? Non est dubium, quin, incidente eo utendi necessitate, sic compescere ferocem ejus petulantiam studeres: *Si jumento forte insideres, qui te gestando posset præcipitare, nonne, ut securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres & fame domares, quem fræno non posses?* Et subdit idem S. Doctor: *Caro mea jumentum est; iter ago in Jerusalem; plerumque me rapit & de via conatur excedere: Via autem mea est Christus. Ita exultantem non cohibebo jejunio?* Loquitur hic de jejunio indefinite S. Augustinus, nimirum de jejuniis ultro ac sponte ad carnis petulantias comprimendas assumptis: de jejuniis asperis, austeris, corporis emacerandi vim habentibus, quibus omnes Deum timentes communiter ac frequentissime usi fuerunt atque utuntur, ut carnem suam in servitute contineant; non de mollibus, de parum severis ac mitibus jejuniis, quæ observantur, ut præcepto satisfiat. Hinc (Ut designatam a S. Augustino viam sequar)

(x) *Serm. de Utilit. jejun. c. 1.*

quæro ex vobis: Nonne experti estis carnis vestræ petulantiam &, qua vos illa diu ac noctu, vigilantes ac dormientes, impugnat, insolentiam? Ah! utinam experti non essetis. Quoties illa vos a via, qua ad paradisum itur, non abduxit solum, sed etiam abripuit spolians vos gratia Christi? Ah! Quoties hoc factum. Nunquid hoc ferociæ insolentissimæ animal dimittere potestis? Nequaquam; cum sit pars vestri ipsorum. Quod si igitur vos illud tam ferox, tam perniciosum, tam sternax ac rapidum experimini, domate illud, castigate illud victuque defraudate! Quod si haud tanta virtute estis, ut illud spontaneis, severis, frequentibus & re vera macerantibus jejuniis dometis; saltem ea, quæ Ecclesia imperat, servare ne gravemini: quæ jejunia in eo, quod ad præcepti impletionem sufficit, tam levia, tam rara ac moderata sunt; nam quam magna demum (Repeto) pœna est, post sumptum, quo venter satietur, prandium cœna abstinere & exigua Collatione contentum esse? Nunquid hoc jejunii genus comparari unquam poterit cum illo, de quo S. Augustinus meminit, severo, frequenti, aspero jejunio; quod omnes illi servaverunt, quotquot corpus saltem eousque edomatum, ut excutere rationis fræna nequeat præcipiti impetu, quo immoderatæ cupiditates tulerint, ruiturum, habere studuerunt atque student?

Dicent quidam: Næ, Pater! qui ad jejunandum obligati & jejunando pares sunt, de providis immo etiam suavibus Ecclesiæ (Quod ad pauca hac super re intimata præcepta specto) sanctionibus injuste conqueruntur: Ast nos, ob corporis infirmitatem ab horum præceptorum observatione dispensati, liberi sumus a dubiis, quæ personis ad jejunium obligatis haud raro occurrere solent Quotquot sic dicitis, haud male dicitis; dummodo legitima sit, quam jactatis, dispensatio. Quid autem requiritur, Pater! ut dispensatio legitima sit: Nonne sufficit testimonium medici jurejurando firmatum, parochi subscriptione munitum? Immo: Sufficit, O mei! eo, ut pro hæreticis aut contumacibus non reputemini; At sæpe non sufficit, ut in conscientia & coram Deo excusati sitis. Et (Quoniam me ad loquendum de jejunio quadragesimali, ob quod solum concedi ejusmodi subscriptæ licentiæ solent, induxistis) primum de hoc jejunio & de licentia vescendi carnibus aut lacticiniis (ciborum genere in nonnullis regionibus prohibito) agam. Nunquid, O mei! legitimam dicetis eam licentiam, quæ conceditur post factam medico expositionem talem, qualem non pura putaque veritas sed intoleranda mollities, aut nutritus a passione hypochondriaca vanus timor, aut mere carnalis comparendi absque solita oris venustate metus, aut nescio quæ gulæ adversus cibos esuriales antipathia, aut avara rei domesticæ administratio (ne in variis cibariis impensæ majores fieri debeant) aut alia similis caussa vera & realis, attamen infirmi & in aliis cibis concoquendis impotentis stomachi integumento larvata, dictaverunt? Talis licentia in conscientia & in oculis Dei legitima non erit. Nunquid, O mei! legitimam dicetis licentiam, concessam ob infirmitates, quas quis ex immodicis per Bacchanalium dierum spatia corporis delassationibus, aut ex intemperantia in conviviis, saltationibus, vigiliis etiam tota nocte protractis, & mille aliis Christiano indignis modis contraxit? Ego cum S. Thoma sic existimo: Si persona, quæ ita inordinate vixit & se imparem jejunio servando fecit, non prævidit nec prævidere debuit, se jejunando imparem se facere; quod istud prima vice gestum sit: non peccat utens carnibus in tali necessitate; nam adest necessitas, & hæc necessitas non fuit interpretative volita in sua caussa, scilicet in intemperantiis per Bacchanaliorum dies exercitis. Ast si persona, quæ ultro inordinate vixit, aliis vicibus experiundo didicit, & scivit scireque debuit, per ejusmodi intemperantias sibi necessitatem solvendi jejunii quadragesimalis imponi: hæc rea erit violatæ Quadragesimæ; quia nulla necessitate sed solo

immo-

immoderatarum affectionum impetu acta voluit caussam, quæ violandæ Quadragesimæ necessitatem intulit: Hinc etsi non peccet vescendo carnibus in actuali necessitate, qua premitur; tamen peccavit contra præceptum tum, cum intemperantias illas ultro continuavit, ex quibus prævidere debuit, necessitatem solvendi jejunii nascituram esse.

Novi equidem, multis Theologorum nostræ ætatis displicere hanc meam doctrinam, utpote qui ex male accepto illo axiomate: *Utitur jure suo*, in contrarium decidunt, & memoratum: *Uti jure suo*, ita extendunt, ut asserere haud dubitent, eum contra legem jejunii non peccare, qui prævidens (Notate bene) se jejunio servando imparem fore, si inquirendæ, Proh Deum immortalem! inquirendæ concubinæ suæ gratia longum ac molestum iter suscipiat; hunc (inquam) non peccare contra legem jejunii, fatigantem corpus indigno adeo itinere, quod jejunium impediturum fore prævidet; ob id maxime, quia *utitur jure suo.* Quid vos ad ista, O mei! Nonne doctrina hæc piis mentibus horrorem incutit? Verum fors persuadere vobis haud potestis, esse aliquos, talia qui doceant. At ecce! ipsa illorum verba non soli legi jejunii, sed & aliis Ecclesiæ præceptis accommodata: Audite & horrescite! *Non peccat contra præceptum jejunii, auditionis Sacri, recitationis Officii divini, qui sua culpa incidit in infirmitatem* (Notate bene) *etiamsi prævideret per eam impediri a tali obligatione. . . Similiter non peccat contra præceptum jejunii, qui die jejunii pedestris iter agit, vel si multum laboret, vel id faceret ex utilitate vel etiam ex vitio, aut si in pilæ ludo aut venatione multum se exerceat vel etiam* (Jam egregia horum Theologorum contraria sententia occurrit) *si iter assumat ad invisendam amasiam aliove pravo fine, si vere defessus sit sufficienter ad eum eximendum ab obligatione jejunii.* Horrendam profecto doctrinam! . . . Ego cum S. Thoma & convenienter responsioni superius a me datæ plane oppositum demonstrare aggredior. Agens Doctor angelicus de operariis & artificibus, quorum graves labores jejunium excludere solent, sequentia distingnendo docet: Ecce verba illius (y) *Distinguendum videtur: quia si, jejunando, possunt competenti victu pro sua persona habere & pro familia, cujus cura ejs incumbit (sive quia alias divites sunt sivequia de eo, quod minori labore, qui secum jejunium compatiatur, lucrari sufficientia possunt) a jejunio non excusantur. . . Ex quo patet, quod intentio majoris lucri non necessarii eos a peccato non excusat.* Jam sic argumentor: Si ex sententia S. Thomæ a jejunio non eximitur ille operarius, qui nulla victus vel familiæ ratione urgente labores, jejunium haud patientes, majoris quæstus gratia suscipit; quomodo eximetur a jejunio & a peccato immunis erit ille, qui absque ulla necessitate sed sua sponte ac libera voluntate ea facit, quibus jejunio impar redditur: qui vitii gratia, ob intemperantiam vel ut scelus admissum eat, fatigationes ad jejunium haud quadrantes suscipit? . . . Si S. Thomas non excusat artificem, qui ex solo fine augendi rem familiæ absque necessitate laboriosa opera, ad solvendum jejunium cogentia, facit; utut finis hic de cetero honestus sit: *Intentio majoris lucri non necessarii eos a peccato non excusat*; nunquid excusatus erit ille, qui non solum sine necessitate sed sceleris gratia, ut Deum offendat, ut effrænatas cupiditates satiet, ob intemperantias, quas jejunium impedituras prævidit, jejunium solvit? . . . Quid vobis videtur? An superior responsio mea hujus Theologorum omnium facile principis auctoritate confirmata satis, necne? Ob eam caussam negamus ac pernegamus, quod *utatur suo jure* is, qui sponte sua, nulla interveniente necessitate; sed solius vitii gratia actiones ejus generis facit, quas observationem præceptorum Ecclesiæ impedituras prævidet: immo asserimus, hunc talem *abuti jure suo.* Quod sin minus hoc verus *juris sui* abusus est; ecce! omnis jam legislativa potestas evanuit; nam in arbitrio cujusvis subditi esset ea sine ulla necessitate

(y) *In 4. Sent. Dist. 15. q. 3. a. 2. q. 4.*

facere, quibus ab observantia legis impediretur. Ob id legislator, jubens hoc vel illud, una simul & implicite jubet, ut non ponantur absque necessitate impedimenta, maxime peccaminosa, obstantia observationi legis. Atque hoc non solum respectu carnium sed etiam respectu cænæ seu refectionis secundæ ex vero dicitur; videlicet quod non ponendæ sint mero ex libitu ejusmodi actiones, quæ observationi jejunii (tam quoad carnes tam quoad secundam refectionem) obstant.

Sunt nihilominus personæ legitime a jejunii lege exemptæ, sive ex titulo opificii satis laboriosi, quocum copulari ex virorum prudentum judicio jejunium haud potest: sive ob ætatem; quia nondum annum vigesimum primum absolverunt: sive ob corporis conditionem, nimirum dum vel uterum gerunt vel prolem lactant: sive ob infirmitatem, vel quod recens convaluerint: sive ob pietatem, nimirum si vel proprii officii ratio vel Proximi vel nostra ipsorum necessitas exigit labores ad jejunium non quadrantes. In his casibus licita est dispensatio quoad plures refectiones.

Interrogabit aliquis: Si quis die esuriali non solum carnes, sed etiam alios cibos in sufficienti quantitate manducat, num toties mortaliter peccat, quoties comestionem repetit? Consentiunt in hoc Theologi omnes, O mei! hunc talem, si carnibus vescitur, totidem vicibus mortale peccatum committere; quia agit contra præceptum negativum: scilicet præceptum prohibens, ne carnes comedantur. Quod si pluribus per unam diem vicibus aliis cibis vescitur, tenent nonnulli: eundem prima solum vice, non reliquis, mortaliter peccare; quia hoc præceptum positivum esse credunt. Sed graviter isti errant, dicendumque omnino est: hunc talem toties peccare, quoties hoc per unius diei spatia facit; cum præceptum quoque maxime negativum sit, ne plures refectiones fiant. Ecce! sensa animi clare explico & manifeste comprobo, etiam hoc præceptum maxime negativum esse. Præceptum positivum est, quod obligat ad aliquam actionem faciendam: uti apparet ex præcepto Confessionis, audiendi Sacrum, Communionis annuæ &c. Jam quæro: si quis die quodam esuriali plane nihil comedere vellet, num violaret præceptum? Neutiquam certe: Non est ergo præceptum hoc positivum; cum non sit actio, ad quam obliget: Erit itaque præceptum negativum, quod, dum unam refectionem permittit, comedere sæpius prohibet: Igitur qui per diem sæpius tantum comederit, quantum quidem ad mortale peccatum sufficit, omnibus vicibus graviter peccat adversus prohibitionem non multiplicandi refectiones. Ratio hæc tam evidens atque aperta est, ut opinioni contrariæ, etsi a multis falso adoptatæ, meo quidem judicio omnem probabilitatis rationem detrahere videatur.

Qui legitime dispensatus est, ut carnibus vesci possit, vi ejus dispensationis non dispensatur a jejunio vespertino, prout definivit f. m. Pontifex Benedictus XIV. Utrum vero eidem dispensato in quantitate, Collationi conveniente, carnibus vel jusculis vesci liceat, interrogatus idem Pontifex hac super re ab Archiepiscopo Compostellæ, respondit (z) Non licere; sed hunc dispensatum uti debere eo cibo & ea quantitate, qua ii, qui timorata cum conscientia jejunant, utuntur. Quænam igitur erit quantitas in Collatione sumenda? Nimium concedere meo (infirmo quidem) judicio videntur, qui quantitatem octo unciarum generatim permittunt. Ego sic existimo: Mensuram sex unciarum non excedi debere: Qui pauciori contentus esse potest, sit; & tranquillitatis conscientiæ caussa consilium pii doctique Confessarii exquiratur. Hæc sunt, quæ super proposito argumento vobis exponenda esse duxi multas alias quæstiones, quibus præsens sermo nimis protraheretur, missas faciens.

Quæ quanquam eo sufficiant, ut Ecclesiæ voluntati satisfiat & præceptum ejus graviter non violetur; tamen haud eo sufficiunt

(z) *In litteris* in forma Brevis *sub die 30. Maji 22. Augusti 1741.*

ficiunt, O chariffimi! ut Deo noftro plane placeamus. Vult hic, ut jejunio gulæ aliorum membrorum & mentis ipfius jejunium adjungamus, hoc eft: ut membra reliqua a peccaminofis actionibus, quas admittere confuevimus, cuftodiamus, & anima a vitiis atque peccatis, quibus adhæret, jejunet (verbo) ut ab injuriis majeftati divinæ inferri folitis jejunemus. Hoc maxime Dominus nobis per os Prophetæ Ifaiæ (aa) intimavit: *Nonne hoc eft magis jejunium, quod elegi? Diffolve colligationes impietatis, folve fafciculos deprimentes . . . & omne onus difrumpe.* Hoc eft, ait Dominus, jejunium mihi acceptum, junctum jejunio corporali, folvere compedes iniquitatis: delere debita, quibus pauperes creditores anguftantur (paucis) excutere onera animam aggravantia. Ob eam rem S. Bernardus, cui iftam confiderationem debeo, in hæc verba loquitur (bb) *Si fola gula peccavit, fola quoque jejunet; & fufficit: Si vero peccaverunt & membra cetera, cur non jejunent & ipfa? Jejunet ergo oculus, qui deprædatus eft animam; jejunet auris; jejunet lingua; jejunet manus; jejunet anima ipfa. Jejunet oculus a curiofis lafcivis afpectibus & omni petulantia, ut bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa; Jejunet auris nequiter pruriens a fabulis & rumoribus, & quæcunque otiofa* (Addam ego: impudica, obfcœna, famam Proximi lædentia) *funt atque ad falutem minime pertinentia; Jejunet lingua a detractione, a murmuratione, ab inutilibus, vanis atque fcurrilibus verbis*) Addam ego: a fermonibus obfcœnis, a turpibus æquivocationibus, a juramentis) *& interdum quoque ob gravitatem filentii & ab ipfis, quæ videri poterant neceffaria; Jejunet manus ab otiofis fignis & ab operibus* Proximo damnofis, impuris & ab *omnibus, quæcunque non funt imperata;* Jejunet (Hæc addere libet) pes ab itione in illa lufus exitiofi loca, a frequentatione conventuum, in quibus toties & obtutibus & cogitationibus & verbis & defideriis & perfæpe actionibus Chriftiano indignis Dei majeftas offenfa fuit: *Jejunet denique anima a vitiis & a propria voluntate fua.* Hoc generali totius corporis atque animæ a pravis affectionibus jejunio, cum jejunio gulæ conjuncto, Deo nos omnino gratos atque acceptos faciemus; *Etenim fine hoc jejunio*, concludit idem S. Doctor, *hæc cetera reprobantur.* Id quod Deus ipfe per os Prophetæ Ifaiæ (cc) fignificavit: *Jejunavimus & non afpexifti; humiliavimus animas noftras & nefcifti; Ecce! in die jejunii veftri invenitur voluntas veftra.*

(aa) *cap. 58.* (bb) *Serm. 3. in Quadrag. n. 4.* (cc) *cap. 58.*

SERMO LXVI.

De tertio Ecclefiæ præcepto, fcilicet de Confeffione annua.

Animam chriftianam, quæ peccati mortalis reatu premitur, inimicam Deo: exfortem gratiæ divinæ: incapacem promerendi aliquid in oculis Dei: privatam jure actuali in merita operibus bonis in ftatu gratiæ factis, acquifita: adoptionis divinæ & hæreditatis cœleftis expertem effe inque jugi damnationis periculo (fi forte repentina corporali morte ex hac vita in ftatu peccati migret) verfari; omnia hæc articuli Fidei fanctæ funt in SS. Scripturis perfcripti, a Patribus fanctis omnibus promulgati & ab Ecclefia Dei fancta traditi.

Jam animam illam infeliciffimam per bonam Confeffionem, debitis modis factam, incomprehendenda damna hæc refarcire: una

una cum gratia divina divinam amicitiam atque filieitatem sibi denuo conciliare: recuperare merita per superveniens peccatum mortale mortificata: novis meritis acquirendis aptam se reddere: restituere se in integrum jus cœlestis hæreditatis obtinendæ (si morte intercipiatur) & quod consequens est, a jugi damnationis æternæ periculo se redimere posse; hæc itidem omnia articuli Fidei sanctæ sunt perscripti in Scripturis sacris, promulgati a SS. Patribus, traditi ab Ecclesia Dei.

Itaque cum tam gravia sint animæ in peccato mortali constitutæ damna ac pericula: contraque tam magna illi sint commoda, si bonæ Confessionis ope gratiam sibi denuo acquirit; res omnium maxime stupenda videtur, tantam his non obstantibus Confessionis negligentiam inter Christianos obtinere, ut Ecclesiæ disertis verbis imperandæ unius saltem per anni decursum Confessionis necessitas imposita fuerit.

Ah! quomodo, dicebam mihi sæpius cum animo meo, quomodo fieri potest, ut tanta Confessionis negligentia in anima sit; cum tamen illa per bonam Confessionem subducere sese memoratis gravissimis malis atque periculis, & omnia memorata incomprehensibilia bona parare sibi possit: Tanta (inquam) Confessionis negligentia, ut Ecclesia mater filiorum suorum amantissima, quo malo huic luctuosissimo remedium afferret, coacta sit, eos ad peragendam semel saltem in anno Confessionem obstringere. Oriri hæc negligentia, ni mea me fallit opinio, pluribus ex caussis potest; videlicet ex fidei languescentis & propemodum emortuæ defectu: vel ex cæcitate, quæ in anima generatur, si in statu peccati mortalis diutius permanemus: vel quod memorata pericula (maxime periculum mortis aut improvisæ aut caussatæ a morbo furioso, qui bonæ Confessionis peragendæ copiam tollat) non expenduntur: vel quod ejus, qui in gratia Dei vivit, felicitas non cogitatur. Hinc ob ea, quæ hucusque attuli, de dictis animæ in peccato positæ malis, deque memoratis animæ gratia fruentis bonis dicendum mihi esse videtur: Verum quoniam hoc ipsum argumentum sermonibus XL. XLI. XLIII. sufficienter excussi; hodie satis duco Ecclesiæ sanctæ mentem ac vota secundare. Atque ut propositam materiam plene ac solide tractem, primo obligationem Confitendi divino JESU Christi præcepto nobis impositam; deinde eandem obligationem præcepto Ecclesiæ confirmatam; denique varias quæstiones, quæ hac super re injici queunt, expediam atque explicabo.

Nemo Catholicorum dubitat, quin Christus, Pœnitentiæ Sacramentum instituens, discipulis & horum in personis successoribus eorundem dixerit (a) *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &, quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex his verbis obligatio Confitendi, a Christo injuncta, aperte colligitur; nam si sunt in peccatoribus peccata statim post Confessionem per Absolutionem remittenda & alia retinenda illis peccatoribus, quibus differre Absolutionem necessarium videtur: quomodo, obsecro! hæc peccatorum differentia cognosci a ministro sacro poterit, nisi illa ipsi per Confessionem exponantur? Vel quomodo poterit minister sacratus discernere, quænam peccata statim dimittenda sint, & quæ non; nisi illa ipsi manifestentur? Itaque aut debet pollere dono prophetiæ Confessarius, ut internum animarum statum cognoscat (Quod dicere insanissimæ temeritatis & blasphemia est) aut manifestari eidem & aperiri peccata debent. Atque ex hoc evidens fit, quod in institutione Sacramenti Pœnitentiæ imposita fuerit Fidelibus a Christo confitendi peccata sua obligatio, & quod hæc peccatorum confessio (si quidem Confitendi copia ac facultas adest) ex præcepto divino Jesu Christi omnibus, post Baptisma in peccatum mortale lapsis, necessaria sit. Ita Concilium Tridentinum (b) *Cum constet eos non posse judicium hoc exercere incognita caussa neque æquitatem servare posse, si in genere duntaxat, & non potius in specie &*

(a) *Joan. 20.* (b) *Sess. 14. c. 2. & 5.*

& figillatim, peccatores eis sua peccata declarent; ob id (pergit alio in loco) *universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere.*

Itaque cum Confessio divino Christi praecepto injuncta sit; quandonam fieri illa vi hujus praecepti debet? Respondeo: Cum Confessio a Christo imperata sit, ut gratia in Baptismo accepta at postea amissa recuperetur, consequitur, non obligari hoc praecepto Christi eum, qui post Baptisma se culpae mortalis reum vel certo vel sub dubio non agnoscit. Eum deinde, qui reum se culpae mortalis agnoscit; quis sibi unquam persuadeat, quod Christus ad Confessionem non nisi ferali in hora obligare voluerit? Quod si hoc ita esset, & si praeceptum Christi ad solum casum mortis pertineret, O mei! num is magnam salutis nostrae curam, quam semper gessit, magnopere ostendisset? Aut putatis, O mei! magnam esse ei domesticorum suorum a servitute, si forte in illam inciderent, liberandorum curam: ei (inquam) qui modum, quo se illi in libertatem assererent, instituisset quidem, at una eisdem isto redemptionis modo primum in morte, haud citius, utendi obligationem imposuisset? Jure dicetis, credo! quod talis usum remedii a se instituti hoc modo imperans nullam curam, immo quandam liberandi suos negligentiam prodidisset. Igitur, nisi hanc ipsam negligentiam (Christi amori &, quod gessit, studio salutis nostrae adeo injuriosam) blasphemi asserere velimus, dicere nos oportet: Christum Fideles suos in peccati mortalis & diaboli servitutem delapsos ad Confessionem non solum ferali in hora, sed etiam aliis temporibus obligasse. At quaenam sunt tempora illa? Haec statui a quocunque demum, non nisi generatim, possunt: Ob id proposita super quaestione sic argumentari & convenienter iis, quae sermone XLI. monui sic disserere juvat. Nonne Fidei articulus est, Christum hoc Sacramentum instituisse, ut Christiani divinam, per peccata mortalia post Baptismum admissa perditam, gratiam recuperent? Certe. Nonne itidem Fidei articulus est, hominem peccati mortalis reum in continuo aeternae damnationis periculo versari? Certe. Nonne tum rationis naturalis lumen tum quotidiana dictat experientia, hominem innumeris mortis repentinae generibus obnoxium esse tum ob mille externe accidentia & pericula (Ne forte igne aethereo in cineres redigatur, aut ab hoste suo occidatur, aut saxo opprimatur, aut casu aliisque modis pereat) tum ob mille interna occultaque mala, quae ex improviso irruunt; quibus fit, ut vel suffocetur, vel stupore percellatur, vel aliis modis vita derepente privetur? Certe: Indies hoc cernere licet. Itaque si Christus Sacramentum Confessionis instituit, ut omnibus hisce tum internis tum externis peccatoris periculis occurreret, dicendum: hoc Christum velle & ob id eo peccatorem obligare, ut ne in statu peccati mortalis longius perseveret; nam haec perseverantia in malo facit, ut peccator in continuo damnationis aeternae periculo versetur; prout ex hucusque a me dictis apparet. Repugnabit ergo consiliis & voluntati Christi ille, qui longiori temporis spatio restituere se statui gratiae ope Confessionis differt, & saltem toties peccabit, quoties cogitans de statu suo & Christo interius monente, ut ad sacrum tribunal Confitendi gratia pergat, hoc intermittit aut saltem actum perfectae contritionis non elicit. Ita docet S. Thomas, citatus a S. Antonino, una cum aliis gravissimis auctoribus Antonino anterioribus; quibus alii, quos inferius citabo, consentiunt: *Cum propositum Confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad contritionem tenetur; scilicet quando peccata memoriae occurrunt* (c). Et alio in loco: *Manifestum est, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari; sed quilibet tenetur statim deserere* (d) Hucusque S. Thomas. Jam S. Antoninum audiamus (e) *Quantum ad peccata mortalia, de quibus nondum quis habuit contritionem, videtur*

(c) *S. Thom. q. 3. Suppl. a. 5.* (d) *2. 2. q. 62. a. 8.* (e) *3. p. t. 14. c. 18. §. 2.*

detur quod semper teneatur, quando peccatum menti occurrit, ad actu eliciendum & detestandum peccatum; alias peccat mortaliter peccato omissionis, quousque conteratur. Dicit enim B. Thomas, Petrus de Palude, Bonaventura & Durandus: quod post peccatum mortale, etsi non teneatur quis ad statim Confitendum, teneatur tamen ex necessitate ad statim Conterendum; nec enim per momentum licet stare in peccato; . . . Imminet enim tali maximum periculum . . . si moriatur ante contritionem. Ita doctissimus & sanctissimus Florentinorum Archiepiscopus S. Antoninus; Et præter citatos ab hoc Paludanum, Bonaventuram, Durandum in eandem sententiam insuper ab eruditissimo Suarezio Guilielmus Parisiensis, Alexander Alensis, Thomas de Argentina, Abulensis, Major, Marsilius, Cajetanus, de Victoria, Petrus Sotus & Sylvester primi subsellii scriptores laudantur. Dicendum igitur: divinum Christi præceptum de Confessione tunc obligare Fideles, quando sunt in statu peccati mortalis, ut Confessionem longius non differant; si quidem amantissimis, quæ Christus Sacramentum hoc instituens de salute nostra habuit, consiliis convenienter decidere velimus: ut alias rationes a me sermone XLI. in quo argumentum hoc respectu Fidelium tractavi, allatas hoc loco prætermittam.

Jam ad præcepti ecclesiastici, de Confessione semel in anno facienda, explicationem transeamus. Accipi præceptum hoc in eum sensum debet, ut ab una Confessione ad aliam annus integer non effluat: Hinc non intelligimus, fieri Confessionem tempore determinato debere, uti Communio fieri tempore Paschali debet: Ob id si quis e. g. jejunii quadragesimalis tempore, dimidia sui parte exacto, Confessionem suam faceret, & incidente Paschate certum haberet, se non admisisse peccata mortalia, non obligatur ad Confessionem; quam tamen facere debet, si peccata mortalia admisit, non quidem ut satisfaciat præcepto annuæ Confessionis, cui jam satisfecit; sed ut satisfaciat alii præcepto prohibenti accessum ad S. Communionem, nisi prius per Confessionem conscientia a peccatis mortalibus, post ultimam Confessionem admissis, expurgata sit; prout sequenti sermone dicemus. Igitur ut huic præcepto satisfiat, non permittendum, ut ab ultima Confessione facta ad aliam faciendam annus integer abeat; v. g. si quis hoc anno currente facit Confessionem suam 25. Martii, die Annuntiationis B V. Mariæ, & quoniam hæc dies Paschati propior est, nec ille peccatis mortalibus gravatur, celebrat etiam Pascha, quin denuo Confiteatur: huic non licet Confessionem suam annuam usque ad Pascham sequentis anni e. g. 1. Aprilis primum revolvendam differre; sed debet talis vi hujus præcepti ecclesiastici Confiteri prius, quam in anno veniente dies Annunciationis Mariæ transeat.

Hoc præcepto quivis Fidelis obligatur, utprimum ad usum rationis & ad annos discretionis pervenerit; qui anni a septimo circiter ætatis anno (in aliis citius, in aliis serius) computari utplurimum solent.

Ex hucusque dictis colligitur, eum, qui vel sua culpa vel ob impedimentum interveniens Confiteri ante anni exitum non potuit (quamprimum ei licet) Confiteri & præcepto satisfacere debere; cum præceptum hoc, dum Confessionem *saltem semel in anno* disserte ac positive imperat, una significet, ut Confessio ultra annum non differatur: atque ob eam rem ut, qui intra annum Confessus non est, Confiteatur, quamprimum potest: & quod per Confessionem, quam pro anno elapso facit, non satisfaciat pro anno inchoato, sed intra hunc annum aliam insuper Confessionem peragere debeat. Quemadmodum enim quis in singulos menses solvere aureos decem obligatus (si id uno mense intermittit) sequenti mense & decem aureos mensis elapsi & alios decem aureos mensis currentis exsolvere debet: ita qui annum abire sine Confessione sivit, quamprimum licuerit, & Confessionem anni elapsi supplere & aliam Confessionem pro anno currente peragere tenetur.

Ex

Ex hoc deducitur, quod aliquis qui annum abiisse sibi sine Confessione & novum annum advenisse videt, sentiens conscientiam hac omissione turbari & interius ad Confitendum se moveri, toties mortaliter peccet, quoties huic pio instinctui non paret, peccato gravis omissionis. Sicuti enim debitor, creditori solutionem sibi summæ satis notabilis expectanti satisfacere potens, toties graviter peccat, quoties immissam a Deo per conscientiæ motus solvendi cogitationem expellit; quia injustitiam suam novo continuare actu vult: ita etiam in presenti casu Fidelis, utpote obligatus ne tributum hoc Religionis Deo & Ecclesiæ solvendum longius uno anno differat, toties peccat, quoties memor officii sui innovat inobedientiam suam, instinctum implendæ obligationis repudians.

Quid ergo faciat, qui prævidet v. g. se ob longam, quam parat navigationem intra annum Confiteri non posse? An rejicere Confessionem potest, donec in portum, quem petit, appulerit: an vero prævenire anni finem & Confessionem facere, priusquam se navigationi committat, debet? Obligatur talis, O mei! ut anni exitum antevertat & Confessionem faciat & priusquam undis se tradat. Ratio est, quia præceptum (Ut monui) obligat eo tempore, in quo impleri potest; Hinc debet navigaturus exitum anni antevertere, quia ipsi haud aliud tempus ad Confitendum relinquitur, quin annus sine Confessione abeat. Nihilominus si bona fide haberet animum Confitendi, post exscensionem e navi & in anno inchoato, non peccaret; dummodo statim (pro eo, ut moraliter licet) & pro anno finito & iterum pro anno inchoato Confiteretur.

At si quis toto anni spatio nullum mortale peccatum, nec certum nec dubium, admisisset; nunquid etiam hic ad Confessionem teneretur? Priusquam huic quæstioni respondeam, monere me in antecessum oportet: hypothesin istam supponere aliquid, quod prodigio non absimile est; scilicet personam a Sacramento Pœnitentiæ tam alienam, ut annum totum sine illius susceptione fluere permittat, nihilominus moraliter sibi certam esse posse de nullo peccato mortali admisso, vel certo vel dubio; Hoc etenim quoddam quasi auxiliantis insolitæ gratiæ prodigium deputavero. Equidem non dico: esse non posse personas, quæ non solum unius sed multorum annorum spatio a peccatis mortalibus vacuæ atque immunes permaneant Sacramentum Pœnitentiæ congrue frequentando: immo harum permultas esse affirmo. At eandem peccatorum mortalium vacationem atque immunitatem dari animæ a Sacramento Reconciliationis adeo alienæ, hoc in prodigii loco repono. Isto autem prodigio admisso duplex succedit sententia, utraque memorata a S. Thoma. Prior sententia docet: personam istam, quamvis vi Sacramenti, scilicet ex præcepto Christi, qui Sacramentum hoc eo (Quod dixi) instituit, ut gratia post Baptismum amissa animæ restituatur, ad confitenda omnia vel nonnulla peccata venialia, quorum se ream novit, non teneatur; tamen eo ex præcepto Ecclesiæ teneri volentis, ut Pœnitentiæ Sacramentum *saltem semel in anno* recipiatur. Opinionem hanc gravissimi sustinent Doctores: Alexander Alensis, S. Bonaventura, Sylvester aliique, atque post hos eruditissimi Prosper Fagnanus & Natalis Alexander citantes S. Thomam, dicentem (f) *Dicendum quod ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ; quando non habet alia, quæ confiteatur.* Posterior sententia affirmat: talem personam non solum non vi Sacramenti sed ne quidem ex præcepto Ecclesiæ ad confitenda peccata venialia teneri. Et hæc opinio communior est, meoque judicio etiam rationi magis consentanea, cui S. Thomas quoque patrocinatur, allatis verbis hæc addens: *Vel potest dici secundum quosdam, quod ex decretali prædicta non obligantur nisi illi, qui habent peccata mortalia; quod patet ex hoc quod dicit:* Debent omnia peccata confiteri; *quod de venialibus intelligi non potest; quia nullus*

(f) *Suppl. q. 6. a. 3. ad 3.*

lus omnia confiteri potest, & secundum hoc ille, qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem venialium; sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum, ut se sacerdoti repræsentet & se ostendat absque conscientia mortalis esse; & hoc ei pro Confessione reputatur. Quo locutionis modo ostendit S. Thomas, hanc posteriorem sententiam esse suam, & se eatenus tantum retulisse sententiam priorem, ut auctoribus eandem docentibus, contemporaneis & amicis suis, (puta Alexandro Alensi & S. Bonaventuræ) deferret; nam dum illa verba: *Vel potest dici &c.* adjecto argumento & modo satisfaciendi præcepto Ecclesiæ (non per Confessionem, sed per manifestationem obedientiæ suæ & immunitatis a peccatis mortalibus) animata subjicit, significat hanc se opinionem adoptare; quæ, ut dixi, rationi magis consentiens videtur. Etenim secundum verba præcepti ecclesiastici *debent omnia peccata confiteri.* Jam hoc: *debent*, cadere non potest in peccata solum venialia, quæ quoniam nec gratia nec gloria, ut Fides, privant (quandoquidem etiam in Purgatorio remittuntur) ob id nulla est ea confitendi obligatio: Hinc vox, *debent* de venialibus peccatis verificari non potest; sed neque sequens verbum, *omnia* verificari potest; nam (Ut notat Doctor angelicus) possibile non est, ut peccata venialia omnia confiteamur, tum quod multa notitiam & memoriam nostram fugiant: tum quod ii, qui de illis solis laudabiliter se accusant, non habeant obligationem confitendi omnia, nimirum cujusque speciei; etenim sufficit, si se de una specie cum vero dolore & proposito accusant. Igitur cum verba præcepti ecclesiastici de venialibus proprie verificari nequeant, deducimus: personam illam prodigiosam, quam posuimus, & quæ annum integrum sine Confessione, at etiam sine peccato mortali ullo (vel certo vel dubio) transegit, ad Confitendum non obligari; sed tamen eo, ut se subjectionis demonstrandæ gratia ministro Ecclesiæ pro accipienda sancta Benedictione sistat indicans, se speciali gratiæ divinæ prodigio nulla habere peccata mortalia (vel certa vel dubia) quæ confiteatur.

Quo in loco multa cum ratione subjunxero: eos qui una sola per annum vice Confiteri solent, non solum a culpis mortalibus non immunes fore; sed difficulter admodum eo perventuros, ut christiane vivant; quin potius eos semper peccatis lethalibus primæ classis obstrictos fore. Qua in re utrum verum dicam necne, ipsi edisserant. Per quot continue annos hi tales sese de iisdem peccaminosis consuetudinibus (jurandi per sanctum nomen Dei, per Christum, per Crucem, per Evangelia, per Mariam &c.) accusant? Per quot continue annos sese de iisdem cogitationibus, affectibus & sermonibus impudicis, de iisdem verbis scandalosis, de iisdem conviciis in Proximum jactatis, de iisdem impuris æquivocationibus, de iisdem gravibus murmurationibus, de iisdem impudicitiis admissis, de iisdem fraudibus in munere, in opificio suo adhibitis & reliquis sceleribus accusant? Nonne anni & anni abierunt, ex quo eandem semper vitæ rationem ducunt; quin in melius redeant, immo in pejus ruant? At quod maximi momenti est (cum anno vertente ad Sacramentum accedere deberent, ad novum accedunt sacrilegium; quod fructus sperati defectus solidæ & prudentis suspicionis causam præbeat, ne omnes illæ annuæ Confessiones vero dolore stabilique amplius graviter non peccandi proposito destitutæ, & ob hoc ipsum omnes sacrilegæ fuerint. Ex quo fonte tanta malorum colluvies oritur, O mei! Ex eo, quod Confiteri non nisi una sola per annum vice velint: Et si sapiens doctusque confessarius advertens, hanc conscientiæ eorum perniciem ex rara ad sacrum tribunal accessione nasci, per modum pœnitentiæ illis injungit, ut per aliquod temporis spatium semel aut bis in menses singulos Confessionem peragant; hi imperata facere negligunt: pœnitentiam impositam, quæ sola eos ex tot scelerum luto eripere posset, non implent: & ecce! sic peccatis anni præteriti novum addunt; scilicet

licet quod injunctam pœnitentiam, semel aut bis in mense Confitendi, non observent: dumque sic facere pergunt, omnem fere vitam in iisdem peccatis transigunt; qua re fit, ut morte imminente non ipsi peccata (Ut SS. Patres aiunt) sed peccata ipsos deserant non sine evidenti nullius pœnitentiæ agendæ & æternæ damnationis incurrendæ periculo. Dicet aliquis: Hem! quid ais, Pater! *Non sine evidenti nullius pœnitentiæ agendæ periculo.* Ita est, O chare! Repeto! *Non sine evidenti periculo.* Ecce afferti mei apertissimam & inexpugnabilem confirmationem! Nunquid, O chare! in tali homine dolorem præteritarum anni cujusvis Confessionum sincerum fuisse deputas? Nunquid illas Confessiones bene factas credis? Qua ratione hoc credas, si nulla unquam subsecuta est morum emendatio? . . . Edicite, obsecro! si ex animo doletis vos per illam vel illam viam transivisse, vos illud vel illud negotium suscepisse, vos illam vel illam mercium speciem emisse &c.: nunquid denuo per viam illam transitis, nunquid illud negotium denuo suscipitis, nunquid illam mercium speciem denuo emitis? Nequaquam, Pater! Quare istud? Quia serio & ex animo dixistis: Nolo amplius per viam istam transire, nolo amplius negotium istud facere, nolo amplius istam mercium speciem emere. Quod si per eadem transire viam, idemmet suscipere negotium, eandem mercium speciem emere magis magisque pergeretis, nunquid omnes & vos ipsimet dicturi essetis, vos haud ex animo locutos fuisse? . . . Et posthæc vobis persuadebitis, vos in annuis Confessionibus vestris ex animo locutos esse, quando dicebatis: Doleo de istis peccatis; & verum eadem amplius non committendi propositum habuisse: quandoquidem paucis post diebus & forsitan paucis post horis ad pristina peccata rediistis, & quolibet anno horum innumera denuo committere perrexistis; adeo ut dolor ille & propositum illud vestrum nequaquam verum ac legitimum haberi possit, quoniam illud nunquam implevistis, immo longe alia ab illo ac diversa facere perrexistis? Jam constituti in limine æternitatis Confitebimini vos quidem (Facile hoc do) si vobis tempus ad Confitendum Deus concesserit; sed Confitebimini eo modo, quo ex multorum annorum spatio consuevistis; sed Confitebimini cum solito illo superficiali ac proletario dolore atque proposito, quæ (utpote nulli morum subsequenti emendationi juncta) præteritis temporibus nihil valuerunt. Sic etiam postrema vice, O mei! Confitebimini; & ecce vobis! evidens ac manifestum periculum pereundi cum tota Confessione vestra, quippe peracta cum dolore simili illis doloribus, quos annis præteritis elicere solebatis: qui, quemadmodum Confessiones vestras præteritas de Sacrilegio haud temere suspectas facit; ita postremam quoque Confessionem suspectam faciet; nam cum tota vita vestra bene dolere & (pro eo, ut par est) pœnitere non didiceritis, multo minus istud in vitæ exitu addiscetis: quando & mens perturbatior & voluntas tum morbo ipso: tum mærore, quem instans propinquos deserendi necessitas parit: tum testamenti confectione: tum multis, quæ fors solvenda restant, debitis: tum centum aliis rebus fractior erit; quæ omnia etiam viros doloris actus bene elicere assuetos conturbare atque abstrahere valent, at certe eos ad hos actus bene eliciendos non promovent, qui eosdem semper, aut male aut parum bene, elicuerunt. Intellexistis, O mei! in quam altam malorum voraginem desidiosissima hæc una sola per annum vice confitendi, consuetudo animam detrudat? Ecce! hæc mala cuncta summatim perstricta dabo. Nunquam sequitur vitæ criminosæ emendatio: Assuescitur inefficacibus doloris & propositi actibus: His rebus omnes annuæ Confessiones de sacrilegio merito suspectæ redduntur: Dediscitur exercitium actuum veri doloris firmique propositi: Et sic ad summam calamitatem itur, scilicet ut postrema Confessio similis præteritis (Ut moralis certitudo adest) exeat; quia moribundus alios doloris & propositi actus elicere nesciet, quam quos annis præteri-

teritis elicuit: quos ipsos vim & efficaciam, quæ ceteroquin ad bonam Confessionem, necessaria est, nullam habuisse, experientia comprobavit.

Ex hoc colligite, O mei! quam immeritas querelas isti annuales Pœnitentes edant, si quando illis a sapienti confessario Absolutio differtur, donec per morum emendationem sinceri doloris firmique propositi indicia præbeant; Nam dum illi eadem semper peccata afferunt & ob id de sinceritate doloris eorum prudens suspicio est, cogitur confessarius, ut definitionibus S. Sedis deserat vetantis, ne recidivi ejusmodi peccatores Absolutione impertiantur, nisi ea emendationis documenta dent, ex quibus prudens de vero illorum dolore spes concipi potest.

Ex his præterea cognoscite, quam rationabilis, perbenigna & utilis sit ejusmodi animabus pœnitentia, illis injungi solita: scilicet per certa temporis intervalla semel aut bis in mense Confitendi; nam (moraliter loquendo non est aliud remedium ullum, quo vitiosæ mortalium peccatorum consuetudines ex anima eliminentur. Quisquis igitur hoc sibi injunctum habet, impleat: & qui non habet, ultro sibi assumat; cum Sacramentum Pœnitentiæ bene susceptum vim mirandam habet animæ corroborandæ, ut in peccata mortalia non relabatur. Secus si feceritis, iterum dico vobis: Eum, qui non nisi una per annum vice Confiteri vult, ægre salvandum fore.

SERMO LXVII.

De Præcepto Communionis Paschalis.

CErte quilibet historiæ ecclesiasticæ non-nihil gnarus rapi in admirationem debet, si (Quod ad usum & susceptionem augustissimi Eucharistiæ Sacramenti attinet) spiritum Christianorum primarum ætatum cum spiritu Christianorum nostri ævi comparaverit. Etenim illi non solum primoribus Apostolicis temporibus, sed etiam ad tertium & quartum usque seculum (in quibus SS. Cyprianus, Basilius Magnus, Hieronymus, Ambrosius & Augustinus floruerunt) ita S. Communionem frequentarunt, ut (Quod ex memoratorum Patrum scriptis colligitur) quamplurimi singulis diebus, permulti sæpius per hebdomadam ad sacram mensam accesserint. S. Cyprianus ait (a) *Hunc panem dari nobis quotidie postulamus, ut qui in Christo sumus & Eucharistiam quotdie in cibum salutis accipimus, intercedente graviori aliquo delicto . . . a Christi corpore non separemur.* S. Basilius Magnus affirmat (b) *Singulis certe diebus Communicare & participem esse sancti Corporis & Sanguinis Christi bonum & fructuosum est . . . Quater igitur nos singulis septimanis Communicamus, dominico die, feria quarta, in parasceve & in sabbatho, sed & per dies alios, si Martyris alicujus memoria celebretur.* S. Hieronymus optat (c) *Utinam omni tempore jejunare possimus, Eucharistiam quoque absque condemnatione nostri & pungente conscientia semper accipere . . . Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut Fideles semper Christi corpus accipiant; quod nec reprehendo nec probo: Unusquisque enim in suo sensu abundet.* S. Ambrosius aut alius scriptor eidem ætate æqualis inquit (d) *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? . . . Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit: Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Denique (Ut alios prætermittam) S. Augustinus monet: *Alii quotidie communicant Corpori & Sanguini Domini*

(a) *Libr. de Orat dom.* (b) *Epist. 289. ad Cæsar. Patrit.* (c) *Epist. 18. & 50.*
(d) *Libr. 5. de Sacerd. c. 4.*

mini: alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies prætermittitur, quo non offeratur: alibi sabbatho tantum & dominico: alibi tantum dominico . . . Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit.

Apparet itaque, ad seculum IV. usque, in quo S. Augustinus floruit, multas Ecclesias S. Communione quotidie, multas alias sæpius per hebdomadam usas esse, nullam mensem totum sine S. Communione fluere sivisse. Hic fuit Christianorum primorum quatuor aut quinque seculorum spiritus. Quod si quis illis temporibus prædixisset: fore aliquando tempora, in quibus tanta cibi hujus divini satietas Fideles occupatura esset, ut & præceptis & censuris intentatis eosdem adigere necesse futurum esset (Ad quid demum? . . . Ad semel in anno Communicandum) num, putatis, fidem hic invenisset?

At unde tanta in Fidelibus memoratarum ætatum S. Communionis aviditas, & quibus rebus illa languere tantopere cœpit, ut Ecclesiæ necessitas imposita sit, eandem disertis verbis præcipiendi? Ego quidem sic mecum reputo: hanc Fidelium famem primo natam esse ex præcepto Christi, quod his verbis S. Lucas refert: *Hoc facite in meam commemorationem* (e) quæ verba SS. Patres omnes & cum S. Thoma Theologi cuncti præcepti vim habere credunt: quæ cum eo accipi minimo debeant, ut solum mortis in hora sed etiam per vitæ hujus decursum impleantur; ob id tam frequenter S. Communione Fideles usi fuerunt. Noverunt illi præterea promissa a Christo facta iis, qui se in hoc Sacramento digne suscepturi essent: scilicet *qui manducat me, vivet propter me* (f) Et iterum *qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo*: Et denuo *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* His allecti promissionibus mensam cælestem dictis modis frequentabant: ad quam frequentandam eos insuper impellebant verba quartæ petitionis Orationis dominicæ traditæ a Christo Jesu, in qua panem quotidianum petimus: quem multi Interpretum SS. Eucharistiam esse docent; & hoc maxime ob epithetum in Evangelio S. Matthæi (g) additum, *Panem nostum supersubstantialem*, quod epithetum, cum pani naturali non conveniat (Ut alibi monui) apte admodum pani Eucharistico congruit; qui, quod a S. Luca *quotidianus* dicatur, ob id ad quotidianam illius sumptionem induci sese Fideles sentiebant. Accesserunt denique minæ terribiles a Christo intimatæ iis, qui cibum hunc divinum accipere negligerent, dum edixit (h) *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam* (nec gratiæ nec gloriæ) *in vobis.* His caussis omnibus veteres, O mei! Christiani ad crebram S. Communionis susceptionem incitabantur.

Quod autem de hoc frequentandæ mensæ divinæ ardore sensim remiserint Fideles, iisdem caussis factum est, quibus omnis pravus mos introduci consuevit; videlicet quod ea, quæ hucusque memoravi, secum parum expenderint: quod vivendi licentiam sectati sint: quod effrænatas cupiditates satiare amarint: quod permanere in statu peccati mortalis, maxime in peccatis carnis, voluerint. Hæ sunt caussæ, ob quas sacræ mensæ frequentatio magis magisque exolevit & SS. Eucharistiæ suscipiendæ negligentia invaluit.

Abusum hunc advertentes, & S. Communionis susceptionem obsolefieri videntes Pastores atque Episcopi particularium Ecclesiarum Conciliis tum diœcesanis tum provincialibus tam perniciosæ rei afferre medellam studuerunt. Ita Theodulfus Episcopus Aurelianensis teste S. Ivone Carnotensi (i) post annum 794. statuit: *Singulis diebus dominicis in Quadragesima . . . Sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt; ut in Cœna Domini, in vigilia Paschæ & in die Resurrectionis penitus ab omnibus Communicandum.* Ita Concilium Aquisgranense II. anno 836. sancivit (k) *Sane communicatio corporis Domini omni die dominica debuit celebrari*

(e) *Luc.* 24. (f) *Joan.* 6. (g) *cap.* 6. (h) *Joan.* 6. (i) *p.* 2. *Decret. c.* 29.
(k) *Can.* 22.

brari; ideoque necesse est, ut moderna corrigatur consuetudo. Ita Concilium Agathense memoratis multo anterius, quippe anno 506. habitum, jussit, ut (l) *seculares, qui Natali Domini, Pascha, Pentecoste non Communicaverint, Catholici non credantur nec inter Catholicos habeantur.* Ita in Capitularibus Caroli M. circa annum 800. invenitur Canon quidam, ordine undecimus, attributus Concilio Antiocheno, in quo dicitur: *Si quis intrat in Ecclesiam Dei & pro luxuria sua* (Ecce peccatum, a me supra memoratum, a S. Communione maxime retrahens) *avertit se a communione Sacramenti & in observandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ, illum talem projiciendum de Ecclesia catholica esse decernimus; donec pœnitentiam agat & ostendat fructus pœnitentiæ suæ, ut possit Communionem percepta indulgentia promereri.*

Sic Prælati in suis diœcesibus variis modis negligentiæ S. Communionis obicem ponere curaverunt, quæ tamen peccatis & morum dissolutione invalescentibus ita crevit atque diffusa est, ut anni integri abierint; quin sacra mensa adiretur. Igitur postremo Concilium generale Lateranense IV. sub magno Pontifice Innocentio III. anno 1215. habitum, *canone 21.* omnibus Fidelibus injunxit, ut *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno . . . suscipiat reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem caussam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: Alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens christiana careat sepultura.* Ecce originem hujus præcepti ecclesiastici ad omnes Fideles pertinentis! Unde illud confirmans Tridentinum Concilium (m) decrevit: *Si quis negaverit omnes & singulos Fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad Communicandum juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ, anathema sit.*

Itaque cum Ecclesia velit, ut, ubi quis ad annos discretionis pervenerit, hoc præcepto teneatur; quæritur, quinam sint anni illi discretionis: *Cum ad annos discretionis pervenerit?* Ætas discretionis (Quod quidem ad præceptum Communionis attinet) utplurimum ab anno decimo ad annum decimum quartum computatur, pro majori minorive capacitate cognoscendi sublimitatem hujus mysterii & modum, quo illud suscipi debet. Unde qui sufficientem hujus mysterii intelligendi capacitatem habet, & post annum decimum quartum Communicare differt, peccat mortaliter gravi peccato omissionis: Neque dispicio, quid meæ hac in re sententiæ opponi possit; nam præceptum certe grave, & de re gravi est: certe ætatem discretionis consecutos obligat ad impletionem. Quare qui hanc ætatem assecutus illud non servat, violatorem gravis præcepti se facit: At quanquam (Ut verum dicam) hujus præcepti implendi sollicitudo ad juniores maxime pertineat, haud dubie tamen etiam ad parentes & his deficientibus ad propinquos curam juniorum gerentes attinet. Quapropter quid de illis parentibus dicam, qui gravem adeo obligationem nihil curant & sine tanto salutis subsidio filios filiasque suas relinquunt, hosque longiori temporis spatio tam gravis præcepti violatores esse permittunt; adeo ut annum decimum sextum, decimum octavum & quandoque etiam vigesimum impleant, quin tamen sacratæ mensæ participes facti sint; quod ego sæpius accidisse novi, adeo ut nisi confessarius ductu plane divino eosdem hac super re interrogaret, nescio quanto insuper tempore S. Communionem recipere tardarent. Juniores hi, multoque magis parentes illorum culpæ mortalis rei, & omni illo, quod ab annis discretionis effluxit, tempore in statu peccati mortalis (scilicet gravis omissionis) sunt. Neque hoc loco eos dixisse sufficit: Nunquam cogitavi ista; nunquam hujus obligationis recordatus sum. Quid? Nunquam recordatus es hujus obligationis? Attamen recorda-

(l) *Can. 18.* (m) *Seff. 13. can. 9.*

recordatus es applicare filium (quamprimum licuit) ad quæstum ex aliquo opificio: Attamen recordatus es curare corporalia prolis tuæ commoda. Et non es recordatus facere, ut liberi præceptis Ecclesiæ, immo præcepto Christi, obsecundarent: Et non es recordatus, ut liberos tantæ defensionis (Christi videlicet Sacramentati) præsidio munires? Certe malum hoc ex deploranda tum propriæ tum natorum salutis negligentia oritur: tum etiam quod talparum instar mentem in bonis hujus seculi defixam habeatis, nimirum quod sola bona hujus mundi attendatis, nihil autem bona sempiterna curetis. Neque istud valde miror; nam parentes hujusmodi, Sacramentis parum amici & multis mortalibus peccatis assueti, cum suam salutem plane negligant, quomodo alienam (prolis nimirum suæ) curabunt?

Neque tamen soli parentes sed etiam parochi, in quorum parochiis vivunt personæ adultæ, quin communicent, gravis hujus omissionis rei sunt. Etenim vel verum est vel non, quod munus parochiale assumens simul se Deo sponsorem de animabus curæ suæ tradendis faciat? Istud tam certum, quam certum, quod is sit pastor, custos & pater spiritualis omnium parochianorum suorum. Jam quomodo se talis ad Dei tribunal defendet, Dei jubentis per os Sapientis: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui tuosque greges considera* (n) quomodo se defendet, inquam, aut quid respondebit judici interrogaturo ea, quæ per Jeremiam Prophetam scíscitatus est: *Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Quid dices* (o) *cum visitaverit te?* Dicet forsitan: Multa sibi negotia fuisse. At replicabit Deus: magnum quoque fuisse commodum, quod quæsivit, magnamque fugam onerum utut curæ pastorali essentialiter annexorum: At statuet contra illum Deus tot alios parochos, qui familias prole præditas per singulos annos visitarunt, ut viderent, si illa Sacramentorum susceptioni matura esset, eumque in finem illam accuratis in tabulis perscriptam tenuerunt, ut ne tempus opportunum effluere finerent. O quot salvarentur, O mei! si parochi non fierent; qui maxime, quia tales sunt, peribunt! Tam metuenda res est salutis alienæ cura. Audiant isti (Placet finire brevem hanc digressionem de cetero necessariam) audiant famosum Prophetæ Ezechielis (p) locum in quo Deus hos tales, una cum omnibus aliorum curæ præpositis, sic alloquitur: *Fili hominis! speculatorem dedi te. . . Si non annunciaveris impio, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia & vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram;* Et iterum: *Si conversus justus a justitia sua fuerit & fecerit iniquitatem . . . ipse morietur; quia non annunciasti ei. . . Sanguinem vero ejus de manu tua requiram.* Ex quibus magnus ille pastor S. Gregorius Magnus infert (q) *In quibus utrisque pensandum est, quanto sibi connexa sunt peccata subditorum & præpositorum; quia, ubi subjectus ex sua culpa moritur, ibi is, qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. . . In qua voce nos convenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui sacerdotes vocamur, qui super ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus. . . Sanguis ergo morientis de manu speculatoris requiritur; quia peccatum subditi culpa præpositi, si tacuerit, reputatur.*

Sub nomine Paschæ, in qua S. Communio sumenda est, venit spatium quindecim dierum (r) a Dominia Palmarum usque ad Dominicam in Albis; quamvis etiam differri longius pro Pœnitentis necessitate a confessario possit; prout citatus canon monet. Hinc sequitur, quod, qui in Sabbatho Dominicam Palmarum proxime præcedenti etiam in sua parochia Communicat, præcepto non satisfaciat, si intra memoratos quindecim dies denuo cibum sacrum non sumit; nam lex Ecclesiæ non solum Communionem injungit, sed etiam illius tempus (paschale scilicet) constituit ac præfinivit.

Fieri Communio paschalis in propria parochia debet; Hinc qui alibi eam non obtenta parochi licentia facit, præcepto non satisfacit. Dixi: *Non obtenta licentia*; nam non suffi-

(n) *Prov.* 27. (o) *Jerem.* 13. (p) *Cap.* 3. (q) *Homil.* 11. *in Ezech.* (r) *Notandum, temporis paschalis spatium pro varia diœcesium consuetudine variare.*

sufficit hanc petiisse; sed obtineri etiam debet, scilicet ut parochus eam libere concedat. Quod si Parochus, concedens hanc licentiam, eandem non ad aliam determinatam Ecclesiam limitat, impletur præceptum, in quacunque Ecclesia Communio sacra peragatur: Sacerdotes, volentes per celebrationem Missæ satisfacere præcepto huic, satisfaciunt, si Sacrum in Ecclesia, cui aggregati sunt, faciunt. Hæc omnia consuetudo dictat, interpretans in hunc modum citatum Concilii Lateranensis canonem.

Interrogabit aliquis: Quid faciat, cui ante paschale tempus longum maritimum iter instat, & qui moraliter certum habet, se non nisi elapso paschali tempore in aridam evasurum? Num prævenire tempus paschale & Communionem suam paschalem peragere, antequam iter navale aggreditur, debet? Respondeo: hunc talem prius convenire parochum debere, ut is licentiam det faciendi Pascha, ubi itineranti licuerit; posito quod parochus ei consulat facere Pascha, postquam in terris, quas petit, appulerit: Quod si parochus contrarium consulit, pareat & in sua parochia Pascha celebret. Qua in re parochus quoque attendere debet, utrum tempori paschali propius sit, S. Communionem fieri, antequam proficiscatur, an postquam itinere defunctus fuerit; nam cum a lege maxime tempus paschale ob ipsam illius solennitatem præscribatur, convenit facere S. Communionem (quantum fieri moraliter potest) quam proxime huic tempori. Quod si vero hic talis iter terrestre & per regiones catholicas facere habet, sufficit petiisse licentiam a parocho celebrandi Pascha in quodam eorum locorum, in quibus tempore paschali morabitur.

Quid agat, qui sive mala voluntate sive ex inculpanda necessitate Pascha non celebravit? Respondeo: eum, qui mala voluntate Pascha non celebravit, peccasse graviter; contra non peccasse eum, qui Pascha ex necessario impedimento distentus non fecit: Utrique vero incumbit obligatio illud, quantocyus fieri moraliter potest, atque in propria parochia celebrandi; & secundum gravium Doctorum sententiam, eamque magis probabilem, toties mortaliter peccant, quoties reminiscentes se Pascha non egisse, & ejus agendi copiam ac facultatem habentes, illud tamen non agunt. Neque sufficit, eos habere animum celebrandi Pascha suum intra anni currentis spatia, priusquam novum Pascha incidat; nam duæ caussæ, ob quas Ecclesia hoc præceptum condidit, fortiter comprobant obligationem celebrandi Pascha, quamprimum licuerit. Caussæ hæ sunt: solennitas longe maxima Resurrectionis dominicæ, & animæ utilitas; ne, ob illa ob longiorem a cibo eucharistico abstinentiam gravioribus in peccata mortalia casibus subdatur, sed potius corroboretur. Prior caussa in laudato canone exprimitur: posterior a Concilio Tridentino allegatur, quando de institutione Eucharistiæ loquens, eam *spiritualem animæ cibum, quo alantur & confortentur* (s) appellat. Ex his rationi magis consentaneum esse videtur, dicere: quod, qui Communionem paschalem non fecit, eandem facere teneatur, quamprimum moraliter ei licuerit: nec illi liberum esse differre Pascha, quamdiu voluerit; etiamsi illud ante Pascha superveniens celebret; atque istud, tum ut Pascha suum (quantum fieri potest) quam proxime prætéritæ solennitati faciat: tum ut magnum illud animæ suæ præsidium accipere diutius non differat; Unde (quod sequitur) toties graviter peccat, quoties Pascha, cum possit, non celebrat.

At nunquid, O mei! nunquid res oppido stupenda videtur (Permittite, ut ad ea, quæ initio hujus sermonis monui, revertar) nunquid oppido stupenda res, ejus Sacramenti, quod sæpius per diem desiderari a Christianis deberet, jam tantum fastidium Fidelium animis subiisse, ut præceptis pœnarum ecclesiasticarum minitatione armatis opus sit, quo illud semel in anno recipiatur? Nunquid oppido stupendum, a personis firmiter credentibus, contineri in illo vere, realiter ac substantialiter totum Christum Deum

(s) *Sess. 13. c. 2.*

Deum hominem, fontem omnium gratiarum, amatorem intimum ac profusissimum animarum nostrarum (qui per quandam mirandorum prodigiorum congeriem cibum se nostrum facere dignatus est, modo longe benevolentissimo atque intimo eum solum in finem nobiscum habitaturus, ut nos sanctos redderet (hunc, inquam tantopere a nobis negligi immo etiam deseri a nobis hæc omnia ex Fide profitentibus, atque adeo deseri, ut innumeri eundem nunquam ex charitate, ex mutuo amore, ex gratitudine suscepturi essent, nisi eo præceptis cogerentur & pœnis ecclesiasticis terrerentur! Quod nisi hæc sit omnium, quæ cogitari possunt, portentosissima & atrocissima ingratitudo; quæ demum alia, O mei! erit? . . .

Dicet aliquis credens quidem mysterium, at non capiens; Ego si non quotidie, saltem sæpius per mensem aut etiam septimanam accedere ad mensam sacram haud dubitarem; at ministri Christi hoc mihi interdicunt. Si ministri docti, sapientes, pii interdicunt, illud indicio certo est, velle te Christum ita suscipere, uti suscipi ille nec vult nec debet: Putasne, O chare! quod Rex, mero amore & eum in finem solum, ut omnibus te gratiis cum salute tua æterna non pugnantibus cumulet, divertere in domum tuam sæpius optans a te vel excipi velit vel debeat in sterquilinio aut loco culinæ infimo, ubi sordes, ubi ollæ, ubi cacabi & reliqua culinæ suppellex projecta recubat? . . . Et si director tuus, hoc te loco Regem excipere, nollet; nonne id merito & cum ratione nollet? Jam scias velim, multo immo infinito minus conscientiam impuram Christo, quam Regi illi locum memoratum convenire. Hinc si ministri Christi a sacra mensa te prohibent, id faciunt; quia conscientia tua tali cibo indigna est, ut nedum voluptatem afferre Christo deberes, nova eum gravissima injuria afficias. Præpara itaque prius mentem tuam ad tanti hospitis susceptionem, & quo paratiorem te confessarii invenerint, eo facilius votis tuis, Christum etiam quotidie recipiendi, obsequentur.

Omnis itaque frequentandæ SS. Communionis licentia ex eo pendet, ut fructus, inde perceptus, appareat: & hunc spectare attente doctus, pius, sapiens minister aliorum conscientias regens debet. Qui autem fructus seu effectus SS. Eucharistiæ sint, sermone XXXIX. exposui, & insuper de personis crebro ad illam accedentibus multa sermone XXXVIII. dixi: Legantur ergo duo sermones isti, in quibus invenientur, quæ hoc loco repeti non debent. Istud solum iis, quæ sermone XXXVIII. monui, addidero: quod prudens confessarius, si videt Pœnitentem vi S. Communionis abstinere a peccatis mortalibus, haud morosus & pervicax ad concedendam frequentandæ S. Eucharistiæ licentiam esse debeat; cum hæc ipsa a peccatis mortalibus sanatio & præservatio inter fructus Sacramenti præcipuos connumeretur.

Faciat itaque huic sermoni meo finem casus quidam super proposita materia egregius, quem mihi vir quidam Religiosus (gravis, pius, doctus & præstans orator) retulit, qui quamvis oculorum usum natus annos ferme triginta tres amiserit, tamen cœcus etiam plus quam quadraginta Quadragesimas (Ut de sermonibus ab illo per anni decursum habitis sileam) fructu plane stupendo per Italiæ civitates præcipuas dixit. Facti autem series hæc: Erat in quadam harum civitatum persona nobilis, quæ peccato alicui carnali ita assueverat, ut emendationem plane desponderit. Etenim nihil remedia a ministris Dei ipsi præscripta: nihil dilatio absolutionis: nihil orationes: nihil eleemosynæ: nihil frequentatio Sacramentorum: nihil pœnitentiæ sub conditione, si relapsus sequatur, impositæ & alia similia promoverant; sed enim miser pro sua fragilitate, tum malæ consuetudinis viribus tum vili pusillanimitate fractus, semper idem erat: plorabat ad pedes Confessarii: proposita concipiebat: immo etiam implebat res sibi injunctas: verum die postero nova tentatione irruente turbabatur, confundebatur, trepidabat & crescente tentatione cade-

cadebat. At en! forte Deus confeſſario hanc cogitationem ingerit: Quæreret miſerum ſi unquam illis diebus, quibus S. Communionem ſuſceperat, cecidiſſet; Ille candide reſpondit: ſe iſtis optatiſſimis diebus nunquam lapſum eſſe. Quid ad hæc confeſſarius? Abſolvit Pœnitentem etiam illo mane motus pœnitentiæ ſignis, quæ is dabat, eidemque in pœnitentiam injungit, ut tum præſenti tum ſequenti mane Communicaret, poſtquam prius ad ſacrum tribunal rediiſſet: Obedit Pœnitens; Communicat illo mane; mane altero revertitur, & jam non in conſuetum ſcelus relapſum confeſſarius de levioribus peccatis admiſſis reconciliat; præterita ſcelera novo cum dolore indicare jubet, & ante Abſolutionem denuo in pœnitentiam injungit, ut etiam ſequenti mane Communicet. Paret etiam hac vice Pœnitens, quem non relapſum eſſe cognoſcens confeſſarius per multas ſeptimanas & menſes nonnullos ſimili modo cum eo agit, in quibus omnibus miſer non cecidit: Et ſic feliciter ſucceſſit confeſſario per prodigioſam auguſtiſſimi Sacramenti virtutem ſanare Pœnitentem hunc; cui, poſtquam ita convaluit, ut amplius non caderet, ſtatu illius jam non quotidianam S. Euchariſtiæ frequentationem exigente imperavit, ut aliquoties per menſem ſacrum epulum ſumeret: Et perrexit alter caſte ac chriſtiane vivere. Igitur pro conſcientiarum circumſtantiis S. Euchariſtiæ frequentatio moderanda eſt, & hac ſuper re ſermonem XXXVIII. adire non pigeat. Ex iis vero, quæ hucusque dicta ſunt, colligite: de eorum, qui Sacramentum Euchariſtiæ quotidie recipiunt (Uti ſacerdotes quotidie recipiunt) & a gravibus peccatis ſe nunquam emendant; cum hoc manifeſto indicio ſit, a Sacramento effectus debitos non produci & non produci ob impedimenta, quæ Sacramentum in anima reperit: de horum (inquam) relabentium ſalute æterna metuendum, & verendum eſſe, ne *judicium ſibi manducent & bibant*; quod Deus propter infinitam miſericordiam ſuam avertere dignetur.

SERMO LXVIII.

De quinto præcepto Eccleſiæ, nimirum de ſolvendis Decimis.

PErſonis rudibus, imperitis & (Ut voce amplius patente utar) ſecularibus, quæ parum intelligentes ſunt, Decimas ſuarum ſubſtantiarum ſolvere obligatis, hæc forſitan obligatio onus videbitur imprudenter impoſitum, conferendi ſcilicet ad congruam ſuſtentationem miniſtrorum ſacrorum, qui nulla re ad ipſos pertinent, nulla ipſis propinquitate junguntur & quandoque ſe parum ipſis amicos oſtendunt. Hinc præcepti hujus implendi moleſtiam atque incommodum ſentientes (inſurgentibus in animo turbis, murmurationibus, impatientiis) perſæpe etiam phraſes parum dignas contra hoc præceptum ore promunt, idem extorſionis pulchris coloribus fucatæ aut lucri parum juſti nomine arguentes: & eos, qui decimas neglecta earum ſolutione coacti vi exigunt, pro avaris ac ſuorum commodorum ſtudioſis habentes. Neque tamen ſic ſe res habet; cum præceptum Decimarum ex jure naturali, divino, denique etiam poſitivo eccleſiaſtico fluat.

Quod ut ſine ulla ambiguitate & quam clariſſime intelligatur, æquitatemque & vim hujus præcepti unusquisque cognoſcat, obſervare debetis cum S. Thoma: jus naturale exigere, ut ii, qui pro animabus Proximorum laborant, ſudant & vitam ſuam ſpirituali aliorum ſervitio conſecrant, eumque

in

in finem alia lucrosa officia relinquunt, vicissim Proximorum labore juventur; ita ut postquam opificiis & aliis ministeriis, quibus se congrue alere potuissent, valedixerunt, a Proximis, quorum gratia laborant, sustententur. Atque hoc ipsum ad illud contractus naturalis innominati genus reducitur, qui est: *Facio ut facias*: scilicet *Facio*, adjuvabo animam tuam & sacris operando & orando & ministrando tibi Sacramenta, & prædicando tibi verbum divinum &c. *Ut facias* tu vicissim, quod potes, pro mei sustentatione; cum omnia hæc ministeria sacra, & in commodum tuum spirituale exercitata non solum lucrum nullum afferant; sed etiam omni lucro nigrum & sacrilegum simoniæ juris divini naturalis, horrendis præterea censuris puniri solitæ theta præfigant.

Quare sicut jus naturæ postulat, ut qui bono alterius (utut in rebus corporalibus) laborat, mercedem accipiat; adeo ut juste & sine ulla admiratione medicis, advocatis, artificibus &c. solvi, quod par est, consueverit: ita etiam exigit teste S. Thoma, & post hunc, Theologis omnibus, ut qui relictis lucris aliis cunctis pro animabus Proximorum laborat, a Proximis, quos adjuvat, stipendium sibi accipiat. Hinc citatus Doctor angelicus de decimis in lege veteri solvi solitis loquens ait: *Præceptum de Decimis . . est inditum naturali ratione . . . . Quod enim eis, qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret, ratio naturalis dictat; sicut & iis, qui communi utilitati invigilant (scilicet principibus, militibus & aliis hujusmodi) stipendia victus debentur a populo.* Neutiquam ergo conquerendum est de præcepto Decimarum, quatenus illæ stipendium sunt debitum iis, qui in populi fidelis commodum laborant respectu utilitatis inter alias omnes summæ, quæ est salus æterna. Hac ratione motus S. Augustinus (a) libere pronunciavit: *Decimæ ex debito requiruntur; & qui eas dare noluerint, res alienas invadunt.*

(a) *Decretal.* 16. q. 1.

Nemo hac super re succinctius simul ac nervosius locutus est, quam Paulus in 1. *ad Corinthios* epistola *c. 9.* jus naturale, quod animarum ministri habent, ut a Proximis sustententur, ostendens: *Quis militat alteri suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem & de lacte gregis non manducat?* Pergit: *Nunquid secundum hominem* (Ut naturæ humanæ obsequar) *hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysis:* Non alligabis os bovi trituranti: *Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos hoc* maxime *dicit? Nam propter nos scripta sunt; nam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi.* Et *si nos vobis spiritualia seminavimus*, num *magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Si alii potestatis* (substantiæ) *vestræ participes sunt, quare non potius nos? . . . Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Ecce vobis, O mei! caussam decimarum a magno gentium Apostolo loquentis ex eo Spiritus sancti voce defensam & tum ratione naturali, tum divinæ legis Mosaicæ testimonio, tum auctoritate Jesu Christi inexpugnabilem in modum firmatam! Est ergo juris divini naturalis & divini positivi, subministrare ministris, animarum servitio & auxilio destinatis, congrua victus: Nec jam licet Fidem habenti hac de re conqueri.

Hanc autem sustentationem, ministris sacris præbendam, decimam substantiarum partem esse debere, est juris positivi ecclesiastici; uti S. Thomas & alii Theologi monent: Hinc quemadmodum Ecclesia hanc determinatam decimæ partis quotam esse congruam judicavit; ita, si opus esset, eam justis de caussis alterare posset, sive minuendo sive augendo; prout videlicet ad congruam personarum, animas curantium & sublimi altaris ministerio consecratarum, sustentationem necessarium judicaret. Ob eam rem

 S. Tho-

S. Thomas ait: *Determinatio certæ partis exhibendæ ministris cultus divini non est de jure naturali; sed est introducta institutione divina, secundum conditionem illius populi, cui lex dabatur . . . Unde quantum ad determinationem decimæ partis erat judiciale . . . Est autem hæc differentia inter cæremonialia & judicialia præcepta legis, quod ceremonialia* (quippe quorum, cum fuerint mere futurorum symbola, observatio superstitionem redoleret) *illicitum est observare tempore legis novæ; judicialia vero, quamvis non obligent tempore gratiæ, tamen possunt observari absque peccato, & ad eorum observantiam aliqui obligentur, si statuantur auctoritate eorum, quorum est condere legem . . . Ita etiam determinatio decimæ partis solvendæ est auctoritate Ecclesiæ tempore novæ legis instituta . . Sic ergo patet, quod ad solutionem Decimarum homines tenentur, partim quidem ex naturali partim ex institutione Ecclesiæ; quæ tamen pensatis opportunitatibus temporum & personarum posset aliam partem determinare solvendam.*

Itaque cum Decimæ solvi debeant; cujus est illas recipere aut cui pendi illæ debent? Respondet S. Thomas, Decimas non nisi personis ecclesiasticis deberi, quæ curam animarum habent, & vi muneris sui ad officia pastoralia (ministrandi Sacramenta, prædicandi, Fidei elementa tradendi, & reliquos curæ pastorali annexos labores subeundi) tenentur: Hujusmodi vero sunt Episcopi, Parochi, Rectores Ecclesiarum & alii fungentes quodam ministerio cum cura animarum conjuncto: *Jus accipiendi Decimas est spirituale; consequitur enim illud debitum, quo ministris altaris debentur sumptus de ministerio, & quo ministrantibus spiritualia debentur temporalia; quod ad solos clericos pertinet habentes curam animarum: & ideo eis solum competit hoc jus habere.* Ob id S. Sedes Romana in cap. *Cum contingat &c.* definivit: Decimas, secundum jus commune, non nisi ad Ecclesias parochiales pertinere. Neque tamen hoc obstat, quin aliis quoque personis ecclesiasticis parochum in spirituali munere suo adjuvantibus solvi Decimæ pro quota determinata solita debeant in iis locis, in quibus hac super re vel privilegium pontificium extat vel consuetudo viget. Hinc Concilium Tridentinum de obligatione pendendi Decimas loquens etiam aliarum personarum meminit, quibus pendendæ sunt, si forte ita mos vigeat: *Præcipit omnibus, cujuscunque gradus & conditionis sint, ad quos Decimarum solutio spectat, ut eas ad quas de jure tenentur in cathedrali aut quibuscunque aliis Ecclesiis vel personis, quibus legitima debentur, integre persolvant.*

Dicet aliquis: Quemadmodum consuetudine inveterata fit, ut Decimæ aliis quoque personis præter parochum solvantur, ita consuetudo inveterata non solvendi Decimas eximere homines ab onere hoc poterit. Huic quæstioni cum S. Thoma, S. Antonino, Sylvestro, Cajetano &, qui post hos secuti sunt, aliis gravissimis Doctoris angelici Discipulis repono: consuetudinem inveteratam homines ab onere solvendi Decimas eximere posse; dummodo personis, quibus Decimæ deberentur, aliunde stabilem in modum prospectum sit. Hinc S. Thomas affirmat: eos, qui in terris, in quibus Decimæ pendi non solent, eas exigerent, id perperam facturos esse (b) *In terris, in quibus non est consuetudo communis, quod Decimæ dentur, & Ecclesia* (scilicet Romana, caput reliquarum) *non petit, videtur Ecclesia remittere, dum dissimulat; Unde non bene faciunt Rectores Ecclesiarum, si in terris illis Decimas exigerent, in quibus non est consuetudo dare; si probabiliter crederent, quod ex hoc scandalum oriretur.* Ex quibus postremis verbis apparet, quod Decimæ, si illarum exactio scandalum non pareret, nihilominus exigi possent. Sed quoniam ut exactio hæc recte fieret, facultas Ecclesiæ Romanæ (scilicet S. Sedis) requiritur, simulque ut probetur, parocho congruam sustentationem non esse; ob id in hoc casu, necessitate Decimarum exigendarum omnibus manifeste patente, scandali caussa cessaret.

Ingeret aliquis: Si Decimæ justo sustentationis parochi & aliorum, grave onus curæ

(b) *Quodlib. 2. a. 8.*

curæ paſtoralis gerentium, titulo ex debito ſolvuntur; evidenter patet, jam non eſſe obligationem Decimas pendendi parocho, qui multa bona patria habet, & propria re abundanter munitus eſt. Difficultas hæc primo obtutu in gratiam parochianorum ſolvenda, & dicendum eſſe ſors multis videbitur: in tali caſu non obtinere Decimarum pendendarum obligationem. Nihilominus S. Thomas, quem hactenus audivimus, & qui ab omnibus audire ſemper meretur, cum omnibus Theologis iſtud negat affirmans: non obſtantibus patriis bonis & temporalibus ſacri miniſtri ſubſtantiis eidem Decimas ſuas etiam a pauperibus ſubditis deberi; Quod ſuum aſſertum S. Doctor duobus in locis, in quibus materiam Decimarum tractat, repetit: In uno ait, (c) convellens argumentum contraria ſentientium: *In nova lege Decimæ dantur clericis non ſolum propter ſui ſuſtentationem ſed etiam ut hi eis ſubveniant pauperibus; & ideo non ſuperfluunt, ſed adhuc neceſſariæ ſunt poſſeſſiones eccleſiaſticæ & oblationes & primitiæ ſimul cum Decimis.* Et alio in loco cauſſam Decimarum potiſſimum a legans ait: *Cum ſacerdotibus Decimæ debeantur jure naturali . . . quamvis ſacerdos dives ſit, nihilominus pauper tenetur ei Decimas ſolvere* (d) Nunquid duci, qui principi ſuo militat, utut dives ipſe ſit, ſtipendia debentur? Nunquid paſtor gregem viri nobilis cuſtodiens, utut locuples ſit, mercedis laborum ſuorùm recipiendæ jus habet? Sic in noſtro quoque caſu ſtatuite! Recordamini eorum, quæ ex S. Paulo ſuperius audiviſtis, & reſponſionis a S. Thoma datæ æquitatem intelligetis.

Attamen iſtud verum manet: laudabiliter oppido facturum eum parochum, & egregium exemplum præbiturum eſſe, qui ſuis ac propriis opibus præditus cum ſit, pauperibus parochianis ſuis Decimas in eleemoſynam remittit; quandoquidem par eſſe videtur, ut, cum bona poſt congruam ſuſtentationem ſuperantia in ſtipem erogare ſub peccato mortali teneatur, eleemoſynam hanc pauperibus parochianis ſuis faciat, quibus ſolvere Decimas moleſtiſſimum accidit, quarum ipſe tamen haud indiget. Sed ne beneficium hoc, pauperibus parochianis collatum, in præſcriptionem & conſuetudinem abeat, curet, ut ſibi parochiani illi Decimarum remiſſionem, tanquam eleemoſynam, annuis ſchedis inter accepta referant, ne jus lædat parochorum vices ſuas ſubiturorum, qui (quippe facultatibus propriis carentes) Decimis, etiam a pauperibus parochianis, indigent.

Quod ſi Decimæ ſtipendium ſunt perſonis eccleſiaſticis debitum, dicet harum aliqua, non tenebuntur perſonæ eccleſiaſticæ ad Decimarum ſolutionem. Nihil præcipita, charum Caput! Sunt, monente S. Thoma & Theologis, duo bonorum genera, quæ Clerici habere poſſunt, diſtinguenda: ſcilicet bona eccleſiaſtica ad ipſos, ut eccleſiaſticos, pertinentia (Hæc poſſeſſiones vere eccleſiaſticæ appellantur, deque his Decimas ſolvere non tenentur) & bona ab ipſis non ex titulo eccleſiaſtico, ſed titulo ſucceſſionis, hæreditatis, legati, donationis &c. poſſeſſa (De his & ſimilibus Decimas ſolvere tenentur, etſi Eccleſiæ ipſi, cui Decimas ſolvere debent, aggregati ſint) Poſſeſſiones autem eccleſiaſticæ ad Decimas non obligantur, etſi intra fines alterius parochiæ ſitæ ſint. *Clerici, in quantum clerici ſunt, id eſt in quantum habent* (e) *eccleſiaſticas poſſeſſiones, Decimas ſolvere non tenentur: ex alia vero cauſſa propter hoc, quod poſſident proprio jure, vel ex ſucceſſione parentum vel ex emptione vel quocunque hujusmodi modo, ſunt ad Decimas ſolvendas obligati; Unde clerici de propriis prædiis tenentur ſolvere Decimas parochiali Eccleſiæ ſicut & alii, etiamſi ipſi ſint ejusdem Eccleſiæ clerici; quia aliud eſt habere aliquid ut proprium, aliud ut commune. Prædia vero Eccleſiæ non ſunt ad Decimas ſolvendas obligata, etiamſi ſint inter terminos alterius parochiæ.*

Obſervat tamen circa hæc S. Thomæ verba Cardinalis Cajetanus in ſuo *Commentario* in eundem locum: hanc Eccleſiarum exemptionem a Decimis pendendis de illis ſolum

(c) *Quodlib.* 2. a. 1. (d) *Quodlib.* 4. a. 10. (e) 2. 2. q. 87. a. 4.

lum bonis intelligi debere, quæ ob ministeria parochialia & quasi per modum dotis in fundatione ipsius tituli parochialis data fuerunt; non de illis bonis, quæ Ecclesiæ parochiali (dotem jam habenti & congruam parocho subministranti (ex dono, ex legato &c. obtigerunt, si talia bona in districtu alterius parochiæ sint; nam tunc bona illa ab una Ecclesia ad aliam transirent cum onere solvendi decimas ei Ecclesiæ, in cujus finibus sita sunt. Ratio evidens est; fieri enim posset, ait Cajetanus, ut dominus omnium possessionum in quadam parochia extantium, easdem alii parochiæ legaret: Quod si jam hæc Decimas pendere ex prædiis ab illo domino sibi relictis non deberet, altera parochia Decimis & (quod sequitur) congrua, qua parochus alatur, penitus spoliaretur: id quod gravissimum incommodum fore quivis videt; dum *Unus esuriret & alter ebrius esset.* Intelligitur itaque exemptio a Decimarum solutione non de bonis, quæ Ecclesiæ alicui superveniunt, sed de bonis dotalibus Ecclesiæ in ipsa illius fundatione assignatis; utut hæc deinde in alia parochia sita sint.

Neque credatis velim: in illis dominiis in quibus principes de congrua sustentatione parocho aliis modis prospiciunt, eumque in finem Decimas ipsi per idoneos ministros colligunt, non tam strictam esse Decimas solvendis obligationem. Falso istud vobis persuadetis; nam obtinet eadem strictissima obligatio: quemadmodum si creditori a vade aut alio quovis pro debitore, satisfactum est, debitor vadi aut alii pro se satisfacienti ita stricte, uti prius, obligatus remanet.

Quapropter cum tam gravis ac stricta sit Decimas solvendi obligatio; nunquid oppido dolendum, videre in Catholicis tantam eas pendendi negligentiam, ut annos integros abire sinant, quin easdem exsolvant, reputantes obligationem hanc indignam, quæ curetur: immo dignam, quæ modis omnibus devitetur. Et tamen sicut omnis debitor, solvendo par qui est aut parem solvendo se facere qui potest, si non solvit, in statu peccati mortalis vivit; ita etiam in statu peccati mortalis vivit, qui Decimas, cum solvere eas possit aut parem se facere illis solvendis debitam diligentiam adhibendo queat, non solvit. Verum audiant infelices hi S. Thomam (Etenim huic sermonem hunc omnem debeo) audiant, inquam, ad quam altum obligationis gradum Decimarum solutionem extollat; Vult namque hanc debitis aliis cunctis, immo & mercedi operariorum anteponi: *Decimæ non cadunt sub tributo, nec etiam obnoxiæ sunt mercedi operariorum: & ideo non debent prius deduci tributa & pretium operariorum, quam solvuntur Decimæ; sed ante omnia debent decimæ solvi ex integris fructibus.* Num loqui apertius S. Doctor posset? Igitur qui Decimas debet, debita diligentia eas pendat: & qui in eis solvendis tardus ac negligens est, curet, ne culpam incurrat, & ut se pœnis subtrahat, quas immittere Deus ejusmodi hominibus consuevit, & quarum caussa curiosius quandoque explorari solet; cum tamen hæc sit, quod Decimas non solverint.

His itaque finem huic meo Catechismo prædicabili impono, gratias agens infinitæ misericordiæ Dei, quod mihi eum finire concesserit, supplicansque eidem: Facere dignetur, ut quisquis hoc opus legerit, eum referat fructum, quem post gloriam Dei scriptor miserabilis spectavit: qui non solum S. Matris Ecclesiæ Romano-catholicæ sed etiam cujusvis se doctioris & prudentioris viri censuræ (Uti statim initio operis protestatus est) tum hoc tum reliqua scripta sua humilis subdit.

INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.